34
34-1-2
1080 (I)

SALMANTINÆ LECTVRÆ

A. R. A. P. MAGISTRO

Fr. IOANNE DE BOLIVAR,

SACRI ORDINIS

PRÆDICATORUM THEOLOGO,

ET

IN SALMANTICENSI ACADEMIA

ANTECESSORE PRIMARIO.

In quibus præcipuę, frequentioresque Thomisticæ Scholæ controversiæ promptè, ac perspicuè enodantur.

TOMUS PRIOR.

Anno 1701.

SALMANTICÆ: Ex Typographia Eugenij Antonij Garcia.

PALENCIA

C, de este Conv.to de Valthanas, se trasló siendo Guardn
N. R.o Fr. Iph de la Concep.n Cantalpino.

ILLUSTRISSIMO,

AC REVERENDISSIMO

D. D. FRANCISCO

CALDERON DE LA BARCA,

ALMÆ SALMANTICENSIS ECCLESIÆ

PRÆSVLI DIGNISSIMO,

ET REGIS CATHOLICI CONSILIARIO, &c.

BIBLIOTECA PROVINCIAL - PALENCIA - REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

QVOD Tuo potiſsimum nomine Opus iſtud eruditiſsimi Magiſtri Fr. Joannis de Bolivar publicæ vtilitati permittatur (*Illuſt. Princeps*) triplici vrgente titulo æquitatis ſcilicèt, gratitudinis, & iuſtitiæ, iure optimo exiſtimandum duximus. Nihil enim tàm ſtrictæ æquitatis attingit metas, quàm præcipuas *Thomiſticæ Scholæ* elucubrationes tali, tantoque eiuſdem Patrono, ac præſtanti Anteſignano protegendas committere, & altiora *Sapientiæ* arcana Sapientiſsimo offerre: *Non enim auro ſat eſt locus, in quo conflatur, aut argento ſufficiunt venarum ſuarum principia, quin precioſioris metalli fulgentia grana ſublimi Opificis probatione firmentur.* Quid ergo? Si nedum probata, ſed altiſsimæ tuæ mentis, ac authoritatis iudicio, etiam ſelecta, & magni habenda ſint prælaudata: *Nihil vnicuique, niſi quod amaverit, rectum eſt*, ait D. Zeno Veronenſ. Tibi ergo hoc opus rectum, æquumque, cum à te prænuntietur, amatum. *Job 28.* *Serm. de Contin.*

Nec leviori vrgentia, grati animi lex tot beneficiorum concatenata congerie, hoc noſtræ tenuitatis, & obſervantiæ obſequium in aliquale gratitudinis pignus, tibi exhibendum efflagitat. Cũ enim tua cõtinuò vtamur beneficentia, ac magnanimitate, nulla par erit intermiſsione, á gratitudine ceſſare Magno edocente Auguſt. *Sicut nulla hora eſt, qua tuo non vtar beneficio, ſic nulla hora debet eſſe, qua te non habeam ante oculos in mea memoria.* Ignis in Altare meo ſemper ardebit, præcipiebat Dominus: nec graviſ- *Lib. Soliloq. cap. 18.* *Levit. 6.*

simo absque crimine extinctum permittebat, gratitudinis typũ, exponit eruditus Phylo, dicens: *Nobis hominibus gratiarum actionem, hæc sacra flamma figurat, semper instauranda, ne quando extinguatur.* In cuius obseruantiæ signum, hoc nostræ gratitudinis coeuum erigimus monumẽtum tuæ celsitudini (*Præsul amplissime*) ex præcordijs oblatum, ex tabulis cordis ad hasce indelebili transcriptione, interminabili duratione præfigimus, vt quandiù nomen memorabilissimi Authoris apud Theologos precioſa memoria fulserit, tandiù Illust. nostri Mecœnatis, in nos elucescat gratia, ac ingratitudinis eripiamur à crimine. *Non enim nos fugit* (vt cum Parisiensi Jerſone loquamur) *quantæ subiaceremus culpæ, si tua beneficia, quibus nostrum nunc lætatur cor, silentio suppresso transiremus.*

Lib. de Victim. offert.

Gerſ. t. 4. Epist. ad Epiſc. Camerac.

Adhùc tamen arctius ipsa præmit iustitiæ ratio, qua vnicuique, quod suum est tribuendum decernitur, dictante Domino: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sant Dei, Deo.* Neque enim, quod Authoris doctrina è limpidissimis alveis *Augustini, & Thomæ* deprompta noscatur, eisdemque Sacratissimis Luminaribus adscribenda, quod sub prælo sit, tibi reddenda prohibetur; quin potiùs nimia claritate præcipitur; cum tuam eius editionem fateri debeamus: tuis siquidem suasionibus cõvicti, tuis auspicijs per moti, tua largitate muniti, tua nostri decoris solicitudine, ac doctrinæ æstimabilitate sublimati cudendam curavimus. Reddimus ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, cum hæc vndequaque tua *Augustino, & Thomæ* tuis sacris manibus oblationem dicamus, amplissimoque tuo patrocinio, ac irrefragabili authoritate firmare contendimus; quod si iustitiæ debito tribuimus, etiam iustitiæ debito erga tua, te ipsum benignissimum Patronum infallibiliter obstringimus. Retribuat Dominus, ipsumque, qui hanc tibi tàm piam mentem indidit, enixè rogamus, vt te ad communem Ecclesiæ vtilitatem, & splendorem, atque omnium, qui virtutis tuæ exemplo ad præclarè agendum incitantur commodum, quamdiutissimè seruet incolumen, donisque cœlestibus ornet.

Matth. 22.

ILLVSTRISSIME DOMINE

Sacr. Dominat. tuæ manus supplex oscul. obsequentiſ. Servus.

Fr. GASPAR A CORDVBA,

C. S. Sthephani Prior.

EL REY.

POR Quanto por parte de vos el Convento de San Eſtevan Orden de Predicadores de la Ciudad de Salamanca, ſe Nos ha repreſentado, que el Maeſtro Fr. Juan de Bolivar, Cathedratico de Prima de la Univerſidad de dicha Ciudad, y hijo de eſſe dicho Convento, avia eſcrito dos Tomos de Queſtiones Scholaſticas, ſobre las partes de Santo Thomas, de los quales ſe hizo preſentacion, y por que deſeavades darlos à la eſtampa, ſe Nos ſuplicò os concedieſſemos licencia para ello, y privilegio por diez años, en la forma ordinaria, y viſto por los de nueſtro Conſejo, y como por ſu mandado, ſe hizieron las diligencias, que diſponen las Pragmaticas vltimamente hechas ſobre la impreſsion de los libros, ſe acordò dar eſta nueſtra cedula, por la qual os concedemos licencia, y facultad para que por tiempo de diez años (que han de correr, y contarſe deſde el dia de la fecha de ella) vos, ò la perſona que vueſtro poder tuviere, y no otra alguna, podais imprimir, y vender los dichos dos Tomos, de que và hecha mencion por los originales, que en el nueſtro Conſejo ſe vieron, que van rubricados, y firmados al fin de Don Thomas de Zuazo y Areſti nueſtro Secretario, Eſcrivano de Camara de los que en el reſiden, con que antes que los vendais los traigais ante los de el, juntamente con los dichos originales, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſtá conforme à ellos, trayendo aſsimiſmo fee en publica forma, como por el Corrector por Nos nombrado ſe viò, y corrigiò la dicha impreſsion por los originales, para que ſe taſſe el precio à que ſe han de vender, y mandamos al Impreſſor, que imprimiere los dichos dos Tomos, no imprima el principio, y primer pliego de cada vno de ellos, ni entregue mas que vn ſolo Tomo con ſu original al Author, ò perſona á cuya coſta ſe imprimieren, para efecto de la dicha correccion, haſta que primero eſtè corregido cada Tomo, y taſſado por los del nueſtro Conſejo, y eſtandolo aſsi, y no de otra manera pueda imprimir los dichos dos Tomos con ſu principio, y primer pliego, en el qual ſeguidamente ſe ponga eſta licencia, y la aprobacion, taſſa, y erratas, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de eſtos Reynos, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis, y ſea la tercera parte de ello para la nueſtra Camara, otra tercera parte para el Juez que lo ſentenciare, y la otra tercera parte para el denunciador. Y mandamos à los de el nueſtro Conſejo, Preſidente, y Oydores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, y Alguaciles de la nueſtra Caſa, y Corte, y Chancillerias, y á todos los Corregidores, Aſsiſtentes, Governadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y otros Juezes, y Juſticias qualeſquiera de las Ciudades, Villas, y Lugares de eſtos nueſtros Reynos, y Señorios. y à cada vno, y qualeſquiera de ellos en ſu Juriſdicion, vean, guarden, cumplan, y executen, y hagan guardar, cumplir, y executar eſta nueſtra cedula, y todo lo en ella contenido, y contra ſu tenor, y forma, no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar en manera alguna, pena de la nueſtra merced, y de cinquenta mil maravedis para la nueſtra Camara. Dada en Madrid à dos dias del mes de Agoſto de mil y ſetecientos y vn años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey Nueſtro Señor.
Don Juan del Corral.

APPROBATIO ERVDITISSIMI Dñi DOCTORIS D. Geneſij Miralles & Marin, Abbatis S. Chriſtinæ, & Regis Catholici à Contionibus, &c.

IVSSU Supremi Senatus Caſtellæ vidi, & omni aviditate recognovi duo Theologica volumina fœlicius elaborata à Doctiſsimo, & Reverendiſsimo Patre Magiſtro Fratre Ioanne de Bolivar, qui quondam in ampliſsimo Sancti Stephani Cœnobio, & Filius, & decus, præclaræ Vniverſitatis Salmantinæ Primarius meritiſsimus, iam omnium in genti dolore, ſorte vltima mortalitatis pondere nudatus ſpiritus aſtra præmit. Huius tanti Viri, cum in celebri Academia Complutenſi in D. Clementis Collegio Theologiæ operam darem, aliqua vidi aurea fragmenta, quæ iam prævio ſplendore lucida fama vulgaverat.

Cum ergo ad manus hanc poſthumam geminam ſobolem orbatam parente ſuo cenſoria facultate ſuſcipio, iudicis ſeveritate reiecta, diſcipuli communem Magiſtrum lachymantis officium potius amplector. Hic ſcriba doctus in Regno Cœlorum de ditiſsimo theſauro ſuo vetera, & nova proferens in hæc duo volumina Theologiam pœnè compulit vniverſam, & ſacer indefeſſus agricola de fertiliſsimo Divi Thomæ campo fœcundiores fructus aurea falce demeſſuit.

Hic in ore, & doctrina paternam faculam referens, cum priùs Compluti in Angelici Præceptoris Collegio in Philophia, & Theologia mirabilis evaſiſſet, in tantum, vt ſui nominis æterna monimenta conſtruxerit. Iam tanta Vniverſitate ſuæ lucis primordijs illuſtrata ad priſtinam D. Stephani Domum gradus repetens, Salmantino circulo fœlicior apparuit. Vbi quadraginta per annos, & Veſpertinus, & Primarius Magiſter tam fœlicem curſum peregit, vt Gymnaſia omnia vocem eius, & nomen, & gloriam Theologicam, communi plauſu perſonarijnt.

Hæc duo volumina omni magiſterio, & eruditione referta á *Materia de Viſione Dei*, omnem Theologicam ſeriem diſſertiſsimé percurrentia, tractatum vſque *de Merito Chriſti* pertingentia ſiluerunt, vbi magnus iſte Theologus cunctis præſtantior, vel repreſsit calamum, vel diem clauſit extremum. Vidi ergo illa, & reperi opus in omnibus, & ſingulis ſapientiam, eruditionem, ingenij clariſsimum acumen, indefeſſum ſtudendi laborem, & claram dicendi methodum ſui Authoris clamans, & redolens: eſt enim opus peritia plenum, omnigena eruditione refertum, ſolida novitate fulcitum, cum præciſione fœcundum, & ſumma dexteritate digeſtum, ac demum orthodoxæ Fidei dogmatibus, & Concilijs conſonans: qua propter iudico, vt quantotiùs ad publicam vtiiitatem prodeat in lucem, vt tanti Magiſtri opera, & calami ſub vmbra non lateant; ſed ſuæ poſteritati ſplendorem novum adhibeant. Sic ſentio (*ſalvo meliori iudicio.*) Matriti die 23. Julij, D. Chriſtinæ ſacra. Anno Domini 1701.

Doct. D. Geneſius Miralles & Marin.

LI-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Eugenio Merino de Soto, Abogado de los Reales Conſejos, Proviſor, y Vicario general de eſta Ciudad, y Obiſpado de Salamanca, por el Iluſtriſsimo ſeñor Don Franciſco Calderon de la Barca, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apoſtolica, Obiſpo de eſta dicha Ciudad, y Obiſpado, del Conſejo de ſu Mageſtad, &c. Mediante la cenſura antecedente fecha por los Reverendiſsimos Padres Maeſtros Fray Manuel Navarro, Cathedratico de Uiſperas de Theologia de el Colegio de San Beniro de la Vniverſidad de eſta Ciudad, y Fray Miguel Perez, Cathedratico de Eſcritura en ſu Colegio de San Baſilio el Magno de dicha Vniverſidad, en virtud de nueſtra comiſsion, damos licencia, facultad, y permiſsion, por lo que à Nos toca, à qualquier de los Impreſſores de ella, para que ſin incurrir en pena alguna, pueda imprimir, è impriman dos Tomos, que ſe intitulan *Lecturas Salmantinas*, eſcritos por el Rmo. Padre Maeſtro Fray Juan de Bolivar, Cathedratico de Prima Jubilado de eſta dicha Univerſidad, de el Orden de Predicadores, no yendo contra las Pragmaticas Reales que ay tocantes à las impreſsiones, por eſtar regiſtrado, y no tener coſa que diſuene contra nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Dada en Salamanca à doze de Agoſto de mil ſetecientos y vn años.

Lic. Merino de Soto. Por Juan Ramos.

Por mandado del ſeñor Proviſor.

Juan Perez.

CENSURA RR. P. M. Fr. MICHAELIS PEREZ, EX SACRA MAGNI BASILIJ Familia ſemel, & iterum Provincialis, Catholicæ Mayeſtatis à Contionibus, & in Salmanticenſi Academia, poſt plures Philoſophiæ, ac Theologiæ Cathedras Primarij Sacræ Paginæ Interpretis, &c.

ILluſtriſsimi D.D. Franciſci Calderon de la Barca, Epiſcopi Salmanticenſis, Regis Conſiliarij, &c. mandato legi: *Tractatus Theologicos de Dei Viſione, Scientia Neceſſaria, & Libera, Divina Voluntate, de Providencia, & Prædeſtinatione, de Voluntario, & in Voluntario, de Bonitate & Malitia Actuum Humanorum, de Gratia, & Iuſtificatione, de Spe Theologica, de Chriſti Gratia, Impeccabilitate, & Merito*, Authore RR. ac SS. Patre Magiſtro Fr. Ioanne de Bolivar, ex Inclito Prædicatorum Ordine, Salmantinæ Academiæ publico Primariæ Theologorum Cathedræ quondam Antecceſſore, & Conventus Proto-Martyri Stephano nuncupati digno Filio. Ut autem quod res eſt dicam: potuit me onere hoc cenſorio levare Authoris graviſsimi nomen non modo inter Salmantinos celeberrimum, ſed vniverſo Orbi Hiſpano plauſibile, cuius ingenij fœtus è ſuggeſto dictati avidè expectabant ſtudioſi. Addo, quod ex tali domo [Arce illa rutiſsima Thomiſticæ Doctrinæ] præiudicata prodire videntur, & parum indiga novi examinis opera Scholaſtica: vt ſecurius huic transferam illud: *Homo Sacerdos de ſemine Aaron* (dic de Thomiſtico ſtipite Domus S. Stephani) *venit, non decipiet nos.* Quid decipiet? Diriget, illuſtrabit, ditabit. Iuſſui

1. Machab. c. 7.

Iussi tamen vt parerem, circùmspexi totum opus, in quo nihil deprehendi nisi cogitationis, atque effata *linenda Cedro, & leui seruanda Cupresso*. Et quidem solidiratem si laudavero, frigidum id encomium de Viro ANGELICÆ DOCTRINÆ serio, ac perpetuo Assertore: horum namque hæc peculiaris tessera, & quasi familiare gestamen videtur, scilicet sententiarum solliditas: laus quippè ista, & si magna, & præcipua sibi, ac suis, communis est. Magis proprium Doctoris nostri decus existimo vividam illam, & facilem energiam, seu in propijs stabiliendis assertis, seu in adversis nodis extricandis, vbi methodus acumen maturitati copulatum, perspicuitas demum, ac brevitas ita connectuntur amicè, vt fæliciter superatum, vel potius complanatum videas clivum illum arduum, & minimè proclivem maritandæ brevitatis cum claritate, adde (quod difficilius) cum plena rerum, quas versat explanatione, ipsiusque difficultatum fundi penetratione. Sed heù! Tanti labores serò nimis lucem vident, & vere posthumi sunt. An quemadmodùm robustæ, ac frugiferæ arbores longius procrastinant, lentissimèque proveniunt (vt non nemo ex Cicerone protulit de olea, quercu alijsque eius generis plantis: *Serunt homines, quod alteri sæculo prosit*) id ipsum his factum? Nam viri magni non facile, quæ concipiunt præcipitant: cunctatores esse solent, & quo doctiores, eo lentiores. Nimirum in scrinijs suis, velut pudibundè retinent cogitata sua, *quæ non*———

Cic. 1. Tusculan.

Multa dies, & multa litura coercuit atque
perfectum decies non castigavit ad unguem.

Sed non indè fortasse mora ista, verùm apropria, vt opinor, diffidentia, maluit vir æquè modestus, ac doctus, eòque verè sapiens, lucem manuscriptis, & dictatis dare alijs, quam editis sibi accipere, alienaque commoda augere, quam sua. Hinc labores suos vt proiectitium fœtum in terra linqueret, nisi domestica pietas, ac zelus publici boni, vti Dea quædam *Levana* tollendum è latibulis curasset. Fiat ergo publici iuris opus nihil pravum, moribusvè, aut sanctori doctrinæ obstans in se continens; quin potiùs magno fænore futurum SCHOLÆ THOMISTICÆ, totique litterariæ Reipublicæ. Sic voveo, & testor. Salmanticæ in hoc D.P. Basilij Magni Collegio die 3. Iulij, anno 1701.

De qua Aug. lib. 4. de Civit. c. 11.

Fray Michael Perez.

APPROBATIO RR. P. M. Fr. EMMANVELIS Navarro, Benedictinæ Hispaniarum Congregationis Generalis Magistri, Regis Catholici Ecclesiastis, in Salmantina Academia professoris laureati, Vespertinæ Theologiæ Cathedræ dignissimi moderatoris, necnon insignis Sancti Vincentij Collegij emeriti Abbatis, &c.

SUblimes hasce Sacræ Theologiæ Controversias duobus Tomis complexas à Sapientissimo, heù iam! semperque immaturo fato functo, & Reverendissimo Patre Magistro Fratre Ioanne de Bolivar, è Sacra, & Religiosissima Dominicanorum Familia, nostræ Salmanticensis Academiæ laureato Theologo, ac Vespertino priùs, Primario postea, vel inter ipsos Primarios dignissimo Antecessore, quotidianis lecturis elucubratas, iussu Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini D. Francisci Calderon de la Barca, huius Almæ Salmanticensis Ecclesiæ Præsuli vigilantissimi, vidi, legi, stupui: *Exanimes artus, & membra trementia vidi: albaque toto vertice canities, rigidis stetit hirta capillis.*

Ovid. 1. Am. & 10. Metam.

Sed

Sed vbi mox mens redijt,& poſtquàm ſe dolor imminuit ; Vivit an? Exclamo. Vivit nè doctiſsimus ille acratioris diſciplinæ chryſtalinus tubus, ſuaviſsima fiſtula? Verùm proh dolor! Viva vox obmutuit: *Quam non audituri diripuere noti.* At at,torrens ſiſtitur,& animus ipſe Authoris in his diurnis penſis ad vivum expreſſus, ad immortalitatem excuſus, redivivus recurſat. Luteum organum, labile vas confractum eſt, copia tamen abundantiſsima,& fluit effuſa,& in pateris iſtis ſtat propinanda. Quieſcit,& perfluit. *Vivere an hoc ? Rurſus dic ſine morte mori.* Id perenne de mortui Authoris,adhùc, & ſemper ſuperſtitis, cum lemmatè ſymbolum erit. His namque Ephemeridis, remoratur vegetus ille ſpiritus, qui ingenio velox, ore profuſus,& tunc voce fluxit,& hùc prælo confluit. *Propert. 2.* *Lemm. Nob. aut. figl. teſt. 3.*

Ob quod immenſas tenetur litteratorum orbis referre gratias obſervantiſsimo ſummorum Virorum Sancti Stephani Cœnobio, quod extinctæ vocis inextinguibile hoc, replicatumque ſupra immortalem reverentiæ,& nunquam perituræ memoriæ noſtræ aram vitalium halitum erexerit Oraculum. Tibi, inquam, præclariſsima Familia,ac Cœlo lapſa Progenies, proparentalibus, quæ ita lauta, aviditſsimo cuique inſtruis, & propinas, ab vniverſis convivis, quos dapum dulcedine allectas, hùc gregatim tranſcurſuros intueor, effuſæ grates velut à ſaturis rependentur. *Etenim ingenium Patris tui in vſum hominum reduxiſti, & à vera illum vindicaſti morte ; ac reſtituiſti in publica monumenta libris, quos vir ille fortiſsimus ſanguine ſuo ſcripſerat. Optimè meruiſti de Romanis ſtudijs : magna illorum pars arſerat: Optimè de poſteris ad quos veniet incorrupta rerum fides, Authori ſuo Magno imputata ; optimè de ipſo, cuius viget, vigebitque memoria quamdiù ſit in precio Romana cognoſci, quandiù quiſquam erit,qui reverti velit ad acta maiorum, quandiù quiſquam, qui velit ſcire.* *Senec. de Conſolat. ad Marc.*

Sed enim Viro Sapientiſsimo, non quidem aſſentatoriè, nam cinis ingratus, ideſt, gratiam relaturus non eſt ; iuſta tamen ſolvendo, iniuriam fecerim ſi eius maxima, & innumerabilia animi ornamenta, quę ex immenſa doctrinarum ſuppellectile, tanto vinculo, tali concatenatione ſibi comparavit, penitus tacerem. Quis verò magnitudinem, vimque ſubtiliſsimam ingenij illius comprehendat? Quis ſtudium ad veritatis exquiſitionem incitatum, & perpetuum ? Quis inexauſtam eiuſdem Sacrorum Librorum, Orthodoxorum Patrum, & Decretorum Eccleſiæ cognitionem aſſequatur ? Dicam, ſed cum Sydonio : *Vir fuit providus, prudens, doctus, eloquens, acer, & hominum ævi, loci, populi ſui ingenioſiſsimus, quique indeſinenter ſalva Religione phyloſopharetur .·.·. Deus bone ! Quid erat illud, quotiens ad eum cum ſola conſultationis gratia conveniebamus ! Quam ille omnibus ſtatim totum non dubitans, non faſtidiens aperiebat, voluptuoſiſsimum reputans, ſi fortè oborta quarumpiam quæſtionum in ſolubilitate labyrinthica, ſcientiæ ſuæ theſauri eventilarentur.* Hæc pauca de ſtudijs. *Lib. 4. Epiſt. 11.*

Cætera autem competenti præconio extollere impoſsibile erit. Nam merita ſua, quibus divitem conſcientiam cenſu pauperatus locupletavit, ſpe futuræ retributionis celare plus ſtuduit ; fuit ſanè, ſicut ſummo ingenio, ſumma etiam vitæ integritate,& moribus caſtiſsimis prędirus. Pręteream ſingula ſilentio, nè conatu infœlici, ingenijque vitio, infra ſeipſum,& eam quàm ſibi ille non quæſivit, ſed fecit apud omnes exiſtimationem,omnia relinquam : cuius ea fuit ſemper voluntas, animique ſententia, vt nil vnquam aliud, quàm piam Orbique vniverſo ſalutarem doctrinam,& verbo,& exemplo ſpiraret,quod quondam de ſuo Baſilio,dixerat Naziancenus : & quo, potiùs quàm pectoris aſthmate, venerandus ſenex noſter animo anhelus, non ſine ſono,(ideſt non ſine exemplo) extrema iam ſpirare poterat ætate. Cui proindè aptè illud Æſchyli de Amphiarao competit. *Tract. 20.*

Neque enim videri vult, ſed eſſe is optimus,
Sulcum profundum habens in pectore conſitum
Suo, veneranda conſilia vnde pullulant. *Apud Plutarc. in Ariſt.*

Iàm verò nè tantum delectus defuncti Authoris (& ſi ideò ſine invidia,& crimine)

Ence-

Encomiastes videar ; vtque Censoris muneri satisfaciam ; nihil in his Uoluminibus non sublime, non summum, à me inventum dicam. Omnia solidam doctrinam, subtilissimamque, & verè Scholasticam, Sacræ Theologiæ indagationem continent. De his nostrum iam erit iudicium, quod olim Appolinaris de libris Claudiani Mamerci produxit. Quod nempè in istis, *& teneritudinem quamquàm continuata maturitas admittit, interseritque tempestivam censura dulcedinem, vt Lectoris intentionem pereventilata disciplinarum Philosophiæ membra lassatam, repentè voluptuosis excessibus, quasi quibusdam pelagi sui portubus foveat.* Sic enim pensa hæc quotidiana nostri Authoris, semper, & fœlicitèr solidos illos Senecæ dies peragentis, vna totius, & inculpatæ vitæ opera, absoluta, ita venustè, ita nervosè ducuntur, vt precioſam veluti margaritarum lineam, perennandamque efficiant texturam, qua fatale Parcarum lanificium, immortalis animus, & exprobrat, & fallit. *Nam gaudent profectò divina perpetuò motu, & iugi agitatione se vegetat æternitas, & quicquid homines vocamus laborem vestra natura est, vt indefessa vertigo cœlum rotat; vt maria æstibus inquieta sunt, & stare sol nescit.* Eàdem ratione sacra hæc continuata negotia, & in se quodam Orbe redeuntia, seriem sese voluentem, & implicantem per sempiternos consequentiæ ordines, æternam illam, simulque Authorem immortalem exprimunt. Opera namque est triplici filo contexta, tenui ex subtilitate, æneo ex doctrina, tereti ex nervo; non iàm difficilè, sed nunquam rumpendis.

Lib. 4. Epist. 3.

Senec. Epist. 83.

Hinc tandèm liceat dignam fortasis geminati operis Crisim, quamvis tristem desideratissimo Authori conditam nœniam, proferre ex Sydonio:

Sydon. vbi sup.

Triplex Bibliotheca quo Magistro
Romana, Attica, Christiana fulsit:
Quam totam Monachus virente in ævo,
Secreta vivit institutione.
Doctus solvere vincla quæstionum,
Et verbi gladio secare sectas
Si quæ Catholicam Fidem lacessunt,
Psalmorum hic modulator, & phonascus.
At tu quisque doles amice Lector
De tanto quasi nil Viro superstit
Vdis parce genis rigare marmor,
Mens, & gloria non queunt humari.

Hoc nostrum non iam vsurpatum, sed restitutum, seù ad Epitaphium, seù ad Censoris munus explendum, de his Voluminibus, & de Authore, carmen, & iudicium, quo album calculum lineis omnibus geminati operis opponentes, vtrúmque librum luce publica dignissimum censemus. In hoc Regio S. Uincentij Benedictinorum Collegio. Die 7. Julij, anno Domini 1701.

Mag. Fr. Emmanuel Navarro.

LICENCIA DEL RR. P. MAESTRO Fr. NICOLAS DE Torres, Confessor que fue de la Catholica Magestad de Carlos II. su Predicador, Inquisidor de la Suprema, y Provincial de la Provincia de España, del Orden de Predicadores, &c.

EL Maestro Fr. Nicolas de Torres, Inquisidor de la Suprema, Predicador de su Magestad, y Provincial de la Provincia de España, Orden de Predicadores, por la presente, y authoridad de mi oficio, doy licencia á nuestro Convento de San Estevan de Salamanca, y en su nombre al P. M. Fr. Gaspar de Cordova, Predicador de su Magestad, y Prior de dicho Convento, para que pueda imprimir dos Tomos de Materias Escolasticas, cuyo titulo es *Lecturas Salmantinas*, compuestos por el muy R. P. M. Fr. Juan de Bolivar, Cathedratico que fue de Prima de la Universidad de dicha Ciudad, precediendo antes la aprobacion de los muy RR. PP. MM. y Cathedraticos de dicha Universidad Fr. Geronimo de Matama, y Fr. Manuel Garcia, y las demàs licencias ordinarias, y necessarias. En fee de lo qual lo firmè en nuestro Convento de San Pablo de Palencia, à veinte y ocho del mes de Junio de mil setecientos y vno.

Fr. Nicolas de Torres.
Provincial.

Registrada folio 479.

Por mandado de N. Rmo. P. Provincial,
Fr. Phelipe de Xerez,
Mo. compañero, y Secretario.

CENSVRA R. A. P. M. Fr. HIERONYMI DE MATAMA, in Vniversitate Salmantina Primarij iamdiù emeriti, ac Supremi Inquisitionis Senatus Qualificatoris, Studiorum Cœnobij S. Stephani Salmantini Regentis Studiosissimi.

ADEST Publicæ luci donatum opus millies transcriptum, & vniversalibus votis expetitum. En ea omnia quæ Venerabilis Magister Fr. Ioannes de Bolivar ê suggestu dictavit communi vtilitati exposita. Plures tractus completos, alios semiplenos, aliquem vix inceptum offert, sed in eorum editione fuit animus, ne sub tanti Authoris nomine alieni fœtus supponerentur, & ea quæ ipse tradidit pura, & immixta cómunicare. Nec facile quis tanti ingenij præstantiam mitari possit; inchoatum enim ab Apele Mineryæ simu-

lachrum, quis perficere præsumeret? Pauciora ista videbuntur, quam à tanto homine, & tandiú in Scholastica Palestra versato expectari possent, sed adversa valetudo, qua vt plurimum laborauit, ne plura essent effecit, sir gulárisque modestia, qua erat præditus, & de suis operibus abiecte sentiebat, ne aliqua alia inveniri possent compressit. Ne autem lectioni eius hoc agitatus scrupulo quis innitatur, consideret parvum istud opus (si quantitatem molis attendat) Ingentium voluminum, vim & virtutem superare, & tanquam quodam sinapis granum vim habere ingentem arborem producendi; pauca nanque quamvis sint, & subtilioribus Sacræ Theologiæ apicibus sunt de prompta, & fere omnia principalia certamina quæ hodie Scholis disseruntur, mirum in modum explicant, & elucidant. Nihil continet scriptum hoc Fidei oppositum, aut bonis moribus dissonum; sed est sapientia plenum eruditione refertum, modestia abundans, & vbique redolet Thomisticam veritatem. Sic censeo ex mandato RR. P. N. Provincialis, in hoc S. Stephani Conventu, die 22. Julij, anno Domini 1701.

Fr. Hieronymus de Matama.

APPROBATIO R.A.P. M. Fr. EMMAMVELIS GARCIA de Bayona, Ordinis Prædicatorum, in Salmanticensi Academia Primariæ Cathedræ moderatoris.

IVSSV RR. P. N. Fr. Nicolai de Torres, in Sacra Theologia Magistri, Caroli II. quondàm á Sacris Confessionibus, nunc Regij Ecclesiasticis in Supremo S. Generalis Inquisitionis Senatu à Consiliis, & huius nostræ Provinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum Prioris Provincialis, & integerrimi Præsulis, attentè vidi, sedulò inspexi, nec minús voluptate lustravi opera, omnia in duos tomos distributa, quæ in Alma nostra Academia audientium plausu è sugestu dictavit R. A.P.N. semperque venerabilis Magister Frater Ioannes de Bolivar, Primarius emeritus pro eadem Universitate. Omnia Orthodoxæ Fidei consona, nulla bonis moribus dissona inveni. Spirant enim profundissimum Authoris ingenium, fœliciſsimam rerum copiam, Angelicæ doctrinæ soliditatem, conspicuam, item in dicendo methodum pari cum soliditate coniunctam. Tacuit (proh dolor!) lingua Authoris, & vox faucibus hæsit. *Sed habent* (inquit Cipria-nus) *opera linguam suam, habent facundiam suam etiam tacente lingua*, quæ linguas non modo infantium; sed virorum, non modo addiscentium; sed sapientiorum faciet dissertas. Iam non de morte festinata conquærimus, cum Bolivar noster revocatur ad auras, dum eius scripta, vocantur ad lucem: *Non incognito siquidem nobis* (verba sunt Symmachi, nostro convenienter Magistro adaptanda) *eloquij splendore enituisti, sed magis rebus accommodato, & Maiestatis scriptis ad huc totam gloriam quam Magisterio ante quæsijsti recens auget* (exarata) *oratio*. Qua propter vt omnium vtilitati consultum sit, publicum iamdiù desideratum, & sapientium votis expetitum accipiant censeo. In hoc Salmantino Protho-Martyris Sancti Stephani Collegio die V. Augusti, An. Dñi. MDCCI.

Fr. Emmanuel Garcia.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 2. num. 2. lin. 20. ſeparaturum, leg. ſeparatarum. pag. 3. num. 6. lin. 28. colli, leg. colligi, pag. 7. n. 28. lin. 8. externis, leg. exterius, pag. 8. num. 32. lin. 3. in ipſe, leg. in ipſa, pag. 8. num. 33. lin. 11. naturalem, leg. naturalium, pag. 38. num. 24. lin. 2. ad terminis, leg. ad terminum, pag. 42. num. 38. lin. 3. elicienti quæ, leg. elicientique, pag. 43. num. 49. lin. 10. virum, leg. virium, pag. 45. num. 56. lin. 3. eam quæ, leg. eamque, pag. 55. n. 29. lin. 4. neutrus, leg. neutrius, pag. 69. num. 89. lin. 19. conſtiuit, leg. conſtituit, pag. 201. num. 16. lin. 6. ſive potentia, leg. ſine potentia, pag. 201. num. 17. lin. 5. futuræ, leg. futurus, pag. 204. num. 28. lin. 32. argumentis, leg. argumentum, pag. 261. num. 22. lin. 8. veritatem, leg. veritatum, pag. 365. num. 84. lin. 5. non exiſtentiam, leg. non exiſtentia, pag. 368. num. 10. lin. vlt. conſenſum, leg. conſenſu, pag. 447. num. 73. lin. 5. electionem, leg. electionum, pag. 448. num. 73. lin. 26. præparatas, leg. præparatur, pag. 448. num. 75. lin. 33. deinde concurrendo, leg. de non concurrendo, pag. 485. num. 3. lin. 18. ſine alio, leg. ſine illo, pag. 567. num. 2. lin. 21. efficaciam, leg. efficaciter, pag. 604. num. 12. lin. 3. in voluntarius, leg. voluntarius, pag. 606. num. 21. lin. 12. per propoſitum, leg. per poſitivum: pag. 631. num. 1. lin. 8. ad promiſsionem, leg. ad ommiſsionem, pag. 658. num. 46. lin. 10. naturæ, leg. natæ, pag. 664. num. 22. lin. 14. ſecundum quod, leg. ſecundum quid, pag. 664. n. 25. lin. 13. per eo, leg. pro eo, pag. 669. num. 1. lin. 15. motu, leg. metu, pag. 682. num. 2. lin. 7. ex determinate, leg. ex determinatione, pag. 684. num. 27. lin. 33. ad involuntarium, leg. ad voluntarium.

VIdi hunc librum *Tractatus Theologicus in Divo Thoma*, editum *à R. P. M. Fr. Ioanne de Bolivar*, & cum his mendis ſuo originali reſpondet. Matriti ſeptimo Kalendas Septembris anno milleſimo ſeptingenteſimo primo.

Lic. Don Joſeph Bernardo
del Rio y Cordido.
Corrector general por ſu Mageſtad.

DON Thomas de Zuazo Areſti, Secretario del Rey nueſtro Señor, y ſu Eſcrivano, de los que reſiden en el Conſejo, certifico, que aviendoſe viſto por los Señores dèl dos Tomos *de Quæſtiones Eſcolaſticas Theologicas*, ſobre las partes de Santo Thomas, compueſtos por el *Maeſtro Fr. Juan de Bolivar*, de la Orden de Predicadores, que con licencia de dichos Señores han ſido impreſſos, taſſaron à ſeis maravedis cada pliego, y los dichos dos Tomos parece tienen trecientos y ſeſenta y cinco y medio, ſin principio, ni tablas, que al reſpecto referido importan dos mil ciento y noventa y tres maravedis, y al dicho precio, y no à mas mandaron ſe vendan los dichos Tomos, y que eſta certificacion, ſe ponga al principio de cada vno de ellos, y para que conſte lo firmè. En Madrid à veinte y ſiete dias del mes de Agoſto de mil ſetecientos y vn años.

D. Thomas de Zuazo,
y Areſti.

IN:

INDEX
TRACTATVVM,
ET DVBIORVM,
quæ in hoc Tomo continentur.

TRACTATVS I.
De Visione Dei.

DVB.I. *Vtrum intellectus creatus possit videre Deum per essentiam?* fol.2.
§. 1. Statuitur conclusio affirmativa tanquam de fide,& probatur. 5.
§. 2. Aliæ rationes expenduntur. 5.
§.3. Argumenta ab authoritate solvuntur, & mens Patrum exponitur. 10.
§. 4. Cætera argumenta diluuntur. 14.
DVB. II. *Vtrum Deus clarè visus contineatur sub obiecto specificativo intellectus creati?* fol. 17.
§. 1. Aliqua supponuntur , & referuntur sententiæ. 17.
§. 2. Statuitur prima conclusio. 21.
§.3. Statuitur secunda conclusio. 27.
§. 4. Solvuntur argumenta. 28.
DVB.III. *Vtrum detur in natura appetitus naturalis à videndum Deum?*. 32
§. 1. Aliqua prænotantur,& statuitur prima conclusio, 32.
§. 2. Solvuntur argumenta. 35.
§.3. Quid dicendum sit de appetitu elicito?. 40.
§. 4. Solvuntur argumenta. 45.
DVB.IV. *Vtrum lumen gloriæ sit tota ratio agendi visionem beatam?*. 47.
§. 1. Statuitur prima conclusio. 49.
§. 2.Solvuntur argumenta. 52.
§. 3. Quomodo componatur cum nostra sententia libertas actuum supernaturalium? 55.
§. 4. Solvuntur argumenta. 60.
§. 5. Statuitur tertia conclusio. 65.
§. 6. Statuitur vltima conclusio. 68.
§. 7. Solvuntur argumenta. 73.

TRACTATUS II.
de Scientia Dei necessaria. 77.
DVB.I. *Vtrum in Deo sit scientia, & circa quæ obiecta?* 79.
§. 1. Stabilitur existentia scientiæ diuinæ. 79.
§. 2. Stabilitur stricta Scientia in Deo & eius obiectum. 85.
§. 3. Statuitur scientia in Deo erga propria attributa. 90.
§.4. Scientia àposteriori relegatur á Deo 95
DUB.II. *Vtrum omnipotentia connectatur cum creaturis possibilibus.* 100.
§. 1. Aliqua supponuntur ,& referuntur sententiæ. 100.
§. 2. Explicatur vera sententia. 102.
§. 3. Alijs rationibus probatur conclusio. 105.
§.4. Ulterior probatio nostræsentẽtiæ 109.
§. 5. Solvuntur argumenta. 111.
DVB.III. *Vtrum Deus cognoscat creaturas in se ipso tanquam in causa,& obiecta prius cognito?* 117.
§. 1. Aliqua supponuntur , & referuntur sententiæ. 117.
§. 2. Statuitur prima conclusio. 122.
§. 3. Statuitur secunda conclusio. 128.
§. 4. Statuitur tertia conclusio. 131.
§. 5. Solvuntur argumenta. 135.
§. 6. Aliqua inferuntur ex dictis. 139.
DVB. IV. *Quæ nam Scientia Dei sit causa rerum?* 141.
§. 1. Aperitur status controversiæ , & referuntur sententiæ. 142.
§. 2. Statuitur conclusio. 143.
§. 3. Solvuntur argumenta. 147.
§.4. Solvitur vltimum argumentum. 153.
DUB V. *Vtrum scientia futurorum sit necessaria, an contingens?* 159.
§. 1. Examinatur quomodo Deo operante ex necessitate naturæ , maneret libertas nostrorum actuum. 159.
§. 2 Solvuntur argumenta. 162.

TRTCTATUS. III.
de Scientia Libera Dei. 165.
DVB. I. *Per quid constituatur futurum in ratione futuri?* 167.
§. 1. Aliqua supponuntur, & referuntur sententiæ. 167.
§.2. Statuitur prima conclusio. 168.

§. 3. Ratione probatur noſtra concluſio. 172.
§. 4. Aliorum doctrina, & ſolutio reijcitur. 178.
§. 5. Alijs rationibus probatur concluſio, & magis impugnantur prædictæ ſolutiones. 181.
§. 6. Solvuntur argumenta. 185.
§. 7. Cætera argumenta ſolvuntur, & explicatur futuritio peccati. 189.
§. 8. Quædam corolaria inferuntur. 194.
DUB. II. *Vtrum cum huiuſmodi futuritione abſoluta componatur noſtrorum actuum libertas?* 196.
§. 1. Proponitur ratio dubitandi. 196.
§. 2. Statuitur prima concluſio. 197.
§. 3. Solvuntur argumenta. 199.
§. 4. Statuitur ſecunda concluſio. 203.
DUB. III. *Vtrum Deus cognoſcat futura conditionata contingentia?* 208.
§. 1. Aliqua ſupponuntur, & referuntur ſententiæ. 208.
§. 2. Statuitur concluſio, & alique rationes pro illa expenduntur. 211.
§. 3. Efficacius probatur concluſio. 217.
§. 4. Solvuntur argementa. 219.
§. 5. De conditionatis diſparatis. 221.
§. 6. Quid dicendum ſit de conditionatis de conditione impoſsibili? 225.
DUB. IV. *Vtrum Deus hæc futura cognoſcat in ideis Divinis, vel in cauſis liberis, vt ſuper comprehenſis; vel in ſuo decreto vt futuro?* 228.
§. 1. Reſolvitur prima pars dubij. 228.
§. 2. Solvuntur argumenta. 229.
§. 3. Statuitur ſecunda concluſio. 231.
§. 4. Statuitur tertia concluſio. 234.
§. 5. Solvuntur argumenta. 237.
§. 6. Ex dictis aliqua inferuntur. 242.
DUB. V. *Vtrum Deus cognoſcat futura contingentia in eorum veritate obiectiva independenter à decreto abſoluto ſubiective, & antecedenter ad illud?* 243.
§. 1. Statuitur concluſio. 244.
§. 2. Solvuntur argumenta. 249.
DUB. VI. *Vtrum dentur in Deo decreta conditionata obiective, & ſubiective abſoluta?* 257.
§. 1. Referuntur ſententiæ, & ſtatuitur concluſio. 257.
§. 2. Solvuntur argumenta. 258.
DUB. VII. *Vtrum decretum conditionatum neceſſarium ſit, vt Deus cognoſcat futura contingentia conditionata.* 263.
§. 1. Statuitur concluſio; & pro illa expenditur prima ratio. 263.
§. 2. Proponuntur aliæ rationes pro noſtra concluſione. 267.
§. 3. Aliorum reſponſio refertur, & reijcitur. 272.
§. 4. Alia ratio pro concluſione adducitur. 275.
§. 5. Aliquæ ſolutiones referuntur, & reijciuntur. 277.
§. 6. Aliorum ſolutiones referuntur, & reijciuntur. 283.
§. 7. Solvuntur argumenta. 285.
DUB. VIII. *Vtrum vt Deus cognoſcat futura conditionata contingentia requiratur decretum conditionatum obiectivè, & abſolutum ex parte actus?* 291.
§. 1. Aliqua præmittuntur ex dictis. 291.
§. 2. Statuitur prima concluſio, quæ in principijs Scientiæ Mediæ non probatur. 293.
§. 3. Aliæ rationes examinantur. 295.
§. 4 Efficaciter probatur concluſio. 296.
§. 5. Statuitur ſecunda concluſio. 297.
§. 6. Solvuntur argumenta. 299.
§. 7. Statuitur tertia concluſio. 302.
§. 8. Solvuntur argumenta. 303.
DUB. IX. *Vtrum Deus ergà futura conditionata poſsit manere ſuſpenſus, ſaltim per volitionem, qua velit circa illa nihil decernere?* 313.
§. 1. Proponuntur rationi dubitandi pro vtraque parte. 313.
§. 2. Deciditur quæſtio noſtra. 314.
§. 3. Solvuntur argumenta. 316.
§. 4. Ex dictis aliqua inferuntur. 320.
§. 5. Cætera argumenta ſolvuntur. 321.
DUB. VNICUM. *De impoſsibilitate Scientiæ Mediæ.* 327.
Vtrum ex inconvenientibus, quæ Scientia Media ſequuntur, eius impoſsibilitas oſtendatur? 327.
§. 1. Proponitur primum inconveniens. 327.
§. 2. Solutio Recentiorum reijcitur. 329.
§. 3. Alia inconvenientia proponuntur. 335.

TRAACTATVS. IV.
De Voluntate Dei.

DUB. I. *Vtrum Deus velit creaturas poſsibiles.* 345.
§. 1. Aliqua prænotantur, & referuntur ſententiæ. 345.
§. 2. Proponitur prima concluſio. 349.

Sol-

§. 3. Solvuntur argumenta. 351.
§. 4. Statuitur secunda conclusio. 354.
§. 5. Proponuntur, & solvuntur argumenta. 358.
DUB. II. *Vtrum decretum liberum Dei per aliquid extrinsecum adæquate, vel inadæquate constituatur?* 368.
§. 1. Primus modus defendendi affirmativam sententiam refertur, & reijcitur. 368.
§. 2. Alij modi defendendi hanc sententiam referuntur, & reijciuntur. 369.
§. 3. Alijs argumentis probatur conclusio. 375.
DVB. III. *Vtrum decretum constituatur adæquate per aliquod intrinsecum, & quid sit illud?* 379.
§. 1. Duo modi constituendi decretum per intrinseca referuntur, & reijciuntur. 379.
§. 2. Reijcitur tertius modus dicendi. 381.
§. 3. Proponitur quartus modus dicendi. 388.
§. 4. Proponitur, & explicatur nostra sententia. 391.
§. 5. Solvuntur argumenta. 395.
DVB. IV. *Vtrum voluntas Divina potuerit manere suspensa?* 400.
§. 1. Aliqua supponuntur, & referuntur sententiæ 400.
§. 2. Statuitur nostra conclusio. 401.
§. 3. Solvuntur argumenta. 402.
DVB. V. *Vtrum in Deo sit formaliter voluntas, quæ nunquam impleatur?* 407.
§. 1. Referuntur sententiæ. 407.
§. 2. Statuitur prima conclusio. 408.
§. 3. Solvuntur argumenta. 411.
§. 4. Statuitur secunda conclusio. 413.
§. 5. Solvuntur argumenta. 417.
DUB. VI. *Vtrum decretum Dei sit immutabile?* 421.
§. 1 Referuntur sententiæ. 421.
§. 2. Statuitur nostra conclusio. 422.
§. 3. Solvuntur argumenta. 423.

TRACTATVS V.

De Providentia Dei erga actus nostros liberos, & eius concordia cũ libertate creata 431.
DVB. I. *Vtrum ad existentiam actus liberi sufficiat decretum indifferens?* 432.
§. 1. Proponitur sententia affirmativa, & primus modus illam explicandi reijcitur. 432.
§. 2. Alij modi dicendi referuntur, & reijciuntur. 436.
§. 3. Cæteri modi dicendi proponuntur, & reijciuntur. 439.
§. 4. Decreta indifferentia alijs rationibus reijciuntur. 441.
§. 5. Exclusio decreti indifferentis cõcludi tur ex Adversariorũ principijs. 444
§. 6. Solvuntur argumenta. 447.
DUB. II. *Vtrum ad existentiam actus liberi sufficiat decretum concomitans?* 451.
§. 1 Primus modus explicandi decretum concomitans refertur, & reijcitur. 451.
§. 2 Reijcitur secundus modus explicandi decretum concomitans. 454.
DVB III *Vtrum ad existentiam actus liberi requiratur efficax Dei prædefinitio?* 457.
§. 1. Statuitur conclusio, & prima ratio pro illa explicatur. 457.
§. 2. Prima solutio refertur, & reijcitur. 459.
§. 3. Refertur, & reijcitur secunda solutio. 461.
§. 4. Tertia solutio reijcitur. 462.
§. 5. refertur, & reijcitur quarta solutio. 464.
§. 6. Ultima solutio reijcitur. 468.
§. 7. Solvuntur argumenta. 471.
§. 8. Proponitur secunda ratio in favorem conclusionis. 474.
DUB. IV. *Vtrum decretum prædefinitivum actus liberi recte cohæreat cum eius libertate ex eo, quod præsupponat Scientiam Mediam.* 479.
§. 1. Refertur, & reijcitur sententia Recentiorum. 479.
§. 2 Solvuntur argumenta. 482.
DUB. V. *Vtrum decretum efficax sit incompossibile cum libertate creata eo quod necessario præcedat actum?* 484.
§. 1. Statuitur nostra conclusio. 484.
§. 2. Aliæ rationes pro nostra sententia afferuntur. 489.
DVB. VI. *Vtrum decretum efficax prædefinitivum componatur cum libertate creata?* 494.
§. 1. Statuitur conclusio. 494.
§. 2. Adversariorum solutiones referuntur & rejciuntur. 496.
§. 3. Recurrentes ad Scientiam Mediam, & efficacem prædiffinitionem, illa regulatam, reijciuntur. 498.
§. 4. Ulterior nostrę sentẽtię probatio. 500.
§. 5. Solvuntur argumenta. 506.
DUB. VII. *Vtrum stet cum decreto Thomistico reprehensio, & increpatio iusta vnius*

prælio? 519.
§. 1. Proponitur ratio dubitandi. 519.
§. 2. Statuitur prima concluſio. 519.
§. 3. Solvuntur argumenta. 521.
§. 4. Statuitur ſecunda concluſio. 530.
§. VLTIMUS. Solvitur ratio dubitãdi. 534

TRACTATUS VI.

De Prædeſtinatione.

DUB. I. *Qui actus in negotio prædeſtinationis interveniant?* 537.
§. 1. Statuitur exiſtentia prædeſtinationis. 537.
§. 2. Aliqua vt certa ſupponuntur. 539.
§. 3. Statuitur duplex concluſio. 541.
§. 4. Solvuntur argumenta. 543.
§. 5. Aliqua ex dictis reſolvuntur. 546.
§. 6. Statuitur vltima concluſio. 547.
§. 7. ſolvuntur argumenta. 548.
DUB. II. *In quo ex his actibus prædeſtinatio conſiſtat?* 551.
§. 1. Referuntur ſententiæ, & aliqua ſupponuntur. 551.
§. 2. Statuitur concluſio. 552.
§. 3. Solvuntur argumenta. 554.
§. 4. Cætera argumenta ſolvuntur. 557.
DUB. III. *Vtrum permiſsio peccati ſit effectu prædeſtinationis?* 566
§. 1. Aliqua ſupponuntur, & referuntur ſententiæ. 566.
§. 2. Statuitur prima concluſio. 571.
§. 3. Solvuntur argumenta. 577.
§. 4. Statuitur ſecunda concluſio. 582.
§. 5. Alia capita impoſsibilitatis referuntur, & reijciuntur. 585.
§. 6. Solvuntur argumenta. 589.
§. 7. Cætera argumenta ſolvuntur. 597.

TRACTATVS VII.

De voluntario, & involuntario.

DUB. I. *Quid, & quo tuplex ſit voluntarium?* 602.
§. 1. Explicatur, & defenditur definitio voluntarij. 602.
§. 2. Traduntur diviſiones voluntarij. 608.
DUB. II. *Quodnam ſit perfectius voluntarium: an liberum, an neceſſariũ?* 616.
§. 1. Aliqua ſupponuntur, & referuntur ſententiæ. 616.
§. 2. Explicatur vera ſententia. 619.
§. 3. Solvuntur argumenta. 621.
§. 4. Statuitur ſecunda concluſio. 622.
§. 5. Argumentis contra illam concluſionem occurritur. 622.
DUB. III. *Vtrum vt omiſsio ſit voluntario requiratur præceptum, ſeu obligatio ponendi actum?* 631.
§. 1. Aliqua prænotantur, & referuntur ſententiæ. 631.
§. 2. Statuitur prima concluſio. 633.
§. 3. Solvuntur argumenta. 641.
§. 4. Quid ſit dicendum de effectu ad omiſsionem ſequuto? 645.
DUB. VI. *Vtrum voluntati poſsit inferri violentia?* 648.
§. 1. Explicata diffinitione violenti ſtatuitur prima concluſio. 648.
§. 2. Statuitur ſecunda concluſio. 653.
§. 3. Quid ſit dicendum de actibus imperatis? 657.
DUB. V. *Vtrum ex metu facta ſint mixta ex voluntario, & involuntario, & quomodo?* 659.
§. 1. Aliqua prænotantur, & ſtatuitur prima concluſio. 659.
§. Statuitur ſecunda concluſio. 661.
§. 3. Statuitur tertia concluſio. 664.
§. 4. Statuitur vltima concluſio. 666.
DUB. VI. *Vtrum concupiſcentia cauſet involuntarium?* 669.
DUB. VII. *Quæ, & qualis ignorantia cauſet involuntarium?* 678.
§. 1. Dividitur ignorantia in concomitantem, conſequentem, & antecedentem. 678.
§. 2. Argumentis contra diviſionem prædictam occurritur. 679.
§. 3. Statuitur prima concluſio. 685.
§. 4. Statuitur ſecunda concluſio de ignorantia conſequenti. 687.
§. 5. Statuitur vltima concluſio de ignorantia antecedenti. 691.

STV-

STUDIOSO THEOLOGO PRÆFATIO.

DE EDITIONE OPERIS, AC NOTITIA AVTHORIS.

N Tibi optatum Opus Sacræ Scientiæ devotis opportunum, ac præcipuarum eius difficultatum apprimè resolutivum in quo non nostrę, vel Authoris; sed publicè consulimus Theologorum vtilitati, ac Ecclesiæ Sanctæ specialiori cultui, non enim ad prælum disposuerat, vel publici plausus se, aut sua digna Authoris concipiebat modestia; sed pro adimpletione muneris laborando, de eis ita demisse sentiebat, quod magis peritura, quàm conservanda credebat: quare nec apud se vnita, aut à mendis purgata, vel curiosè conscripta, seu in libros redacta; sed in chartulis dispersa, eo è vivis sublato, sunt inventa.

Cum tamen Dei sit fidelissima promissio humiles exaltandi, talem eius scriptis contulit dignitatem, quod magni apud eruditiores, istæ Lecturæ, & Materiæ haberentur, earumque cussio, ac evulgatio anxiè exposceretur, nedum à Thomistis pro sui defensione, sed & ab exteris, pro nostra impugnatione, crescenteque communi desiderio, crevit difficultas, tùm dispersa congregandi, tùm ab vnoquoque discipulorum reservata communicandi, tùm à mendosis scriptorum erroribus purgandi, & denique pro excessivis sumptibus sufficientia inveniendi; cum tamen labor improbus omnia vincat, summa fatigatione, continuaque applicatione, magnis contractis debitis, intentio consecuta est. Ita tamen quod nec Jota vnum, vel vnus apex ab Authore præteriri, vel immutari sit permissum, aliqua licet minus plena, aliaque nedum appareant consummata, nec desiderabantur commendabilia à contemporaneis elaborata, ab eius mente, & dignitate non distantia, quibus tractatus pleni, ac perfecti Angelicæque Summæ apparerent continuativi, sed tamen haud facilè, si non à mente; à concisione, perspicuitate, ac singulari nostri Authoris stylo, ac subtilitate viderentur aliena, ex quo fortè piam affectionem amoverent à proprijs.

Nè tamen cogites veram, ac humilem sapientiam absque rectitudine vitæ aliquando reperiri, piam, & religiosam Authoris memoriam in eius recommendationis monumentum tibi tradendam censui, vt forsàn honorabili illius notitia ductus illud Georgicum illi consentaneum aptare velis:

Haud equidem, credo, fuerit divinius illo
Ingenium, aut rerum fato modestia maior. Georg. lib. 2.

Claris

Claris ſiquidem, tùm honeſtate vitæ, tùm puritate originis, natalibus ortus, luſtralique fonte Ioannes eſt appellatus, die nona Novembris Anno Domini 1619. qua Omnium noſtri Sacri Ordinis Sanctorum Magna ſolemnitas celebranda erat, quaſi omnium protectionem adepturus; initium verò vivendi accepit oppido haud ignobili Diœceſis Placentinæ vulgo Garganta la Olla nuncupato. Eius Pater ac Proavi non ſemel ad regimen ſui populi aſſumpti, & inter principalioris notæ vulgo de los Azarandados, hoc eſt cribratorum, ſeú electorum conſcripti, à Civitate Victoria Alabæ Capitali originem duxere, anteriúſque à quodam Galliarum Reginæ (forsàn Hiſpaniæ prolis) celebri Armigero, ibidem antiquitus radicato cognomen ſortiti, atque à Domino D. Ioanne de Ochoa & Salazar, quondam Epiſcopo Placentino, tanquàm conſanguinei recogniti, ac honorati.

Infantili tranſacta ætate pueritiam Chriſtianis rudimentis, adoleſcentiamque quietam primis litteris exornavit, non mediocri in vtriuſque proventu: iuvenis autem pro maiorum ſtudiorum acquiſitione in Complutenſem Academiam miſſus, ibidem noſtri Collegij Divi Thomæ, non ſine Dei nutu ſpecialis Cultor evaſit, ex quo, noſtræ profeſsionis deſiderio flagravit, ſed cum Dei vocatione iterùm, atque iterùm fortitèr, ac ſuavitèr pulſaretur, divinæque motionis non fruſtrabilem in ſe agnoſceret efficacitatem, ad Collegium ſe confugit conſilia collaturus magno cum illo Magiſtro, devoto, ac eruditiſsimo Viro, tunc Academiæ Moderatore Eximio, poſtmodùm verò Segovienſi, Cordubenſi, ac Hiſpalenſi Archipræſuli digniſsimo Domino D. Fr. Pedro de Tapia (cuius memoria in benedictione eſt virtutum heroicarum odoribus, ac ſapientiæ fulgoribus plena, noſtrique Sanctiſsimi Prothomartyris Magni Cœnobij talis filij educatoris, decor, & gloria.

Præclarus autem Magiſter ſalutaribus confortans monitis, de vocatione lætus, de perſeverantia expertus, ac de ſufficientia ſecurus in Salmanticenſem ſuam dilectam, ac electam domum devotum clientulum Ioannem de Bolivar mittendum decrevit, nec ſine numine tali Matri enutriendum quaſi prophetiè dignum deſignavit filium, cum quo tres alios miſsiſe fertur; ex quibus alter, vel Maximus venerandus valdè Fr. Dominicus Coronado apud Sinas, poſt plurimos Eccleſiæ aggregatos per Baptiſma filios pro fide conſtantiſsimè certans Martyr occubuit inclytus. Inter Socios noſter Ioannes Salmanticæ valetudinarius pervenit, anxieratque Sacri Habitus inhians in eo, Divoque Parente Dominico totius ſpem reponebat ſalutis; nec Patres quem benemeritum conceperant retardare parabant, quare cum ægritudo ſtare non ſineret, ſella inſidentem præter communem ritum Sacra fuit veſte candidatus.

Reſtituta protinus valetudine, iuxtà iuvenis fiduciam probationiſque exactè tranſacto curriculo anno ſequenti 1638. vndecimo Kalendas Decembris, cum vigeſimum attigiſſet ætatis, ſolemnem emiſsit profeſsionem, & ad Artium ſtudia perductus celeberrimum ſortitus Præceptorem Illuſtriſsimum Dominum D. Clementem Alvarez, Antiſtitem Guadixenſem poſt Primarium Complutenſem, Romanumque Regentem ingenij acumine Salmanticæ, Romæ, ac Compluti mirandum, quem item Ordini genuit S. Stephani Domus, ſub quo fœlicitate ingenij, morum probitate, docilitate, ac ſtudioſitate noſter Bolivar plurimos antecelluit, Sacramque Scientiam percepturus in Collegam S. Thomæ Aquinatis Complutenſis Academiæ electus, iterùm eius munditia originis, ingenijque præſtantia rigidè fuit examinata.

Magnis verò in Sacra doctrina adeptis incrementis continuitate argumentorum, aſſiduitate concluſionum, cæterorumque Studij exercitiorum vivaciſsimi ingenij clara comparata oppinione; ad Artium Lecturam, ſeù Magiſtratum primo in Regali Matritenſi Domo Sanctæ MARIÆ de Atocha anno 1646. immediatoque in ſuo Salmantino Collegio iam vir deſignatur, in quo tribus con-

ti-

tinuis curſibus ſuę doctrinæ communi plauſu conſummatis fœliciora ſui præbuit indicia, iterùmque à ſuo Complutenſi Collegio ad Theologiæ Lectoram expetitus, circa concordiam efficaciæ victricis Gratiæ, ſupræmique dominij cum noſtro ipſi eſſentialiter ſubdito libertatis arbitrio, ita perſpicuè, ac dilucidè exponendam excelluit præclara traddendo documenta, quod haud parvum apud Sapientes nomen ſit adeptus; cumque hoc ſuæ Salmanticenſi Domui latere non potuiſſet, eum ad ſe pro Sacra item è docenda Theologia fecit accerſiri, quaſi certatim ab vtraque celebriori quæſitus Academia.

Nec tamen inaniter, crebeſcente namque eius doctrinæ, ac vivacis ingenij communi acclamatione, ac Veſpertina Cathedra almæ Univerſitatis vacante occaſione aſſumptionis illius nominatiſsimi, celebertimique Magiſtri, tot annis Salmantini Moderatoris Præceptoriſque Primarij Domini D. Fr. Petri de Godoy ad Præſulatum Oxomenſe (noſtri gloria œvi S. Stephani digniſsimi Alumni, ac Luminaris præcipui, de cuius laude in omnium ore nunquam ſatis præclariſsimis ſuæ doctrinæ incomparabilem ſapientiam obteſtantibus libris, prodigijſque ad Tumulum probatis non minorem virtutem, & gloriam) ad Cathedram Doctoratumque ſolemnitèr evectus lucidiora ſparſit ſapientiæ arcana, nec à quotidiano docendi munere, non ſecura licèt valetudine, aliquandiù ceſſavit, inter quæ ad Prælaturam ſui numeroſiſsimi Sancti Stephani Cœnobij electus ſingulari rectitudine, diligentiſsima cura, pietatis ſtudio, affluenti largitate, zelo obſervantiæ, integritateque regiminis floruit, ac duplicatis laboribus fatigatus præſura pectoris cœpit infirmari, qua non obſtante gelidiſsima hyemis aurora circa quam primariæ lectionis hora cum dimidia quotidiè protenditur ipſi quamvis maximè infenſa publicum Cathedræ moderamen inceſſanti implevit aſsiſtentia, non timens à frigoribus nivis.

Laboribus tandem, ſenectute, ac valetudine diminutus corporeiſque labentibus viribus cum ab omnibus non mediocria tot meritis augurabantur condigna remuneratione præmia, iubilatione poſt vigeſimum Cathedræ annum ritè perfunctus, totus ad æternitatem diſponendus, ſe accinxit: nec ad noſtri Catholici Regis Curiam cum à primo Miniſtro, & à Regio Confeſſario, pro ſecuris eius doctrinis accipiendis eruditis reſolutionibus, vocatus fuit, nullis voluit perſuaſionibus acquieſcere, ſed vt ſeipſo, & virtutibus maior evaderet eum Deus ſeveriſsimè probare diſpoſuit; quod vt advertas reflectere obſecro, quod in præfatis licèt rectis nondum noſter Author ſpecialiſsima internæ perfectionis ediderat exempla; nè tamen mundo perpetuò lateret, manus Domini vlcere peſsimo eum in facie percuſsit, novumque Job eum probatiſsimæ pacientiæ, humilitatis, ac reſignationis præclarum exhibuit exemplar.

Paucis enim decurſis menſibus in maxilla levis apparuit macula, quæ ſe paulatim in cuſtrulam mutavit, & cum ad viſitandum Deiparæ miraculoſum Simulacrum, quod apud Rupem de Francia ſumma omnium Fidelium colitur veneratione Devotus Peregrinus ſe contuliſſet, cuſtrulam infauſtam præſagiens de illius pernicie incautus, de importunitate verò ſolicitus à quodam inſcio, ac inexperto Chirurgo remediolum pro vitanda cuſtrula ſuſcepit, quæ citò ſublata minutiſsimum patefecit vlcus, quod in domum reverſus à peritioribus Salmantinis mortiferi Cancri pernicioſa, ac inſanabilis ſpecies declaratum eſt, maximè cum ex internis in delicatiſsimum præcipuum, & ad abſciſionem, ſeù cauterium incapacem locum inevitabili prorruperit effluxu.

Ad quod inſperatum nuntium, dum cæterorum inſurgit anxietas, dolorque concreſcit patientis ſolicitudo paccatur, capitalique auſcultata ſententia, ſe quaſi mortis reum ad vltimum ſupplitium vnicè præparandum ſuſcepit, & protulit; deinceps circa auroram Sacrum, dum valuit peregit, vel celebrandi impeditus in Eccleſiam ad Cappellam Sanctæ Roſæ pergens, vel ibidem adductus in ſella

coram

ceram Altari parata, Sacra quotidiè audiebat, frequentiſsimaque conſcientiæ expiatione præparatus Sacroſanctæ Euchariſtiæ divino ſe reficiebat pabulo, & horarum ſpatio aſsiduis meditationibus ſe confortabat, quantumque licuit inter defunctorum tumulos ſolus, in obſcuro permanebat ad mortem continuò, ac prolixè ſe exercendo. Non tamen hoc pium Eccleſiæ frequentandæ ſolatium ei diù fuit conceſsum, ferventi namque cancri mordacite infirmum deiecit in lectum, ad quas anguſtias reductus, quantum fas erat ſolitudinem, abſconſionem, ac ſilentium amabat paucis viſitandi cauſa brevitèr admiſsis, niſi ad ſpiritualia tractanda eſſent deſtinati, lectioneque devota ſæpè præmiſſa in eius contemplatione non modica conſumebat ſpatia; verba, niſi vtilia, aut inexcuſabilia, abhorrebat, nec novitates, negocia, aut curioſa ſe coram conferri ſinebat, in omnibus rectitudinem, ac conſcientiæ regulas ſequendas ſuadebat; Sacramenta, quantum per infirmitatem licuit, frequentabat; ſe importunum cæteris dolebat, ſæpè ſuæ moleſtiæ veniam exigebat.

Quoties verò pro ſui curatione expenſas fieri cognoſcebat, inutiles, ac Conventui gravoſas immò imprudentes, ac ſcrupuloſas pro ſe Fratre inutili ſine ſanitatis ſpe erogatas dolens proclamabat, ſtrictiſsimam dictam in victu, & potu potiùs medice, quam ſaporosè condito promptè, ac obedientiſsimè ſervabat, & cum morbus nedum maxilam, ſed & oculum, & vultus ferè medietatem abtuliſſet, oſſaque nuda horridam calvariæ effigiem oſtendiſſent, ſpeculum petens in eo ſui horrorem aridamque calvariæ propriæ medietatem videndo lentè contemplabatur, non ſine adſtantium ſtupore, ſuique ipſius apertiſsimo contemptu. Vt autem apertiùs eius profundam, veram ſinceriſsimamque percipias humilitatem, dicere non omittam, quod ſi quando de eius ſcriptis reſervandis, vel pro editione conquirendis aliquid inſinuatum accipiebat, ſtatim offenſus, quaſi opprobrium cum indignatione, vel iniuſtam adulationem reputando ſe opponebat, propriaſque lucubrationes contemptibiles, indignaſque communi æſtimatione prædicabat.

Maximè tamen viliſsimum ſui ipſius apperuit conceptum cum de propriæ conſcientiæ munditia, vt moris erat ſolicitus, frequenti Confeſſario intermiſſo, alioque ſuo videri ſtrictiori, peritiorique evocato, ante Confeſsionem de conſolatione quotidiani Confeſſarij conquæſtus, & de nimia lenitate qua ipſum ad crudeliſsimi exhortabat tolerantiam vulneris contriſtatus, ſic adiuratus rogavit: *Quæſo te Pater per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quæſo per Sacratiſsimas Domini Ieſu plagas, nè me eo, quo concipis, ſeù apprehendis modo pertractes, nec ſolatia proponas, ſed ſeveriſsimè, vt verè peccatorum maximum reprehendas, & corrigas, quaſi verè peſsimam creaturam, inceſſantibus ſupremiſque à Deo collatis beneficijs omnium ingratiſsimam.*

Ex quo facilè colligendum venit nè dum cum verè humili reſignatione tám dirum vlcus ab eo acceptum; ſed vltra eminentiori heroica perfectione cum inennarrabili æſtimatione, & pro iuſtiſsimo ſupplicio, & pro inæſtimabili beneficio, ac pretioſo reputabat dono, cuius humilis tolerantia patientem nondum ab ingratiſsima nota eruere ſufficiebat, quod item alio declaravit eventu.

Cum enim Sanctiſsimus Parens Innocentius Papa XI. ad Cardinalatum, Salmantinum evexiſſet Epiſcopum Dominum D. Fr. Petrum Salazar ſimul cum Præclaro admodum Reverendiſsimo Magiſtro Benedictinæ Familiæ digniſsimo Alumno, Sacræ Paginæ in Academia Moderatore Domino D. Ioſepho de Aguirre purpureis Capelis Salmanticæ adductis, ac magno plauſu celebratis, D. Cardinalis Epiſcopus ad infirmum noſtrum perſonaliter viſitandum honorificè acceſſiſſet, eumque conſolando, Cardinalitio Galero diguiorem affirmaſſet, promptiſsimè reſpondendo dixit, quod non ſemel prædixerat: *pluris à ſe Cancrum ſuum haberi, ac ſupra qualicumque humana exaltatione pretioſum reputare.*

Pau-

Præfatio.

Paupertatem, nec minus ex corde colvit, facultateque præhabita ex ſibi ad vſum conceſsis, piè in pauperes occultè erogando, ſeù eorum parvulis Chriſtiana rudimenta inquirendo, quaſi numos fortè collabentes diſponebat, vt ab eis reaſumerentur, quin ipſe eleemoſynarius notaretur, iubilationeque potitus, Scholaſticos libros, ac manuſcripta Artium, Lectoribus, vel ſtudioſis Scholaſticis iucundè diſtribuit, Myſticis tantum ſcilicèt Granatenſis, Saleſij, ac Sanctæ Matris Thereſiæ ſibi reſervatis, ita vt poſt mortem velut pauperrimi Fratris Cella ſpoliata inveniretur, nullis præter vtenſilibus alicuius momenti ad infirmitatem exactis occupata, nec aliquid de ſibi applicatis propter Magiſterium Academiæ, vel ex legitima in renunciatione pro ſuis indigentijs relicta, vel aliorum munerum proventibus, ei conſignatis repertum, ac relictum fuit.

Obedientiæ item ſic adſtrictus, quod ad nihil operandum abſque Prælati, vel Confeſſarij expreſſo nutu ſe reduxiſſet. Et vt brevitatem non deſeram in verbis verax, ſanctæ ſimplicitatis candore fuit vſus, in promiſsis fidelis, omnibus affabilis, ac modeſtus. Quadraginta annorum ſpatio doctrinæ Magiſterio clarus, ac trium circiter continuis mortis acervisſimis doloribus exagitatus, vitæ præclaræ, ac Sapientię verę certiſsima reliquit teſtimonia. Eximijs cumulatus virtutum meritis, Illuſtriſsimiſque doctrinæ documentis, verus, ac continuus rectę vitæ, ſolidæque ſcientię Magiſter. Vivendi, ac moriendi ſapientiæ ac pietatis ſtrenuus Doctor, à Cancro conſumptus, Sacroſanctis Sacramentis munitus, ac Religioſiſsimæ Domus pia, ac numeroſa phalange ſtipatus, placidè obdormivit in Domino, die 8. Ianuarij anno Domini 1687. omnibus ſui deſiderium deſolationemque ſentientibus. Tumulatio autem, ac funeralia convenientibus, tùm almæ Academiæ Clauſtro, Rectore cum Chancellario, plenoque Laureatorum in cunctis facultatibus numeroſo congreſſu, tùm ex maioribus, minoribuſque Collegijs Togatorum completo numero, tùm omnium Sacrorum Ordinum Religioſiſsimo cœtu, ex quibus ſinguli ſingula adæquata perſolvebant funeris officia, tùm denique Scholaſticorum popularium que, ac Nobilium cumulato concurſu, maximo ſunt ſolemnizata ſuffragio, Sepulchroque licèt religioſo, maiori, quo potuit decore proviſſo, à ſæculo ablatus, vt piè confidimus fœlix in ęternum vivens quieſcit, qui faciens, & docens magnus vocari in Regno Cœlorum dignus agnoſcitur.

Habes ergò in vtroque quod diſcas: in ſcriptis ſcientiæ armamentarium, nedum ad inculpatam Themiſticæ veritatis tutelam, divinæque victricis Gratię defenſionem; ſed ad virilem Adverſariorum expugnationem tyronibus claram, adultis profundam. Si plura deſideres, ac incepta, ac ſemiplena notes, recordare eius erga ſe, & ſua, diſplicentiam, ac deſpectum, minus firmam valetudinem, immò & facilitatem manuſcripta ſua largiendi, ex quo licèt ibidem pleniora, aut conſummata aliqua, vel vltra dictata elaboraverit nulla potuerunt diligentia reperiri, ampliuſque conſidera: quod inſtantiæ, ac communia horum tractatuum deſideria ad evulgationem quaſi invitos nos compulere.

Vltèriùs tamen eminentius in hac Authoris notitia habes magnarum virtutum clarum ſpeculum, ac lucidum exemplar, in quo non ad corporis, ſed ad animæ ſalutem non ad caducam, ſed ad æternam vitam pretioſiſsimam accipias eruditionem, nedum verbis; ſed etiam exemplis, qua non tantum locutione; ſed potiùs facto, ac operatione inſtrui poſsis; nec enim

con-

Studioſo Theologo

conſentaneum eſſet te folia, non fructus quærere, vel me Theologos ſpecu-
lativos, non practicos deſiderare, ſeù tandem, quod loquente
opinione ſcientiæ noſtri Authoris, vel eius ſileret
fama virtutis. VALE.



TRAC-

TRACTATUS PRIMUS.

DE VISIONE DEI.

PROOEMIUM.

POSTQUAM D. Thomas in hac 1. parte vsque ad quæstionem decimam explicuit varias perfectiones, & attributa convenientia naturæ divinæ secundum seipsam, in hac quæstione 12. agit de natura divina vt cognoscibili à creatura; sivè, vt ipse D. Thomas loquitur, considerat naturam divinam, qualiter sit in cognitione nostra: Quia enim vltra esse, quod habet in seipsa, aliud habet esse in cognitione; oportuit post considerationem attributorum convenientium naturæ secundum se, agere de eadem natura, secundum quod habet esse in intellectu creato. Et quia præcipua cognitio Dei est Visio beata, præcipuus, & ferè totus sermo est de Visione beata; etsi de cognitione Dei imperfecta, & quæ habetur in hac vita articulo 12. egerit, & in vltimo de comparatione cognitionis imperfectę huius vitę, ad quam per naturam potest homo pervenire, ad cognitionem eiusdem viæ, quæ per gratiam habetur. Agit D. Thomas de Visione Dei, quæst. 8. de Veritate, per plures articulos 3. contra Gentes, cap. 52. & 54. & 1. 2. quæst. 5. & in Additionibus ad 3. partem. Sed in Additionibus ad 3. partem, & 1. 2. sub distincta consideratur ratione, scilicèt vt beatitudo est, & vt pertinet ad statum gloriæ, ad quam perveniunt homines per Christum. Et tandem in hac 1. parte, vbi exactissimè quidquid de Visione Dei desiderari potest, profunditate, brevitate, & claritate solita absolvit. Primò ergo agit de Potentia capaci, seù elevabili ad videndum Deum. Secundò de Specie requisita tàm impressa, quàm expressa. Tertiò de Lumine gloriæ elevante naturam. Quartò de Visione Dei secundum se. Tractatum istum in prædictas quatuor Disputationes dividemus. Sit ergo,

DISPVTATIO PRIMA.

DE POTENTIA CAPACI, ET ELEVABILI ad videndum Deum.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm intellectus creatus possit videre Deum per essentiam?

§. I.

Statuitur Conclusio.

FIDE Catholica tenendum est intellectum creatum posse videre Deum per essentiam: Estque Div. Thomæ in præsenti, & locis suprà citatis contra extremos Errores Hæreticorum: quorum aliqui asseruerunt creaturam non posse pervenire ad videndum Deum in se; quam visionem vocat Scriptura, facie ad faciem: Quem errorem, vt refert Mag. à Sancto Thoma in præsenti, tribuunt aliqui Iudeis, qui Isaiam interfecerunt, vt docet D. Hieronymus cap. 1. in Isaiam, eo quod dixisset se vidisse Deum facie ad faciem, iudicantes esse contra doctrinam Exodi cap. 33. *Non videbit me homo, & vivet*: Ex quo tamen solùm potest inferri sensisse in hac vita non posse Deum videri: non tamen non posse vllo modo videri. Illum sequuti sunt alij, quos suppresso nomine refert. Gregorius lib. 18. Moralium, cap. 28. Ita sensisse Armenos refert Armacanus lib. 14. de Quæstionibus Armenorum, & Prateolus: Qui Hæretici asserebant homines beatificari quandam claritatem, & fulgorem Dei contemplantes; neque posse pervenire ad videndum ipsam Dei substantiam: De quibus ait Gregorius, vbi proximè: *Quos minor inquisitionis subtilitas fefellit: Neque enim illi simplici, & incommutabili essentiæ aliud est claritas, & aliud natura; sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est.*

2 Prateolus in suo Elencho, & Castro verbo *Beatitudo*, Errorem istum tribuunt Bezę, & Arnaldo Brixiensi, & Abaylardo, de quo tamen aliqui dubitarunt; quia Div. Bernardus ab Epistola 82. vsque ad centesimam referens, & impugnans errores Abaylardi, huius non meminit; sed potiùs oppositum illi tribuit; nimirum humana ratione Deum posse comprehendi. Sed cum D. Bernardus asserat alios habuisse errores, quos non refert: neque inconveniens sit hominem lumine fidei destitutum in oppositos errores incidisse; non est vnde concludatur; hunc errorem non tenuisse. Illo etiam deceptus est Almericus, vt refert Cardinalis Turrecremata lib. 4. de Ecclesia, cap. 35. Prateolus, & Castro inquiunt, quod Exordium duxit error iste ex Philosophis existimantibus propter distantiam substantiarum separaturum ab intellectu nostro non posse ab illo cognosci, quos refert Div. Thomas in 4. dist. 49. art. 1. Quam doctrinam etiam reijcit 3. contra Gentes vbi suprà: quamvis Caietanus in præsenti doceat conclusionem nostram in hoc articulo non contra Gentiles, sed contra Christianos aliquos stabilitam, & probatam esse à Div. Thoma. Non desunt aliqui, qui cum Vazquez liberare contendunt ab hoc errore

præ-

prædictos Hæreticos: cum tamen Vazquez non timeat illum tribuere Chryſoſtomo, & alijs Patribus: De quo infrà.

3 Alius error per extremum oppoſitus affirmat, intellectum creatum poſſe Deum comprehendere, cuius author fuit Eunomius, quem ſequuntur Anomei, contra quos agit Chryſoſtomus, & alij Sancti Patres, inter quos alius mediat error aſſerentium hominem in hac vita poſſe conſequi beatitudinem ſecundùm eam perfectionem, quam habet in patria, qui fuit error Begardorum, & Beguinarum, vt refertur in Clementina ad noſtrum de hæreticis.

4 Noſtra concluſio intelligitur de viſione quidditativa, & intuitiva Dei in ſe ipſo per propriam ſpeciem ſine medio, aut imagine creata, quæ deſerviat tanquam obiectum proximum cognitum vt quod; non de cognitione comprehenſiva, quam reſpectu Dei implicare certum eſt, & docetur à D. Thoma in ſequentibus: eſtque definita in Concilio Florentino, decreto de Purgatorio, vbi dicitur: animas purgatas intueri Deum clarè Trinum, & Vnum, ſicuti eſt. Idem definierat Benedictus XI. in Extravaganti: *Benedictus Deus*: Conſtatque ex Sacra Scriptura 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt.* Matthæi 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et cap. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt.* Et 1. ad Corinthios 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

5 His teſtimonijs reſponderi poteſt, quod non convincunt viſionem Dei quidditativam, & intuitivam in ſe, ſed ſolùm viſionem, ſeu cognitionem ſpecialem, ſcilicet perfectiorem illa, quæ communiter habetur: in alijs enim locis dicitur Deum videri, & non intelliguntur de viſione Dei intuitiva, & in ſe, ſed in aliqua imagine, vel in corpore aſſumpto: ſic dicitur de Jacob, qui nedùm non vidit ſubſtantiam Dei in ſe, ſed neque Angelum: ſolùm enim vidit illum in corpore aſſumpto. Sic Moiſes Exodi 33. *Vidi Dominum facie ad faciem.*

6 Contra hoc tamen eſt, quia teſtimonia à nobis adducta de propria viſione ab Eccleſia, & Patribus accipiuntur, ſecus verò alia: verba autem Scripturæ accipienda ſunt in ſenſu, quo ab Eccleſia, & Patribus intelliguntur: ad ſic autem illa intelligenda plura ſunt fundamenta; nam prima teſtimonia, ſine vllo inconvenienti in proprio ſenſu intelliguntur; atque adeò ſic accipi debent: alia autem ex contextu, & circunſtantijs conſtat accipienda eſſe in ſenſu metaphorico. Secundo, quia teſtimonium Ioannis: *Videbimus eum ſicuti eſt*; non videtur potuiſſe clarius exprimere viſionem Dei in ſe: ſimiliter Paulus contraponit viſionem facialem, de qua loquitur, viſioni enigmaticæ, & per ſpeculum; atque adeo loquitur de viſione Dei in ſe: omnis enim viſio per creaturam, vel in creatura eſt ænigmatica, & per ſpeculum. Deindè, nam cum dicitur 1. Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Et Exodi 33. *Non videbit me homo, & vivet.* Sermo eſt de viſione propria; atque adeò quando Scriptura docet aliquos vidiſſe Deum in hac vita, accipiendum eſt de viſione impropria, niſi aliundè probabiliter colligi poſſit oppoſitum, vt de Moyſe, & Paulo docent Auguſtinus, & Divus Thomas.

7 Plures rationes naturales adduci ſolent ad probandam concluſionem noſtram: nulla tamen illam demonſtrat; neque mirum: cum enim viſio Dei ſit aliquid ſupernaturale non eſt principium aliquod in natura, ex quo poſſit demonſtrari, neque à priori, neque à poſteriori: ſicut neque mirum eſt alia myſteria gratiæ demonſtrari non poſſe, vt communiter docent Theologi.

8 Primò igitur aliqui probant concluſionem; quia perfectio ſimpliciter, quæ competere poteſt potentiæ inferiori, poteſt etiam convenire ſuperiori, ſed viſio intuitiva poteſt competere viſui corporeo; ergo & intellectui, qui longe perfectior eſt; quod ſi intellectui poteſt competere, poteſt etiam ipſi convenire viſio Dei, qui ſummè intelligibilis eſt. Hæc ratio parum vtilis eſt, & deficit in pluribus: Primò, quia licet inferatur poſſe dari in intellectu viſionem alicuius obiecti, nimirùm Angeli, vel etiam illius, quod à potentia viſiva intuetur; non tamen Dei, qui à potentia viſiva attingi non poteſt, & propter ſummam eius immaterialitatem ſuperat vires intellectus creati: poſſetque eodem argumento probari poſſe per vires naturæ intellectum creatum videre Deum; cum potentia viſiva ex viribus proprijs poſſit elicere cognitionem intuitivam.

9 Deficit secundo, quia assumit principium falsum: nam esse incorruptibile est perfectio conveniens substantiæ imperfectiori, quam sit homo, & tamen homini non convenit; claritas est perfectio cognitionis conveniens naturali, & repugnans cognitioni fidei longè perfectiori; & ratio est, nam id, quod ex se perfectio est simpliciter, potest in aliquo inferiori cum maxima limitatione reperiri, quod tamen in superiori reperiri non potest sine perfectione illi repugnanti: hac ratione simplicitas est perfectio competens materiæ primæ, quia tamen in ipsa cum defectu inadæquationis, & potentialitatis coniungitur; homini, cui sine hac limitatione competere repugnat convenire non potest, quia sine imperfectione inadequationis, & potentialitatis superat perfectionem hominis. Et eadem ratione, quia intelligere simplici intuitu, & sine compositione, & discursu, est quid admixtum imperfectione, potest primæ operationi intellectus, quæ imperfectior est competere; & non potest convenire secundæ, & tertiæ perfectioribus; quia illis competeret sine illa imperfectione, & prout sic superat perfectionem hominis in secunda, & tertia operatione; sic ergo contingere potest quòd visui corporali nõ repugnet conceptus visionis, & tamen quid visio intellectualis Dei dicat summam perfectionem, quæ creaturæ competere non possit.

10 Posset deinde eodem argumento probari posse Angelum superiorem comprehendere Deum; nam intellectus inferior Angeli inferioris potest comprehendere; ergo hæc perfectio non potest denegari intellectui superiori; ergo potest comprehendere Deum, qui summè comprehensibilis est. Tandèm, cum cognitio abstractiva intellectualis perfectior sit visione corporali, vt intellectus excedat visum corporeum, sufficit, si possit abstractivè intelligere, quamvis non possit videre.

11 Secundò, alij probant conclusionem amplius vrgendo rationem factam: intellectus noster potest intuitivè cognoscere, quidquid continetur sub eius obiecto; sed Deus continetur sub obiecto intellectus nostri; ergo potest Deum intuitivè cognescere, consequentia est bona; minor videtur certa, nam obiectum intellectus nostri est ens vt sic, cum eo ipso, quod immaterialis sit, possit omnia fieri: sed Deus continetur sub ente vt sic; ergo sub obiecto intellectus nostri. Maior verò etiam probatur, nam quod convenit potentiæ inferiori comparativè ad suum obiectum debet etiam convenire superiori comparativè ad proprium; sed potentiæ corporali convenit posse intueri quidquid sub eius obiecto cadit; ergo etiam intellectui nostro.

12 Licèt ratio hæc vtilior sit; non tamen est demonstratio, quia potest negari maior; potest enim aliquid sub obiecto intellectus nostri contineri, solùm vt cognoscibile abstractivè, non tamen intuitivè; sicut potest contineri vt cognoscibile intuitivè, & quidditativè; non tamen comprehensivè, quod ideò in intellectu nostro contingit, quia aliquid sub eius obiecto contentum excedit vim activam illius; quod non contingit in sensu: vndè ad probationem, neganda est maior, vel distinguenda, si cætera paria sint concedenda: secus autem si paria non sint: quod ex dictis constat. Minor etiam distingui potest eodem modo; continetur vt abstractivè cognoscibilis, concedenda est minor; vt intuitivè cognoscibilis, neganda est minor; sicut Deus vt visibilis continetur, non tamen vt comprehensibilis.

13 Sed instatur, obiectum intellectus nostri specificativum est ens finito modo cognoscibile: sed Deus clarè visus est ens finito modo attingibile; ergo Deus clarè visus continetur sub obiecto intellectus nostri. Maior videtur certa ex dictis, & minor probatur; Deus vt quidditative, & intuitivè cognoscibilis non expoſcit totum, quod petit vt comprehensibilis: sed vt comprehensibilis solùm petit, quod cognoscatur infinito modo; ergo vt visibilis quidditativè solùm petit esse finito modo attingibilem; & consequenter Deus clarè visus est ens finito modo attingibile. Et confirmatur, quia ens vt finito modo attingibile, & vt comprehendit Deũ finito modo attingibilẽ, potest aliquam potentiam specificare; non aliam nisi intellectum creatum; ergo Deus vt finito modo cognoscibilis continetur sub obiecto specificativo intellectus creati.

14 Sed neque hoc convincit: potest enim negari maior; specificativum enim intellectus nostri est ens humano modo attingibile: Deus autem clarè visus, licèt concedatur, quod sit finito modo cognoscibilis quidditativè; non tamen modo

huma-

humano. Undè saltim non probatur ab homine videri posse. Deinde minor etiam potest negari, & dicere in Deo idem esse posse quidditativè cognosci, atque comprehensivè: Cum autem nulla sit possibilis *species* creata, qua cognoscatur quidditativè, & probari non possit, speciem increatam vniri posse finito intellectui; restat vt solus intellectus divinus possit quidditativè Deum cognoscere: In Deo autem cognitio quidditativa non potest non esse comprehensiva, & infinita. Deinde hoc argumentum eodem modo probaret, posse per vires naturæ cognosci quidditativè Deum: cum probari non possit, quod aliquid contentum formaliter sub obiecto specificativo non possit per vires naturæ cognosci quidditativè, saltem per additionem virtutis eiusdem rationis, & speciei. Insuper; cum visio Dei quidditativa expoſcat speciem infinitam, vt cum D. Thoma fatemur, non potest probari, non expoſcere intellectum infinitum.

15 Tertiò probatur conclusio ratione D. Thomę hic articulo 1. Ultima hominis beatitudo in eius altissima operatione consistit, quę est operatio intellectus: sed si nunquam posset videre Deum, nunquam posset obtinere beatitudinem; vel in alio, quam in Deo eius beatitudo consisteret: Quod est alienum à fide; ergo intellectus hominis potest pervenire ad videndum Deum. Minor probanda est ex eo, quod perfecta beatitudo, & quies, non nisi in Deo potest reperiri, nec nisi per visionem ipsius. Secundò probatur: quia omnis alia cognitio Dei infra eius visionem non quietat perfectè appetitum; qualiter ad perfectam beatitudinem requiritur, ad quam hominem esse elevatum supponit D. Thomas.

16 Alia pars etiam supponitur ex fide, & ab ipso 1. 2. quæst. 3. artic. 1. & per plures alios articulos demonstratur, non nisi in summo bono posse beatitudinem obiectivam consistere; quia nullum aliud bonum determinatum implere, seù satiare potest infinitam capacitatem, seù amplitudinem ad omne bonum, nisi summum bonum omnia bona complectens: neque amplitudinem intellectus, nisi summa veritas, & essentia, in qua omnis veritas, & essentia perfectissimè continetur. Deinde probatur à D. Thoma in præsenti: quia illud est vltima perfectio rationalis creaturę, quod est ei principium essendi; vnumquodque enim perfectum est, in quantum suum principium attingit, vel cum illo coniungitur: sed Deus est principium rationalis creaturę; ergo Deus est obiectiva eius beatitudo, & in cuius coniunctione, seù assecutione eius vltima perfectio consistit. Quę ratio supponendo, vt supponit D. Thomas ex fide, hominem esse ordinatum ad perfectam beatitudinem supernaturalem, quę solum in visione Dei consistere potest, est demonstratio Theologica. Si autem dicas, supponere beatitudinem in operatione intellectus consistere: quod licèt probabile sit; non tamen est certum, neque ex fide, neque ex ratione naturali. Respondetur, sufficere necessariam esse perfectissimam operationem intellectus ad beatitudinem, quamvis in illa metaphysicè non consistat.

§. II.

Aliæ rationes expendantur.

17 QUARTO Probatur: Quia Deus non est extra sphęram intellectus nostri; sicut sonus extra sphęram potentiæ visivæ; sed solùm sicut excedens vim cognoscitivam naturalem intellectus: est enim maximè cognoscibilis; ergo per elevationem, & adiutorium superioris virtutis poterit pervenire ad videndum Deum. Solùm enim implicat potentiam vitalem elevari ad id, quod est extra adęquatam sphęram illius.

18 Quintò: Quia naturaliter cognoscitur à nobis Deus *quoad an est*, & imperfectè; ergo poterit elevari ad illum perfectè, & quidditativè videndum. Quoties enim potentia aliquod obiectū valet proprijs viribus attingere, potens est ad illud perfectè attingendum vlteriori, & superiori virtute adiuta. Quod exemplo Vespertilionis, quo vtitur D. Thomas, explicari potest: Nam licèt Sol, quia maximè lucidus excedat vires potentiæ visivæ Vespertilionis; quia tamen maximè visibilis est, potest, si adiuvetur, & ipsi vires superaddantur, solem videre: & homo eadem ratione illum imperfectè videns, potest elevari ad eius perfectam visionem. Quæ omnia confirmari possunt: quia potest homo amare

Deum super omnia, & amore terminato ad Deum in se; ergo poterit illum cognoscere in se.

19 Sextò probatur ratione D. Thomæ in præsenti: Naturale est homini desiderium cognoscendi causam visis effectibus, & ex hoc admiratio in hominibus consurgit; ergo si homo non posset pervenire ad videndam causam rerum, remaneret innanè desiderium naturę. Confirmatur ratione eiusdem Div. Thomæ 1.2.artic. 8. Naturale desiderium cognoscentis obiectum aliquod imperfectè, & *quoad an est*, non quiescit vsque ad cognitionem illius *quoad quid est*; quidditas enim est obiectum proprium intellectus nostri: sed possibile est quietari desiderium hominis cognoscentis imperfectè, & *quoad an est Deum*, vtpotè naturale; ergo possibile est Deum quidditativè cognoscere.

20 Hæc argumenta, licèt sint optimæ congruentiæ, non demonstrant; posset enim dici ad quartum, quod licèt Deus vt abstractivè cognoscibilis non sit extra sphæram adæquatam intellectus; benè tamen vt clarè visibilis; posseturque dici, necessariam esse visionem infinitam; instarique in comprehensione: Et quidem plura sunt difficilia argumenta, probantia impossibilitatem huius visionis. Ad quintum posset quis negare consequentiam, seù distinguere consequens: potest perfectius per cognitionem perfectiorem intra eandem speciem, & virtutem potentiæ, concedo consequentiam: per cognitionem perfectiorem superioris speciei, vel generis ad virtutem, seù speciem potentiæ, nego consequentiam: Per quod constat disparitas ad exemplum adductum, quod licèt ducat in cognitionem, & assensum huius veritatis, non convincit: Sol enim quamvis maximè lucidus, non excedit vim potentiæ visivæ vespertilionis, quoad speciem; neque indiget ad illius visionem virtute superioris speciei ad propriam virtutem: neque visio illius esset superioris speciei, quam illa, ad quam potest visus corporeus ex proprijs: Visio autem Dei est superioris speciei ad omnes cognitiones, quas elicere valet intellectus viribus naturalibus.

21 Exemplum etiam de amore, si quid probat, convincit, posse intellectum naturaliter videre Deum, sicut potest naturaliter illum amare. Disparitas ergo est, quod visio quidditativa esse non potest sine specie quidditativa Dei, quæ non potest esse creata in nostra sententia; neque probari potest, ne creatam vniri posse intellectui non habenti infinitam virtutem. Et ratio est; quia intellectus trahit res ad se: amor verò fertur ad res; neque amatum est in amante, sed potius amans per amorem fertur ad res; non autem implicat ferri, seù tendere finito modo in obiectum infinitum.

22 Circa sextam rationem, quæ est secunda præsentis articuli, quam traddit etiam D. Thomas 3. contra Gentes cap. 50. & 51. divisi sunt Thomistæ. Aliqui asserunt, loqui D. Thomam de appetitu elicito supernaturali, quod consurgit ex cognitione effectuum supernaturalium per fidem, quod quidem desiderium naturale est, non absolutè, sed ex suppositione revelationis; in quo desiderio vtpotè supernaturali reperiri efficaciam, & connexionem cum possibilitate visionis, inconveniens non est; ac proinde neque quod ex illo evidenter demonstretur visionis possibilitas: sic Caietanus in præsenti, quem sequitur Magister à Sancto Thoma, & alij. Ratio autem sic explicata, licèt sit demonstratio; non tamen naturalis, sed Theologica, supponens principium fidei, non tamen videtur ad mentem D. Thomæ, quia loquitur de desiderio, quod consurgit in homine visis effectibus: Effectus autem supernaturales non videntur naturæ viribus, vt supponunt hi Authores, neque per fidem, de cuius ratione est obscuritas, & est de non visis. Insuper loquitur D. Thomas de desiderio communi omnibus hominibus, cum tamen fides propria sit fidelium, & consequenter desiderium supernaturale fundatur in fide.

23 Alij autem docent, esse demonstrationem ex principijs naturalibus, assumereque pro medio Div. Thomam appetitum naturalem elicitum efficacem videndi Deum Authorem naturæ, quod consurgit ex cognitione naturali effectuum naturaliū in Angelo, & in homine. Pro quo distinguunt duplicem efficacem appetitum; alterum, quod supponit in subiecto media sufficientia, seù sufficientiam ad media necessaria ad consequutionem rei desideratæ: alterum, quod licèt illam non supponat, sic efficaciter instigat, quod non sinat quiescere desiderantem, quousque perveniat ad consequutionem rei desideratæ: De primo non loquitur D. Thomas, non enim potest ex naturalibus tale desiderium oriri; sed de secundo, quod licèt excitetur ex cognitione effectuum naturalium; ita efficax est, vt non sinat quiescere creaturam rationalem vsque ad visionem Dei: ex quo, quia impossibile est frustrari,

vt

vt decet D. Thom. 3. contra Gentes, cap. 51. rectè demonſtratur poſsibilitas viſionis. In hac ſententia ſunt docti Thomiſtæ.

24 Eorum tamen doctrina mihi difficilis eſt. Primò difficilè eſt, hunc appetitum eſſe efficacem, fruſtrarique non poſſe; vel enim ſic dicitur efficax, vt in nullo individuo fruſtrari poſsit; & hoc apertè eſt falſum, neque ipſi docent; vel ita efficax eſt, vt non poſsit fruſtrari in omnibus: Et hoc tripliciter intelligi poteſt; primo ſic vt non poſsit fruſtrari in omnibus metaphiſicè; & hoc etiam apertè eſt falſum, & ab ipſis doceri non credo; condita enim creatura rationali in puris naturalibus, in omnibus fruſtraretur. Secundò ita, vt naturaliter fruſtrari non poſsit: & hoc etiam falſum eſt, cum huiuſmodi deſiderium eſſet in Angelo, & homine conditis in pura natura; & tamen in omnibus fruſtraretur naturaliter, & ſine miraculo. Tertiò poteſt dici efficax, quatenus ſcilicèt, congruum apparet, vt non fruſtretur in omnibus, & ſic neque talis appetitus poteſt dici efficax, neque ex illo infertur poſsibilitas viſionis demonſtrativè; ſed congruenter, & qualiter communiter intelligitur à Thomiſtis ratio D. Thomæ.

25 Secundò placere non poteſt, quod ex principijs naturalibus poſsibilitas viſionis demonſtretur, quod ipſi apertè docere videntur; cum aſſerant, D. Thomam ſolum aſſumere principia naturalia, ex quibus demonſtrari poſsibilitatem viſionis affirmant; ex principijs ergo naturalibus demonſtratur poſsibilitas viſionis: Quod fieri non poſſe, eſt ferè omnium Theologorum ſententia, aſſerentium viſionem eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturalem, & ex Thomiſtis nullum vidi oppoſitum aſſerentem ex docentibus, viſionem eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturalem, quod iam communiter docetur; imò aſſerere tenentur, demonſtrari exiſtentiam viſionis: quod clariùs falſum eſt cum appetitus iſte eſſet in pura natura, & ſine miraculo, ſine exiſtentia viſionis Dei etiam authoris naturæ. Quod autem ſic teneantur docere, probatur, nam appetitus, qui non connectitur ſaltim naturaliter cum conſequutione rei deſideratę, inefficax eſt: Quod ſi ſemel eſt inefficax non connexus cum exiſtentia viſionis, neque cum eius poſſibilitate connectitur; cum inefficax appetitus non connexus cum exiſtentia rei deſideratæ, ad impoſsibile terminari poſsit, ſi aliquomodo iudicetur poſsibile, vel ſaltim non iudicetur impoſsibile; ergo tenentur aſſerere demonſtrari exiſtentiam viſionis Dei, ſaltim Authoris naturæ, vel nihil demonſtrari.

26 Deinde; appetitus, qui non prę-ſupponit ſufficientiam, vel in ſe, vel in alio, non poteſt connecti cum poſsibilitate rei ad conſecutionem rei: ſed hic appetitus non connectitur cum ſufficientia inappetente, vt fatentur: neque in alio, nempè in Deo; cum non præſupponat eſſentialiter Deum Authorem gratiæ; ergo non connectitur cum poſsibilitate viſionis deſideratæ: atque adeò ex illo demonſtrari non poteſt eius poſsibilitas. Quapropter appetitus efficax naturalis beatitudinis, potens movere efficacitèr ad ponenda media ex ſuppoſitione, quod in appetente ſint virtutes dantes ſufficientiam ad eliciendos actus ſupernaturales, quibus Beatitudo conſequitur, quem aliqui poſsibilem iudicant, ſufficiens medium non eſt ad demonſtrandam poſsibilitatem viſionis; quia ſcilicèt non connectitur cum exiſtentia viſionis, niſi ex ſuppoſitione ſufficientiæ ſupernaturalis, quam ſuppoſitionem ex conceptu ſuo non ſupponit exiſtentem, aut poſsibilem.

27 Dices non demonſtrari poſsibilitatem viſionis Dei Authoris ſupernaturalis, ſed ſolùm Dei Authoris naturæ: viſio autem Dei Authoris naturæ, non explicat ſupernaturalitatem. Quod ampliùs explicatur aſſerendo demonſtrari poſsibilitatem viſionit Dei, vt ſe explicantis in effectus naturales præcisè, non vt ſe explicantis in effectus ſupernaturales: vel deſiderari viſionem primæ cauſæ, non viſionem naturæ divinæ, vt ſummum bonum eſt, & obiectum Beatitudinis; ſic docet Ferrara cap. 51. citato, huius ſententiæ Patronus.

28 Hoc tamen non difficilè reijcitur ſupponendo viſionem demonſtratam quoad exiſtentiam, vel poſsibilitatem viſionis Dei in ſe, pròùt à creatura diſtinguitur, non eſſe viſionem alicuius effectus Dei, vel influxus exterioris in creaturas, qui aliquid creatum eſt: viſio enim creaturę, vel influxus exterioris, vel Dei vt ſe explicantis externis in effectus naturales, reduplicata creatura, influxu, vel explicatione extra Deum, non eſt viſio beatificans, aut ſatians, neque eſt viſio Dei in ſe, ſed in ſuo effectu, vel influxu exteriori, & explicatione extrinſeca, quę à Deo realiter diſtinguitur.

29 Hoc ſuppoſito, reijcitur primo ſolutio, quia D. Thomas intendit probare hac ratione naturali, poſsibilitatem viſionis, quam ex principijs fidei, demonſtraverat in

prima ratione articuli: sed ex principijs fidei demonstraverat possibilitatem visionis Dei, quæ de facto datur; ergo hanc demonstrat D. Thomas hac ratione naturali; si quid demonstrat. Secundò. Visio Dei Authoris naturæ in se est supernaturalis formaliter; ergo si demonstratur possibilitas visionis Dei in se Authoris naturę, demonstratur possibilitas visionis supernaturalis. Antecedens probatur. Visio Dei in se etiam Authoris naturæ est visio obiecti infinite cognoscibilis excedentis vim naturalem intellectus, ad illiusque elicientiam requiritur vnio essentiæ divinæ per modum speciei intelligibilis, & lumen gloriæ confortans intellectum; ergo est visio supernaturalis: hac enim ratione visio, quæ defacto datur est supern turalis.

30 Tertiò. Visio, cuius possibilitas demonstratur, est possibilis, aliàs eius possibilitas demonstrari non posset: at nulla visio Dei, etiam Authoris naturę, possibilis est, nisi supernaturalis; ergo visio, cuius possibilitas demonstratur, supernaturalis est, & eadem, quæ de facto datur; cum nulla alia possibilis sit in veriori sententia: & licèt admittatur alia possibilis specie distincta; non tamen quæ non sit supernaturalis, & Dei Authoris naturæ, & gratiæ.

31 Quartò. Deus vt Author naturæ est, non distinguitur intrinsicè à se ipso, vt Author est gratiæ, neque etiam virtualiter; sed solùm extrinsecè per effectus, quorum aliqui sunt naturales; sicut neque sunt aliqua prædicata Dei Authoris naturæ, & alia eiusdem Authoris gratiæ, aliàs esset duplex Deus saltim virtualiter, alter Author naturæ & alter Author gratiæ: & similiter duplex omnipotentia, altera ad effectus naturales, & altera ad effectus supernaturales; ergo visio Dei etiam Authoris naturæ est formaliter visio Dei Authoris gratiæ; atque adeò si demonstratur possibilitas visionis Authoris naturæ, etiam demonstratur possibilitas visionis Dei Authoris gratiæ.

32 Quintò. Visio Dei, quæ de facto datur, est visio Dei Authoris naturæ, & gratiæ; neque in ipse distingui potest duplex formalitas, alia qua sit visio Dei Authoris naturæ, & alia, qua sit visio Dei Authoris gratiæ; non enim eius differentia cõstituitur ex hac duplici formalitate; sed solùm habet prædicatum commune cum alijs intellectionibus, & differentiale, quo determinatur ad attingendum Deum in se, & quo conceptus communis intellectionis constituitur visio Dei, & fit supernaturalis; neque in ipsa datur aliquod prædicatum, quo supernaturalis sit, sed ipsa attingentia Dei in se constituitur supernaturalis: hoc enim prædicatum est ratione cuius superat omnem naturam creatam, & creabilem; & licèt excessus iste ad naturam creatam concipiatur à nobis comparativè ad illam; consistit tamen in perfectione prædicati differentialis visionis, quo constituitur in sua specie, & attingens Deum in se: sed hæc eadem prædicata haberet visio Dei Authoris naturæ; ergo visio, quæ demonstratur, supernaturalis est formaliter.

33 Tandem vt æquivocatio, si qua est, auferatur, notetur, quod cum ex effectibus naturalibus non cognoscantur aliqui effectus supernaturales, quia nihil naturale cum supernaturali connectitur; licèt ex effectibus naturalibus cognoscatur Deus vt Author eorum, & Omnipotens, non tamen cognoscitur vt Author supernaturalis, vt his terminis significatur; sicut non cognoscitur vt Author determinatè plurium effectuum possibilium etiam naturalem, qui in mentem creaturæ rationalis existentis non venerunt: Excitatur ergo desiderium videndi primam causam illorum effectuum, qui naturaliter cognoscuntur ex quibus etiam cognoscitur omnipotens, summe sapiens, &c: Ex quo solùm infertur, quod desiderium videndi primam causam, quod excitatur visis effectibus naturalibus, si est naturale, vtpotè cuius motivum, & cognitio regulans, naturalia sunt, non tamen infertur, quod visio desiderata supernaturalis non sit; atque adeò negamus demonstrari posse ex aliquo naturali: quapropter Scotus concedens appetitum innatum ad visionem Dei, impugnatur à Thomistis, non solùm quia appetitus innatus supponit, vel infert in natura sufficientiam, saltim physicam ad consequutionem rei terminantis appetitum, quæ respectu visionis Dei non datur; sed quia ex hoc appetitu admisso probatur demostrativè possibilitas visionis; quod licèt ab ipso consequenter asseratur, à nobis reputatur absurdum, quod ex principio naturali demostretur misterij supernaturalis possibilitas, vel existentia.

34 Sed in huius explicationis favorem arguitur ex D. Thoma cap. 51. citato, vbi concludit contra Gentiles, ex eo quod desiderium naturæ rationalis non quiescit, nisi ad summum rerum cardinem, & factorem perveniat, non in alio, quàm in eius visione quærendam esse, & cap. 51. sic resolvit: *Cum autem impossibile, sit naturale de-*

fide-

ſiderium eſſe innatæ, quod quidem eſſet, ſi non eſſet poſsibile pervenire ad divinam ſubſtantiam intelligendam, neceſſe eſt dicere, quod poſsibile eſt ſubſtantiam Dei videri per intellectum *à ſubſtantijs intellectualibus ſeparatis, & animabus noſtris.* Deſiderio ergo iſto demonſtratur poſsibilitas viſionis hoc ſyllogiſmo; hoc deſiderium eſt impoſsibile fruſtrari: ſed fruſtraretur ſi non eſſet poſsibilis viſio; ergo neceſſe eſt quòd viſio ſit poſsibilis, quæ conſequentia eſt legitima, & maior, & minor D. Thomæ. Deindè cap. 50. ratione 4. Ex deſiderio intellectus, qui non quieſcit, quouſque perveniat ad videndam primam cauſam probat poſsibilitatem viſionis Dei: deſiderium autem intellectus eſt appetitus innatus, vtpotè intellectus non habet appetitum elicitum: ſed ex appetitu innato viſionis optimè demonſtratur eius poſsibilitas; ergo D. Thomas his locis demonſtrat viſionis poſsibilitatem, & inconveniens non reputat ex aliquo naturali demonſtrari.

35 Secundo arguitur, viſio Dei, quæ viſis effectibus naturalibus deſideratur, non eſt viſio ſupernaturalis: ſed illa probatur poſsibilis, quę deſideratur; ergo quæ probatur poſsibilis, non eſt viſio ſupernaturalis. Maior probatur, tùm quia viſio ſupernaturalis non poteſt terminare naturale deſiderium, ſeu appetitum: tùm etiam, nam quæ deſideratur, eſt quæ apprehenditur, ſeu cognoſcitur viſis effectibus naturalibus: ſed his viſis, non cognoſcitur naturaliter, niſi viſio naturalis; ergo quæ deſideratur, viſio naturalis eſt. Et confirmatur, quia licèt ex effectibus naturalibus cognoſcatur Deus tanquam prima cauſa, à qua dependent; non tamen effectus ſupernaturales, cum quibus effectus naturales non connectuntur, vt ſupra dicebamus; ergo viſis effectibus naturalibus, non ſolùm non deſideratur viſio ſupernaturalis Dei, cum qua non connectitur, ſed neque cognoſcitur; ergo etiam ſi demonſtretur ex illo deſiderio cognitio, quæ deſideratur, nunquam demonſtratur poſitivè aliquid ſupernaturale.

36 Reſpondetur D. Thomam duo intendere perſuadere Gentilibus, primum, in nullo illorum, in quo ab ipſis conſtituebatur beatitudo conſiſtere poſſe: ſecundum, conſiſtere in viſione Dei. Primum ab ipſo demonſtrativè concluditur contra illos, qui in aliquo creato beatitudinem conſtituebant; contra illos autem, qui in cognitione Dei perfectiori, quam reperiatur in via, infra viſionem tamen Dei beatitudinem conſtituebant, non demonſtrativè, ſed optimis congruentijs probat non in cognitione abſtractiva, quantumvis perfecta, conſtituendam eſſe perfectam beatitudinem, ſed in viſione Dei in ſe; inter quas eſt ratio, quam verſamur, vt communius intelligitur à Thomiſtis, quę vrgentior fuit contra ipſos, quia in natura nullam inveniebant, neque invenire poterant veram repugnantiam poſitivam ad viſionem Dei. Vndè dicendum, D. Thomam aſſerere eſſe impoſsibile fruſtrandum eſſe deſiderium illud naturę, impoſsibilitate deducta ſolùm congruenter ex tali deſiderio; & ſic diſtinguenda eſt maior ſyllogiſmi facti, eſt impoſsibile fruſtrari impoſsibilitate deducta ſolùm congruenter, concedo maiorem; evidenter probata phiſicè, aut metaphiſicè ex illo principio, nego maiorem, & conceſſa minori, neganda eſt conſequentia, vel diſtinguendum conſequens, neceſſe eſt eſſe poſsibilem viſionem: neceſsitate congruenter deducta ex illo deſiderio, concedo conſequentiam; evidenter per tale prium phiſicè, aut metaphiſicè, neganda eſt conſequentia: quę congruentia, vt iam diximus, vires accipit ex eo quod in natura nulla poteſt oſtendi repugnantia poſitiva: ex quo, & deſiderio illo ſatis congruenter perſuadetur poſsibilitas poſitiva viſionis.

37 Ad illud, quod adducitur ex cap. 50. dicendum; D. Thomam loqui de deſiderio, & appetitu elicito; cui non obſtat, quod ipſum vocet deſiderium intellectus: tùm quia vt etiam Authores oppoſiti fatentur, deſiderium non de appetitu innato, ſed de elicito cum proprietate dicitur: tùm etiam quia appetitus elicitus voluntatis dicitur appetitus intellectus, ſicut dicitur intellectualis; aliàs daretur appetitus innatus ad viſionem, cuius poſsibilitas non ſolùm demonſtraretur ex appetitu elicito, ſed ex innato, cuius oppoſitum contra Scotum Authores affirmant: quod ſi D. Thomas intelligitur de appetitu innato, non debet eſſe de appetitu terminato ad viſionem, ſed ad perfectiorem cognitionem Dei abſtractivam, & aliarum creaturarum veritatum, qui nunquam adequatè ſatiari poteſt in facto eſſe, ſed ſemper eſt in ſatiari, vt plures Thomiſtę volunt; ex quo ſolùm congruenter poſsibilitas viſionis Dei in facto eſſe ſatiantis probatur.

38 Ad ſecundum, neganda eſt maior,

ior, ad primam probationem, distinguo antecedens; visio supernaturalis non potest terminare desiderium naturale efficax, concedo antecedens, inefficax, nego antecedens. Ad secundam, distinguo etiam maiorem, quæ cognoscitur per apprehensionem, & iudicium, quo apparet conveniens, & non impossibilis, concedo maiorem: quæ cognoscitur vt positivè possibills ex effectibus naturalibus, nego maiorem, & distinguo minorem eodē modo, non cognoscitur naturalitèr vt positivè possibilis, transeat minor, vt conveniens, non cognita eius possibilitate, vel impossibilitate positivè, nego minorem, & neganda est consequentia: itaque visio Dei, quæ supernaturalis est ex effectibus naturalibus cognosci potest, non quidem vt evidentèr possibilis, sed vt conveniens secundùm se, quin appareat impossibilis, & prout sic poterit appetitum naturalem terminare. Quod autem nos supra diximus est, quod ex effectibus naturalibus nihil supernaturale cognosci potest evidenter possibile; non verò quod ex illis non possit cognosci vt conveniens modo dicto; sicut etiam fatemur aliquos esse effectus supernaturales, immò naturales possibiles, qui neque ex naturalibus, neque in apprehensione cadere possunt; quod in visione Dei non contingit; cum enim intellectus videat clarè aliqua obiecta, & Deum abstractivè cognoscat, facilè apprehendit visionem Dei vt convenientem, sicut & aliorum obiectorum. Per quod constat ad confirmationem.

§. III.

Argumenta ab authoritate solvuntur, & mens Patrum exponitur.

39 CONTRA Conclusionem nostram, quam esse de fide videbimus, arguitur primo ex locis Scripturæ, in quibus Deus dicitur invisibilis. Ad Timotheum 3. Regi *sæculorum immortali, & invisibili.* Et cap. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest*: in quibus oppositum conclusionis doceri videtur; quia enim Ieremiæ 32. dicitur *incomprehensibilis cogitatu.* Sic incomprehensibilis creditur, vt nulla potentia vllo modo verè comprehendi valeat; ergo quia invisibilis dicitur, sic credendus est invisibilis, vt nullo modo à creatura rationali videri possit. Deindè 1. Petri 1. dicitur: *In quem desiderant Angeli prospicere*; desiderium autem absentiam rei desideratæ importat: si autem Angeli non vident, neque homines videbunt; cum non minus expressè de Angelis dicatur in Scriptura Deum videre, quam de hominibus prædestinatis visuros: quod convinci videtur ex illo Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrabit*: vbi neminem, præter Vnigenitum, Deum videre affirmat, & consequenter, neque Angeli vident, vt exponit Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 1. & Cyrillus in Ioannem cap. 22. & Chrisostom. homilia 14. in Ioannem.

40 Ad primum dicendum, testimonia illa Scripturę multipliciter exponi: primò, Deum dici invisibilem oculis corporalibus: secundò, viribus naturę: tertiò, esse invisibilem in hac vita: quartò, esse invisibilem visione comprehensiva; sic autem intellecta vt intelligi debent, conclusioni nostrę non opponuntur; neque testimonijs alijs, quibus nostra conclusio docetur: non sic autem interpretari potest textus Ieremię, vt maneat potentia in creatura ad comprehendendum Deum vera comprehensione; quia infra visionem adæquantem cognoscibilitatem obiecti, non agnoscunt Theologi veram, & rigorosam comprehensionem: vndè negata possibili vera comprehensione, vt negatur à Ieremia non manet locus potentię creatæ ad comprehensionem. Præcipuè, quia Ecclesia, & Sancti Patres, quibus in expositione Scripturę, standum est, sic intellexerunt prima testimonia, vt relinquerent locum visioni intuitivæ Dei, quę in alijs locis promittitur; sic autem intelligunt testimonium Ieremiæ, vt nunquam concedant possibilem veram comprehensionem Dei; sed potiùs hæreticos illam affirmantes impugnant. Ad testimonium Petri dicendum, desiderium non esse strictè tale in Angelis ad videndum Deum, sed solùm poni ad significandum quanto affectu, & voluntate, ac sine fastidio videant Deum.

41 Ad vltimum dicendum, quod si excluditur omnis creatura à visione Dei, necesse est loqui de visione comprehensiva, quæ solùm Filio Dei convenit. Melius tamen

men videtur dicendum, solùm excludere homines usque ad adventum Christi, vt exinde ostenderet Ioannes solum Christum inter homines potuisse Authorem, & Magistrum veritatis existere, vt exponit Augustin. epist. 112.

42 Secundò. Oppositum nostræ conclusionis docuisse Chrisostomum, Theodoretum, Theophilatum, Euthymium, Basilium, Epiphanium, Cyrillum, Hieronymum, Primasium, Isidorum, Nisenum, & alios Sanctos Patres, asserit Vazquez, disp. 37. cap. 2. 3. & 4. & primo contra veritatem catholicam opponit Chrisostomum, homil. 3. & 5. de incomprehensibili Dei natura, & in illud 1. Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam*, homilia 14. verbis à D. Thoma relatis: *Nam id, quod Deus est non modo Prophetæ non viderunt, sed nec Angeli, nec Archangeli, &c.* in quibus negare videtur possibilem visionem Dei. Huic tamen satisfecit D. Thomas in præsenti art. 2. ad primum, & in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 2. ad 1. & post ipsum Durandus in 4. vbi proximè quæst. 2. ad 4. Sixtus Senensis, lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, annotatione 182. & cæteri Expositores D. Thomæ. Solutio ergo Angelici Magistri est, solùm negasse Chrisostomum visionem comprehensivam: quod deducitur primo ex verbis Chrisostomi à D. Thoma relatis hic. Dicit enim: *Visionem certissimam Patris considerationem, & comprehensionem tantam, quantam Pater habet de Filio.* Deducitur secundo ex eo quod agebat contra Anomæos, qui asserebant ipsos Deum comprehendere, vt refert Theodoretus lib. 3. hæreticarum fabularum titulo de Eunomio. Basilius, lib. 1. contra Eunomium. Prateolus, verbo *Anomæi*: vndè cum Chrisostomus negat visionem, quam hæretici pertinaciter affirmabant, solùm negat visionem comprehensivam. Deducitur tertiò, quia Chrisostomus veritatem catholicam semper docuit homilia 3. in epistola ad Philippens. & homil. 69. ad Populum, & epist. 5. ad Theodoretum, illis verbis: *Si Petrus, qui vidit obscuram quandam imaginem futurorum, omnia continuò reiecit ab anima propter voluptatem inditam animæ à tali aspectu; quid dicemus, quando rerum veritas adderit?* quando Regis *cubiculis adapertis intueri licebit Regem, non per ænigmata, aut speculum, sed facie ad faciem*; vbi idem expressit. Quod Paulus 1. Corinth. 13. futuram visionem affirmat; quod si de mente Pauli dubitari non licet etiam si alibi Deum invisibilem affirmaverit; pariter de mente Chrisostomi, non restat dubitandi locus, vt rectè notavit Illustris. Godoy.

43 Contra hanc interpretationem multipliciter insurgit Vazquez. Primò. Non constat Anomæos, contra quos disputabat Chrisostomus, loquutos fuisse de rigorosa comprehensione, quamvis Theodoretus vbi supra doceat Eunomium, qui in Anomæorum errore erat, ausum fuisse affirmare se nihil de Deo ignorare, immò ipsam Dei substantiam ita exactè cognoscere, vt eandem de Deo, ac ipse de se ipso cognitionem haberet: non enim amens fuit Eunomius, vt propriam de Deo cognitionem scientiæ divinæ æquaret; ergo Chrisostomus negans comprehensionem, quam affirmabat Eunomius, non solùm comprehensionem rigorosam, sed latam, quæ in visione clara omnium, quæ in Deo reperiuntur consistit, & quam solùm affirmabat Eunomius, negavit.

44 Secundò, nàm homilia 3. citata de Angelis Isaiæ 6. qui aspicientes maiestatem Dei *faciem* velabant, ait: *quamquam non ipsam sinceram videbant lucem, neque ipsam sinceram substantiam Dei, sed quæ videbant, condescensus erat & indulgentia*: vbi negat Angelis visionem sinceræ substantiæ Dei, quę est visio intuitiva, & affirmat, quę videbant esse solùm condescensum, & indulgentiam, per quod aliquid infra Deum vidisse satis exprimit: & infra: *Quod Deus non ostenditur in se, quia intellectus creatus non potest illum in se videre, sed iuxta eius capacitatem suam repræsentationem metitur, & temperat*, quod condescensum, & indulgentiam appellat. Deindè de Prophetis docet non vidisse substantiam Dei, sed condescensum illum, licèt imperfectius quam Angeli, quibus Prophetas comparat: sed certum est Prophetas non vidisse substantiam Dei in se; ergo neque Angeli in sententia Chrisostomi. Tertiò Chrisostomus ex negata visione Dei infert, quod *si Angelos percontaveris, nihil ab eis de substantia audies*: at si viderent Deum in se, quamvis non comprehenderent aliquid de substantia Dei possent ennarrare; ergo negat etiam visionem quidditativam. Quartò, quia eam negat visionem Angelis ante Incarnationem, quam ipsis concedit post carnem assumptam: at post Incarnationem Angeli non vident Deum comprehensivè, sed quidditativè; ergo non comprehensivam, sed quidditativam cognitionem Angelis ante Incarnationem negat.

Ad

45 Ad primum facilè respondetur negando Anomæos non affirmasse veram, & rigorosam comprehensionem, quæ melius exprimi non potuit quam verbis Theodoreti relatis, quam rigorosam comprehensionem docuisse affirmat Chrisostomus homilia 2. de incomprehensibili Dei natura, illis verbis. *Quod nemo etiam dicere ausus est, ipsi se ita nosse Deum, quemadmodum ipse Deus se ipsum novit, asserunt.* Eodem modo eorum refert errorem Epiphanius, hæresi 66. Nec inconveniens reputamus asserere insanos fuisse Anomæos; sed potius vsque ad amentiam errasse affirmamus cum Chrisostomo, homilia 2. illis verbis ad Eunomium directis: *Qui eo temeritatis, atque amentiæ perveniisti, vt quem glorificare duntaxat debes, & adorare hunc, seu rem quandam abiectam, & vilem curiosè scruteris, & contendas penitùs comprehendere.*

46 Ad secundum dicendum, quòd cum Deus Isaiæ ibi non apparuerit in se ipso, sed in similitudine corporea, Seraphim aliàs Deum videntes, prout sic non videbant Deum in se, sed in similitudine creata, & corporea. Vel dicatur & melius solùm negasse Angelos videre sinceram substantiam Dei comprehensivè; vtitur enim phrasi hæreticorum, contra quos disputabat, qui per visionem, cognitionem comprehensivam intelligebant, vt vidimus ex Chrisostomo, qui nunquam docuit solùm videre aliquid derivatum à Deo, sed ipsum Deum per condescensum, & indulgentiam, qua Deus se attemperat finito conatui illorum.

47 Ad tertium respondetur Chrisostomum non negasse Angelos posse respondere, & enarrare aliquid de Deo, sed de facto non respondere, quia hoc erat reservatum Christo Redemptori, iuxtà illud Ioannis: Vnigenitus, qui est in sinu Patris: ipse enarrabit. Vel dicatur non posse enarrare sicut Filius, qui Patrem comprehendit, & qui datus est nobis Magister, & Dominus. Ad id, quod additur dicendum: Prophetas Angelis æquiparare quantum ad negationem comprehensionis, in qua conveniunt, & in eo, quod per condescensum, & indulgentiam ab vtrisque cognoscitur; quamvis in hoc maxima sit differentia; nã condescensus, & indulgentia, qua attemperatur, vt à Prophetis cognoscatur, commensuratur lumini ipsorum, obscuro, & ænigmatico, vt solùm abstractivè valeant Deum attingere: respectu autem Angelorum commensuratur lumini gloriæ, licèt creato, claro tamen, & valenti intuitivè, & sine ænigmate Deum conspicere, quamvis non comprehensivè, sed finito, & limitato modo. Ad quartum, admissa maiori, distinguenda est minor: post Incarnationem non comprehenderunt Deum, concedo minorem, secundùm naturam humanam assumptam, nego minorem, & neganda est consequentia, vel distinguendum consequens eodem modo: itaque Angeli ante Incarnationem nullo modo comprehendebant Deum, at post carnem assumptam, comprehendunt quantum ad humanitatem, non quantum ad divinam naturam, & hæc est contrapositio Chrisostomi.

48 Secundo obicit Vazquez Theodoretum, Dialogo primo, qui dicitur immutabilis: vbi sibi obijcit illud Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Et respondet: intelligendum esse, *sicut solemus intelligere, quæ dicuntur ab hominibus, qui Deum vidisse existimati sunt*; sed homines isti non viderunt Deum in se; ergo neque Angeli: vndè subdit: *Dicimus ipsos non vidisse divinam naturam, sed quasdam visiones, quæ eorum facultati conveniunt; non enim vident divinam naturam, quæ neque circunscribi, neque comprehendi, neque mente concipi potest, quæ vniversa comprehendit; sed quandam gloriam, quæ eorum viribus correspondeat, sitque eis commensurata.*

49 Respondetur eodem modo, scilicet solùm negasse Theodoretum veram comprehensionem, vtique hæreticorum phrasi, qui per visionem cognitionem comprehensivam intelligebant; & quando docet Angelos vidisse quasi Prophetas, paritas non tenet in omnibus, sed solùm quantum ad negationem comprehensionis, quasi diceret; hi homines dicuntur vidisse, & tamen non comprehenderunt. Et constat ex eius ratione; ibi enim negat visionem, qua divina substantia, neque circunscribi, neque comprehendi potest; ex qua visio quidditativa, & finita non excluditur. Neque obstat, quod addit: *Neque mente concipi potest*; loquitur enim in sensu dicto, scilicet de cognitione adæquante, seu circunscribente substantiam Dei. Neque iterum obstat, quod asserit vidisse quasdam visiones, & gloriam; non enim per hoc docet aliquid distinctum à Deo, & ab ipso derivatum, sed visionis obiectum scilicet ipsum Deum, attemperatũ tamen ipsorum finitæ facultati, non vt infinito modo cognoscibilem, sed finito, & se-

cun-

ſecundùm quod eorum finitis viribus correſpondet : quod ex eius verbis ſatis colligitur.

50 Tertiò obijcit Gregorium Niſenum, lib. de Beatitudinibus orat. 6. vbi explicans illud Matthæi. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt* , ſibi obijcit Scripturæ teſtimonia, in quibus Deus dicitur inviſibilis, & eis convictus aſſerit, beatitudinem non conſiſtere inviſione Dei per eſſentiam, ſed in viſione Dei in ſuo effectu, quem habet anima per gratiam , & puritatem cordis , addens, quod videre iuxta Scripturam,idem eſt,ac habere. Reſpondetur Niſenum explicare verba relata Matthæi , de beatitudine imperfecta huius vitæ,per quam Deus non videtur in ſe , ſed in imagine , & in qua ipſum videre eſt habere per gratiam, & puritatem cordis : & cum addit de hoc præmio viatoribus promiſſo : *Quidem certè tanta eſt vt ſuperet ſupremum terminum beatitudinis* : ſatis indicat ſe loqui de beatitudine viæ , quam futuræ beatitudini comparat , & de qua affirmat excedere beatitudinem Patriæ ; hyperbolicè tamen , ſeu proportionalitèr ; quatenùs quoad modum plus eſt , ſcilicet ſtantes , & iacentes in hac vita tanto bono potiri , quam poſt partam victoriam in Patria faciali viſione coronari.

51 Contra hanc tamen explicationem obijcitur primò , quia loquitur de beatitudine , quæ conſequitur ad puritatem vitæ excludentem omne peccatum etiam veniale : ſed in hac vita puritas hæc, in nullo , excepta Beatiſsima Virgine , reperitur ; ergo neque beatitudo , de qua loquitur ; atque adeò intelligendus eſt de beatitudine Patriæ : ſecundò verba Niſeni ſunt hæc : *Cum igitur ab omni vitioſitate pura ab affectu , & vitio libera , atque omni inquinatione ſemota in te ratio fuerit , beatus es propter acumen , & claritudinem viſus , quoniam quod efugit viſum eorum , qui non fuerint purgati , ipſe expurgatus animadvertis,* ac materiali caligine *ab oculis animæ empta , per puram cordis ſerenitatem beatum ſpectaculum clarè cernis* : Quibus verbis docet primò ; ſic videntem Deum , & beatum, purum eſſe ab omni peccato , vitioſitate , & malitia: ſic beatum animadvertere ſe ab omni vitio purgatum : quorum neutrum in hac vita reperiri poteſt , in qua nullus ſine peccato , & nullus ſcit an odio , vel amore dignus ſit ; loquitur ergo de beatitudine Patriæ. Tertiò, quia loquens de beatitudine , quam conſtituit in viſione ab ipſo explicata, ſic ait: *Qui Deum videt , quidquid in bonis numeratur per hoc , quod Deum videt , adeptus eſt vitam ſine fine æternam, incorruptibilem , immortalem beatitudinem regnum ſine fine , & ſummum bonum;* ſed hæc huius vitæ beatitudini non congruunt ; ergo loquitur de beatitudine Patriæ.

52 Reſpondetur ſtando ſolutioni datæ , quam legitimam eſſe , præter dicta, conſtat , quia probat impoſsibile eſſe videre Deum ex illo , *Deum nemo vidit vnquam;* quod communiter intelligitur de hominibus viatoribus. Deinde , quia beatitudinem , de qua loquitur, probat ex illo: *Regnum Dei intra vos eſt*; quod de viatoribus , cum quibus Chriſtus Dom. loquebatur; intelligendus eſt. Reſpondetur ergo ad primum,diſtinguendo maiorem excludentem omne peccatum veniale, quoad affectum ex vi vnionis actualis voluntatis creatæ cum voluntate divina , ad quam plures Sancti in contemplatione , & exceſſu mentis perveniunt , concedo maior. excludentẽ effectivè omne peccatum veniale non ſolùm ad tempus , ſed per totam vitam, aut longum tempus,& extra exceſſum illum, & contemplationem perfectam,nego maior. & neganda eſt minor; puritas enim Beatiſsimæ Virginis, non ſolùm affectivè, ſed effectivè omne peccatum excludit,ex vi cuius, vt fides docet,nunquàm peccatum quantumvis leve commiſsit, quod eſt illius ſpeciale privilegium nulli alteri conceſſum: hoc tamen ad beatitudinem illam in hac vita obtinendam neceſſarium non eſt, ſed ſufficit ſic habitualiter eſſe diſpoſitum, vt affectivè excludatur peccatum , & quod effectivè actualiter per vnionem actualem cum divina voluntate in mentis elevatione excludatur ; cum quo componitur , Sanctos extra vnionem illam actualem per mentis elevationem aliquando deficere , præcipuè ex imperfecta deliberatione , & fortaſsè in ipſa vnione aliquando defectus contingit : non enim Niſenus aliam puritatem ad beatitudinem huius vitæ requirit , quam quæ in illa poſsibilis eſt iuxta legem communem ſtatutam à Deo.

53 Ad ſecundum dicatur , illis verbis ſolùm docere Sanctos aliquos in illa mentis elevatione , & actuali coniunctione, ſeu vnione cũ Deo eſſe affectivè ab omni vitio , & malitia purgatos , quod ibi certo certitudine quadam morali cognoſcunt ; ſicut etiam eadem probabili cer-

titudine, quæ quandam ſecuritatem, & ſerenitatem animi importat, cognoſcunt ſe eſſe in gratia, in qua beatitudo, quam ibi explicat, & quæ in hac vita haberi poteſt, & iuxta eius explicationem promittitur mũdis corde, conſiſtit: cum verò docet, beatum ſpectaculum clarè conſpicere, ſi per ſpectaculum gratia, & puritas intelligitur, dicendum: clarè cognoſcere claritate quadam, ſeu certitudine morali animi ſecuritatem, & ſerenitatem importante; ſi verò per ſpectaculum intelligitur ipſe Deus, vel eius attributa, & perfectiones, dicendum: clarè conſpicere, quia in illo mentis exceſſu plura, & clarè conſpiciunt, quàm alij non ſic purgati.

54 Ad tertium dicendum, beatitudini viæ etiam ſuo modo illa prædicata convenire: mundi enim corde, qui ad beatitudinem illam pervenerunt, adepti ſunt, licet imperfectè, Deum, & conſequenter ex parte obiecti ſummum bonum, & conſequenter omnia bona, & ſimiliter vitam ſine fine, & incorruptibilem, quæ Deus eſt: quæ etiam attributa beatitudini viæ ſuo modo conveniunt, quatenùs in ſpe, & radice omnia illa continet. Alij PP. quos in contrarium adducit Vazquez, facilem habent explicationem, & ſunt intelligendi iuxta explicationes ſupra adductas.

§. IV.

Cætera argumenta diluuntur.

55 PRIMO Arguitur: non poteſt Deus videri niſi viſione infinita: ſed implicat creaturam Deum videre viſione infinita; ergo implicat Deum videre. Maior probatur. Viſio creſcit in perfectione ad incrementum obiecti, ita vt quo perfectius eſt obiectum, perfectior ſit viſio cæteris paribus; ergo viſio obiecti infiniti non poteſt non eſſe infinita. Explicatur, viſio perfectior excedit imperfectiorem iuxta incrementum obiecti; v. g. viſio Angeli excedit viſionem lapidis iuxta exceſſum Angeli comparativè ad lapidem; quapropter magis illam excedit, quam viſio hominis viſionem lapidis, ſcilicet, quia magis excedit Angelus lapidem, quam homo; ergo ſi obiectum alicuius viſionis excedit infinitè aliarum viſionum obiecta, neceſſe eſt, vt viſio illius excedat infinitè aliorum obiectorum viſionem; ergo cum obiectum viſionis Dei excedat infinitè alia obiecta, neceſſe eſt, viſionem Dei aliorum obiectorum viſiones excedere infinitè, quod ſine infinitate ſtare non poteſt.

56 Reſpondetur ſolutione communi, negando maiorem, ad probationem, diſtinguendum eſt antecedens, creſcit arithmeticè, nego antecedens, geometricè, concedo antecedens, & neganda eſt conſequentia. Explicatur ſolutio, creſcere arithmeticè ad incrementum obiecti eſt creſcere ſervata ſemper eadem proportione cognitionis ad obiectum; quod duplicitèr ſtat, vel ſervata eadem proportione æqualitatis; ita vt ſi obiectum vt quatuor requirit viſionem vt quatuor, obiectum vt octo requirat viſionem vt octo, & ſic de cæteris. Vel creſcere arithmeticè poteſt eſſe ſervata eadem proportione inæqualitatis; v. g. ſi obiectum vt quatuor requirit viſionem vt duo, obiectum vt octo requirat viſionem vt quatuor, & ſic de cæteris. Primo modo ſervatur æqualitas inter cognitionem, & obiectum; atque adeò ſi obiectum eſt infinitum, cognitio non poteſt non eſſe infinita; & ſimiliter ſecundo modo, ſi obiectum eſt infinitum, non poteſt cognitio eſſe finita, quia debet eſſe determinatus exceſſus obiecti ad cognitionẽ: inter finitum autẽ, & infinitum, nequit eſſe determinatus exceſſus. Creſcere autem geometricè ad incrementum obiecti, eſt creſcere ad incrementum obiecti non ſervata eadem proportione æqualitatis, neque inæqualitatis; ſed ſolùm creſcere incremento indeterminato, quod ſolet vocari proportionale, ſeu ſecundùm partes indeterminatas: creſcere autem hoc modo cognitionem obiecti, non infert, quod ſi obiectum eſt infinitum, cognitio ſit infinita, ſed ſolùm quod excedat cognitionem inferiorum obiectorum, non exceſſu infinito, ſed finito: ſicut quantitatem habere infinitas partes determinatas, & aliquotas [vt aiunt] arguit infinitatem in tali quantitate: habere autem infinitas partes proportionales, & indeterminatas, infinitatem non arguit, ſed in qualibet minima quantitate reperiuntur.

57 Et argumentum plures habet inſtãtias; amor etiã creſcit ad incrementũ obiecti;

&

& tamen quia creſcit ſolùm geometricè, amor obiecti infiniti non neceſſariò eſt infinitus. Similiter cognitio abſtractiva cæteris paribus creſcit ad incrementum obiecti, & tamen non ideò cognitio abſtractiva obiecti infiniti evadit infinita: oppoſita de cauſa cognitio comprehenſiva obiecti infiniti neceſſariò eſt infinita, ſcilicet, quia creſcit arithmeticè ad incrementum obiecti; & ratio eſt: nam cognitio comprehenſiva eſt illa, quæ adæquat cognoſcibilitatem obiecti; atque adeò iuxta incrementum obiecti arithmeticè creſcit, & propterea comprehenſio obiecti infiniti eſt infinita.

58 Secundò arguitur, & inſtatur contra dicta: cognitio creaturarum omnium poſsibilium quidditativa extra Deum, non poteſt non eſſe infinita; ergo neque cognitio quidditativa Dei. Conſequentia probatur: quia perfectior eſt cognitio quiditativa Dei, quàm omnium creaturarum poſſibilium. Antecedens autem probatur: quia eo implicat cognitio omnium creaturarum poſsibilium, quia neceſſariò foret infinita; ergo verum eſt antecedens. Reſpondetur primo, negando antecedens. Ad probationem dicatur, vel non eſſe impoſsibilem talem cognitionem vt aliqui Doctiſsimi exiſtimant cum Illuſt. Godoy tom. 2. in 3. partem, tract. 9. diſputat. 35. §. 14. vel ſi eſt impoſsibilis, non ideò impoſsibilis eſt, quia foret infinita, ſed quia implicat vna ſpecies omnium repræſentativa, & infinitæ ſimul dari non poſſunt; quod innuere videtur D. Thom. q. 20. de veritate, art. 5. ad 1. illis verbis: *Quidquid Deus poteſt facere, minus eſt quàm ipſe Deus, & facilius poſſet ab anima Chriſti cognoſci, ſi animæ Chriſti per ſe offerretur quidquid Deus poteſt facere, ſicut per ſe ei præſentatur ipſe Deus.*

59 Secundò alij reſpondent, cognitionem quidditativam omnium creaturarum poſsibilium implicare, quia eſſet comprehenſio illarum; cum enim attingeret omnia, & omnes modos creaturarum, cognoſceret illas quantum cognoſcibiles ſunt: at verò Deus poteſt cognoſci, quantum ad omnia formalia, quin in ipſo, & ex vi ipſius cognoſcantur omnia, quæ in illo poſſunt cognoſci; atque adeò poteſt quidditativè videri, quin cognoſcatur comprehenſivè. Si autem inſtes, quod perfectior cognitio eſt quidditativa Dei, quàm comprehenſiva omnium creaturarum: ergo ſi hæc implicat propter eius infinitatem, & perfectionem, etiam implicabit viſio quidditativa Dei. Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ſolùm enim ſequitur, quod viſio quidditativa Dei perfectior eſſet cognitione comprehenſiva omnium creaturarum etiam ſi infinita eſſet; non enim implicat cognitionem finitam, ſi ſuperioris ordinis ſit, excedere infinitam inferioris ordinis: etſi daretur quantitas infinita excederetur à ſubſtantia finita.

60 Sed dices iterum; cognitio quidditativa Dei perfectior eſt comprehenſione omnium creaturarum: & tamen poteſt eſſe, & de facto eſt finita; ergo comprehenſio creaturarum poterit eſſe finita, atque adeò non implicat, eo quod foret infinita. Reſpondetur negando conſequentiam; & ratio eſſe poteſt, quod cognitio quidditativa non creſcit arithmeticè ad incrementum obiecti, vt diximus; atque adeò cognitio quidditativa Dei, quantumvis perfecta, & ſuperioris ordinis non neceſſariò eſt infinita; at comprehenſio creſcit arithmeticè ad incrementum obiecti; atque adeò cum omnes creaturæ poſsibiles collectivè ſit obiectum infinitum, licèt non per eſſentiam, ſed inferiori infinitate; conſequens fit, vt comprehenſio illarum deberet eſſe infinita, licèt non per eſſentiam, inferiori nfinitate. Et quidem cognitio comprehenſiva omnium creaturarum excederet infinitas cognitiones eiuſdem ordinis, exceſſu determinato ſe excedentes: at cognitio ſic excedens non poteſt non eſſe infinita.

61 Quod ſic ſit manifeſtum; nam poſsibilis eſt Angelus, v. g. duplo perfectior ſupremo ex exiſtentibus, & alius duplo maior illo, & ſic in infinitum; ex quo iuxta dicta infertur comprehenſiones poſsibiles horum Angelorum eſſe infinitas, & ſe excedentes exceſſu determinato; cum comprehenſio creſcat arithmeticè ad incrementum obiecti: at cognitio comprehenſiva omnium creaturarum omnes illas excederet; ergo excederet infinitas comprehenſiones exceſſu determinato ſe excedentes; ergo neceſſariò eſſet infinita, ſicut ſubſtantia excedens omnes Angelos poſsibiles ſe excedentes exceſſu determinato non poteſt non eſſe infinita, & quantitas excedens omnes quantitates poſsibiles ſe excedentes exceſſu determinato, non poteſt non eſſe infinita.

62 Sed dices, viſio Dei etiam ex-

cedit comprehensiones illas possibiles: & tamen non est infinita; ergo comprehensio illarum potest illas excedere, & non esse infinita. Neganda est consequentia; quia visio Dei est altioris ordinis excedens, vt diximus, comprehensionem omnium creaturarum possibilium; sicut si daretur quantitas infinita à substantia excederetur. Et si iterum dicas. Sit ergo comprehensio omnium creaturarum non infinita, sed superioris ordinis quamvis excedat comprehensiones infinitas se excedentes excessu determinato. Posset fortasè probabilitèr sic dici sine inconvenienti; cæterùm stando dictis asserendum est, non posse non esse eiusdem ordinis, quia obiectum eiusdem ordinis est: vndè cum ad hoc vt excedat comprehensiones prædictas, vnum è duobus sit necessarium, vel superioritas ordinis, vel infinitas, & prima non detur, fatenda est secunda. Tandem dices, si daretur substantia supernaturalis creata possibilis, vt aliqui Recentiores authumant, esset perfectior omnibus Angelis naturalibus possibilibus se excedentibus excessu determinato: & tamen non esset infinita; aliàs non esset creata; ergo consequentia supra facta nulla est. Propter hæc, & plura alia, meritò reputatur impossibilis substantia supernaturalis creata: illa tamen admissa, dicendum, substātiam illam fore alterius ordinis, & sic non mirum omnes illas excedere sine infinitate. Sed pro nunc expeditior est prima, & secunda solutio. Et videndus Illustrissimus Godoy, vbi supra.

63 Tertiò arguitur ad idem; visio Dei petit principium infinitum, nimirùm essentiam divinam per modum speciei concurrentem ad eius existentiam; ergo necessariò est infinita. Antecedens supponitur à Thomistis, & consequentia probatur, tùm, quia implicare videtur visionem finitam exigere essentialiter, vt sit principium infinitum: tùm etiam quia visio exigens essentialiter ex parte intelligentis principium infinitum, non potest non esse infinita; ergo visio ex parte obiecti exigens principium infinitum, quale est species, non potest non esse infinita. Antecedens constat; visio enim exigens vt principium sui intellectum infinitum, non potest non esse infinita; & consequentia probatur, quia visio æqualiter ab vtroque est, & æqualiter vtrumque exigit essentialiter: ab obiecto enim, & potentia paritur notitia; ergo si visio, exigens essentialiter intellectum infinitum, non potest non esse infinita, pariter visio exigens essentialiter speciem infinitam, non potest non esse infinita.

64 Tùm denique prima consequentia probatur: visio est actio vtriusque principij, scilicet speciei, & intellectus; licet non vtrumque denominetur intelligens; sicut eadem est actio intellectus, & habitus intellectualis, voluntatis, & virtutis, licèt solùm intellectus denominetur intelligens, & sola voluntas volens: sed actio principij infiniti non potest non esse infinita; ergo neque visio, cuius principium est species infinita. Minor probatur, quia actio principij infiniti, non potest non identificari cum illo; & propterea Deus non operatur per actionem transeuntem: & ratio est; quia principium effectivum ab eius actione, seu operatione distinctum, per ipsam limitatur, & completur; neque ex se habet omnem perfectionem pertinentem ad lineam activi; implicat ergo principium infinitum non identificans actionem, & consequenter cum species concurrens per modum principij ad visionem Dei, sit infinita, non potest non identificare visionem, quæ est eius actio, neque visio sic identificata potest non esse infinita.

65 Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad primam probationem, distinguendum est antecedens. Implicat exigere principium infinitum infinito modo concurrens; concedo antecedens, concurrens finito modo, nego anteced. Itaq, cum visio habeat pro obiecto Deum, & ab obiecto, & potentia pariatur notitia, inconveniens non est, quod petat principium infinitum; sicut non est inconveniens, quod finita cum sit, habeat obiectum infinitum: obiectum verò quamvis infinitum determinat obiectivè intellectum ad intellectionem iuxta virtutem intellectus, iuxta quam etiam effectivè concurrit; & quia virtus intellectus finita est, determinat finito modo, non finitudine, vel limitatione se tenente ex parte speciei subiectivè; quæ cum Deus sit, nullam subiectivè potest dicere limitationem; sed limitatione, & finitudine se tenente ex parte intellectus, luminis, & visionis.

66 Ad secundam neganda est consequentia; sicut non sequitur: actio habens vt sui principium intellectum infinitum, est infinita; ergo habens obiectum infinitum est infinita; idem enim est habere pro obiecto Deum in se, atque habere vt principiū sui ex parte obiecti ipsū Deum vnitum per modū spe-

ſpeciei. Et ad probationem docti Recentiores aſſerunt, eſſentiam divinam per modum ſpeciei vnitam non habere influxum verum efficientem in viſionem beatam, ſed ſolùm intentionalem, qui non excedit limites activæ repræſentationis, & determinationis obiectivæ: ex quo reddi poteſt diſparitas; quia intellectus eſt principium verè effectivum, cuius vltima actualitas eſt viſio; atque adeò ſi finita ſit, non poteſt exigere intellectum infinitum: at ſpecies eſt ſolùm principium determinativum obiectivè, cuius munus non excedit limites repræſentationis, ac proindè viſio non eſt eius actio, vel actualitas, ſed purus effectus; cuius limitatio non arguit limitationem ſpeciei. In qua ſolutione, quæ ſufficiens eſt, manifeſtè recurritur ad ſententiam aliquorum Thomiſtarum aſſerentium, ſpeciem non concurrere effectivè, quæ à laudatis Recentioribus vt antiquata deſeritur; nullus enim Thomiſtarum concurſum obiectivum repræſentativum, & determinativum ex parte obiecti ſpeciei negavit: ſecundò, alij reſpondent, concedendo verum influxum ſpeciei accidentali, quem tamen negant ſubſtantiali, præcipuè increatæ propter præſentem difficultatem, quam in illo concedendo reperiunt; de quibus poſteà. Quo ſuppoſito præſentem ſolvunt difficultatem, vt præcedentem.

67 Tertiò admittendo veram cauſalitatem effectivam etiam in ſpecie increata, dicendum: viſionem non eſſe actionem eſſentiæ divinæ per modum ſpeciei concurrentis obiectivè, ſicut neque eſt actio omnipotentiæ Dei concurrentis vt cauſæ primæ ad viſionem; licet cognitio procedens ab ſpecie creata ſit actio ipſius, ſicut & intellectus. Et ratio diſcriminis eſt, quia ſpecies creata in linea efficientis eſt limitata, & in potentia ad vltimum actum illius lineæ, per quem completur, quæ eſt ipſa cognitio, ad quam comparatur vt potentia, & quæ proinde eſt eius actio: at eſſentia divina, cùm ſit infinita, & purus actus etiam in linea activa, ſecum identificat actionem, & nihil extra ipſam comparatur ad illam vt eius actualitas, ſeu vltimum complementum, ſed ſolùm vt effectus, ſicut eadem entitas, quæ eſt actio cauſæ ſecundæ, etiam ſi ſit à Deo potiori titulo, quam à creatura; non tamen eſt actio Dei, ſed ſolùm cauſæ ſecundæ. Et ratio eſt adducta, ſcilicet, quia complet tanquam vltimus actus cauſam creatam, quæ potentialis eſt: Deum autem, vtpotè actum purum completum in linea activa ſupponit, ad quem non vt actio, de cuius ratione eſt compiere potentiale principium, comparatur, ſed vt effectus. Per quod conſtat ſolutio ad argumentum, & diſparitas; ideò enim implicat viſionem finitam petere intellectum infinitum, quia eſt illius vltima actualitas, quæ non poteſt eſſe determinata ab intellectu infinito; aliàs eſſet intellectus finitus, & potentialis: viſio non eſt actio ſpeciei creatæ, ſed effectus illius; cui non repugnat exigere cauſam, & principium infinitum. An autem prætereurſum iſtum effectivum, quem concedimus, concedenda etiam ſit potentia activa ad extra diſtincta virtualiter ab omni potentia, nimirùm eſſentia divina, vt ſpecies eſt: & an actio, qua vt ſpecies ad extra operatur ſit virtualiter diſtincta ab actione omnipotentiæ; & an concurſus iſte effectivus ſit immediatè Deo liber ex ſubordinatione immediata ad intellectum, & voluntatem divinam; an verò ſit ſolùm liber mediatè, & immediatè determinetur ab intellectu creato perfuſſo lumine gloriæ, vt aliqui videntur ſentire, infra dicemus.

68 Sed dices, viſio, quæ eſſet cauſalitas, ſeu vltima actualitas ſpeciei, ſi eſſet creata, non eſſet talis, ſed ſolùm effectus ſpeciei increatæ, ſi illam tanquam principium petat; ergo viſio, quæ reſpectu intellectus finiti eſt vltima actualitas, reſpectu infiniti poteſt non eſſe eius vltima actualitas, ſed effectus; & conſequenter poterit intellectum infinitum vt ſui principium exigere. Vel aliter, viſio, quæ reſpectu intellectus creati eſt vltima actualitas, non poteſt non eſſe vltima actualitas intellectus infiniti, ſi illum peteret vt principium ſui, & quia viſio finita non poteſt eſſe vltima actualitas intellectus infiniti, ideò ipſam tanquam principium ſui exigere non poteſt; ergo viſio creata, quæ eſt cauſalitas, & vltima actualitas ſpeciei accidentalis, ſi illam tanquam principium petit, non poteſt petere principium infinitum, quia eius vltima actualitas eſſe non poteſt.

69 Reſpondetur negando conſequentiam; quia viſio non poteſt non eſſe vltima actualitas principij intelligentis per ipſam: principij enim potentis intelligere vltima actualitas, & vltima perfectio in linea intellectiva eſt intelligere; vndè quiuſcumque principij in-

tellectivi, sive finiti, sive infiniti vltima actualitas est intellectio, per quam intelligit: quapropter nulla intellectio finita potest petere, vt principium intellectivum, quod constituat intelligens, aliquid infinitum, seu actum purum: at cognitio non est vltima actualitas etiam in linea activa principij, quod non denominatur intelligens per ipsam; sed solùm quandò illud complet, vt contingit quando principium eius est potentiale, & limitatum in linea activa; sicut calefactio solùm est vltima actualitas caloris, seu ignis, non Dei, à quo etiam procedit: & hac ratione cognitio creata non est vltima actualitas Dei, neque illius causalitas, quamvis ab ipso sit vt à principio etiam intellectivo; nimirùm, quia per ipsam non constituitur intelligens, neque efficiens, sed à Deo intelligente, volente, & efficiente se ipso, in actu secundo procedit.

70 Tandèm arguitur; inter intellectum, & obiectum cognitum debet esse proportio, quia obiectum est perfectio intelligentis, & inter perfectivum, & perfectibile debet esse proportio: sed inter creaturam, & Deum nulla datur proportio; finiti enim ad infinitum nulla est; ergo Deus clarè visus nequit esse obiectum intellectus creati.

Confirmatur primò: minus distat Angelus à visu corporeo, quàm Dus ab intellectu creato: prima enim distantia est finita, vtpotè quæ versatur inter terminos finitos: secunda autem est infinita: sed propter distantiam, nulla est proportio visus corporei ad Angelum; ergo neque intellectus creati ad Deum. Confirmatur secundo: inter intellectum, & obiectum tanta debet esse proportio, vt intellectus possit fieri idem in esse intelligibili cum obiecto: sed implicat quod intellectus creatus fiat idem cum Deo in esse intelligibili, & reali; ergo non datur in intellectu creato sufficiens proportio ad Deum videndum. Confirmatur tertiò; ex intellectu, & obiecto fit magis vnum, quam ex materia, & forma, vt ex Commentatore communitèr dicitur: sed implicat, quod ex intellectu creato, & Deo fiat magis vnum, quam ex materia, & forma; ergo. Minor probatur: tùm quia ex materia, & forma fit vnum subsstantialiter; ex intellectu, & Deo vnum quid subsstantiale fieri non potest: tùm etiam quia hæc vnio excederet, vel æquaret vnionem hypostaticam, quæ est maxima vnionum, ex qua resultat vna persona Dei, & hominis.

71 Respondetur ex D. Thoma in præsenti art. 1. ad 4. & in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. ad 7. distinguendo maiorem, debet esse proportio certa, scilicet Arithmethica, qualis est inter vnam quantitatem, & alteram determinatam, v. gr. inter duplum, & triplum, nego maiorem: proportio Geometrica, & habitudinis solùm, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, neganda est consequentia: Licet enim inter creaturam, & Deum non possit esse proportio entitatis quantum ad perfectionem; proportio tamen habitudinis non requirens æqualitatem, seu excessum determinatum potest esse, sicut habitudo effectus ad causam, potentiæ ad obiectum. Ad primam confirmationem distinguenda est maior, minus, distantia perfectionis, quia vnius ad alterum in perfectione est excessus determinatus, concedo maiorem; distantia habitudinis, nego maiorem, & distincta minori, eodem modo, neganda est consequentia: licet enim visus corporeus excedatur in perfectione ab Angelo, excessu determinato, nullam dicit habitudinem ad illum, vt ad obiectum; est enim eius adæquatum obiectum lucidum coloratum, sub quo Angelus non continetur: at intellectus creatus, quamvis in entitate, & perfectione non dicat proportionem ad Deum, quia ab ipso infinitè exceditur; dicit tamen habitudinem potentiæ ad obiectum, quæ non requirit primam proportionem; sicut corpus, licèt dicat prædictam proportionem cum Angelo, quia ab ipso exceditur excessu determinato, & ad Deum illam non dicat, à quo infinitè exceditur; tamen ad Denm, & non ad Angelum dicit habitudinem effectus ad causam.

72 Ad secundam confirmationem distinguenda est maior; talis debet esse proportio, vt intellectus possit fieri subsstantivè Deus in esse intelligibili, nego maiorem; adiectivè, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo neganda est consequentia: intellectus ergo fit obiectum in esse intelligibili, non subsstantivè, hoc est non ratione sui, sed adiectivè, hoc est, ratione speciei distinctæ, & accidentalis, quæ subsstantivè, & ratione sui est obiectum in esse intelligibili. Ad hoc autem vt adiectivè, & ratione alterius, intellectus creatus sit Deus in esse intelligibili, habet sufficientem proportionem habitudinis; quia elevatus per lumen gloriæ potest informari, & perfici ad intelligendum per speciem, quæ in esse intelligibili sit Deus: in sententia ergo Thomistæ

miſtarum ſolùm implicat, quod creatura ſit Deus in eſſe intelligibili ratione ſui, qualis eſſet ſpecies creata Dei; non verò quod ſit Deus in eſſe intelligibili adiectivè, per hoc quod informetur, ſeu determinetur per ſpeciem diſtinctam, quæ ratione ſui ſit Deus in eſſe intelligibili.

73 Ad vltimam confirmationem diſtinguenda etiam eſt maior; ſit magis vnus adiectivè, concedo maiorem; ſubſtantivè, nego maiorem, & diſtinguenda eſt minor eodem modo, & neganda conſequentia; fieri enim magis vnus adiectivè, nihil aliud eſt, quàm determinari obiectivè ab ſpecie, quæ Deus eſt: ex quo ſolùm infertur ſpeciem eſſe magis vnum cum Deo, quam fiat vnum ex materia, & forma, quod libentèr concedimus. Neque ex hoc ſequitur, hanc vnionem æquare vnionem hypoſtaticam; in hac enim reſultat vna perſona Dei, & hominis per aſſumptionem humanitatis ad eſſe ſubſtantiale Dei: in præſenti autem non ſic, ſed ſolùm intellectus fit adiectivè Deus, quatenùs determinatur, & perficitur ſpecie Dei ad illum intelligendum.

73 Sed inquires, an ſaltim ex ſpecie, & obiecto, fiat magis vnum quàm ex materia, & forma abſolutè? Reſpondetur affirmativè in ſententia aſſerentium ſpeciem continere ſubiectivè eandem naturam obiecti, vt à pluribus Thomiſtis defenditur. In hac enim ſententia ex ſpecie, & obiecto ita fit vnum, vt ſpecies ſubiectivè, & ſubſtantivè in eſſe intelligibili ſit idem obiectum, & reſultans eſt idem cum ſpecie, & obiecto. Non ſic autem ex materia, & forma; neque enim materia eſt forma, neque id, quod reſultat ex vtroque, ſed hoc vnum reſultans à partibus diviſivè realitèr diſtinguitur: ex quo ſolùm infertur, vt diximus, quod ſpecies qua videtur Deus, & ipſe Deus ſit magis vnum, quàm compoſitum ex materia, & forma. Si autem aſſeratur ſpeciem ſolùm continere ſubſtantivè naturam obiecti ſecundùm quid, dicendum eſt eſſe magis vnũ ſolum ſecundum quid; ſicut imago exterior Petri eſt magis vnum cum Petro ſecundũ quid, quàm Petrus, & Paulus; quia imago eſt ipſe Petrus repræſentativè, & ſecundùm quid; Petrus autem non eſt Paulus, licèt cum illo abſolutè magis conveniat, ſcilicet in natura humana. Et hæc de iſto dubio.

***

DVBIVM II.

Vtrùm Deus clarè viſus contineatur ſub obiecto ſpecificativo intellectus creati.

§. I.

Aliqua ſupponuntur, & referuntur ſententiæ.

1 DUPLEX Eſt obiectum, aliud ſpecificativum, aliud extenſivum. Primum eſt, ad quod primò, & per ſe ordinatur potentia, & à quo proinde accipit ſpeciem, & diſtinctionem, & eſt illud, quod ratione ſui attingitur à potentia. Extenſivum eſt illud, ad quod extenditur potentia ratione alterius, ſcilicet ſpecificativi; quod primò attingitur. Exemplum. In potentia intellectiva eſt ens reale, ad quod cognoſcendum primò, & per ſe ordinatur potentia intellectiva, & quod ratione ſui, & per propriam ſpeciem à potentia attingitur: extenſivum autem eſt ens rationis, ad quod extenditur intellectus; non tamen illud cognoſcit ratione ſui, ſed in ordine ad ens reale, & per ſpeciem illius, & in intellectu noſtro pro hoc ſtatu, pro quo primò, & per ſe ſolùm attingit ens ſenſibile, & materiale ratione ſui, & per propriam ſpeciem; ſpiritus autem ſolùm connotativè per ſpeciem entis materialis, & in ordine ad illud, ſed quia ſtatus iſte coniunctionis eſt accidentalis intellectui, ſpecies illius non deſumitur ſolùm ab ente materiali, ſed ab ente reali, quod per propriam ſpeciem attingi valet in ſtatu ſeparationis, etiam ſi ſpirituale ſit.

2 Eſt etiam advertendum, quod vt aliquid ſit intra obiectum ſpecificativum, non ſufficit quod valeat per propriam ſpeciem cognoſci, & quidditativè, ſed inſuper neceſſarium eſt, quod ad illius cognitionem per ſe ordinetur intellectus, vt in diſcurſu diſputationis videbimus.

3 Ratio dubitandi deſumitur ex eo quod obiectum ſpecificativum intellectus creati, vtpotè naturalis, debet eſſe aliquid

quid naturale; nihil enim naturale à ſupernaturali ſpeciem accipere poteſt, cum hoc ipſo quod à ſupernaturali ſpecificetur, evadat ſupernaturale: ſpecificativum enim comparatur per modum formæ ad ſpecificatum: id autem cuius forma conſtitutiva ſupernaturalis eſt, non poteſt non eſſe ſupernaturale: ſed Deus clarè viſus vtpotè maximè ſupernaturalis, contineri non poteſt ſub aliquo naturali; ergo non poteſt contineri ſub obiecto ſpecificativo intellectus noſtri.

4 Neque ſatisfacit, quod obiectum ſpecificativum intellectus noſtri eſt ens vt ſic abſtrahens à naturali, & ſupernaturali, ſub quo Deus clarè viſus continetur. Non inquam ſatisfacit; tùm quia intellectus noſter eſt determinatè, & adæquatè naturalis; ergo obiectum ſpecificativum illius debet eſſe determinatè, & adæquatè naturale. Tùm etiam quia cum obiectum ſpecificativum intellectus noſtri ſit quaſi agregatum ex omnibus, quæ ab ipſo ſub ratione entis cognoſci poſſunt quidditativè, & intuitivè, ſi Deus ingreditur tanquam pars huius agregati, totum agregatum, & coniunctum eſſet, & denominaretur ſupernaturale; ſicut quia pars hominis, ſcilicet ratio, eſt ſupra bruta, totus homo abſolutè eſt ſupra bruta.

Ex oppoſito difficile conficitur argumentum; nam ſi Deus clarè viſus non continetur ſub obiecto ſpecificativo intellectus noſtri, non poſſet homo etiam per elevationem Deum videre; quod eſſe contra fidem conſtat. Aſſumptum probatur; quia nulla potentia poteſt elevari ad attingendum obiectum conſtitutum extra eius ſpecificativum; eſſet enim egredi extra propriam ſpeciem, & ad aliam tranſire: quapropter viſus corporeus elevari non poteſt ad videndum ſpiritum, aut percipiendum ſonum; nimirùm quia ſpiritus, & ſonus eſt extra ſphæram, & adæquatum obiectum ſpecificativum, quod eſt lucidum coloratum.

5 Propter hanc rationem dubitandi, diviſi ſunt Theologi in explicando qualiter Deus clarè viſus contineri poſsit ſub obiecto ſpecificativo intellectus noſtri, & an hoc ſit neceſſarium, vt intellectus creatus poſsit per elevationem Deum videre. Aliqui, quos ſine nomine refert Nazarius in præſenti, docent Deum clarè viſum non contineri ſub obiecto ſpecificativo intellectus noſtri, ſed ſolùm ſub extenſivo, quos ſecuti ſunt noviſsimè Docti Recentiores ex noſtris, q ui ſatis accuratè hanc ſententiam illuſtrarunt, affirmantes, quod vt intellectus noſter poſsit per elevationem Deum videre, ſufficit poſſe naturaliter illum cognoſcere quidditativè, & imperfectè: ex quo communiter Theologi probant, poſſe intellectum creatum Deum videre; qui conſequenter affirmare tenentur poſſe potentiam per elevationem extra ſpecificicativum exire, dummodò obiectum illud extra ſpecificativum exiſtens, imperfectè, & connotativè poſsit à potentia naturaliter cognoſci; & quia ſenſus neque etiam imperfectè, & connotativè poteſt naturaliter cognoſcere ſpiritum, neque viſus ſonum, non poteſt ſenſus etiam per elevationem ſpiritum cognoſcere, neque viſus ſonum.

6 Alij autem aſſerunt, quod obiectum intellectus noſtri abſtrahit à naturali, & ſupernaturali; eſt enim ens vt ſic, quod in omni ente, tàm naturali, quàm ſupernaturali reperitur: ex quo non recuſant concedere intellectum noſtrum partim eſſe naturalem, & partim ſupernaturalem; naturalem quidem in ordine ad obiecta proportionata, quæ naturaliter poteſt attingere; ſupernaturalem autem in ordine ad obiecta ſupernaturalia, quæ per elevationem poteſt cognoſcere. Sic videtur dicere Gregorius Martinez 1.2. quæſt. 5. art. 1. dub. 2. ad 2. & PP. Salmanticenſes; ſed non crediderim Doctiſsimos Patres dicere intellectum eſſe ſupernaturalem, neque etiam inadæquatè, niſi ſolùm extrinſecè; potentia enim obedientialis in ordine ad obiecta ſupernaturalia, identificata cum naturali, quàm ipſi cum communi ſententia Theologorum admittunt, nullatenùs poteſt eſſe ſupernaturalis entitativè, & intrinſicè; aliàs intellectus noſter ex prædicatis contradictorijs, inter ſe repugnantibus, conſtaret; quidquid dicant Sapientiſsimi Recentiores, quos videtur ſequi M. Gregorius Martinez vbi proximè.

7 Tertiò alij docent Deum clarè viſum non contineri ſub obiecto ſpecificante vltimam differentiam intellectus humani, vt ab Angelico diſtinguitur; benè tamen ſub obiecto ſpecificante rationem communem humano, & Angelico intellectui, non ſecundùm vim proximè activam, ſed ſecundùm potentiam obedientialem, remotè, & mediatè activam, quæ vtrique intellectui Angelico, & humano communis eſt: ſic docet Illuſtriſsimus Godoy tract. 2. diſp. 7. §. 2. cui ex parte conſentit M. à Sancto Thoma, quatenùs docet intellectum noſtrum

trum ex conceptu immaterialitatis, quę est ratio generica, & communis Angelo, & homini, posse extendi ad omne ens, fierique omnia in esse intelligibili; Deumque clarè visum esse extra totum ordinem, & specificativum naturalis virtutis: vbi docere videtur, contineri Deum clarè visum sub obiecto intellectus secundùm conceptum communem Angelo, & homini, non secundùm virtutem naturalem, sed secundùm capacitatem passivam, quæ est potentia obedientialis communis Angelo, & homini: Addit tamen hoc esse speciale in intellectu nostro propter eius immaterialitatem, scilicet ad plus se extendi capacitatem passivam illius, quàm activam, in quo communiter à nostris defenditur; & meritò: nam intellectus noster non solùm habet potentiam obedientialem passivam remotam ad essentiam divinam vniendam per modum speciei, quam recipit, seu qua informatur medio lumine glorię, quod est tota ratio proxima ex parte intellectus huius receptionis, seu informationis: sed etiam habet potentiam activam remotam ad videndum Deum, quæ sit proxima ratione luminis glorię, quod est tota ratio agendi; ergo ad idem extenditur potentia activa, atque passiva intellectus nostri.

8 Sed quidquid de hoc sit, in primo dicto consentire videntur Thomistæ nostri, distinguentes in intellectu nostro potentiam naturalem, & obedientialem, affirmantesque contineri Deum clarè visum sub obiecto potentiæ obedientialis, non verò sub obiecto potentiæ naturalis, quę prout sic Deum videre non potest: qui est etiam communis modus loquendi extra scholam D. Thomę, quamvis ab ipsis asserentibus intellectum ratione sui ad visionem concurrere, potentia obedientialis non salvetur, vt postea videbimus. Vt autem in re satis implicata, sensum Thomistarum aperiamus. Sit.

***

§. II.

Statuitur prima Conclusio.

9 PRIMA Conclusio. Deus clarè visus non est obiectum specificativum intellectus nostri, vt potentia naturalis est constituta in determinata specie qualitatis, neque secundùm rationem genericam, neque secundùm rationem differentialem; neque est pars materialis obiecti specificantis. Prima pars facilis est. Sed pro eius explicatione advertendum est, quod ens vt sic, secundùm quod abstrahit abstractione totali ab omni ente, hoc est vt dicens prędicata actualia, quæ explicat, & quibus constituitur, estque vt quod potens in illa abstractione cognosci, non est specificativum intellectus nostri; prout sic enim solùm specificat actum specialem ad ipsum terminatum; sicut homo terminat cognitionem specialem, quam specificat, & similiter equus; pariter ens terminat conceptum formalem, quem specificat, & prout sic solùm est pars materialis obiecti specificantis, quod componitur, & constat ex omnibus, quę terminare possunt cognitionem intellectus. Quando ergo dicitur, quod ens vt sic est specificativum intellectus, accipitur ens vt abstractum abstractione formali ab inferioribus, & significare volumus, quod omne ens, & omnis eius formalitas terminat habitudinem intellectus nostri, & quod ratio formalis terminandi est vna in omnibus negativè, & fundamentaliter, nimirùm ratio entis.

10 Secundò advertendum est, quod vt verificetur, quod ens est ratio specificans intellectum nostrum, non est necessarium ex terminis, quod possit intellectus noster attingere, & cognoscere ens vt sic, si possit omnia inferiora ad ens, sub ratione entis cognoscere; licèt de facto propter vniversalitatem, & immaterialitatem intellectus nostri, non solùm possit attingere inferiora ad ens, sed ipsum ens valeat etiam attingere vt *quod* per specialem conceptum: & propterea supra diximus; quod ens, vt abstractum abstractione totali, est pars materialis specificativi. Dictum principale constat, quia lucis

lucidum coloratum vt sic est specificativum potentiæ visivæ, quin visus possit attingere coloratum vt sic; per loquutionem ergo illam solùm significatur, quod potentia visiva potest cognoscere omnia colorata lucida, & quod ratio terminandi ex parte illorum est ratio coloris, & lucis, quæ in omnibus particularibus obiectis reperitur.

11 Tertiò advertendum est, quod quia in quolibet ente nulla est ratio, aut formalitas, quæ ab intellectu non possit attingi, non solùm hoc ens, v. g. homo terminat partialitèr hanc habitudinem, sed quælibet formalitas, & ipsa ratio entis, quæ in homine reperitur, & est ratio quare homo attingatur ab intellectu, & partialiter hanc habitudinem terminat, cum etiam ipsa ratio entis vt *quod* per specialem actum valeat cognosci; quod clarum fit si notetur, quod habitudo intellectus ad obiectum transit ad ipsum media intellectione, cum potentia specificetur ab obiecto medio actu, vt docet D. Thom. infra quæst. 77. art. 3. at omnis formalitas, & ipsa ratio entis suam peculiarem potest terminare cognitionem; ergo habitudo intellectus, quæ ad omnem cognitionem immediatè terminatur, transit etiam ad quamlibet formalitatem obiecti, & ad ipsam rationem entis.

12 Ex quo non infertur, vt quidam Recentiores existimarunt, quod per hanc habitudinem intellectus ad ens fiat vniversale, sic arguentes: ideò per cognitionem entis vt sic fit vniversale, quia per illam attingitur ens, non attactis inferioribus saltim explicitè; ergo si hæc habitudo intellectus nostri terminatur ad rationem entis, ex vi illius fiet vniversale. Respondetur enim quod terminatur ad illam tanquam virtus, qua potest cognosci non cognitis inferioribus; non verò per habitudinem intellectus attingitur hæc formalitas, alijs non attactis, cum ad alias etiam virtus intellectus terminetur, quas etiam potest attingere.

13 Vel etiam dici potest, quod virtus intellectus, vt diximus, non terminatur immediatè ad obiectum, sed medijs actibus: vndè cum quælibet formalitas, & ipsa ratio entis cognoscatur per actum singularem, istum immediatè attingit intellectus, & medio illo obiectum: vndè cum ex vi virtutis intellectus, solùm sit possibilis actus attingens ens non attactis inferioribus, ex vi virtutis intellectus solùm est possibile, quod fiat vniversale, non tamen fit: & argumentum satis inefficax est: voluntas enim attingit ens sub ratione boni, non sub ratione veri, quin vnum ab alio præcindat, & non solùm voluntas, sed ipse actus voluntatis attingit obiectum sub ratione boni, & non sub ratione veri, & tamen non præscindit vnum ab alio, & potentia visiva attingit coloratum sub ratione coloris, quin ipsa distinguere possit rationem coloris ab hoc colore, & quod cognoscere possit quidnam sit in obiecto suo ratio sub *qua*, vel ratio *quæ*, neque horum terminorum significationem.

14 Ex quibus facilè infertur; nullum ens determinatum, neque ens vt sic, & secundùm quod est potens terminare specialem cognitionem, specificare intellectum nostrum, sed solum ens vt sic, secundùm quod per hoc significatur, rationem entis esse rationem formalem obiectivam, vi cuius quodlibet ens ab intellectu valet cognosci; & consequenter etiam si Deus possit cognosci quidditativè ab intellectu nostro; non tamen est specificativum illius, neque secundùm rationem genericam, neque secundùm rationem differentialem.

15 Ex quibus etiam infertur quarè hæc non est bona consequentia; ens est specificativum nostri intellectus: Deus, vel homo est ens; ergo Deus, vel homo est specificativum nostri intellectus: variatur enim appellatio: si enim ens sumatur, vt abstrahit obstractione totali in sensu dicto, & vt potens terminare vt *quod* specialem cognitionem, maior est falsa, vt ex dictis constat, & licèt esset vera, consequentia non tenet, quia variatur appellatio; sicut ista non valet, ens specificat conceptum entis: sed homo est ens; ergo specificat conceptum entis. Si autē ens sumatur vt abstrahit abstractione formali, maior est vera, & similiter minor; sed consequentia est mala; quia variatur appellatio, sicut ista non valet; bonum est specificativum voluntatis: verum est bonum; ergo verum est specificativum voluntatis. Hæc pro incipientibus sufficiat explicatio primæ partis conclusionis.

16 Secunda pars conclusionis; nimirùm quod Deus clarè visus non est pars materialis obiecti specificativi intellectus nostri, neque secundùm vltimam differentiam, neque secundùm conceptum generi-cum homini, & Angelo communem, probatur. Nam vt sit pars materialis obiecti specificativi, requiritur, quod terminet partialitèr habitudinem naturalem, scilicet relationem transcendentalem intellectus nostri;

sed

ſed hanc, neque etiam partialitèr terminat Deus clarè viſus; ergo. Maior videtur certa; nam habitudo naturalis intellectus, ſcilicet ordo tranſcendentalis, quo in ratione qualitatis conſtituitur, terminatur ad obiectum ſpecificativum, & ad obiecta materialia, ex quibus ſpecificativum componitur; neque enim aliter, vt vidimus, ad ſpecificativum terminatur, niſi quatenùs terminatur ad obiecta partialia ſub ratione entis. Minor probatur; nam vt docet D. Thomas hac 1. parte quæſt. 75. art. 7. ad 1. quod intendebat probare vnitatem ſpecificam inter Angelum, & animam rationalem ex vnitate beatitudinis. Reſpondet, hanc non indicari, aut ſummi ex fine ſupernaturali, & remoto, ſed ex proximo, & naturali; non ergo habet vnitatem ſpecificam anima, & Angelus, & conſequenter neque intellectus ex viſione beatifica, ſeu ex Deo clarè viſo, qui eſt finis ſupernaturalis, atque adeò neque diſtinctionem ab Angelico: quod verum non eſſet, ſi terminaret habitudinem naturalem intellectus, etiam partialiter; intellectus enim habet ſpecificationem, vnitatem, & diſtinctionem adæquatè ab ſpecificativo, & inadæquatè ab obiectis partialibus componentibus ſpecificativum. Idem docet 2. contra Gentes cap. 94. ratione 4. qua probat ſpecificam diſtinctionem animæ à ſubſtantijs ſeparatis ex operationum differentia, quæ diſtinctio ſolùm reperitur in operationibus naturalibus; ab his ergo ſolùm accipit diſtinctionem, & ſpeciem; & conſequenter ſolùm ab obiectis per ipſas attactis. Idem docet in 2. diſt. 3. quæſt. 6. art. 6. ad 5. Et clarius quæſt. vnica de Anima art. 2.

17 Deinde probatur ratione; nam intellectus non dicit ordinem ad obiectum niſi medio actu; potentia enim ſpecificatur ab obiecto medio actu: ſed habitudo, ſeu ordo tranſcendentalis ad obiectum non terminatur ad viſionem tanquam ad terminum, & ſpecificativum partiale; ergo neque ad Deum clarè viſum, qui eſt obiectum viſionis. Maior eſt communis ſententia, & traditur à D. Thoma infra quæſt. 77. Minor autem probatur; nam ad viſionem ſolùm comparatur intellectus remotè, ſolumque illam reſpicit medio lumine gloriæ, & ratione illius; ergo eius habitudo, & ordo non terminatur ad viſionem. Conſequentia probatur; nam potentia remota non ordinatur ad actum ratione ſui, ſed ſolùm ratione virtutis proximæ, qua ratione ſubſtantia, quæ non eſt immediatè operativa, non ſpecificatur ab operatione. Secundò probatur minor; potentia ſpecificatur ab operatione, quatenùs reſpicit illam vt finem, vt docet D. Thomas vbi ſupra: ſed finis intellectus ſecundùm ſuam ſpeciem, & ad quem ſecundùm ſuam ſpeciem ordinatur, non eſt viſio beata, neque etiam inadæquatè, aliàs ab Authore naturę poſſet eſſe illiusconſequutio, conveniretque naturæ in ſtatu purorum naturalium; ergo.

18 Confirmatur; intellectus noſter non comparatur ad Deum clarè viſum immediatè, neque vt determinativum per modum ſpeciei determinantis intellectum; non enim recipit eſſentiam divinam, ſeu non determinatur ab illa per modum ſpeciei immediatè, ſed medio lumine gloriæ, vt diximus cum communi ſententia Thomiſtarum; neque immediatè comparatur ad Deum vt obiectum terminativum, nam prout ſic etiam mediat lumen gloriæ tanquam tota virtus proxima agendi; ergo non reſpicit Deum clarè viſum reſpectu tranſcendentali. Confirmatur ſecundò; ſi intellectus noſter ſecundùm quod in ſpecie determinata qualitatis conſtituitur, ſpecificaretur à Deo clarè viſo tanquam ab obiecto inadæquato, eſſet ſaltim partialitèr ſupernaturalis: conſequens apertè eſt falſum; ergo illud, ex quo ſequitur. Sequela probatur, nam obiectum, à quo ſpecificaretur, partim eſſet naturale, & partim ſupernaturale; ergo ipſe intellectus partim eſſet naturalis, & partim ſupernaturalis.

19 Dices; etiam ſi ſpecificétur à Deo clarè viſo inadæquatè, ratio tamen ſpecificandi eſt ratio entis, quæ ex ſe ſupernaturalis non eſt; atque adeò obiectum formale intellectus, quidquid ſit de materiali, non eſt ſupernaturale; & conſequenter non infertur intellectum eſſe ſupernaturalem, etiam partialitèr. Sed cõtra eſt, nam ratio entis, vt eſt ratio formalis ſpecificandi ex parte Dei, eſt aliquid ſupernaturale; non enim ſpecificat in abſtracto, ſed in Deo, & prout ſic ſpecificat immediatè viſionem, quæ ſupernaturalis eſt, & mediatè intellectum, iuxta hanc ſententiam ſaltim inadæquatè.

20 Secundò, & vrgentius; ratio entis non ſpecificat intellectum ſecundùm quod in ſpecie qualitatis conſtituitur, niſi vt conſtituens obiectum, in quo reperitur cognoſcibile modo humano: ſed ratio entis in Deo clarè viſo non conſtituit ipſum intelligibilem modo humano, ſed divino; ergo vis naturalis intellectus, ſecundùm quod

indeterminata specie constituitur, non extenditur ad Deum clarè visum; neque ratio entis in Deo reperta constituit ipsum terminum inadæquatum intellectus, secundùm quod in specie determinata constituitur. Quod amplius explicatur. Ratio entis, quæ specificat intellectum humanum tanquam ratio formalis, est ratio entis prout constituit modo humano, & naturaliter attingibile obiectum; sicut ratio entis specificans intellectum Angelicum, est ratio entis constituens modo Angelico cognoscibile obiectum; sed ratio entis in Deo clarè viso reperta non constituit ipsum cognoscibilem modo humano, & naturali; ergo.

21 Confirmatur tertiò; quamvis ratio intellectionis reperta in visione, ex se non sit supernaturalis, sed solùm ratione differentiarum, quibus ad visionem contrahitur; visio non specificat, neque inadæquatè intellectum, eo quod quamvis ex se supernaturalis non sit, est tamen supernaturalis ratione differentiæ, per quam contrahitur: & ratio horum est, quia intellectus noster est merè naturalis; & consequenter debet specificari ab obiecto positivè naturali, vel saltim attingibili modo naturali; quamvis ergo ratio entis vt sic propter vniversalitatẽ intellectus ab ipso valeat attingi, nõ tamẽ ratione sui potest illud attingere, nisi modo naturali humano: vndè si ratio entis desceẽdat ad obiectum, quod non possit naturaliter, & modo humano attingi, non potest specificare intellectum nostrum etiam inadequatè; nam potentia non specificatur nisi ab obiecto media operatione, quam proprijs viribus valet elicere, non ab operatione superioris naturæ, quam elicere valet solùm ex elevatione naturę superioris: quapropter Cœlum vt mobile, vt rectè notarunt laudati Recentiores, non specificatur, seu non respicit nisi motum naturalem, non verò quem ex motione superioris naturæ recipere potest; & inde est, quod cum naturæ superiori possint plura subordinari, & in hoc convenire possint, quæ aliàs specie distinguuntur; non est inconveniens, quod ex eius elevatione eandem operationem eliciant, quæ est quasi accidens commune, quod neque specificat, neque indicat vnitatem specificam naturæ; vt de Gratia, & gloria docet D. Thom. locis citatis.

22 Secundò probatur conclusio ratione, quam optimè expendit Illust. Godoy. Obiectum specificativum intellectus humani, secundùm suam vltimam differentiam, specie differt ab obiecto intellectus Angelici, etiam secundùm suam vltimam differentiam; àb obiectis enim specie distinctis sumitur distinctio specifica potentiarum, qualis reperitur inter intellectum Angelicum, & humanum; ergo implicat, quod sub obiecto specificante vltimam differentiam intellectus humani contineatur obiectum, quod non sit specie distinctum ab obiecto contento sub obiecto specificante intellectum Angelicum: obiectum enim, contentum sub obiecto specificante vltimam differentiam intellectus humani, debet habere prædicatum essentiale in ratione obiecti, nimirùm rationem obiecti intellectus humani, quo careat obiectum contentum sub obiecto specificante vltimam differentiam intellectus Angelici; & è contra: & consequenter debent habere prædicata essentialitèr distincta in ratione obiecti; ac proindo non possunt esse eiusdem speciei in ratione obiecti. Tunc sic; sed Deus clarè visus est eiusdem speciei in ratione obiecti comparativè ad hominem, & Angelum, cũ eadem specifica visione ab homine, & Angelo Deus videatur; ergo Deus clarè visus non potest contineri sub obiecto specificante vltimam differentiam intellectus humani; & eadem ratione, neque sub obiecto specificante vltimam differentiam intellectus Angelici.

23 Huic argumento responderi potest ex doctrina PP. Salmanticensium; intellectus hominis, & Angeli differre quidem in ratione proprietatis, non autem in ratione potentiarum: atque adeò obiectum specificativum vtriusque esse eiusdem speciei. Vel secundò cum alijs dici potest visionem hominis, & Angeli specie distingui, Deumque clarè visum in ratione obiecti esse essentialiter diversum respectu hominis, & Angeli.

24 Neutrum tamen satisfacit. Primum; quia nititur principio falso, quod alibi reiecimus, & quod esse falsum ostenditur in præsenti ab Illust. Godoy: implicat enim differre essentialiter in ratione proprietatum, & non in ratione potentiarum; proprietates enim in ratione talium distinguntur ad distinctionem naturarum, vt ipsi concedunt; ideoque asserunt intellectus Angeli, & hominis differre in ratione proprietatum, quia naturæ specie distinguntur: sed naturæ non possunt differre, nisi motus, quos radicant, differant specie; cum natura definiatur, quod est principium motus, & quietis,

tis, distinctioque horum motuum est vnicum signum distinctionis naturarum; neq; motus differre potest, nisi intellectus distinguantur in ratione potentiarum, cum ab actibus, & motibus speciem recipiant; ergo implicat differre in ratione proprietatum, & non in ratione potentiarum.

25 Secundò: intellectus est in vnica specie qualitatis, quæ conflatur ex duplici inadæquato conceptu, nimirùm ex conceptu proprietatis, & potentiæ; sicut actio est in vnica specie, quæ ex duplici conceptu, nimirùm ex conceptu *ab*, & ex conceptu tendentiæ ad terminum, scilicet productionis termini componitur; sicut enim actio non intelligitur adæquatè constituta per hoc quod intelligatur esse à principio, nisi simul intelligatur tendentia in terminum, seu productio illius, neque eius effectus formalis, nimirùm intelligentis, seu producentis intelligitur, non intellecto vtroque; ita similitèr intellectus non intelligitur adæquatè constitutus, nisi vterque conceptus intelligatur, nimirùm ordo ad obiectum, & ad naturam; neque naturam potentem intelligere constituit non intellecto vtroque conceptu: sed implicat, quod ex duobus conceptibus inadæquatis eiusdem speciei in intellectu hominis alter distinguatur specificè ab Angelico intellectu, altero specificè indistincto; ergo implicat, quod in ratione proprietatis, & in ordine ad naturam intellectus distinguantur sine distinctione in ratione potentiarum.

26 Tertio reijcitur; nam si obiectum vtriusque intellectus est eiusdem speciei, implicat, quod sub obiecto vnius contineatur obiectum aliquod, quod idem secundùm speciem non contineatur sub obiecto alterius, vt supra dicebamus, & videntur concedere huius solutionis Authores: & ratio videtur clara; si enim specificativum est eiusdem speciei, habet eadem prædicata essentialia in ratione obiecti, atque adeò si prædicata essentialia obiecti specificantis intellectum humanum reperiuntur in aliquo obiecto sub ipso contento, etiam debent reperiri in eodem prædicata essentialia obiecti specificantis intellectum Angelicum; atque adeò debent sub specificativo vtriusque, quod idem est, contineri: at datur obiectum contentum sub specificativo intellectus humani, quod sub specificativo intellectus Angelici non continetur; ergo non est idem specificativum. Minor probatur. Homo, vt attingibilis per discursum, continetur sub obiecto intellectus humani, & non sub obiecto intellectus Angelici: eadem ratione homo vt intelligibilis per discursum distinguitur essentialitèr in ratione obiecti, saltim comparativè ad intellectionem, à se ipso vt cognoscibili simplici intuitu; ergo aliquod obiectum continetur sub specificativo vnius, quod non continetur sub specificativo alterius.

27 Confirmatur formando argumentum in ipsa intellectione: intellectus enim specificatur ab ipsa intellectione immediatè vt vidimus; sed conceptus intellectionis specificans intellectum humanum differt specie à conceptu intellectionis specificante intellectum Angelicum; ergo specificativa distinguuntur. Min. probatur: conceptus intellectionis specificans intellectum humanũ, est conceptus communis, in quo intellectiones humanæ conveniunt, & cum quibus adæquatur; & idem dicendum de conceptu intellectionis specificante intellectum Angelicum: sed conceptus isti essentialitèr distinguuntur in ratione intellectionis; nam sub conceptu intellectionis specificante intellectum humanum, continetur cognitio hominis per discursum, & per conversionem ad phantasmata, & conceptus intellectionis specificans intellectum hominis in his cognitionibus reperitur, quæ proculdubio essentialitèr distinguuntur ab alijs cognitionibus Angeli erga idem obiectum: at in illis non reperitur conceptus intellectionis specificans intellectum Angelicum; aliàs Angelus posset huiusmodi intellectiones secundùm speciem elicere; ergo specie distinguuntur.

28 Secundum autem subsistere non potest; est enim communior, & longè verior sententia Theologorum asserens implicare de potentia absoluta visiones Dei specie differentes; & quidquid sit de potẽtia absoluta, de facto homines eadem gratia, & gloria gaudere, atq; Angelos; ad sedesq; Angelorũ assũmi, est cõmunis Theologorũ sent. quã docuit D. Thom. locis citatis, & alibi sæpè: quapropter in Evãgelio docemur futuros esse in Regno Cælorum, sicut Angelos Dei.

29 Tertiò, alij respondent modũ istum arguendi esse inutilẽ, & instari evidentèr in hoc argumento: obiectum intellectus nostri distinguitur essentialiter ab obiecto habitus Philosophiæ: sed homo continetur sub obiecto intellectus; ergo non cõtinetur sub obiecto Philosophiæ: in quo maior, & min. sunt verę, & cõsequens est falsũ; nõ ergo valet obiectũ intellectꝰ humani distinguitur essẽtiali-

tèr ab obiecto intellectus Angelici: sed Deus clarè visus continetur sub obiecto intellectus humani; ergo non sub obiecto intellectus Angelici, vel è contra. Et ratio est; nam homo, vel Deus continetur sub obiecto intellectus humani, vt pars materialis illius, non tanquam inferior sub genere: stat autem benè quòd idē homo sub distincta attingibilitate sit pars materialis obiecti diversarum potentiarum.

30 Sed contra est; nā licèt doctrina hęc vera sit, sub illa non rectè discurritur ad argumenti solutionem, & in primis instantia non est ad rem, non enim negamus idem obiectum materiale posse sub distinctæ attingibilitate ad diversas potentias pertinere, vt patet in homine, qui sub distincta attingibilitate ad intellectum, & voluntatem spectat: cæterùm vt est pars materialis obiecti intellectus, essentialitèr in ratione obiecti, à se ipso distinguitur, vt est pars materialis obiecti voluntatis, eo quod obiectum voluntatis, & intellectus essentialitèr distinguūtur; ergo si Deus clare visus sub obiecto intellectus humani essētialitèr distincto ab Angelico continetur vt pars materialis, debet in ratione obiecti distingui essentialitèr à se ipso, vt pars materialis est obiecti intellectꝰ Angelici.

31 Quod amplius explicatur terminis, quibus supra vsi sumus: ens est obiectū nostri intellectus, non tamen omni modo, quo attingibile est, sed vt attingibile modo humano; aliàs vt attingibibile modo Angelicō esset formalitèr pars materialis obiecti intellectus humani; ergo nihil potest esse pars materialis obiecti intellectus nostri formalitèr, nisi vt attingibile modo humano; neque pars materialis obiecti intellectus Angelici, nisi vt attingibile modo Angelico: tùm sic, sed implicat in aliquo obiecto determinato, v.g. homine, quod esse attingibile modo humano, & esse attingibile modo Angelico nō dicat distinctas attingibilitates constituentes formalitèr distincta obiecta; sicut & cognoscere modo humano, & cognoscere modo Angelico non potest non constituere diversas essentialiter cognitiones; implicat ergo quod aliquid cōtineatur sub obiecto intellectus nostri, vt pars materialis illius, quin prout sic distinctam specie attingibilitatē constituentē distinctum obiectū formaliter à se ipso vt pars materialis intellectus Angelici. Et idem argumentum fit in cognitione specificante intellectum humanū, hæc est cognitio humano modo elicita, implicat autem, quod cognitio modo humano elicita non distinguatur essentialiter à cognitione elicita modo Angelico; ergo implicat, quod eadem cognitio secundū speciem contineatur vt pars materialis sub cognitione specificante intellectum humanum, & Angelicum.

32 Exemplum autem adductum de intellectu, & habitu Philosophiæ non est ad rem; nam homo, vel quantitas vt attingibilis per Philosophiam est etiam attingibilis modo humano: immò eadem quantitas attingibilis per Philosophiam, & Mathematicam, est vtroque modo attingiblis modo humano; atque adeò etiam prout sic est pars materialis intellectus humani, non constituens attingibilitatem distinctam à modo humano. Neque obest, quod distinctas scientias specificet; nam diversitas, quæ insufficiens est ad distinguendas potentias, sufficit ad distinguendos habitus sub eadem potentia: quia habitus primò & per se respiciunt ea, quæ ad potentiam vt partes materiales comparantur; & patet in cognitionibus essentialitèr distinctis, v.g. in cognitione scientifica Philosophiæ erga quantitatem, & Mathematicæ erga eandem; quarum vtraque est cognitio humana, & pars materialis cognitionis humanæ, quamvis inter se essentialiter distinguantur.

33 Undè argumentum præstantissimi Magistri semper manet in suo robore; & sic iterum proponitur, & explicatur; iuxta terminos adversariorum. Obiectum intellectus humani est ens sub ratione entis attingibile modo humano, in quo ab obiecto intellectus Angelici distinguitur; ergo si Deus clarè visus continetur sub obiecto intellectus humani, vel sicut species sub genere, vel sicut pars materialis obiecti, Deus clarè visus est attingibilis modo humano: & similiter si continetur vt clarè visus sub obiecto intellectus Angelici, est attingibilis modo Angelico; ergo Deus clarè visus in ratione obiecti attingibilis ab homine, & ab Angelo essentialitèr distinguitur; est enim attingibilis ab Angelo modo Angelico, & ab homine modo humano; quod arguit, seu distinctionem essentialem obiectorum; hac enim ratione ens vt attingibile ab Angelo distinguitur essentialitèr in ratione obiecti

à

à se ipso in ratione obiecti vt attingibili ab homine. Et insuper sequitur Deum clarè visum non esse obiectum formaliter supernaturale; nam vt obiectum supernaturale non modo humano, aut Angelico, sed modo divino attingitur, in quo per elevationem Dei conveniunt Angelus, & homo.

34 Et iterùm confirmatur; eo quod ens specificans intellectum humanum, non est ens secundùm suam substantiam; aliàs esset formaliter idem, atque obiectum intellectus Angelici, sed est ens vt attingibile modo humano; sed sub ente attingibili modo humano non continetur Deus clarè visus; ergo continetur sub obiecto specificante intellectum humanum. Cui non obest, quod contineatur sub ente secundùm suam substantiam; hoc enim non constituit Deum clarè visum partem materialem obiecti specificativi, aut obiectum inadæquatum specificativum intellectus humani; vt fatentur tertiæ solutionis Authores; ergo non sufficit ad hoc, quod contineatur sub obiecto specificante intellectum humanum secundùm suam vltimam differentiam.

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

35 SECVNDA conclusio: Deus clarè visus cõtinetur sub obiecto intellectus nostri vt potẽtia obedientialis est, quę per se consequitur gradum communem Angelo, & homini, & solùm remotè improportionatè specificatur à Deo clarè viso: estque eadem specie solùm secundùm quid in Angelo, & homine: sic intelligo sententiam Illustrissimi Godoy. Prima pars à nemine negari potest: intellectus enim secundùm quod potentia obedientialis est, elevatur ad videndum Deum; non enim illum videt per vires naturæ; ergo Deus clarè visus continetur sub obiecto intellectus vt potentia obedientialis est. Secunda pars probatur ratione. Ex quo intellectus noster est immaterialis, est potens omnia fieri, & ex quo potest ad omnia entia etiam ad ipsam rationem communem entis, habet potentiã obedientialem ad Deum videndum: sed hoc convenit ex conceptu generico; ergo potentia obedientialis consequitur ad conceptum genericum communem Angelo, & homini. Secundò probatur; potẽtia obedientialis non petit per se differentiam intellectus humani determinatè, neque differentiam intellectus Angelici, sed solũ naturam intellectualem creatam; ergo per se cõsequitur ad gradũ genericum. Cõsequentia patet: quia ad id per se consequitur, quod ex conceptu suo petit. Antecedens autem probatur; nam ex quo potentia obedientialis reperitur in Angelo non petit differentiam hominis, & ex quo reperitur in homine, non petit differentiam Angeli; ergo ex conceptu suo neutram petit determinatè: etiam si quia sine vtraque reperiri non potest, aliquam vagè petat; sicut ipse conceptus genericus, qui sine vtraque reperiri non potest.

36 Tertia pars probatur, nimirùm quod specificetur secundùm quid à Deo clarè viso, à visione Dei, & cæteris actibus supernaturalibus; nam potentia obedientialis non respicit immediatè, seu proportionatè Deum clarè visum, sed medio lumine gloriæ: at potentia remota non specificatur simpliciter ab obiecto, & actu, sed solũ ratione virtutis proximæ proportionantis; ergo nõ specificatur à Deo clarè viso, nisi solùm secundũ quid. Quarta pars ex tertia sequitur; nam potentia obedientialis nõ est alia species potentiæ, atque species naturalis intellectus, sed eadem, quæ in homine ad actus supernaturales obedientialis est, vt dicitur, & quæ secundum quod intelligitur in ordine ad actus supernaturales diversitatem non explicat, sed solùm convenientiam, quæ secundũ quid est talis: sic albedo, & nigredo in ratione fundandi relationem similitudinis specificè conveniunt solũ secundùm quid; cõveniunt quidèm quia prout sic non explicatur earum diversitas, sed solùm conveniunt in fundãdo eandem speciem similitudinis, quæ est solùm convenientia secundũ quid: non enim albedo est in duplici specie, neque similiter eiusdem speciei cum nigredine, sed distinctæ, & quę non explicatur in fundando relationem similitudinis. Nec inconveniens reputamus dicere absolutè potentiam obedientialem in Angelo, & homine esse eiusdem speciei; sic enim loquuntur etiam Adversarij; quia prout sic non explicatur diversitas potentiarum, sicut non est inconveniens, quod obiectum intellectus sit vnum specificè, quia in ordine ad dandum esse obiectivè intellectui, obiecta aliàs specie differentia, diversitatem non explicant. Neque inconveniens

est hominem, & equum in radicando potentiam visivam dici eiusdem speciei, supposito, quod hæ potentiæ in ipsis non distinguũtur specie, neque in ratione potentiæ, neque in ratione proprietatis; hoc enim tantùm denotat ex illo capite non habere diversitatem.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

37 ARGVITVR primò: Si Deus clarè visus non continetur sub obiecto specificante intellectum humanum secundùm suam vltimam differentiam, non posset intellectus humanus elevari ad videndum Deum, quod est contra fidem. Assumptum probatur, quia spiritus non continetur sub obiecto specificante potentiam sensitivam, nequit visus corporeus elevari ad videndum spiritum; ergo si Deus clarè visus non continetur sub obiecto specificante intellectum humanum, non potest vllo modo elevari ad vidẽdum Deum.

38 Respondetur iuxta dicta non contineri sub obiecto specificante intellectum humanum; non enim est pars materialis, & inadæquata constituens obiectum specificativum simplicitèr tale, vt diximus. Negamus tamen non posse ab intellectu nostro per elevationem cognosci; quia continetur sub obiecto potentiæ obedientialis modo dicto.

39 Sed dices; potentia obedientialis non specificatur à Deo clarè viso; ergo nõ continetur sub obiecto specificativo potentiæ obedientialis. Antecedens probatur primò, quia esset intrinsicè supernaturalis. Secundò, quia esset specie distincta à potentia naturali intellectus, qui constituendus esset in duplici specie adæquata, altera naturali, & altera supernaturali. Tertiò, quia potentia obedientialis non potest extra specificativum simplicitèr tale versari: extraheretur enim potentia à propria specie. Quartò denique, quia eo potentia sensitiva non habet potentiam obedientialem, sub cuius obiecto contineatur spiritus, quia spiritus non continetur intra obiectum specificativum ipsius vt potentia naturalis est. Ergo si Deus non continetur intra specificativum intellectus, vt potentia naturalis est, non potest habere potentiam obedientialem, sub cuius obiecto Deus clarè visus contineatur.

40 Ad primum distinguendum est antecedens, non specificatur simplicitèr, concedo antecedens, secundùm quid remotè, & improportionatè, nego antecedens; & distinguendum est cõsequens eodem modo. Ad primam antecedentis probationem negandum est antecedens, esset enim supernaturalis, si specificaretur simplicitèr à Deo clarè viso: ex eo autem, quod secundùm quid, & improportionatè specificetur, quatenùs prout cõcipitur sub conceptu potentiæ obedientialis, concipitur in ordine ad Deum clarè visum, vt diximus, non sequitur esse supernaturalem intrinsicè, sed solùm extrinsecè, & terminativè. Ad secundam, negandum est antecedens ob eandem rationem, vel distinguendum, esset specie distincta secundùm quid, concedendum est antecedens, simplicitèr negandum est antecedens; neque inconveniens est esse secundùm quid intellectum nostrum in duplici specie; potentia enim obedientialis non est species simplicitèr distincta, sed eadem, & distinguitur secundùm quid, quatenùs non explicat differentiam intellectus humani ab Angelico, sed convenientiam; sicut intellectus noster, vt fundat relationem similitudinis ad alterum eiusdem speciei, non constituit distinctam speciem qualitatis, licèt prout sic non explicet diversitatem, sed convenientiam cum intellectu Angelico, quatenùs iste etiam fundat relationem similitudinis ad alterum intellectum eiusdem speciei, si fortè datur.

41 Ad tertiam negandum est antecedens; solùm enim extraheretur à propria specie, si per vires proprias posset extra specificativum versari, non autem si per vires superioris naturæ elevantis ad actionem superioris speciei: itaque ratione specificativi alterum obiectum attingere, non est extrahi à propria specie; sicut non extrahitur intellectus noster, etiam si ratione entis realis ipsum specificantis, attingat ens rationis; neq; per hoc quod per species rerũ creatarũ extendatur ad cognoscendũ proprijs viribus imperfectè Deũ; neq; in hoc potest esse apud Authores difficultas; sed dicimus: quod extraheretur à propria specie, si per proprias vires extenderetur ad videndum

Deum

Deum quidditativè, & per propriam ſpeciem, quia intellectus noſter ex propria natura ſolùm habet vires ad cognoſcendum obiecta, quæ cognoſci poſſunt per ſpecies impreſſas naturales, & eo modo, quo per ipſas repræſentantur, ſeu per ipſas poſſunt cognoſci: vndè ſi per proprias vires extenderetur ad videndum Deum in ſe, & quidditativè, extraheretur à propria ſpecie, & conſtitueretur in altera ſuperiori habente vires ad videndum Deum, quę longè alia eſt à natura, & ſpecie intellectus noſtri: at verò extendi ad videndum Deum per vires ſuperioris naturæ, & per elevationem, non eſt extrahi à propria ſpecie, ſed conſtitui in altiori ordine, non ratione ſui, ſed ratione alterius formæ, quam accipit, & qua fit potens ad operandum actionem ſuperioris ſpeciei erga obiectum tamen, quod per proprias vires imperfectè poteſt attingere.

42 Ad quartam negandum eſt antecedens, & dicendum, quòd potentia ſenſitiva per vires naturæ nullo modo poteſt ſpiritum cognoſcere; ex quo rectè infertur, quod neque per elevationem poſsit: intellectus autem noſter poteſt per vires naturæ imperfectè, & connotativè Deum cognoſcere; ex quo in ipſo eſſe potentiam obedientialem ad Deum perfectè, & quidditativè cognoſcendum inferimus.

43 Sed nè videamur à communi ſententia diſcedere, dicendum eſt ſecundo, quod vt dictum eſt, obiectum intellectus noſtri eſt ens vt ſic humano modo attingibile, ſub quo continetur Deus clarè viſus materialiter, non quia ſit humano modo attingibilis, ſed quia ſub ente vt ſic, quod à nobis humano modo attingitur, continetur, quatenùs ipſa ratio entis, quæ à nobis connaturalitèr attingitur, reperitur in Deo, licèt in ipſo, vt clarè viſo, non ſit humano modo attingibilis; quapropter diximus non eſſe partem etiam materialem ſpecificativi intellectus noſtri: continetur ergo intra illud, non formalitèr, quia Deus clarè viſus non eſt humano modo cognoſcibilis, ſed materialitèr, quia ipſa ratio entis, quæ à nobis humano modo attingitur, reperitur in Deo. Itaque intellectus noſter extenditur per proprias vires ad ipſam rationem entis, in quocumque reperiatur humano modo attingibilis; ſinverò hæc ratio reperiatur in aliquo vbi non ſit humano modo attingibilis, qualitèr reperitur in Deo clarè viſo, non poteſt per proprias vires ad illam extendi; poterit tamen per vires ſuperiores: & quia viſus non attingit connaturaliter, & per poprias vires conceptum aliquem, qui reperiatur in ſpiritu, & obiectum eius ſpecificativum, nimirùm coloratum nullo modo, neque etiam matèrialitèr reperitur in Angelo, ideò neque per elevationem poteſt Angelum videre.

44 Contra hanc tamen doctrinam dices primò; Deus etiam comprehenſivè cognitus continetur materialitèr ſub ente ſpecificante intellectum noſtrum; Deus enim vt comprehenſibilis eſt ens: & tamen neque per elevationem poteſt homo Deum comprehendere; ergo quamvis Deus clarè viſus contineatur materialitèr in ſenſu dicto ſub ente ſpecificante intellectum noſtrum, non poterit etiam per elevationem Deum quidditativè videre. Secundò etiam ſub ſenſibili, quod eſt obiectum ſenſus, continetur ſonus; ſonus enim ſenſibilis eſt: & tamen ſenſus non habet potentiam obedientialem, ad percipiendum ſonum; aliàs viſus, qui ſenſus eſt, hanc potentiam obedientialem haberet, poſſetque ſonum percipere: ergo etiam ſi Deus clarè viſus contineatur ſub obiecto intellectus in ſenſu dicto, non infertur habere potentiam obedientialem ad videndum Deum.

45 Ad primum, conceſſa maiori, & minori, neganda eſt conſequentia; nos enim non inferimus tanquam per conſequentiam infallibilem, quod intellectus habet potentiam obedientialem ad videndum Deum, quia Deus clarè viſus continetur ſub ente, ſed ſolùm aſſerimus, quod ſic contineri ſufficit, ſi aliundè non repugnet, & quia in Deo clarè viſo, ſeu in viſione repugnantia alia non reperitur, aſſerimus intellectum habere potentiam obedientialem ad videndum Deum: ex quo ſolùm infertur, quod quia Deus vt comprehenſus, vel vt comprehenſibilis continetur ſub ente, ex defectu continentiæ ſub obiecto ſpecificativo, non repugnat creaturam Deum comprehendere; repugnat tamen ex alio capite, nimirùm quia comprehenſio debet adequare cognoſcibilitatem obiecti, quod creaturæ repugnat.

46 Ad ſecundum dicendum, quod ſenſui ex conceptu ſuo non convenit poſitivè attingere ſenſibile vt ſic, ſi enim conveniret, quilibet ſenſus haberet pro obiecto ſenſibile vt ſic, poſſetque non ſolùm per potentiam obedientialem, ſed per naturalem percipere quodlibet ſenſibile; quidquid enim convenit poſitivè ſuperiori,

convenire debet inferiori: obiectum ergo sensus in communi non est vnum, sed multiplex; sicut neque sensus in communi est vnus specifice, sed multiplex, & ex conceptu sensus non repugnat attingere sonum, quia potentia auditiva illum attingit, neque repugnat percipere coloratum eadem ratione.

47 Sed dices; quod sensus vt sic secundùm proprium conceptum est potentia cognoscitiva positive: sed de conceptu potentiæ cognoscitivæ est positivè habere obiectum, & illud positive respicere; ergo sensus ex conceptu suo debet positive habere obiectum aliquod, quod positive respiciat, & à quo specificetur, & cum aliud esse non possit, nisi sensibile vt sic, consequens est vt hoc positive respiciat. Quod vlterius explicatur; quia sensus ex conceptu suo est potentia respectiva; debet ergo aliquid positive respicere: sed si solum permissive respiceret sonum, vel solum permissive respiceret coloratũ, vel nihil positive respiceret, vel debet positive respicere sensibile vt sic; ergo idem quod prius. Sed facilè respondetur ex dictis, sensum ex conceptu suo positive respicere sensibile vagum, hoc, sive illud; nempè coloratum, vel sonum; sicut sensus ex conceptu suo, non est determinate hic sensus, sed vel auditus, vel visus.

48 Secundò arguitur; quia sequitur hominem secundùm suam vltimam differentiam non esse capacem beatitudinis; & consequenter nec beatificari secundum illam; si enim Deus non continetur sub obiecto illius secundùm suam vltimam differentiam, non potest Deum videre secundùm illam. Confirmatur primò; quia implicat intellectui nostro aliquid convenire ex ratione generica, quod repugnet ex ratione differentiali; ergo non potest dici, quod est conceptu generico convenit per se videre Deum, & quod ipsi repugnet ex conceptu differentiali, & consequentèr potentia obedientialis debet convenire etiam ex conceptu differentiali intellectui nostro, & vt humanus est ab Angelico distinctus.

49 Confirmatur secundò, quia Illustriss. Godoy eo probat in hoc eodem tractatu contra aliquos Thomistas, non posse esse de conceptu intellectionis vt sic producere verbum, quia illius productio repugnat alicui intellectioni, nimirum beatæ; quia scilicèt implicat aliquid convenire superiori, quod inferiori repugnet; sivè aliquid positivè rationi genericæ convenire, quod repugnet ratione differentiæ; ergo si intellectui humano secundùm suam vltimam differentiam repugnat videre Deum, vtpote hoc est extra eius specificativum secundùm vltimam differentiam, etiam implicabit posse videre Deum ipsi convenire ratione conceptus generici.

50 Confirmatur tertio, quia si Deus vt clarè visus non continetur intra obiectum specificativum intellectus nostri, vt humanus est, sequitur quod homo sit beatus secundùm quod intelligens creatum est, non verò secundùm quod intelligens humanum; quod tamen apertè est falsum. Assumptum probatur, quia Deus clarè visus non continetur intra obiectum specificativum intellectus, vt humanus est, sed tantùm vt creatus est, secundùm quam rationem potentia obedientialis ipsi convenit; ergo homo videbit Deum vt intelligens creatum est, non verò vt intelligens humanum. Confirmatur quartò, quia sequitur quod homo non videat Deum principalitèr, sed tantum instrumentalitèr; quod contra Suarez communiter refutatur in Schola Thomistica; ergo. Probatur sequela. Quia nulla causa operatur principalitèr extra suum obiectum specificativum adæquatum: sed Deus vt clarè visus non continetur intra specificativum adæquatum intellectus nostri, vt humanus est; ergo intellectus vt humanus non videbit Deum, vt causa principalis, sed tantùm vt instrumentum.

51 Respondetur ad argumentum, propositionem assumptam esse valdè æquivocam: vel enim significat, quod capacitas ad videndum Deum non petit per se vltimam differentiam hominis, & hoc verum est, vt supra dicebamus; vel significat repugnare vltimæ differentiæ hominis, & hoc duplicitèr; vel repugnare hanc capacitatem, seù non convenire videre Deum ratione potentiæ obedientialis secundùm vltimam differentiam, & quasi ex proprijs sit potens videre Deum, & hoc etiam verum est: vel significat videre Deum, seù capacitatem ad videndum Deum esse prædicatum oppositum vltimæ differentiæ, & hoc est falsum; licet enim capacitas ad videndum Deũ non petat per se vltimam differentiam hominis, vtpotè quæ reperitur in Angelo, & licet videre Deum secundùm virtutem sibi innatam, & naturalem repugnet vltimæ differentiæ, immò & conceptui communi Angelo, & homini; non tamen est prædicatum oppositum

differentiæ capacitas hæc ad Deum videndum, ſed eſt noſtro modo intelligendi conſiquutum ad rationem genericam, & non repugnans, neque oppoſitum differentiali, qui quidèm conceptus abſolutè non eſt idèm in Angelo, & homine; ſed quaſi negativè, vt diximus, per hoc quod ſecundùm explicitum potentiæ obedientialis non explicatur diverſitas; ſicut homo, & equus in recipiendo albedinem, ſeù in ratione receptivi diverſitatem non explicant; & ſicut ratio differentialis hominis contrahit, determinat, & diſtinguit eſſentialitèr prædicatum genericum ab Angelo: ſic diſtinguit potentiam obedientialem abſolutè; licet differentia in homine, vt explicat determinationem potentiæ obedientialis, non explicet differentiam eſſentialem, ſed ſolùm individualem potentiæ obedientialis quoad explicitum.

52 Ex quo dicendum eſt etiam, quod intellectum eſſe beatificabilem ſecundùm vltimam differentiam, poteſt etiam diverſimodè intelligi: vel enim ſignificat, quod habet vires ſecundùm vltimam differentiam ad beatitudinem; & hoc falſum eſt de beatitudine ſupernaturali, & vera, de qua loquimur. Poteſt etiam eſſe ſenſus, quod poſſe videre Deum per potentiam obedientialem convenit ratione vltimæ differentiæ; & hoc etiam falſum eſt, quia capacitas ad beatitudinem non petit ex conceptu explicito vltimam differentiam hominis; licèt hæc vltima differentia non opponatur capacitati: immò ſupponit conceptum genericum, ex quo capacitas convenit, & ratione ſui etiam contrahit potentiam obedientialem, vt diximus. Eſt tamen verum eſſe beatificabilem ſecundùm vltimam differentiam in hoc ſenſu; ſcilicèt, quod homo ſecundùm ſuam vltimam differentiam vt elevatam concurrit etiam ad beatitudinem; non enim conceptus gericus ſolum elevatur, aut concurrit, ſed determinatus per differentiam; ſicut homo ſecundùm ſuam vltimam differentiam intelligit, quamvis intelligere ipſi conveniat ex conceptu generico, & ſolùm ex conceptu differentiali conveniat modus, & differentia cognitionis; ſimilitèr Petrus, vt ab alijs diſtinguitur, intelligit, vivit, & videt; licet intelligere, vivere, & videre conveniat ipſi ex conceptu generico. Et ſimilitèr Sanctus Petrus, vt diſtinguitur à Iuda, beatus eſt, quin ipſi conveniat potentia obedientialis ad beatitudinem ratione vltimæ differentiæ individualis; quippè hanc non petit per ſe beatitudo, ſed ſolùm quia differentia individualis determinat rationem ſpecificam ad eſſe, & operari. Itaque operatio non convenit generi, aut ſpeciei, ſed individuo: in operatione tamen conveniente individuo, diſtingui poſſunt; & debent plures conceptus, qui correſpondeant diverſis conceptibus in individuo operante repertis, & ſicut hæc numero viſio beata, vt diſtinguitur à qualibet alia, beatificat Sanctum Petrum, v. g. licet ipſi conveniat beatificari ratione ſpeciei, & ex conceptu ſpecifico: ſic hic homo beatificatur, licet ipſi conveniat poſſe beatificari ex conceptu ſpecifico.

53 Similitèr intellectus humanus ratione vltimæ differentiæ non habet reſpicere obiectum, ſed tali modo reſpicere; intellectus enim eo quod creatus habet reſpicere obiectum modo creato, & ex conceptu differentiali hominis habet illud reſpicere determinando modum creatum per modum humanum, & ſub hoc obiecto continetur Deus clarè viſus, non quidèm formalitèr, vt diximus, ſed materialitèr.

54 Per quod conſtat ad primam confirmationem, non enim dicimus repugnare videre Deum intellectui noſtro ex conceptu differentiali; immò conceptus differentialis petit genericum, & illum determinat, vt diximus, & ſimilitèr potentiam obedientialem, ſed ſolùm aſſerimus potentiam obedientialem non petere per ſe hanc differentiam intellectus humani, licèt hæc numero potentia illam petat: aliud eſt enim aliquod prædicatum in effectu non petere prædicatum aliquod repertum in cauſa; aliud verò repugnare tali prædicato.

55 Ad ſecundam etiam conſtat; nam eo quod viſioni beatæ repugnet abſolutè producere verbum, ex quocumque capite hæc repugnantia proveniat, abſolutè verum eſt non poſſe producere verbum: ſi autem de conceptu intellectionis vt ſic eſſet producere verbum, eſſet prædicatum eſſentiale intellectionis poſſe producere verbum, & cum viſio beata habeat prædicata eſſentialia intellectionis vt ſic, etiam ipſi conveniret abſolutè poſſe producere verbum; poſſe autem, & non poſſe ſunt prædicata contradictoria, ex quibus viſio beata coaleſceret. At in noſtro caſu non ſic contingit, nam intellectui noſtro ratione vltimæ differentiæ non convenit poſitivè non poſſe abſolutè videre Deum, ſed ſolùm non poſſe ex illo capite, & ex conceptu differentiali, quod non tollit, quominus poſſe conveniat abſo-

lutè

lutè ex alio capite, seu ex alio conceptu; sic licet homini non conveniat distingui à bruto ex conceptu generico animalis: ipsi tamen convenit ex conceptu differentiali. Vndè dicimus, quod si Authores citati solùm asserant visioni beatæ ex conceptu intellectionis non repugnare producere verbum, & repugnare ex conceptu differentiali, immeritò impugnarentur; non enim est inconveniens, quod homini non repugnet ex conceptu animalis esse equum, & quod absolutè repugnet ex conceptu differentiali; nec enim repugnantia ad aliquid in re aliqua reperta, necessarium est, quod conveniat ex omnibus prædicatis, sed satis est, si ex vno capite proveniat: at non est hæc illorum sententia, nec in hoc sensu impugnatur ab Illustriss. Godoy.

56 Ad tertiam confirmationem tenentur respondere arguentes, qui asserunt Deum clarè visum non contineri sub obiecto specificativo intellectus humani. Deinde Thomistæ non impugnant P. Suarez, quia ex eius sententia sequitur Beatos non videre Deum principalitèr, sed instrumentalitèr; nullus enim distinguit inter videre principalitèr, & instrumentalitèr; sed solùm asserunt, quod si intellectus instrumentalitèr concurreret ad visionem, non videret Deum, neque videret per talem visionem; concursus enim instrumentalis non sufficit, vt per illum concurrens vivat in actu secundo. Sed his relictis dicendum est vt supra, Deum contineri sub obiecto intellectus nostri, scilicet sub ente, quod intellectus noster ratione vltimę differentiæ habet respicere modo humano. Uel iuxta doctrinam arguentium, & alteram solutionem nostram dicendum, quod Deus clarè visus licèt non contineatur sub obiecto specificativo intellectus nostri, vt abstractivè cognoscibilis, continetur intra obiectum per vires naturales attingibile: Quod sufficit, vt possit elevari ad altiorem cognitionem eiusdem Dei. Et hæc de isto dubio.

DVBIVM III.

Vtrùm detur in natura appetitus naturalis ad videndum Deum?

§. I.

Aliqua prænotantur, & statuitur prima conclusio.

1. QVÆSTIO procedit, tàm de appetitu innato, quàm elicito, & priùs de appetitu innato; deindè de elicito disputandum est: Prima sententia asserit dari in homine appetitum naturalem, seu innatum ad videndum Deum. Ita Scotus in 1. quæst. 1. Prologi, & in 4. dist. 49. quæst. 1. Durandus ibi quæst. 8. Magister Soto, quæst. 2. art. 1. & ex Recentioribns illam tenent Valencia, Granados, Herice, Alarcon, & alij, qui tamen asserunt hunc appetitum esse obedientialem identificatum cum homine, & eius intellectu; sed in præsenti solùm inquirimus, an sit verus appetitus, quocumque modo appelletur; & si obedientialis vocatur, quia eius terminus excedit vires naturales hominis, & est verè supernaturalis, & supra totam naturam, inclinatio, & appetitus verus esse non potest, vt statim constabit. Quapropter ex his Authoribus, qui concedunt visionem non esse supernaturalem quoad substantiam, & hominem habere vires ex se sufficientes in actu primo ad videndum Deum, nec indigere lumine gloriæ dante vires, quidquid sit, an alio modo requiratur, vt ex Baconio ab aliquibus defenditur, & tribuitur Scoto, & Durando, consequentèr loquuntur, vt ex dicendis constabit: illi enim solùm asserunt Deum esse invisibilem viribus naturæ, quia vltra illius vires necessarium est, quod Deus se manifestet, si velit ab homine cognosci, qua posita voluntate, seu manifestatione, vires naturales intellectus sufficiunt ad Deum videndum; sicut dici solet de cogitationibus cordis, à quibus si auferatur velamen libertatis, quo operiuntur, per manifestationem præcisè sine novis viribus, potest Angelus,

qui

cui manifeſtantur, illas cognoſcere; & ſicut homo poteſt intueri quodlibet viſibile, illudque cognoſcere appetit etiam ſi plura viſibilia ſint, quæ quia abſcondita, & remota videri non poſſunt.

2 Alij verò qui docent intellectum noſtrum dicere relationem tranſcendentalem ad Deum clarè viſum, & potentiam obedientialem ordinari ad viſionem, à qua ſpecificatur, neceſſariò videntur docere illam reſpicere vt finem, atque adeò dicere tenentur dari appetitum innatum ad illam, cum quælibet res appetat conſequutionem finis, ad quem ordinatur; ſed inconſequenter loquuntur, quatenùs docent viſionem eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, & etiam quia talem inclinationem, & appetitum obedientialem appellant.

3 Secunda ſententia eſt negativa, quam docet D. Thomas in 4. diſt. 49. queſt. 1. art. 3. & de verit. quæſt. 2. art. 2. quem ſequuntur communiter Thomiſtæ, & præter Scotiſtas, extra Scholã D. Thomę frequentius defenditur: quæ ſit noſtra prima concluſio, & probanda eſt, ſupponendo cum communi ſententia viſionem Dei eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, quod probat D. Thomas art. 4. Si enim hoc non ſupponatur, non eſt ratio quarè excedat vires phiſicas intellectus; ac proindè nec vt negetur appetitus innatus ad illam. Probatur ergo 1. Appetitus eſt ipſa exigentia termini appetitus; appetere enim naturaliter eſt exigere terminum ad quem eſt appetitus: ſed viſio, vtpotè ſupernaturalis, eſt ſupra totam exigentiam naturæ; ergo in natura non poteſt dari appetitus ad illam, ſicut neque exigentia. Maior explicatur, nam appetitus eſt deſiderium rei terminantis appetitum, quod ſi explicatur per verba, eſt oratio, petitio, & exigentia.

4 Confirmatur primò: ſicut appetitus elicitus, quod eſt deſiderium, fundatur in amore elicito rei deſideratæ; ſic appetitus naturalis innatus, quod eſt deſiderium innatum fundari debet in amore naturali innato rei terminantis appetitum; quapropter in quolibet appetitu amor eſt principium motus tendentis in rem amatam: ſed appetitus innatus fundari non poteſt, niſi in cõnaturalitate appetentis ad id, in quod tendit, & appetit: ſicut appetitus in corpore gravi ad centrum fundari non poteſt, niſi in cõnaturalitate corporis gravis cum cẽtro; ergo non poteſt fundari in natura appetitus innatus ad viſionem, niſi in natura ſupponatur connaturalitas ad illam, quæ ſolùm poteſt dici amor, in quo appetitus fundetur; & cum hæc connaturalitas ad viſionem ſupernaturalem non detur in natura, nec dari poteſt appetitus naturalis.

5 Confirmatur ſecundò: natura non inclinatur niſi ad propriam operationem, non verò ad operationem alterius naturæ ſuperioris: ſed videre Deum eſt proprium ipſius Dei proprietate connaturalitatis; ergo in natura creata non datur inclinatio ad illam operationem, qua Deus videtur. Maior explicatur, nam ignis, v. g. & eius calor ſolùm habet inclinationem ad calefaciendum, & comburendum, non vim ad generandum carnes, quia hoc eſt ſupra naturalem virtutem illius; & quamvis elevari poſſet ex motione potentiæ nutritivæ ad illas generandas, ad hanc operationem non inclinaret: quia eius propria non eſt, ſed naturæ ſuperioris. Secundò, quia naturæ ſunt diverſæ per diverſas formas, ad quas diverſæ ſequuntur inclinationes; ergo natura ſolùm inclinat ad proprias operationes, non verò ad operationes ſuperioris naturæ; quamvis ex elevatione ſuperiori poſsint aliquandò ipſi convenire operationes naturæ ſuperioris. Minor etiam probatur, quia licèt videre Deum poſsit convenire naturæ creatæ, nulli tamen poteſt connaturaliter convenire, niſi ſoli Deo; eſt ergo operatio propria Dei, proprietate connaturalitatis.

6 Secundò probatur concluſio: ſi in natura daretur huiuſmodi appetitus eſſet à Deo Authore naturæ; qui enim condit naturam, ipſe confert appetitum cum illa identificatum; at impoſsibile eſt, quod à Deo Authore naturæ habeat homo huiuſmodi appetitum: ergo impoſsibile eſt, quod talis appetitus ſit in natura. Maior certa videtur, & minor probatur ex D. Thoma 1. Ethicorum, lect. 2. qui ex Philoſopho docet, Deum conditorem naturæ, non tribuere inclinationem, niſi ad id, quod eſt poſsibile viribus naturę, ſcilicet, quod conſequi poteſt auxilio Dei Authoris naturæ: ſed viſio conſequi non poteſt auxilio Dei Authoris naturæ: ſolùm enim Deus Author ſupernaturalis confert viſionem, & auxilia, quibus conſequitur; ergo.

7 Secundò probatur minor, nam ſi Deus vt Author naturæ dediſſet appetitum ad viſionem per providentiam naturalem Dei Authoris naturæ, etiam contuliſſet potentiam, & media ſaltim ſufficientia ad con-

ſe-

sequendam visionem : sed Deus per providentiam naturalem, neque confert media efficacia ad consequutionem visionis, neque sufficientia ; ergo neque vt Author naturæ contulit appetitum ad visionem. Minor est certa, nàm media tàm efficacia, quàm sufficientia ad consecutionem beatitudinis non habentur, nisi ex providentia supernaturali, & à Deo Authore supernaturali. Maior autem probatur. Ad conditorem naturæ, & appetitus illius pertinet providere naturæ, & eius inclinationi, vt frustranea non sint; ergo ad conditorem naturæ pertinet providere de mediis saltim sufficientibus vt natura, & eius inclinatio consequantur inclinationis terminum. Deindè ad conditorem naturæ, & inclinationis pertinet illius providentia: at de ratione providentiæ est tribuere potentiam, & sufficientiam ad consecutionem finis, & termini, in quem inclinat; omnis enim providentia dat, vel media efficacia, vel saltim sufficientia; daret ergo providentia naturalis media saltim sufficientia ad consequutionem visionis, & beatitudinis supernaturalis ; quod esse impossibile constat.

8 Confirmatur ; quia appetitus naturalis dirigitur à cognitione Dei condentis naturam, & dirigentis in finem, in quem illam inclinat ; quapropter opus naturæ est opus intelligentiæ : sed Deus Author naturę per cognitionem, & artem, qua condidit hominem non ordinavit in visionem ; visio enim non pertinet ad cognitionem practicam Dei Authoris naturæ ; cognitio enim practica Dei est eius potentia executiva; potentia autem Dei executiva, Dei, inquam Authoris naturę non extenditur ad visionem; ergo.

9 Ex quo sequitur etiam, quod si Deus vt Author naturæ dedisset homini hujusmodi appetitum, ad ipsum etiam pertineret conferre aliquibus saltim hominibus visionem, & beatitudinem supernaturalem; non enim convenit summę bonitati Dei Authoris naturæ, quod res productas ad perfectionem non perducat : sed vltima perfectio rei consistit in consequutione finis, ad quem inclinat, & ad quem naturaliter ordinatur ; ergo ad summam bonitatem Dei Authoris naturæ pertinet aliquos homines ad beatitudinem perducere.

10 Sequitur etiam, si homo haberet huiusmodi appetitum innatum ad vitam æternam, quod posit per vires naturæ elicere actus conducentes ad vitam æternam, quod Pelagianum est, & probatur: tùm quia natura, & appetitus innatus est principium motus tendentis in consequutionem finis terminantis talem appetitum, quia natura operatur propter finem, & omnia entia per appetitum innatum tendunt in finem, & quodam modo ipsa vadunt, & non solùm ducuntur in finem debitum, & terminantem eius inclinationem. Tùm etiam, quia appetere nihil aliud est, quàm aliquid petere, & tendere in aliquid vt finem appetitum, seu petitum ordinatum, quæ est doctrina D. Thomæ quæst. 22. de verit. art. 1. & propterea dicitur in Psalmo 142. *Anima mea* [sine adiutorio] *sicut terra sine aqua tibi.* Et ratio etiam est, quia inclinatio in actu primo explicatur in actu secundo, saltim in operatione tendente in finem terminantem inclinationem ; nec inclinatio naturæ potest à nobis cognosci, nisi à posteriori per operationes naturæ ipsi connaturales, & hac ratione, quia homo est inclinatus ad Deum finem naturalem, omnes eius operationes, si malæ circunstantia non vitientur, ratione cuius sint contra naturam, ad finem naturalem ordinantur, & consequenter si esset inclinatus in finem supernaturalem, qualis est Deus clarè visus, omnes operationes naturales conformes naturæ, & nulla circunstantia vitiatę ordinarentur ad finem supernaturalem, & mereri possent præmium supernaturale, sicut merentur naturale.

11 Quæ omnia complexus est D. Thomas quæst. 23. de verit. art. 6. præcipuè ad 3. vbi sic habet: Deus operatur in rebus naturalibus duplicitèr. Primò instituens ipsas naturas. Secundò providens vnicuique rei id, quod competit suæ naturæ ; & quia ratio iustitiæ debitum requirit, ideò cum ipsas creaturas instituit non sit aliquo modo debitum, sed voluntarium, prima operatio non habet rationem iustitiæ ; sed in secunda operatione invenitur ratio debiti, non ex parte agentis, cum Deus nulli sit debitor, sed ex parte recipientis ; debitum enim est vnicuique rei naturali, vt habeat ea, quæ exigit sua natura, tàm in essentialibus, quàm in accidentalibus.

12 Ex quibus infertur, quod si homo haberet à Deo Authore naturæ huiusmodi appetitum ad visionem, Deus vt Author naturæ teneretur conferre media ad cõsequutionem finis; sicut quia inclinatur ad finẽ naturalem, Deus tribuens talẽ inclinationem tenetur tribuere media necessaria ad consequutionem finis naturalis ; & similiter,

quia

quia tribuit appetitum ad cognoscendas veritates naturales, tribuit species ad illarum cognitionem; nam vt docet D. Thomas 2. contra Gentes, cap. 29. *Debitum est fini, vt ea fiat, per quæ pervenitur ad finem.*

13 Infertur secundò, quod si datur appetitus innatus ad visionem, Deus clarè visus non erit finis improportionatus, sed proportionatus, cum in natura sit habitudo naturalis ad illum. Nec obstat Deum clarè visum excedere infinitè potentiam naturalem; hoc enim non constituit formaliter Deum clarè visum improportionatum cum potentia naturali, sed carentia habitudinis in potentia naturali ad Deum clarè visum: quod inde constat, nã quia intellectus illustratus lumine gloriæ, ratione luminis dicit habitudinẽ naturalem ad Deum clarè visum, ratione luminis est proportionatus ad vidẽdum Deum, etiam si non auferatur distantia, & excessus infinitus Dei ad intellectum; cum adhuc vt illustratus lumine gloriæ, & reduplicato lumine, sit creatura; proportio ergo in appetitu, & habitudine naturali consistit. Vndè qui negant proportionem, & appetitum concedunt, implicatoria admittunt; nec proportio ad finem naturalem in quacumque creatura probari potest, nisi ex inclinatione, & habitudine naturali: ex qua etiam infertur Deum conditorem naturæ sic appetentis, & inclinantis teneri conferre media saltim sufficientia ad finis consequutionem.

14 Tandem infertur; quod in homine non esset potentia obedientialis, sed naturalis ad videndum Deum: idem enim est naturam appetere finem, atque habere aptitudinem naturalem ad finem, vt ex Philosopho docet D. Thomas 2. Phisicorum, lect. 5. Deindè constat ex dictis; nam potentia naturalis est, quæ reduci potest ad actum per agens naturale, & Deum Authorèm naturæ; sed potentia ad videndum Deum posset reduci ad actum per agens naturale, & à Deo Authore naturæ, cum ad Deum tribuentem inclinationem in actu primo pertineat illam ad actum secundum reducere; vt dictum est: ergo.

§. II.

Solvuntur argumenta.

15 ARGVITVR primò: stat naturam appetere aliquid ipsi non debitum; ergo quamvis visio beata sit supernaturalis, & indebita naturæ; poterit in natura dari appetitus innatus ad illam. Antecedens probatur; natura potest respicere ordine transcendentali formam non debitam; voluntas enim dicit ordinem transcendentalem ad peccatum, quod quidem debitum non est, sed contra eius naturam; ergo potest appetere, quod debitum non est. Consequentia hæc probatur, quia ordo transcendentalis est ab appetitu indistinctus: vndè quia negavimus naturæ appetitum ad visionem, ordinem etiam transcendentalem, & naturalem habitudinem negavimus. Secundò probatur antecedens. Darur appetitus ad aliquid impossibile; ergo ad aliquid indebitum: impossibile enim deberi non potest. Antecedens probatur exemplis: in homine est appetitus innatus ad omnes scientias; & tamen non potest omnes scientias adquirere, sicut nec cognoscere omnes veritates naturales sine speciali gratia, vt docetur communitèr cum D. Thoma 1. 2. quæst. 109. Similitèr in homine est appetitus naturalis ad operandum conformitèr ad rationem: ita vt quelibet prava operatio eius inclinationi opponatur, & tamen impossibile est semper operari conformiter ad rationem, & nullam elicere operationem rationi contrariam; ad hoc enim necessarium est speciale privilegium, vt loco citato docetur. Similitèr in damnatis est naturalis inclinatio ad bonum rationis, cum hæc sit à natura indistincta; & tamen ad actum reduci non potest: & tandem constat in inclinatione animæ separatæ ad vnionem cum corpore, quæ tamen est naturaliter impossibilis.

16 Respondetur negando antecedens, ad primam illius probationem admittimus naturam respicere transcendentaliter peccatum; negamus tamen in illud inclinare: vt enim respectus transcendentalis sit, & dicatur appetitus, debet respicere bonum, &

conveniens; cum ergo peccatum conveniens homini non sit, respectus transcendentalis ad illud non est appetitus, vel inclinatio in illud. Vel secundò & melius dici potest, quod natura non respicit peccatum ordine transcendentali, nam potentia, qua in peccatum possumus, non ordinatur ad malum, sed ad bonum; & ita peccare non est vsus eius, vt docet D. Thomas in 2. dist. 44. art. 1. ad 5. Itaque voluntas ordine transcendentali solùm respicit bonum, in quod inclinat, à quo respectu, & inclinatione deficit peccando; sic ergo respicit, & inclinat in bonum, vt propter eius defectibilitatem, & minus perfectam inclinationem possit à bono deficere; quod est posse peccare. Potentia ergo peccandi dicit defectum in creatura ad bonum, non verò respectum, seu inclinationem ad malum.

17 Ad secundam probationem distinguendum est antecedens, ad aliquid impossibile antecedenter, & physicè, nego antecedens, ad impossibile moraliter, & solùm consequenter, concedo antecedens; nam etiam si homo indigeat speciali gratia ad id, quod solùm moraliter est impossibile, & impossibile consequenter, sine gratia datur potentia antecedens physica non constituta per gratiam, qua redditur possibile absolutè, & simpliciter, licèt propter impossibilitatem moralem, quæ est secundùm quid impossibilitas, actualis donatio illius specialis gratia sit. Ad primum exemplum respondetur, in homine esse appetitum naturalem ad adquirendas omnes scientias, non collectivè, sed divisivè, & modo humano, quod sufficit vt sit appetitus ad omnes, ita vt omnes collectivè terminent appetitum; appetitus tamen non est ad illas adquirendas collectivè, sed modo humano possibili; sicut visus habet inclinationẽ, & appetitum ad omne visibile, ita vt omne visibile talem terminet appetitum; non verò sic vt appetat reduci ad actum secundum erga omne visibile collectivè; hoc enim est impossibile, cùm sit impossibile potentiam visivam reduci ad omnem actum secundum illius collectivè.

18 Ad secundum dicendum in homine esse appetitum ad operandum conformitèr ad rationem, ad quod habet physicam potentiam, licèt propter coniunctionem ad appetitum sensitivum repugnantem legi mentis, & flexibilitatem liberi arbitrij, sit specialis gratia, quod Deus nunquam permittat peccatum, sed det auxilium efficax ad bonum, vt dicitur loco citato ex 1. 2. Vndè operari semper conformitèr ad rationem solùm est impossibile secundùm quid, & possibile antecedentèr, & physicè. Si autem dicamus cum aliquibus Theologis hominem esse physicè antecedenter impotentem ad omnia peccata etiam venialia collectivè vitanda; discurrendum est vt supra de inclinatione ad omnem veritatem cognoscendam, nimirùm appetitum terminari ad bonum rationis, omnemque actum honestum esse illius terminum, & omne peccatum esse contra talem inclinationem; non tamen esse appetitum ad omne peccatum collectivè vitandum, sed divisivè. Concedendus est ergo appetitus eo modo, quo conceditur potentia physica antecedens; si enim hæc est potentia ad omne peccatum collectivè vitandum, erit similiter appetitus ad vitandum omne collectivè; si verò potentia physica antecedens solùm sit ad omnia divisivè vitanda, pariter inclinatio solùm erit ad vitandum omnia divisivè; & sicut potentia physica est ad eliciendum omnem actum bonum modo humano, non verò omnem collectivè, quia hoc impossibile est, sicut est impossibile, quod reducatur ad omnem actum secundum; paritèr appetitus erit ad eliciendum omnem actum bonum modo humano.

19 Ad tertium concedendum est in damnatis manere appetitum innatum ad benè operandum, quibus solùm ex suppositione contingenti, nimirùm statu damnationis, est impossibile bene operari: vndè inclinatio est ad aliquid simplicitèr possibile, & solùm secundùm quid impossibile. An autem hæc impossibilitas sit annexa ex natura rei statui damnationis, an solùm ex lege Dei statuentis in pœnam peccatorum negare efficax auxilium ad bonum, non est huius loci. Ad vltimum similitèr est dicendum in anima separata manere inclinationem ad vnionem cum corpore, quæ ex se impossibilis non est, sed possibilis, & connaturalis, solùmque ex suppositione separationis impossibilis redditur.

20 Sed dices primò; flexibilitas arbitrij, & rebellio appetitus ad rationem sunt homini connaturalia; ergo aliquandò peccare, quod ex his infallibilitèr moraliter sequitur, erit homini, & eius voluntati connaturale, & consequenter voluntas dicit habitudinem connaturalem, & ordinem transcendentalem ad peccatum. Secundò: quamvis homo habeat inclinationem ad operandum conformiter ad rationem, & ad conse-

quen-

quendam beatitudinem naturalem, indiget speciali gratia ad nunquam peccandum, & ad consequendam beatitudinem; ergo Deus operans iuxta exigentiam rerum, & suavem providētiam potest huiusmodi gratiam omnibus negare; malè ergo supra intulimus, quod si esset inclinatio naturalis ad visionem, Deus vt Author naturæ tribuens inclinationem, tribueret aliquibus saltim hominibus visionem; & similiter falso diximus, quod conveniens est divinæ bonitati aliquos perducere ad finem, ad quem tribuit inclinationem; cum sine læsione bonitatis divinę, & iuxta exigentiam rerum posset nulli homini concedere beatitudinem naturalem, ad quam dedit omnibus inclinationem.

21 Ad primum dicendum defectibilitatem, seù flexibilitatem liberi arbitrij solùm dicere defectum inclinationis ad bonum, quem habet proùt ex nihilo, quod non arguit inclinationem aliquam ad peccatum; sed indigentiam gratiæ ad illud vitandum, qua deficiente erit peccatum connaturaliter, non ex inclinatione ad illud, sed ex annexo defectu inclinationis ad bonum; arguitque parvitatem naturæ, quæ sine Dei speciali adiutorio non potest malum vitare, quod dicitur ipsi connaturale, sicut esse ex nihilo, vel sicut non esse si sibi relinquatur. Similiter repugnantia appetitus ad rationem non est inclinatio ad malum formaliter, sed solùm materialiter minuens inclinationem ad bonum. Ad secundum dicendum, quod Deus potest omnibus negare gratiam illam, absque eo, quod contraveniat iuri naturę, quod argumentum convincit: cæterum est conveniens illius summæ bonitati, vt conferat aliquibus auxilia efficacia, si omnibus contulit sufficientia; si qua est ergo exigentia, non est ex parte creaturarum, sed ex parte bonitatis divinæ, quæ potiùs condecentia, quam exigentia, dicenda est; quod & non ampliùs suprà diximus.

22 Secundo arguitur: intellectus naturaliter appetit reduci ad actum secundum attingentem obiectum eius formale, vel quod sub obiecto eius formali specificativo continetur; sed Deus clarè visus sub obiecto specificativo intellectus continetur; ergo naturaliter inclinatur ad actum secundum; quo Deus clarè visus attingitur, qui est ipsa visio Dei. Confirmatur intellectus noster naturaliter inclinatur ad eius specificativum, à quo recipit speciem, & quod respicit ordine transcendentali: sed specificativum, vt supra diximus, coalescit ex omnibus, quæ sub ente continentur, & sub ratione entis per propriam speciem ratione sui, & non ratione alterius attingunter; ergo Deus clarè visus, qui per propriam speciem, & sub ratione entis attingitur, saltim partialiter ordinem istum intellectus terminat, & consequenter inclinationem naturalem; etenim quia homo sic partialiter terminat ordinem transcendentalem intellectus, terminat etiam inclinationem.

23 Respondetur primò iuxta suprà dicta, concessa maiori, negando minorem: Deus enim clarè visus non continetur intra obiectum specificativum intellectus nostri; hoc enim est modo humano attingibile: Deus autem clarè visus non est humano modo attingibilis, sed divino. Quare autem non repugnet intellectum videre Deum, non contentum sub eius obiecto specificativo, supra diximus. Secundo respondetur, distinguendo maiorem, quod continetur sub obiecto specificativo formaliter, concedo maiorem, materialiter, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, neganda est consequentia. Quæ omnia ex dictis constant, & in vtraque solutione nitimur eisdem principijs, nimirum, intellectum non inclinari in actum, seù obiectum, ad quod attingendum vires physicas non habet, licèt habeat potentiam obedientialem ad illas accipiendas. Ad confirmationem respondetur eadem doctrina, scilicèt, quod intellectus respicit relatione transcendentali, & ordinatur ad specificativum formaliter, quod coalescit ex omnibus obiectis, quæ per proprias vires, & per propriam speciem potest attingere; non tamen ordinari ad obiectum materiale, quod formaliter sub specificativo non continetur, & quod per proprias vires attingere non valet. Quare autem ratio entis reperta in Deo clarè viso non constituat partem formalem, est quia non constituit Deum humano modo attingibilem.

24 Tertiò arguitur. Datur incli-

natio ad terminis absque vi activa ad eius acquisitionem: ergo ex defectu virium ad visionem Dei, non infertur defectus inclinationis, seù appetitus. Antecedens probatur primò, in materia prima, in qua non dantur vires activæ ad acquirendam formam, quam tamen appetit. Secundò in Luna, quæ habet appetitum ad illuminandum ex natura sua: Cum tamen ex natura sua vires activas non habeat ad hunc efectum; non enim habet lucem, nisi ex influxu Solis; ergo stat inclinatio, & appetitus ad actum, seù terminum, ad quem vires non adsunt; & consequenter stare poterit inclinatio innata ad visionem, ad quam nisi ex influxu Dei, vires non habet intellectus.

25 Respondetur negando antecedens de inclinatione innata potentiæ activæ, quod non probat exemplum de materia prima, in qua non est inclinatio activa, sed passiva ad formam, quæ non requirit in appetente vires activas, quamvis requirat, & exigat agens eiusdem ordinis cum vi activa ad introducendum formam: quod in materia prima contingit, in qua appetitus est potentiæ passivæ, & ideò non requirit vires activas ad ponendam formam, quamvis exigat agens naturale potens potentiam passivam ad actum reducere; quod si hoc non daretur, potentia passiva materiæ non diceret appetitum ad formam. Secundum exemplum solùm convincit in Luna non esse ratione sui appetitum immediatum ad illuminandum, sed mediatum, quatenus appetit à Sole illuminari, & ratione lucis ab ipso acceptæ proximè inclinat ad illuminandum ratione lucis, qua potens est activè illuminare; quod dici non potest de intellectu, qui nec ratione sui habet vtres ad visionem, nec appetit illas à Deo accipere; vtrumque enim est supra eius exigentiam, & naturam.

26 Quartò arguitur. Intellectus habet innatam inclinationem ad beatitudinem satiantem eius appetitum; sed sola visio Dei satiat illius appetitum; ergo habet innatam inclinationem ad visionem Dei. Maior, & minor sunt probandæ. Maior probatur: Nam est possibilis intra ordinem naturæ beatitudo satians eius appetitum; alias homo intra ordinem naturæ necessariò esset miser, & anxius, cum nunquam posset eius appetitus satiari; sed in natura est inclinatio ad beatitudinem intra ordinem naturæ possibilem; ergo est inclinatio innata ad beatitudinem satiantem eius appetitum. Deindè, quia non esset possibilis beatitudo naturalis, cum de ratione beatitudinis sit satiare appetitum, & intra ordinem naturæ nihil satiare posset. Minor etiam probatur primò. Nam vt ex D. Thoma vidimus locis suprà citatis, quia naturalis hominis appetitus non satiatur, nisi per visionem Dei, intulit Angelicus Magister, & nos ex ipso possibilitatem visionis Dei: Quod argumentum nullius esset roboris, si infra visionem Dei daretur beatitudo satians eius appetitum. Secundo probatur eadem minor; quia appetitus intellectus non satiatur, nisi per omne verum, cum intellectus omne verum appetat, sicut voluntas omne bonum; sed omnis veritas, sicut & omnis bonitas solùm in Deo clarè visso reperitur, nec in ipso, aut extra ipsum possideri potest omnis veritas, nisi per visionem; ergo sola hæc satiare potest appetitum intellectus.

27 Hoc argumentum si quid probat convincit visionem Dei esse naturalem saltim, quoad substantiam, cuius oppositum in præsenti supponimus; & ad illud dicendum est primo, negando maiorem. Ad probationem dicendum vt supra, quod inclinatio non est ad aliquid satians appetitum, seù ad satietatem appetitus; quippè hæc intra ordinem naturæ est impossibilis; sed semper appetitus intra hunc ordinem est in satiari inieri, & nunquam potest in facto esse satiari in illo ordine: quia nunquam omnes veritates, quas cognoscere appetit, potest simul cognoscere, sed divisivè, & quando vnam cognoscit, alteram cognoscere appetit, & veritas increata, quæ imperfectè, & abstractivè cognoscitur, non satiat appetitum, sed manet ad alias veritates creatas cognoscendas, & ad perfectius cognoscendam veritatem increatam, cuius abstractiva cognitio non est nisi nimis imperfecta illius possessio, & est sicut appetitus materiæ primæ, qui est ad omnes formas, quas simul habere non potest, & nulla habita satiat eius appetitum, sed potiùs vna possessa, manet appetitus ad aliam, & sicut dicebamus de potentia visiva, quæ non potest omne visibile simul cognoscere, & quolibet cognito manet appetitus ad aliud cognoscendum. Ex quo non sequitur, quod homo sit anxius, & miser miseria po-

sitiz-

positiva ; sed solùm infertur conditio naturę, quæ ex se non ampliùs petit, licèt capacitas eius tanta sit, vt nisi à Deo effectivè, & obiectivè plenam satietatem accipere possit.

28 Nec inconveniens reputámus, quod intra ordinem naturæ non detur beatitudo, nisi nimis imperfecta, & quæ non plene satiet appetitum innatum, de cuius ratione, vt diximus, est non esse satiatum in facto esse, sed semper in satiari; sicut non est inconveniens, quod homo talis sit naturæ, quod si Deus non conferat illi specialem gratiam indebitam omnibus pensatis ex vi creationis, & conditionis, infallibiliter infertur fore miserum; cum commune sit apud Theologos, hominem in pura natura non posse sine speciali gratia illius ordinis omnia adimplere præcepta, & omne peccatum mortale vitare: Vndè homo deficiente speciali gratia, quæ debita non est infallibiliter committeret peccatum mortale, quo non nisi miser esse posset, cum ipsum peccatum summa miseria sit: quod demonstrat infirmam conditionem naturę, & summam gratiæ indulgentiam.

29 Secundò, potest respondeì cum alijs Thomistis, negando minorem: Est enim possibilis naturalis beatitudo satians appetitum innatum, quæ in contemplatione Dei Authoris naturæ consistit, quæ contemplatio non purè speculativa, sed affectiva talis est, vt affetat secum amorem Dei Authoris naturæ, & rectitudinem naturalem, cui debentur species naturales ad cognitionem obiectorum, quæ naturaliter cognoscere appetit. Ad minoris primam probationem dicendum vt supra: nos cum Div. Thoma ex appetitu probare possibilitatem visionis, non tamen ex appetitu innato, quem negamus, sed elicito; nec veritatem evidenter probari, sed congruenter: nec est necessarium beatitudinem naturalem satiare appetitum elicitum, sed sufficit, si satiet innatum.

30 Cui non obest, quod si datur appetitus elicitus naturalis ad visionem etiam est concedendus innatus; quia si appetitus elicitus est naturalis, & perfectio naturæ, terminat appetitum innatum, & natura in illum inclinat; at eo ipso, quod sit in natura inclinatio ad appetitum elicitum respicientem visionem, etiam inclinatio naturæ extenditur ad visionem: videtur enim implicare, quod inclinatio in appetitum elicitum non extendatur ad terminum talis appetitus. Non, inquam, obstat; nam appetitus elicitus visionis est perfectio naturalis, ad quam natura habet vires sufficientes; atque adeò ad illum terminatur inclinatio naturalis; at terminus appetitus eliciti, nimirum visio possibilis non est naturæ ex viribus eius; atque adeò inclinatio in appetitum elicitum respicientem visionem non extenditur ad visionem. Simili ratione inclinatio innata ad cognitionem peccati non est inclinatio in peccatum, & amor efficax Omnipotentiæ non est amor purè possibilium: quia scilicèt, cum appetitus tàm elicitus, quàm innatus non sint, nisi ad bonum, & peccatum licèt terminet habitudinem cognitionis ad ipsum, non sit bonum, nec creaturæ purè possibiles sint bonæ, quamvis terminent cognitionem Omnipotentiæ amatæ; hinc est, quod neque appetitus innatus terminatus ad cognitionem peccati, extendatur ad peccatum, nec amor Omnipotentiæ ad purè possibilia. Similiter nos dicimus, quod cum terminus appetitus innati debeat esse possibile ex viribus appetentis, saltim physicè, & terminus appetitus naturalis eliciti, nimirum visio, non sit hoc modo possibilis intellectui, innata inclinatio ad appetitum elicitum non extenditur ad visionem. Quare autem appetitus elicitus naturalis extendi possit ad impossibile ex viribus naturæ, non autem innatus, supra diximus, & infra ampliùs constabit. Et ratio est, quia ad appetitum elicitum sufficit, quod repræsentetur, & appareat bonum, & non appareat impossibile: vndè etiam potest terminari ad impossibilia, tàm naturaliter, quàm supernaturaliter; quod in appetitu innato non reperitur.

§. III.

Quid dicendum sit de Appetitu elicito?

31 APPETITUS Elicitus naturalis proùt distinguitur à supernaturali, duplex est, inefficax,& efficax. De primò non est dubium dari erga visionem beatificam, & ex dictis satis constat; potest tamen dubitari, an sit necessarius, vel liber; & quia duplex est necessitas, sicut,& libertas opposita, scilicèt, quoad specificationem,& quoad exercitium, supponendum est appetitum elicitum inefficacem visionis beatificæ non esse necessarium quoad exercitium,& ratio est: quia in elicientia talis actus potest aparere aliqua molestia, potestque esse impedimentum ad alias operationes, propter quod potest homo velle non exercere talem actum;sic contingit in appetitu beatitudinis vt sic, & in communi, qui licèt necessarius sit quoad specificationem, quatenus nemò potest odio habere beatitudinem in communi, quia in illa nulla potest apparere ratio mali; potest tamen ab illius amore cessare, quia in huius actus elicientia potest aliquid mali, & incommodi proponi, ratione cuius homo nolit elicere talem actum.

32 Etiam supponimus, quod si sic proportionatur visio Dei, vt nulla appareat ratio mali in eliciẽtia amoris illius,nec in ipsa visione, amabitur necessariò quoad exercitium per motum subitum,& non deliberatum; quod commune est omni bono sic proposito, quod per motum subitum diligimus. Aliqua tamen dubitatio esse potest, an sit necessarius amor iste quoad specificationem; sicut amor beatitudinis in communi, quæ odio haberi non potest: an verò sit liber etiam quoad specificationem, ita vt visio Dei possit odio haberi. In quo probabilius videtur esse liberum quoad specificationem; & ratio est, quia voluntas solùm necessitatur quoad specificationem circa obiectum, quod propositum ab intellectu nullam habet rationem mali, ac incommodi, seù disconvenientiæ: si enim quamvis proponatur vt bonum ex vno capite, ex alio proponitur vt disconveniens, & malum, sicut voluntas potest ratione boni illud prosequi, potest etiam ratione disconvenientiæ, & mali illud respuere, & odio prosequi; sed visio clara Dei non proponitur necessariò hominibus viatoribus, vt bonum ex omni capite conveniens; ergo non necessitat quoad specificationem. Minor probatur, & de infidelibus non potest esse dubium, cum infidelis possit iudicare visionem Dei non esse summam fœlicitatem, nihil mali admittentem; fidelis verò, & si iudicet speculativè, & credat visionem Dei esse summam fœlicitatem, practicè potest ipsi vt disconveniens proponi, quia est difficilis eius consequutio, aut quia impedit consequutionem bonorum sensibilium, ad quæ homo est valdè propensus, vel per habitus vitiosos, vel per appetitum sensitivum, vel per vtrumque; sed potest homo propter has, & similes rationes odio habere, seù respuere visionem Dei; qua ratione, licèt Deus sit summum bonum, non necessariò à viatoribus amatur; quia scilicèt, cum non perfectè cognoscatur, potest proponi, vt impediens consequutionem bonorum,præcipuè sensibilium, quæ maximè ad sui amorem eliciunt voluntatem; ergo.

33 Ex quo deducitur, quare necessitatur homo quoad specificationem ad amorem beatitudinis in communi, non verò ad amorem visionis Dei, in qua summa fœlicitas, & beatitudo consistit, nimirum; quia infidelis potest in hoc errare, & fidelis quamvis cognoscat per fidem visionem Dei esse beatitudinem, cum hac cognitione componitur, quod practicè ipsam vt disconvenientem apprehendat propter rationes dictas.

34 Sed dices: si visio Dei, in qua beatitudo, & fœlicitas sita est, saltim connexivè potest apprehendi vt disconveniens sub aliqua ratione; ergo etiam ipsa beatitudo in communi; atque adeò sicut ob hanc rationem potest homo etiam fidelis visionem Dei respuere, & per fugam positivam voluntatis ab illa recedere, poterit etiam odio habere beatitudinem in communi. Neganda est consequentia: nam beatitudo in communi explicat ipsam fœlicitatem excludentem omnem miseriam; atque adeò,si apprehenderetur vt disconveniens,non apprehenderetur beatitudo in cõmuni;

muni; at verò visio, quamvis sit summa fœlicitas, explicat specialem actionẽ, non tamẽ explicat exclusionem omnis miseriæ; atq; adeò potest aprehendi vt disconveniens, seù vt impediens alias operationes, quas homo appetit.

35 Ex quibus infertur, quid ipsum scire, & expulsio ignorantiæ potest apprehendi vt disconveniens propter laborem adiunctum, & alias rationes; atque adeò homo non amat necessariò expulsionem ignorantiæ, aut scientiã: dicitur autẽ naturalis appetitus sciendi, quia est innatus, vel si sit elicitus, quia quamvis non sit omninò necessarius, etiam quoad specificationem, communiter inest omnibus, quibus frequenter repræsentatur scientię bonitas, non sic repræsentato labore, & incommoditate; & simili modo appetitus elicitus visionis Dei dicitur naturalis.

36 De appetitu efficaci visionis, maior est difficultas: in qua supponendum est, quod si homo per errorem iudicet sibi possibilem ex viribus proprijs visionem Dei, potest toto connatu naturali ferri in ipsam; ita vt ex illo affectu deriventur media, quæ sibi videntur sufficientia, & necessaria ad consequutionem visionis: talis tamen appetitus non est efficax; quamvis efficax existimetur, cum non sit potens derivare ex se media necessaria ad consequutionem finis. Difficultas ergo est de appetitu efficaci, qui posit ex se derivare media efficacia ad consequutionem beatitudinis. In qua supponunt communiter Authores non posse dari appetitum efficacem naturalem visionis Dei efficacia absoluta, seù inferentem ex se absolutè media necessaria ad beatitudinem supernaturalem; & ratio est clara: nam media necessaria ad beatitudinem sunt gratia habitualis, charitas, virtutes illam consequentes, & actus supernaturales: at nullus appetitus naturalis hæc potest inferre, cum nullam habeat cum prædictis connexionem, positque dari quilibet naturalis appetitus absque illorum existentia; ergo nullus potest dari appetitus naturalis visionis efficax efficacia absoluta.

37 Aliqui tamen ex Recentioribus existimant posse dari appetitum efficacem naturalem, non efficacia absoluta, sed conditionata; seù non efficacem ex terminis, & ex se, sed ex suppositione, quam tamen talis appetitus non exigit: Quod sic explicant, scilicèt, quod sic potest appeti naturaliter beatitudo, vt ex vitalis appetitus si homo habeat virtutes supernaturales, seù principia supernaturalia, potest moveri, & de facto efficacitèr moveretur, & applicaretur ad eliciendos actus supernaturales, & vtendum virtutibus, seù principijs supernaturalibus ad eliciendos actus supernaturales: quia tamen appetitus iste non supponit virtutes, seù vires sufficientes ad actus supernaturales, quibus beatitudo consequitur, nec illas infert, non est efficax efficacia absoluta, sed solùm conditionata, quatenus sufficiens est ex se ad movendum, & applicandum ad eliciendam actuum supernaturalium, si adsint vires; qua suppositione facta, quam ex se non exigit, non solùm est potens illas applicare ad operandum, sed de facto applicabit efficaciter, & cum effectu ad actus supernaturales eliciendos necessarios ad consequutionem beatitudinis, eodem modo, atque si appetitus ille esset supernaturalis. Itaque appetitus iste naturalis, & supernaturalis, differunt; quia primus non supponit vires, nec illas infert ad ponendum media necessaria ad consequutionem beatitudinis: secundus autem vel illas supponit vel infert: si tamen supponantur, æqualis est vis, & efficacia in vtroque appetitu ad illas applicandas, & vtendum illis.

38 Nihilominus verior, & communis sententia Thomistarum oppositum docet, nimirum quod non potest dari appetitus naturalis beatitudinis efficacia hac conditionata. Et probanda est brevitèr conclusio; quia ex illa sequitur posse hominem viribus naturæ elicere actum conducentem in vitam æternam. Secundo sequitur Deum conferre gratiam efficacem ad actus supernaturales hominibus conantibus, & pulsantibus ex viribus naturæ. Sequitur tertio, primam discretionem consentientis prę non consentiente esse ex natura, & non ex gratia. Primum probatur; nam in homine habente gratiam, & virtutes supernaturales, appetitus iste movet, applicat, & infert actus virtutum supernaturalium, quibus adipiscitur beatitudo; sed appetitus inferens actus supernaturales à priori, quibus consequitur vita æterna, cum effectu cõducit ad illam; ergo appetitus iste ad vitam æternam conduceret, & aliàs cum eliciatur viribus naturæ, vtpotè naturalis, manifestè infertur hominẽ ex viribus naturæ elicere actũ

conducentem ad vitam æternam. Secundum etiam probatur. Nam habenti charitatem,& virtutem, elicienti, quæ ex viribus naturæ actum istum, confert infallibiliter gratiam efficacem ad eliciendum actum virtutis supernaturalis;ergo connanti,& pulsanti ex viribus naturæ, Deus confert gratiam efficacem ad actus supernaturales.

39 Neque satisfacit, quod actus naturalis imperans, seù applicans, non est necessarius vt homo habens virtutes, & vires supernaturales eliciat actus supernaturales. Non inquam satisfacit; nam etiam si Deus multoties conferat gratiam non connanti, nec pulsanti ex viribus naturæ, iuxta illud Isaiæ: *Inventus sum à non quærentibus me*, vt etiam fatebantur Semi-Pelagiani, inconveniens,& absurdum est asserere connāti, & pulsanti ex viribus naturæ Deum gratiam conferre, in quo errabant prædicti hæretici asserentes multoties Deum gratiam conferre non connanti, conferre tamen pulsanti,& connanti ex viribus naturę.

40 Tertium etiam probatur; nam ex duobus hominibus habentibus æqualem gratiam, ille infallibiliter consentit, etiam alio non consentiente, ille elicit actum supernaturalem, etiam alio non eliciente, quia habet prædictum appetitum naturalem;ergo prima illorum discretio est actus, seù appetitus ille ex viribus naturæ elicitus. Hæc insinuasse sufficiat.

41 Secundo probatur conclusio: Si natura medio actu,& appetitum naturali applicaret vires supernaturales ad operandum, natura sibi subijceret gratiam, & ratione sui haberet vires ad vrendum gratia, cum ratione sui eliciat actum, quo applicat gratiam ad operandum: at hoc est absurdum; ergo illud ex quo sequitur. Maior ab Adversarijs conceditur,& minor alijs omissis, ex principijs Thomistarum probatur: nam habere vim physicam effectivam,etiam inadæquatam ad influendum in actum supernaturalem, est supra totam naturam, qua ratione gratia est tota ratio agendi, & influendi: sed posse vti gratia, cum sit habere dominium supra gratiam existentem, & eius actum, quid maius est, quam habere influxum physicum partialem in actum supernaturalem; ergo potiori titulo debet naturæ negari dominium hoc,& potestas supra gratiam.

42 Confirmatur primò. Actus supernaturalis est supra totam vim physicam effectivam naturæ; ergo supra dominium naturæ. Consequentia probatur, quia vis physica naturæ naturalis est, actus supernaturalis est supra hanc vim physicam effectivam naturæ: sed dominium conveniens naturę ratione sui est naturale; ergo actus supernaturalis, quia supernaturalis, supra hoc dominium est, sicut supra vires effectivas naturales; & consequenter sicut natura non potest habere vim immediatè effectivam actus supernaturalis, nec potest habere ratione sui dominium in gratiam,& actus illius.

43 Et augetur difficultas; eoquod dominium hoc conveniens naturæ ratione sui est adæquatum,& conveniens adæquatè ratione sui, cum actus,quo applicat vires supernaturales ad operandum, nimirum appetitus ille sit naturalis,& illius causa adæquata sit natura:datur ergo adæquatum dominium in natura erga actus supernaturales; cum supposita gratia, & virtutibus, ipsa natura ratione sui habeat vim adæquatam ad applicandum virtutes ad operandum, quæ applicatio est actus dominij,& vsus virtutum, vt Adversarij loquuntur. Hoc autem esse absurdum probatur; quia ex terminis habere dominium in actum, quid maius est, quam habere purum physicum influxum; ergo potiori titulo habere dominium adæquatum, quod maius erit, quam habere inadæquatum influxum in actum supernaturalem. Tunc sic; sed propter excellentiam actus supernaturalis, & inferioritatem naturæ, illi negamus inadęquatum; ergo potiori titulo debet negari dominium adæquatum.

44 Confirmatur secundò.Sicut gratia est tota ratio agendi actum supernaturalem, est tota ratio, qua voluntas libere se determinat ad actum supernaturalem; qua ratione voluntas sicut est potens ad actum supernaturalem ratione gratiæ adæquatè, ita est potens libere ratione gratiæ, quæ est ratio adæquata, qua voluntas se, & gratiam determinat ad actum; ergo in natura sicut nullus conceditur influxus in actum supernaturalem, nisi ratione gratiæ,nullum debet concedi dominium, nisi ratione gratiæ.

Confirmatur tertiò. Thomistæ reputant incōveniens,& meritò, quod voluntas ratione sui determinet gratiam,& virtutes supernaturales ad actum supernaturalem per ipsum actum supernaturalem, causatum effectivè à gratia; & ideò asserunt, quod sicut ratione gratiæ adæquatè efficit actum supernaturalem, sic ratione gratiæ se, & virtutes determinat ad actum supernaturalem;ergo potiori titulo debet absurdum reputari, quod per actum non causatum à gratia, sed adæquatè

quatè à natura ſe, & virtutes determinet ad actum ſupernaturalem.

45 His argumentis reſponderi poteſt dupliciter; primò, quod appetitus iſte in habente gratiam, & virtutes, habet quendam modum naturalem, ratione cuius habet efficatiam prædictam, quia elicitur cum magno feruore, & tendit magno connatu ad obiectum, & propter hoc homo excitatur ad exercendos actus ſupernaturalium virtutum, & non ſic excitatur ab alio appetitu tepido, & remiſſo, & ad hunc modum vehementiæ, & connatus cõducunt gratia, & virtutes tanquam removens prohibens: quia per ipſas cohibetur appetitus oppoſitus ad bona temporalia hominem retardans, nè vehementer appetat viſionem Dei. Et vt quoddam vitent argumentum, addunt, quod abſolutè talis appetitus vehemens poteſt eſſe in hæretico ſedatis paſsionibus per aliqua brevi mora.

46 Secundò reſponderi poteſt, quod appetitus prædictus ex ſuppoſitione efficax, ex coniunctione ad gratiam, & virtutes accipit modum quendam ſupernaturalem, ratione cuius habet vim, & efficaciam ad applicandum virtutes ſupernaturales ad actus; ſicut Philophus Chriſtianus firmius, & certiùs aſſentitur huic veritati *Deus eſt*, quam Gentilis; non quia in Chriſtiano ſit actus fidei huius veritatis, aliàs fides, & ſcientia in eodem ſubiecto reperirentur; ſed quia ex fide ad actum naturalem ſcientiæ derivatur modus quidam certitudinis ſupernaturalis.

47 Sed neutra ſolutio ſatisfacit: Non prima; quia ſi appetitus prædictus, cuius vehemẽtia, & connatus, ratione cuius movet, & applicat virtutes ſupernaturales, eſt naturalis, natura ratione ſui movet, & applicat, ſibi ſubijcit gratiam, & vtitur virtutibus ſupernaturalibus, prima diſcretio conſentientis à non conſentiente eſt à natura: cum prima diſcretio ſit appetitus ſic vehemens ratione ſuæ vehementiæ, quæ naturalis poſitivè ad iuſtificationem, & vitam æternam conducet, & homo iuſtus per vires naturæ illum eliciens, ex vi eiuſdem habet ſibi annexam gratiam efficacem; atque adeò facienti quod eſt in ſe ex viribus naturæ, Deus infallibiliter confert gratiam.

48 Secundò reijcitur, & ſimul probatur concluſio. Nam ſi appetitus ille ratione vehementiæ, & connatus naturalis habet efficaciam, ad hoc, quod ſi coniungatur cum gratia, vratur illa ad actus ſupernaturales, applicet virtutes, & inferat illarum actus; ergo ſimiliter actus merè naturalis ex coniunctione ad gratiam præcisè, poterit conducere ad vitam æternam, & natura ex coniunctione ad gratiam ſine gratiæ influxu poterit elicere actum dilectionis meritorium vitæ æternæ, & alios actus neceſſarios ad ſalutem; nec erit inconveniens concedere naturæ virtutem conditionatam ad eliciendos omnes actus ad ſalutem neceſſarios, & qui ſuppoſita gratia ad ſalutem ſufficiant. Itaque ſine inconvenienti dici poterit actus bonos merè naturales habere conducentiam conditionatam ad iuſtificationem, & ad gloriam; & ſimiliter vim meritoriam conditionatam, quæ tranſit in abſolutam purificata conditione, nimirum poſita gratia; ſicut actus merè naturalis habet vim applicandi virtutes, & illis vtendi, quæ tranſit in abſolutam purificata conditione, nimirum poſitis virtutibus, vel auxilijs ſufficientibus. Et ratio illud ſuadet: nam intentio naturalis finis, nimirum appetitus prædictus gloriæ ſufficiens eſt per modum intentionis ad conſequutionem gloriæ, ex ſuppoſitione exiſtentiæ gratiæ; cum hac ſuppoſitione facta inferat media neceſſaria ad gloriã; immò poſitis ſolùm auxilijs fluidis dantibus poſſe ad actus neceſſarios ad ſalutem; ergo actus virtutum naturalium tendentes ad media, quia ſunt electiones mediorum, ex eadem ſuppoſitione gratiæ per modum medij ſufficient ad conſequutionem ſalutis, & vitæ æternæ.

49 Ex quo etiam ſine difficultate dici poſſet, ex viribus naturæ, & ſine influxu efficienti gratiæ, poſſe hominem elicere actus omnes neceſſarios ad ſalutem, ſolùm concurrente gratia vt conditione; atque adeò ſicut homo, vel Angelus habet vim conditionatam in actu primo ad cognoſcendas cogitationes cordium aliorum, quæ tranſit in abſolutam ablato libertatis velamine, ſine ſuperadditione virum; & ſicut homo habet vim ad videndum, quæ in profundo maris, vel terræ ſunt, ex ſuppoſitione quod approximentur: ſic ad actus ſalutares, & meritorios præmij ſupernaturalis ſimilem vim habere poterit abſque aliquo inconvenienti.

50 Ex quo vlteriùs ſententia Bachonij, quæ communitèr à Theologis reprobatur, facilè defenditur; ſi enim poſita gratia vt conditione applicante, vel approximante, auxilijs, vel virtutibus, ſine influxu efficienti in actum, poteſt homo elicere actus neceſſarios ad ſalutem, ſine fundamento virtutibus influxus in actus ſalutares tribuitur, & ſine fundamento alij actus ſupernaturales aſſignantur, in quos neceſſariò debeant influe-

re. Item sine fundamento negabitur naturæ influxus adæquatus in actus, qui supernaturales sunt, & vocantur; hi enim supernaturales sunt, quia conducunt ad vitam æternam, ad illam disponunt, cum illa habent proportionem, ratione cuius illam mereri possunt: at actus merè naturales ex suppositione gratiæ, & virtutum, hoc ipsum habent sine gratiæ, aut virtutum influxu; ergo sine fundamento vocantur alij actus supernaturales præ istis, & sine fundamento naturæ in hos actus negatur influxus posita gratia vt conditione.

51 Si autem asseratur ipsam gratiam in genere causæ formalis constituere appetitum in ratione efficacis; præterquàm quod est deserere solutionem, quam reijcimus: Contra hãc doctrinam obstat primo, quoad licèt gratia possit tribuere effectum formalem actui illi, non tamen physicum; cum gratia actum physicè non informet. Secundò. Quia dato, quod possit actui tribuere effectum, seù denominationem physicam extrinsecam; non tamen potest ipsi tribuere efficaciam movendi, & applicandi: nam sicut non potest constitui actus per gratiam tanquam per formam potens influere efficienter in actum supernaturalem, nec etiam potest constitui per illam potens movere, & applicare ad actum supernaturalem; sicut enim gratia solum naturam, & potentiam, quam informat constituit potentem physicè efficienter influere, solùm illa potest constituere potentem movere, & determinare ad actum, quam media illa elicit. Tertiò, quia hoc admisso, appetitus prædictus non haberet efficaciam conditionatam, sed solùm capacitatem, & potentiam obedientialem ad habendum efficaciam, cum ex se efficaciam non habeat, sed solùm à gratia tanquam à forma; sicut natura non habet vim conditionatam ad influendum in actum supernaturalem, sed solùm potentiam obedientialem, ad hoc vt illam habeat à gratia tanquam à forma. Quarto, quia hoc admisso etiam dici posset, quod actus merè naturalis ratione gratiæ per modum formæ poterat mereri, & habere conducentiam ad vitam æternam, & non esse necessarios alios actus supernaturales ad cõsequendam salutem, vt suprà arguebamus; immò hoc faciliùs diceretur, cum effectus isti sint morales, qui faciliùs possunt præstari actibus à gratia ipsos physicè non informante: movere autem, applicare, & vti sunt effectus physici, qui iuxta hanc solutionem à gratia præstantur appetitui naturali, non informante illum.

52 Secunda solutio reijcitur; quia si ratione modi derivati ex gratia potest movere, & vti virtutibus; ergo non habet efficaciam conditionatam, sed puram potentiam obedientialem ad accipiendum hanc efficaciam à modo illo supernaturali; sicut natura, vt supra arguebamus, & sicut actus naturalis habet potentiam obedientialem non conditionatam, vt conducat ad vitam æternam ratione modi derivati ex actu supernaturali imperante.

53 Secundò. Quia eadem ratione posset dici actus naturales bonos ex coniunctione ad gratiam habere modum supernaturalem, ratione cuius mereantur, & conducant ad vitam æternam, & absque eo, quod darentur actus supernaturales quoad substantiam, & absque influxu gratiæ, saltim in substantiam actus, darentur actus meritorij, & necessaria ad salutem; quod satis convincitur argumentis supra factis.

54 Tertiò. Quia ante influxum gratiæ in actum supernaturalem, non est fundamentum ad asserendum aliquid in actum aliquem derivari, nec facilè intelligi potest: si autem ex actu imperante supernaturali derivatur modus substantialis intrinsecus in actum imperatum, etiam naturalem, vt aliqui volunt, ideò est, quia medio actu supernaturali homo movet, applicat, vtiturq; potentia naturali ad actus naturalis elicientiam. Si ad actum scientiæ derivatur modus supernaturalis, quod plures negant, de quo modo non disputamus, ideò est, quia media pia affectione supernaturali, & medio actu fidei, quo credit quis omnia revelata, actu applicatur, seù movetur Philosophus Christianus ad vtendum scientia, qua evidenter,

cognoscit Deum

esse.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

55 CONTRA Concluſionem arguitur primò. Habitus, & virtutes ſupernaturales ſubduntur noſtræ libertati, quantum ad vſum, quia habitibus vtimur cum volumus; dummodo talis vſus non opponatur, & deſtruat vſum, ad quem datur habitus: vndè nullus poteſt malè vti virtute morali, quia virtus dat bonum vſum, & ſolùm illum continet, non verò actum malum intrinſecè ex obiecto, aut circunſtantijs; ſed quando principium aliquod operativum ſubditur noſtræ poteſtati, illo vti poſſumus, quando volumus ex quocumque motivo non deſtruente vſum talis principij; ergo ex motivo, & actibus naturalibus moveri poſſumus ad vtendum habitibus ſupernaturalibus; cum finis extrinſecus naturalis non deſtruat ſubſtantiam actus ſupernaturalis: qua ratione Sacerdos poteſt malè vti charactere, quia eſt poteſtas ſupernaturalis; vt docet D. Thomas 3. parte, quæſt. 63. art. 2. & prophetia vt docet quæſt. 12. de veritate, art. 5. ad 3.

56 Reſpondetur diſtinguendo maiorem; ſubduntur noſtræ libertati ratione gratiæ, concedo maiorem, ratione ſui, nego maiorem: vel aliter, ſubduntur noſtræ libertati conſtitutæ per gratiam, concedo maiorem, conſtitutæ per ipſam naturam, nego maiorem, & conceſſa minori, vel diſtincta eodem modo, neganda eſt conſequentia. Ad id, quod dicitur de charactere dicendum, quod poteſt Sacerdos illo male vti; quatenus ex pravo fine poteſt ponere actus, non quidem ſupernaturales, ſed naturales, vel etiam malos, qui tamen elevantur phiſicè ſicut & ipſe character ad cauſandum gratiam, vel convertendum panem in Corpus Chriſti; non quia applicet, vel determinet, aut propriè vtatur charactere ad actum ſupernaturalem; ſicut in fidelis nullam habens gratiam ſupernaturalem baptizans aliquem ex pravo fine, vel ex intentione mere naturali bona, non determinat, nec applicat, nec vtitur Deo ad cauſandam gratiam, ſed ponit materiam, ſeù actionem, quam Deus elevat ad cauſandam gratiam, Deus, quæ vtitur actione illa eam, quæ elevat, vt cauſet gratiam; quo etiam modo Deus medio charactere, quod eſt potentia inſtrumentalis, elevat actionem Sacerdotis naturalem, quin Sacerdos, qui ſolùm vt inſtrumentum ad actionem ſupernaturalem cauſativam gratiæ, vel converſionem panis in Corpus Chriſti concurrit, applicet characterem, nec virtutem ſupernaturalem, qua Sacerdotis actio elevatur.

57 Secundò arguitur: in homine exiſtente in gratia datur appetitus naturalis viſionis, vel regulatus per fidem naturalem, vel cognitionem probabilem poſsibilitatis illius, vt nos etiam ſupponimus; ſed actus iſte poteſt movere ad exercendos actus virtutum ſupernaturalium, & adimplendum præcepta ſupernaturalia; ergo poteſt dari appetitus naturalis Dei efficax efficacia conditionata. Minor probatur: nam ex appetitu inanis gloriæ naturali, poteſt quis moveri ad eliciendum actum ſupernaturalem fidei, vt plures concedunt; & ex intentione peccaminoſa inanis gloriæ poteſt quis moveri ad confitendum peccata, & habendum de illis attritionem ſupernaturalem, quę ſufficiens eſt ad conſequendam gratiam in Sacramento pœnitentiæ: In ſuſcipiente Sacramentum Baptiſmi intentio illud recipiendi ſufficiens ad recipiendum gratiam illius oriri poteſt, & moveri ex intentione inanis gloriæ; ſed intentio recipiendi baptiſmum ſufficiens ad illius gratiam recipiendam, debet eſſe ſupernaturalis, & idem dicendum de intentione recipiendi alia Sacramenta, quæ movetur ex intentione peccaminoſa inanis gloriæ; ergo à fortiori per appetitum naturalem, & honeſtum viſionis Dei, poterit homo moveri ad eliciendos actus ſupernaturalium virtutum; cum ad hunc effectum maiorem improportionem habeat actus naturalis pravus, quam actus naturalis bonus.

58 Reſpondetur negando minorem: ad primum exemplum, quidquid alij dicant, negandum eſt antecedens; potuit quidem quis moveri ex intentione inanis gloriæ ad conandum elicere actum fidei conatu naturali, qui ortum habere poteſt ex inani gloria; conatus autem iſte irritus erit, niſi Deus miſericorditer conferat gratiam efficacem ad actum piæ affectionis, & fidei, quorum neuter poteſt oriri ex intentione prava, aut ex conatu illo naturali, ſed ex gratia Dei indebita ſic conanti, & quam Deus ipſi non promiſit, vt ſupra diximus; neç enim per

tae

talem conatum natura ſibi ſubijcere poteſt habitum piæ affectionis,& fidei.

59 Similiter dicendum eſt ad ſecundum, quod ex intentione inanis gloriæ poteſt quis moveri ad volendum conatu naturali confiteri, & ad omnia opera exteriora,quæ ſupernaturalia non ſunt;poteſt inſuper conari ad attritionem, vel contritionem ſupernaturalem,& fortè ex iſto conatu aliquando oritur attritio naturalis inſufficiens ad Sacramentum, vel ſaltim ad ſuſcipiendum gratiam Sacramenti: nunquam tamen conatus ille poteſt influxum habere efficacem moventem, ſeù applicantem, vel etiam vtentem principio ſupernaturali ad attritionem ſupernaturalem; ſed ſolus homo ratione habituum ſupernaturalium ſe ad illos actus determinat media phiſica de prædeterminatione, quam offerre non promiſit conanti ex viribus naturæ; ſicut nec decrevit ſic conanti negare, ſed aliquando confert, aliquando negat ſecundùm placitum ſuæ voluntatis.

60 Ad tertium eodem modo dicimus, intentionem venialiter peccaminoſam recipiendi baptiſmum non imperare actus ſupernaturales requiſitos ad recipiendum gratiam baptiſmi, quantumvis homo conetur ex imperio naturali illos elicere: nam tale imperium irritum eſt,& inane; quamvis aliquando poſito illo, ſimul ponatur actus ſupernaturalis, qui, vt diximus,non oritur, nec oriri poteſt ex imperio, & conatu naturali, ſed ſolum ex libero arbitrio ratione gratiæ; & ſicut ſola hæc poteſt efficere actum ſupernaturalem, ſola illa poteſt ad illum ſe determinare,& natura ſolum ratione gratiæ eſt potens ſibi ſubijcere gratiam, vt ſic tàm efficientia,quàm determinatio ſit gratiæ, vt totum, non libero arbitrio, ſed gratiæ tribuatur; & vt diximus, Deus ſic naturaliter conanti ex viribus naturę, & potenti elicere actus virtutum ſupernaturalium ex vi gratiæ, confert gratiam efficacem,qua facit hominem ratione gratiæ ſe libere determinare ad actus ſupernaturales,& aliquando negat, nullo habito reſpectu ad conatum naturæ, nec ex natura rei, nec ex promiſsione divina.

61 Tertiò arguitur: quia ipſa experientia conſtat, quod homines ex motivis,& actibus naturalibus moventur ad eliciendos actus ſupernaturales; ſicut vir, qui movetur ex pulchritudine,ex nobilitate, vel dote ad contrahendum matrimonium validè, & fructuosè; & Sacerdos ex amore naturali erga infirmum, vel defunctum, vel ex appetitu ſtipendij movetur ad celebrandum,alias non celebraturus.Et patet ſimiliter in vxore,& filijs ſe diſponentibus ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ, vt placeat marito,vel Patri, vel vt fugiant pœnam ab ipſo comminatam, & innumera alia ſuppetunt exempla.

Si ad hæc dicatur, in prædictis caſibus hominem non moveri ex motivo naturali ad exercendos actus internos ſupernaturales, ſed præcisè ad eliciendos actus externos, quibus homo contrahit matrimonium, Miſſam celebrat, ſuſcipit Euchariſtiam, aut profitetur fidem exteriùs, qui actus ſunt naturales intrinſicè, & ſolùm ab internis ſupernaturales vocantur. Contra eſt: Quia actus externi prædicti erunt peccaminoſi, ſi non proveniant ab actibus internis ſupernaturalibus: eſt enim ſacrilegium contrahere matrimonium, recipere Euchariſtiam, aut Sacramentum Pœnitentiæ abſque diſpoſitione ſupernaturali,& interna; ſed actus naturalis bonus non poteſt movere, ſeù imperare actus malos; ergo actus illi externi non proveniunt immediatè ab actibus naturalibus bonis internis, ſed mediis actibus ſupernaturalibus; quatenus ex actu naturali movetur homo ad eliciendum actum internum ſupernaturalem,& ex iſto ad actus externos.

62 Imò etiam ſi intentio naturalis ſit venialiter peccaminoſa, poteſt movere ad actus ſupernaturales internos: nam ex intentione inanis gloriæ poteſt quis movere ad actus ſupernaturales internos; ſicut ex intentione inanis gloriæ poteſt quis moveri ad exercendos actus externos ex genere ſuo honeſtos,non verò vt ſacrilegos,& mortaliter peccaminoſos: nam licèt ſufficerent ad finem inanis gloriæ conſequendum, cum operans non ponat vltimum finem in vanagloria, nolet actus iſtos exerceri cum ſacrilegio mortali, vel ſaltim poteſt tollere illos ſacrilegos eſſe; atque adeò hic, & nunc ex intentione inanis gloriæ eliguntur vt ponendi ex vi actus interni ſupernaturalis, ſine quo ſacrilegi eſſent. Vndè ſaltim mediatè movetur ad exercendos actus ſupernaturales internos ex inani gloria; quatenus ex illa movetur ad actus externos ſine ſacrilegio ponendos, & ex conſequenti movetur ad actus ſupernaturales eliciendos, ratione quorum ſine ſacrilegio exiſtit actus externus.

63 Ad argumentum dicendum vt ſupra, actum, ſeù conatum naturalem non ha-

habere efficaciam ad movendum, & imperandum actus ſupernaturales, ſed ſolùm actus externos, qui naturales ſunt. Ad id, quod additur, dicatur, aſſerentes actus ſupernaturales poſſe elici ex motivo pravo, vt arguentes affirmant, non recuſare concedere ex bona intentione, derivari poſſe electionem malam; concedunt enim eundem actum poſſe eſſe bonum, & malum; quo admiſſo facilè quis dicet intentionem habentem bonitatem ex obiecto, poſſe eſſe malam ex circunſtantia, ſcilicèt ex eo, quod imperat actus malos.

64 Sed hoc ommiſſo dicimus, quod actus bonus naturalis ſolùm terminatur ad actus externos, qui ſecundum ſe habent bonitatem obiectivam ſufficientem ad ſpecificandum actum bonum naturalem, quo quis vult actus externos, & ſimul vult non elici cum mala circunſtantia, ſcilicèt, cum carentia, & ommiſsione actus ſupernaturalis, cum quo actu naturali, quia abſolutè bonus eſt, terminatur enim ad actum externum cum bonis circunſtantijs, componitur carentia, & ommiſsio actus ſupernaturalis; cum actus iſte naturalis, vt diximus, non habeat efficaciam ad auferendam ommiſsionem actus ſupernaturalis, ſicut neque ad hoc vt ponatur actus ſupernaturalis. Si tamen actus iſte naturalis, quo quis vult ponere actus externos, ſupponit omiſsionem actus ſupernaturalis, ita vt feratur ſaltim indirectè ad coniungendos actus externos cum carentia actus ſupernaturalis, non eſt idem actus, vel ſaltim tranſit de bono in malum.

65 Sed dices primo. Actus externus in caſu prædicto oritur ab actu naturali bono, non ab ommiſsione actus ſupernaturalis; ergo à tali omiſsione non vitiatur, ſed remanet bonus. Secundò, ſi homo vult per actum naturalem toto conatu naturali actum externum coniungi cum actu ſupernaturali, hunc quæ elici à voluntate per gratiam, omiſsio actus ſupernaturalis, quamvis poſsit exiſtere, dum conferuntur gratia, & efficacia ad actum, non tamen poteſt eſſe voluntaria; implicat enim ommiſsionem actus, quem toto conatu exiſtere deſiderat voluntas, eſſe à voluntate vllo modo, atque adeò implicat eſſe voluntariam.

66 Ad primum reſpondetur, quod licèt ab omiſsione actus ſupernaturalis non vitietur actus externus, neque denominetur malus; vitiatur tamen ab actu interno naturali, qui redditur malus imperans efficacitèr actum externum elicitum in circunſtantia, in qua actus externus debet non eſſe, nimirum in circunſtantia ommiſsionis actus ſupernaturalis.

67 Ad ſecundum dicendum, omiſsionem actus ſupernaturalis eſſe voluntariam non obſtante conatu naturali in oppoſitum; quia talis conatus eſt inefficax, & non conatur homo, quantum poteſt abſolutè ad exiſtentiam actus ſupernaturalis; eum per gratiam poſsit illum elicere, & ad illum conari; quod non facit. Ad hoc ergo, vt omiſsio actus ſupernaturalis, coexiſtens actui naturali, quo quis conatur quantum poteſt ex viribus naturæ ad exiſtentiam actus ſupernaturalis, ſit voluntaria, ſufficit quod per gratiam poſsit homo efficacitèr conari, & ponere actum ſupernaturalem, & non conetur per gratiam, nec actum ſupernaturalem eliciat. Si dicas: Non ſtat conari ex viribus naturæ, quantum poteſt ad exiſtentiam actus ſupernaturalis, & ſi habet gratiam ſufficientem, non elicere actum ſupernaturalem media illa. Negandum eſt antecedens; ſicut enim conanti non debetur nec ex natura rei, nec ex promiſsione divina gratia efficax ad actum ſupernaturalem, non debetur vllo modo exiſtentia actus ſupernaturalis; ac proinde poteſt cum conatu illo naturali ex natura rei, exiſtere carentia actus ſupernaturalis in habente ſufficientiam ad illum. Et hęc de iſto dubio.

DVBIVM IV.

Vtrùm lumen gloriæ ſit tota ratio agendi viſionem beatam?

1 PRÆSENS Difficultas communis eſt actibus ſupernaturalibus intellectus, & voluntatis, & oritur præcipuè ex ſupernaturalitate viſionis, & eius vitalitate: ex ſupernaturalitate enim convinci videtur naturam, ſeù intellectum nullum habere influxum immediatè ratione ſui in viſionem beatam, ſed ſolùm ratione luminis ſupernaturalis; quidquid enim ſupernaturale eſt debet eſſe

ſua

supra vim activam naturalem, atque adeò supra vim naturalem activam intellectus; quapropter ratione sui immediatè non potest in visionem influere, nisi solùm ratione luminis supernaturalis: implicat enim vim activam ratione sui extendi ad id, quod est supra ipsam. Ex vitalitate autem oppositum videtur infertri; non enim potest homo, aut eius intellectus vivere in actu secundò, nisi per visionem ab ipso procedentem: at si lumen gloriæ est tota ratio, seù virtus agendi, visio ab intellectu non procedit; non enim est ab ipso immediatè, cum intellectus ratione sui nullam habeat virtutem ratione cuius possit immediatè in visionem influere. Non mediatè in visionem influere etiam suaderi videtur: quia vt visio mediatè esset ab intellectu, necessarium videtur, quod intellectus aliquem habeat influxum efficientem in lumen; nihil enim mediatè ab aliquo procedit, nisi principium, & virtus proximè, & immediatè influens ab illo procedat, & patet: quia Nepos, v.g. ab Avo mediatè procedere nõ potest, nisi principiũ immediatè influens, nimirum Pater, à quo immediatè generatur, seù producitur, ab Avo immediatè procedat. Similiter vt intellectio naturalis ab anima mediatè procedat, necessarium est, quod intellectus immediatè influens in cognitionem, naturaliter ab anima efficienter, seù dimanativè procedat. Et ratio videtur aperta: non enim intelligi potest visionem ab intellectu verè procedere, nisi influxus intellectus vsque ad visionem derivetur: at non derivatur influxus iste immediatè, vt supponimus, non mediatè; nam intellectus non influit efficienter in lumen; ergo nec mediatè derivatur ad visionem influxus intellectus: Imò nullus assignatur influxus illius; implicat enim influxus non habens terminum aliquem immediatum; at visio terminus immediatus non est, cum intellectus immediatè non influat in visionem, nec lumen, quod nullum influxum efficientem intellectus terminare potest; ergo.

2 Hæc difficultas communis est omni actui supernaturali, in quo vitalitas, & supernaturalitas cõponi debent, & inquem natura debet influere aliquo modo; sivè hoc conveniat ex conceptu vitalitatis, sivè non: est enim omninò certum voluntatem aliquid agere in actus supernaturales, vt posteà videbimus. In actibus voluntatis est etiam difficultas orta ex eorum voluntarietate: de ratione enim voluntarij est, quod sit à principio intrinseco, seù à voluntate: quod non verificatur, si tota virtus agendi est charitas supernaturalis; v.g. vel alia virtus, seù principium supernaturale, quod ab extrinseco provenit; cum ab illo esset actus supernaturalis, atque adeò non ab intrinseco, nec à voluntate. Hæc tamen difficultas eadem ferè est, atque præcedens; cum non minus sit de conceptu actus vitalis procedere à principio vivente per ipsum, quam de conceptu voluntarij esse à principio intrinseco, scilicèt à voluntate, & quidquid de hoc sit, naturam influere in actus supernaturales, debet esse certum, sivè hoc oriatur ex conceptu vitalitatis, sivè ex conceptu voluntarietatis, sivè non: nam licèt non sit expresè ab Ecclesia definitum de actibus supernaturalibus intellectus, & consequenter nec de visione beata; de actibus tamen supernaturalibus liberi arbitrij est de fide contra Lutherum, habeturque ex Tridentino Sessione 6. Canone 4.

3 Est insuper in actibus liberis voluntatis specialis difficultas: nam de ratione principij liberi est sic elicere actum, vt possit oppositum elicere, vel saltim actũ, quem elicit omittere: virtus autem supernaturalis esto possit adæquatè in actum supernaturalem influere: non tamen potest illum omittere, aut oppositum elicere; aliàs omissio actus charitatis, seù actus charitati oppositus à charitate esset, vel à gratia supplente vicem charitatis, ipsique tribueretur instante præcepto charitatis omissio actus charitatis, vel etiam actus oppositus, quod absurdum planè est. Nec dici potest, quod voluntas ratione sui potest omittere actum charitatis, & actum oppositum elicere, & charitas solùm potest actum charitatis elicere, quod sufficit ad libertatem, cum iam in homine ratione charitatis detur virtus, & potentia ad actum charitatis, & ratione voluntatis potentia ad omittendum, & eliciendum actum oppositum. Non, inquam, dici potest, nam idem principium eliciens actum debet esse, quod illum potest omittere, seù ab illo cessare; ergo vel nulla est libertas, vel charitas, quæ est principium adæquatum actus, est quę omittit, & cessat ab actu. Ut autem per partes veritas explicetur sit.

§. I.

Statuitur prima concluſio.

§. I.

4 PRIMA Concluſio: Rectè componitur lumen gloriæ eſſe totam rationem agendi,& quod intellectus verè per ſe, & non ſolum denominativè, & peraccidens influat in viſionem beatam. Hæc eſt contra Molinam,Suarez,Vazquez,& alios, qui communiter exinde probant lumen non eſſe totam rationem agendi, quia intellectus non per ſe influeret in viſionem, ſed peraccidens; ſicut aqua calida non per ſe, ſed peraccidens,& denominativè calefacit. Sed concluſio probatur: per virtutem intrinſecam ab extrinſeco provenientem, ſi tamen augeat virtutem, ſeù vires intellectus in ordine ad actum contentum ſub eius ſpecificativo, intellectus per ſe elicit,& efficienter concurrit ad talem actum; ſed lumen gloriæ, quamvis ab extrinſeco procedat,intrinſecum eſt, augetque virtutem intellectus in ordine ad actum contentum ſub eius ſpecificativo; ergo intellectus per lumen tanquam per virtutem elicit per ſe, & efficienter producit actum viſionis, & conſequenter eſto ſit tota virtus, per ipſum,& ratione ipſius poteſt per ſe ad viſionem concurrere. Minor videtur certa, & tradditur à D.Thoma art.4. huius quæſtionis: Deus enim clarè viſus continetur intra obiectum ſpecificativum intellectus, vt vidimus,& quia viſio alterius eſt ſpeciei, indiget intellectus augmento virtutis alterius etiam ſpeciei ad eius elicientiam, nimirum luminis gloriæ. Maior valdè difficilis videtur Adverſarijs, ſed immeritò, & probatur: nam augmentum virtutis, quamvis ab extrinſeco procedat,eo datur,vt ſubiectum ratione illius operetur,& eius effectus formalis eſt conſtituere ſubiectum ſufficiens, & potens, ſeù virtuoſum ad actionem intra eius ſpecificativum contentam, & ad quam ex ſe ſufficientes vires non haberet. Nec aliqua apparet implicatio in eo quod virtus ab extrinſeco proveniens ſic augeat præexiſtentes vires,vt per illam per ſe ſubiectum ſit potens operari,& de facto operetur.

5 Quod pluribus exemplis explicari poteſt,& in primis in cauſa efficienti morali, in merito ſcilicèt Chriſti Domini v. g. in quo tota ratio proxima cauſandi moraliter præmium,& movendiDeum ad collationem illius,eſt dignitas infinita Chriſti Domini, quæ à dignitate perſonæ in diſtincta diſtinguitur realiter ab actu, à quo non procedit: & tamen actus ratione talis dignitatis verè movet,& non ſolum denominative, & peraccidens, nec ipſa dignitas perſonæ poteſt vt quod movere, ſeù allicere meritoriè Deũ ad conferendum præmium; non enim hæc dignitas meritum eſt, ſed ſolùm actus meritum eſt potens movere,& cauſare moraliter præmium ratione dignitatis perſonæ. Similiter quamvis lumen gloriæ ſit tota ratio agendi, id tamen,quod propriè verè, & per ſe operatur, eſt homo, anima, ſeù intellectus; & ſicut dignitas perſonæ Chriſti Domini hunc tribuit effectum formalem illis actibus,quod ſcilicèt, poſsint movere propriè, & per ſe,& non peraccidens ad collationem præmij, ſic lumen gloriæ hũc effectum formalem tribuit intellectui,quod ſcilicèt ratione illius ſit potens propriè,& per ſe influere,& non ſolùm denominativè.

6 Dices:dignitatem Perſonæ Chriſti non eſſe totam rationem, qua meritum conſtituitur potens movere,& cauſare efficienter moraliter præmium, ſed ipſam entitatem actus ſupernaturalis ratione ſui ſaltim inadæquatè concurrere; alias actus naturalis dignificatus à Perſona Uerbi poſſet movere per modum meriti de condigno ad collationem præmij ſupernaturalis,cuius oppoſitum communius defenditur à Theologis: ſi enim adæquata vis proxima movendi eſt dignitas Perſonæ,cum hęc actibus naturalibus Chriſti Domini communicetur, illos conſtituet meritorios præmij ſupernaturalis.

7 Sed hoc facilè reijcitur primò. Quia etiam conceſſo actum ſupernaturalem ratione ſui immediatè concurrere ſaltim inadæquatè ad movendum; negari non poteſt actum movere per ſe, & non ſolum denominativè ratione dignitatis perſonæ, ſaltim inadæquatè; ergo ſimiliter intellectus ratione luminis poterit per ſe, & nõ ſolum denominativè inadæquatè influere,& conſequenter per virtutem ab extrinſeco provenientem poterit per ſe influere; quod ab Adverſarijs communiter negatur,& ſatis conſequenter: nam ſi ſemel conceditur per virtutem ab extrinſeco provenientem propriè, & per ſe tanquam per rationem formalem proximam intellectum ad viſionem concurrere, non eſt ratio aſsignabilis quare

non posit per lumen gloriæ tanquam per rationem formalem proximam adęquatam per se influere. Secundò, Quia saltim in opposita sententia, quæ satis probabilis est, asserente actus naturales Christi Domini ratione dignitatis personæ esse meritorios præmij supernaturalis, argumentum, seù exemplum tenet: in hac enim sententia actus naturalis, nec inadęquatè ratione sui movet ad præmium supernaturale cõferẽdũ.

8 Tertiò. Quia Authores negantes actum naturalem Christi Domini esse meritorium præmij supernaturalis, non moventur, quia actus naturalis ratione sui non possit inadæquatè movere; hanc enim inadæquatam vim etiam negant actui supernaturali, & merito: actus enim supernaturalis ex se solum habet quandam proportionem, quæ fundat congruitatem ad præmium supernaturale conferendum, non verò condignitatem, nec etiam inadæquatam: congruitas autem hæc non est inadæquatè condignitas; sicut nec instrumentalis virtus est inadæquata virtus principalis; sed moventur, quia in actu naturali nulla præsupponitur proportio, seù congruitas ad præmium supernaturale, quæ necessario præsupponi debet in actu, vt ratione dignitatis personæ elevetur, seù constituatur in ratione meriti de condigno: omnes ergo vtriusque sententiæ Authores fateri debent dignitatem per se esse adæquatam virtutem proximam, ratione cuius actus potest movere de condigno ad præmium supernaturale conferendum.

9 Nec mirum est eandem formam adæquatam diversis subiectis distinctum tribuere effectum formalem, præcipuè in moralibus: gratia enim habitualis constituit hominem filium Dei adoptivum, & actus quos dignificat non constituit filios, sed meritorios. Persona Verbi constituit humanitatem, quasi per modum hæreditatis dignam beatitudine, & eadem Persona naturæ irrationali vnita hanc dignitatem non præstaret. Lumen gloriæ non constitueret voluntatem potentem videre, & tamen intellectum constituit potentem elicere visionem. Vndè ex eo, quod actus naturalis in Christo non sit meritorius præmij supernaturalis, sicut actus supernaturalis, non infertur totam rationem proximam movendi ad collationem præmij, non esse dignitatem Personæ.

10 Sit aliud exemplum in gratia habituali, quæ est tota ratio, vt homo terminet amorem amicabilem Dei: & tamen non ipsa, sed homo ratione illius terminat vt *quod*, & ipsa solum vt *quo*: homo, & non ipsa est amicus Dei; quamvis gratia sit adæquatum *quo* proximum, vt sic loquamur. Similiter tota dignitas ad visionem Dei, totum, & adæquatum ius ad beatitudinem per modum hæreditatis est gratia; & tamen non ipsa vt *quod* habet ius, sed homo, qui est dignus ratione illius beatitudine propriè, & per se, & non solùm denominativè, sicut ipse per se beatificatur, non gratia. Similiter gratia est natura Dei participativè, seù Deitas participata, & radix physica per modum naturæ, & vt quo virtutum, & actuum supernaturalium, etiam ipsius beatitudinis in communiori, & vera sententia D. Thomæ, & homo ratione illius est Deus participative non denominative, & peraccidẽs, sed per se; quod enim gratiæ convenit vt quo, nimirum radicare physicè dona supernaturalia, quo prædicato constituitur natura divina participata cõmunicat homini, & ratione gratiæ non solùm peraccidens, & quasi materialiter habet naturam Dei participatam, sed propriè, & per se est participative Deus: aliàs gratia non communicaret homini esse Deum participative, nec istum formalem effectum præstaret naturæ irrationali; & consequenter non esset fundamentum, vt ipsa esset, & diceretur natura participata. Si ergo homo per gratiam tanquã per rationẽ adæquatam constituitur Deus participative, & consequenter radix physica vt *quo* virtutum, & actuum supernaturalium, poterit similiter intellectus per lumen gloriæ tanquã per rationem adæquatam constitui in actu primo potens ad influendum per se in visionem beatam. Nec aliqua disparitas reddi potest, quare homo posit vt *quo* ratione gratiæ ab extrinseco advenientis tanquam per rationem formalem adæquatam, seù adæquatum *quo*, radicare virtutes supernaturales, & non posit intellectus, seù anima medio intellectu constitui per lumen, tanquam per proximum adæquatum principium potens per se elicere visionem; physica enim radicatio per modum naturæ ad genus causæ efficientis reducitur. Imò in sententia Adversariorum radicare physicè per modum naturæ est verè efficienter producere.

11 Cui exemplo solùm video responderi posse, vel quod gratia non est radix physica virtutum supernaturalium, sed moralis, vel quod etiam si radix physica sit, non communicat subiecto esse radicẽ physicã vt quod. Sed primũ, vt diximus est contra veram

sen-

ſententiam Div. Thomæ, quam communius amplectuntur Theologi; & inſuper remanet argumentum ex exemplo deducto in ſua vi, ſi fiat paritas vt ſupra ex cauſalitate efficienti morali ad phiſicam. Secundum autem ſuſtinendum non eſt: nam ſi gratia eſt natura divina participativè, ſeù Deitas participata, quia phiſicè radicat dona ſupernaturalia per modum naturæ participatæ, non poterit homo conſtitui Deus participativè per illam, niſi conſtituatur radicans vt *quod* dona ſupernaturalia: at ita propriè homo per gratiam eſt Deus participativè, atque gratia Deitas participata; ergo ita propriè, & per ſe homo eſt radix vt *quid*, atque gratia radix per modum naturæ, & vt *quo*; & ſolùm erit differentia, quod gratiæ convenit eſſentialiter eſſe Deitatem participatam, & homini convenit eſſe Deum participativè per gratiam ſibi accidentalem.

12 Alia ſuppetunt exempla in naturalibus: habitus quamvis ab extrinſeco per accidens proveniat, eſt tota ratio quare potentia ſit facilis ad actum, & faciliter illum eliciat; ergo lumen quamvis ab extrinſeco proveniat, poterit eſſe tota ratio intellectui ad actum ſupernaturalem, qua per ſe illum eliciat. Sicut enim potentia ex ſe non eſt facilis ad actum naturalem; nec ex ſe eſt potens ad ſubſtantiam actus ſupernaturalis; ergo ſicut per habitum adæquatè redditur facilis ad actum naturalem, & ratione illius faciliter illum elicit, poterit per lumen reddi adæquatè potens, & ratione illius per ſe elicere actum ſupernaturalem.

13 Quæ doctrina Sacræ Scripturæ, Concilijs, PP. conſonat, à quibus paſsim docemur, quod homo non per vires liberi arbitrij, nec vigore naturæ, ſed per virtutem, vires, & fortitudinem datam à Deo efficit opera ſalutaria conducentia ad vitam æternam: at per gratiam dantem virtutem hominem operari, eſt gratiam eſſe virtutem, ſeù rationem formalem, qua per ſe operatur, non peraccidens, ſeù denominativè: nec enim propriè dici poteſt, quod agens partiale per virtutem alterius agentis partialis operetur, quamvis ad operationem vtrumque ſit neceſſarium: ſicut intellectus non dicitur operari per virtutem ſpeciei, ſeù per ſpeciem tanquam per virtutem; nec ſpecies influit in intellectionem per virtutem intellectus, ſeù per intellectum tanquam per virtutem; nec intellectus accipit vires ad influendum ab ſpecie, nec è contra. Similiter Petrus portans lapidem v.g. ſimul cum Paulo, non dicitur portare per virtutem Pauli, nec accipere vires à Paulo ad portandum. Similiter quod de virtute dicitur nimirum, quod eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, &c. & de virtute ſupernaturali verificatur, non ſic intelligitur, quod homo virtute rectè vivat materialiter, peraccidens, & denominativè, ſed quod virtus eſt ratio, qua homo per ſe, formaliter, & propriè elicit operationes rectas vitę. Nec cum dicitur, quod homo elicit actum meritorium per gratiam, intelligi poteſt, quod elicit peraccidens, materialiter, & denominativè per gratiam; ſed quod homo elicit per ſe actum meritorium media gratia, & ratione illius; aliàs ſi liberum arbitrium concurreret, & eliceret per ſe actus ſupernaturales ſolum per proprias vires tanquam per rationem, & virtutem, qua per ſe elicit, potiùs dicendum eſſet, quod per vires liberi arbitrij meretur, quam per vires gratiæ; cum viribus proprijs per ſe influeret, non verò per vires gratiæ.

14 Doctrinam iſtam colligimus ex Apoſtolo ad Hębreos 12. *Habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo*; & ſimiliter ex Tridentino Seſsione 6. cap. 5. vbi docet: peccatores per gratiam excitantem, & adiuvantem conſentire, & cooperari eidem gratiæ; & conſequenter per gratiam operantur, & media illa tanquam ratione formali eliciunt operationes, quibus ad iuſtificationem diſponuntur cooperando ipſi gratiæ. Quod iterùm Apoſtolus docuit: Cum enim 1. Corinthiorum 3. dixiſſet: *Dei ſumus Adiutores*, (ſeù Coadiutores) addidit ibi: *Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens Architectus fundamentum poſui*; vt explicaret ratione gratiæ Dei, & ipſi gratiæ cooperari. Et ad Epheſios 8. *Cuius factus ſum miniſter ſecundum donum gratiæ Dei.* Et 2. ad Timoth. 1. *Collabora Evangelio ſecundum virtutem Dei.* Conſonat Petrus Epiſtola 1. cap. 4. *Si quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus.* Miniſter verò Adiutor, & Cooperator Dei, influxum præbet in actus ſalutares per gratiam mediantem vt virtutem.

15 Eandem doctrinam explicuit Auguſtinus, qui de Gratia Chriſti, cap. 29. Pelagio docenti, Deum adiuvare, vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, faciliùs poſsint implere per gratiam. Sic ait: *Tolle faciliùs, & non ſolùm planus, ſed ſanus eſt ſenſus, ſi ita dicatur, vt quod per liberum facere iubentur*

homines arbitrium, possint implere per gratiam; gratia ergo est per quam possumus,& qua in actu primo sufficientes constituimur ad opera salutaria; & consequenter est forma, qua mediante opera salutaria eliciuntur. Vndè Augustin. de Gratia, & Libero Arbitrio,cap.7, exponens illud Apostoli 2. ad Corinth. 4. *Bonum certamen certavi*, sic ait: quæro, qua virtute certavit vtrùm quę illi ex semetipso fuerit, aut quæ desuper data sit? Absit vt tantus Doctor Gentium ignoraverit Legem Dei, cuius vox est in Deuteronom.cap.8.*Nè dicas in corde tuo, fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit.* Et Prosper lib. 2. de Vocatione Gentium circa finem sic ait: *Deus ergo, quos elegit sine meritis, dat vndè ornentur,& meritis, & frustra dicitur quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, vt electi sint, virtutum quippè munera otiosa esse non possunt; non igitur ad hoc datur continentia, vt concupiscentijs non repugnet, nec ideò cuiquam tribuitur sapientia, aut intellectus vt non die, ac nocte in Domini Lege meditetur.*

16 Ex quibus deducitur satis clarè nostræ conclusionis veritas; actio enim supernaturalis egreditur ab homine media eius virtute, potestate, & sufficientia, media, inquam, vt ratione formali, qua operatur; sed hæc virtus, & potestas, seù virium sufficientia ad actus supernaturales, & salutares convenit homini per gratiam sufficientem, & virtutes infusas formaliter vt vidimus; ergò per gratiam sufficientem,& media ipsa tanquam ratione formali egreditur operatio supernaturalis ab homine: nec Deus alio fine gratiam infundit, nisi vt ratione illius homo per se operetur; quod ergo inter potentiam naturalem, & operationem mediet virtus supernaturalis, non obest,quominus operatio ab ipsa potentia per se oriatur, licèt ratione gratiæ.

17 Quam Scripturæ,& PP. doctrinam optimè traddidit Bellarminus lib. 6. de Gratia,& Libero Arbitrio, cap. 13. vbi contra quendam Lutheri Sectatorem, & Calvinum sic infert; ex qua solutione detegitur deceptio, & FrausKemnitij: scribit enim Catholicos in ea sententia esse, vt liberum arbitrium per gratiam excitantem exerceat vires suas, quas habebat, antequam excitaretur, vt per illas suas vires vocationi divinæ cõsentiat, ita vt gratia pręveniens nõ tribuat vires libero arbitrio; sed quasi sopitas excitet; & hoc non dicunt Catholici, sed cognoscunt quidem liberum arbitrium in homine,etiam antequam eum gratia divina præveniat; quia liberum arbitrium est res naturalis,quæ per peccatum non amittitur; sed tamen non dicunt, nec sentiunt liberum arbitrium habere ex se potentiam illam,saltim primam ad actus pietatis, sed eam accipere à Deo per gratiam prævenientem. Quibus verbis esse in homine ante gratiam potentiam sopitam,& quæ posita gratia,ratione sui,& non ratione gratiæ influat in actus pietatis, indignum à Catholicis doceri iudicans affirmat ipsis tribui fraudem esse hæreticorum; nulla ergo vis proxima est in natura ad actus pietatis in sententia Catholicorum, sed illam accipit à gratia, qua per se influit in opera salutaria.

Solvuntur argumenta.

§. II.

18 ARGVITVR primò. Si habitus charitatis; v. g. est tota ratio agendi,ipse debet percipere, seù intelligere obiectum amandum; principium enim volitionis, seù volitivum debet percipere obiectum attingendum per eius actum, nihil enim volitum, quin præcognitum, non quidem ab alio, sed à principio volente: at habitus charitatis nullatenus percipere potest obiectum per actus charitatis amandum; ergo aliud debet dari principium proximum amoris quod percipere possit obiectum per amorem attingendum. Si dicatur quod voluntas est quæ amat,non habitus charitatis: Contra est nam de ipsa voluntate fatendum est, si amat,esse principium proximũ amoris,& receptivum ipsius. Deindè,quia de ipsa voluntate idem fit argumentum; non enim voluntas cognoscit obiectum,si distinguatur ab anima;ergo aliud principium volitivum immediatum assignari debet, præter habitum, & voluntatem.

19 Si autem dicatur solam animam amare. Contra est, quia ipsa esset principium immediatum actus charitatis. Deindè, quia nec anima in sententia Thomistarum potest amare; sola enim voluntas ab anima distincta elicit, & recipit amorem,

non

non verò anima. Deindè, quia nec anima percipit obiectum, eadem ratione; cum cognitio solùm in intellectu recipiatur & à solo illo eliciatur. Denique; quia licèt anima cognoscat, id tamen peraccidens se habet ad determinationem habitus: nam determinatio per cognitionem, idest, manifestatio obiecti, debet illi fieri, quod se determinat ad producendum, & efficiendum amorem, non verò illi, quod vi amorem recipit: nam in recipiendo nulla est libertas, nec ad recipiendum, aut patiendum requiritur cognitio, sed ad se determinandum effectivè; sicut qui trahitur ab alio non indiget cognitione viæ, per quam trahitur; oportet tamen, vt eam cognoscat, qui trahit, nè erret: cum ergo habitus solus producat amorem, & odium, voluntas autem præcisè recipiat, sivè ipsa denominetur amans, sivè non, habitus debebit cognoscere, an obiectum sit bonum, an malum, vt sciat an amorem, an odium elicere debeat; in voluntate autem sivè in anima nulla erit necessaria cognitio.

20 Hoc argumentum, quo Adversarij convincuntur, & Arriaga Tractatu de Visione Dei, disputatione 7. de Lumine Gloriæ, sect. 2. putat demonstrare lumen gloriæ non esse totam rationem agendi, & evidenter ostendisse disputatione 3. de Anima, Sectione 1. principium ab anima distinctum non posse esse totam rationem agendi, sed animam debere immediatè influere in actus liberos, & vitales, levissimum est. Et respondetur negando maiorem, & ad probationem in minori contentam, dicendum est: principium volitivum, vt *quo* per modum virtutis, seù principij proximi non debere percipere obiectum, sed solum principium *quod*, de quo solùm verificatur amare, vt *quod*; huiusmodi autem principium, nimirum anima, seù homo volens, & amans vt *quod* amore charitatis ratione voluntatis per modum potentiæ, & ratione habitus per modum virtutis elevantis potentiam, percipit obiectum medio intellectu perfuso lumine gratioso.

21 Nec oppositum, scilicèt, virtutem proximam amoris, seù voluntatem per modum potentiæ constituentis animam in actu primo proximè ad amandum debere percipere obiectum amandum, vllo modo probari potest: & procedit argumentum ex non cognitione essentiæ potentiæ, & virtutis proximæ, quæ est solum vt *quo* volens, & intelligens, & qua aliud constituitur potens velle, & intelligere. Et iuxta doctrinam argumenti, asserendum est voluntatem, seù animam per propias vires sopitas ante adventum gratiæ, posita gratia vt conditione amare Deum amore charitatis; quod non esse sententiam Catholicorum testatur Bellarminus vbi proximè, & mihi idem omninò videtur esse naturam habere vires sopitas ante adventum gratiæ, qua vt conditione posita ratione suarum virium elicit actus salutares, atque asserere naturam habere potentiam, & virtutem conditionatam, quæ transit in absolutam posita gratia vt conditione, ad hoc quod potentia influat, quæ est sententia Adversariorum, & an sit Catholicorum sententia iuxta Bellarminum, alij iudicent.

22 Insuper argumentum facilè extendi potest, vt probetur animam esse ipsum amorem, & ipsam intellectionem; amor enim est cæcus, nec tendere potest in obiectum amatum, nisi illud percipiat, quapropter debet esse intellectio. Insuper anima est quæ fertur in obiectum, & in ipsum inclinat; atque adeò debet esse amor, & ex se cæca esset, si non identificaret intellectionem; quæ omnia ridicula sunt, eo quod amor non est amans, sed id, quod aliud amat in actu secundo, & similiter virtus proxima non est amans in actu primo, sed id, quo aliud est amans in actu primo. Sicut ergo intellectio non est intelligens in actu secundo, sed id quo aliud redditur intelligens in actu secundo, pariter lumen gloriæ, non est in actu primo intelligens, seù potens videre, sed id quo aliud est intelligens in actu primo, seù potens videre Deum. Deinde etiam argumento probatur non esse necessariam cognitionem ad amorem necessarium, ad quem voluntas non se libere determinat; non enim est necessaria, quia amans recipit amorẽ, eo quod ad recipiendum ex terminis non requiritur cognitio; nec ad efficiendum amorem, cum nec efficere ex terminis cognitionem requirat.

23 Secundo arguunt: Si supernaturalis habitus esset tota ratio agendi actus supernaturales, voluntas non laboraret in elicientia ipsorum, quamvis essent intensissimi, nec minuerẽtur vires naturales ad alios actus naturales eliciendos: Consequens est falsum; ergo falsum est habitum supernaturalem esse totam rationem agendi. Minor constat experientia, qua conatu in actus supernaturales cognoscimus, qua etiam

cognoscimus nimis attentos ad actus supernaturales minus habiles inveniri ad simul eliciendum naturales. Maior probatur, quia non sufficit aliquam qualitatem in voluntate recipi, & vt sic receptam operari, vt voluntatis vires ad simul agendum proprios actus non minuantur; nam recipere qualitatem non minuit vires activas recipientis, vt patet in aere qui recipiens species aliarum rerum, aliasque qualitates, eandem vim retinet, & expeditionem ad operandum proprios effectus; & sic natura recipiens gratiam habitualem easdem retinet vires expeditas ad actus naturales; sed nec activitas, & operatio procedens à sola qualitate recepta minuit proprias subiecti vires ad proprias operationes, vt patet in ipso aere, qui receptis in ipso speciebus causantibus, & producentibus alias, receptaque luce, aliam producente, retinet eandem vim proximam ad simul producendum proprios effectus. Ex quibus clarè colligitur, quod si charitas esset tota ratio agendi, quamvis recipiatur in voluntate, & in ipsa operetur actum intensissimum charitatis non laborabit in eius elicientia, nec eius vires minuentur ad eliciendum proprios actus.

24 Et clariùs proponitur ab ipsis difficultas. Demus eandem charitatem habitualem nimis intensam esse in duobus Angelis Michaele, & Gabriele, & quod hic habitus charitatis eliceret intensissimos actus receptos, non in Michaele, sed in Gabriele, per quos solùm amaret Gabriel, licèt eliceretur à charitate in vtroque Angelo recepta. In hoc casu vires naturales Michaelis non extenuarentur ad operandum actus proprios naturales; ergo non sufficit subiectum recipere qualitatem operantem, vt vires subiecti extenuentur ad proprios actus simul eliciendos. Ex quo vlteriùs sequitur, quod si habitus esset tota ratio agendi, posset quis exercere simul actus intensissimos omnium virtutum, quin extenuarentur vires voluntatis, ad actus naturales simul eliciendos.

25 Confirmatur: quia si habitus esset tota ratio agendi, non posset quis experiri suum conatum in actum supernaturalem; sicut licèt quis recipiat impulsum agentis extrinseci, à quo trahitur, non experitur proprium conatum; sed potiùs quandam vim ab extrinseco provenientem: at quando homo elicit supernaturales operationes, experitur suum maximum conatum; ergo habitus non est tota ratio agendi. Confirmatur secundò: quia licèt potentia visiva adiuta perfectiori specie, perfectiùs videat, non tamen experitur maiorem conatum, quia illa maior perfectio visionis refunditur in speciem perfectiorem, quæ est causa illius excessus; ergo si habitus esset tota virtus continens effectum, non possemus experiri maiorem conatum, quamvis ferventius, & intensius supernaturaliter operaretur habitus.

26 Quibus consonat Tridentinum Sessione 6. cap. 5. contra Lutherum, & Calvinum, sic docens: *Per cuius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad eorum iustificationem eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponuntur.* Quibus verbis docet Concilium hominem cooperari gratiæ, & consequenter operari; non ergo habitus est tota ratio agendi. Deinde docet hominem excitari per Spiritus S. illuminationem; ergo excitatur ad operandum, frustra autem excitaretur, si homo non operaretur, sed solùm habitus.

27 Idem expressit Concilium eadem Sessione 6. Canone 4. illis verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari Deo excitanti, atque vocanti, quoad iustificationis gratiam se disponat, ac præparet; nec posse dissentiri si velit, sed veluti inanimè quodam nihil omninò agere, sed merè passivè se habere, anathema sit.* Vbi expressè definitur liberum arbitrium non se habere merè passivè, sed agere; & consequenter operatur, & influit activè, & non solùm habitus: quia si solus habitus operaretur, voluntas se haberet merè passivè, nam respectu habitus merè passivè se habet, nec mediatè ratione habitus potest in operationem influere; non enim potest ab aliquo operatio mediatè procedere, nisi influat activè in principium proximum, aliàs immediatè non influeret, & sic merè passivè se haberet.

28 Hoc argumentum supponit sic esse gratiam totam rationem agendi, vt intellectus, & voluntas non influat in amorem, & intellectionem, quod nos negamus, & asserimus vtrumque cõponi, & ex Concilio verbis adductis vtrumque rectè componi colligitur: docet enim per ipsam gratiam hominem assentiri, & cooperari, & consequenter operari; ergo gratiam esse rationem assentiendi, & cooperandi non tollit, quominus per ipsam, & ratione ipsius voluntas verè cooperetur. Respondetur ergo negando maiorem, & ad probationem negandum est voluntatem non laborare, si gratia est tota ratio agendi; cum enim ratio-

tione gratiæ voluntas operetur, ratione illius etiam laborat, & conatur; ſicut ratione habitus naturalis ipſa voluntas facilè operatur, nec ſolum habitus eſt facilis in actu primo, ſed voluntas ratione habitus, vt diximus. Etſi Veſpertilioni ſuperaddantur vires intra eandem ſpeciem potentiæ viſivæ perfectiores, ratione illarum verè, & per ſe videret Solem. Exempla autem in contrarium adducta non ſunt ad rem, nam ſpecies, & lux non elevant vires aeris ad operationes contentas intra ſphæram ſuarum potentiarum: charitas autem, & lumen elevant vires intellectus, & voluntatis ad operationes intra earum obiectum, ſeù ſphæram contentas, propriumque munus luminis eſt conſtituere intellectum potentem in actu primo ad viſionem.

29 Ad explicationem difficultatis dicendum, quod dato illo impoſsibili, ſi vt ipſi putant ſolus habitus operaretur, & non Gabriel, neuter amaret, & neutrus vires extenuarentur: ſi autem ſupponatur Gabrielem amare, & non Michaelem, ſupponendum etiam eſt, quod Gabriel verè, & propriè operaretur, licèt ratione habitus, non verò Michael, eo modo, quo in operationibus purè ſpiritualibus, & quæ nec præſuppoſitivè dependent à materia, ſeù ſenſu poteſt concedi labor.

30 Ad primam confirmationem conſtat impulſum agentis extrinſeci, à quo quis trahitur, non elevare vires illius qui trahitur, vt ſe moveat; atque adeò ſolùm movetur ab imprimente impulſum: ſi autem impulſus eſſet virtus conſtituens hominem impulſum recipientem, potentem ſe movere, verè ſe moveret; ſicut ſi quis accipiat, vt poteſt, à Deo qualitatem vt ſe moveat velociori motu, quam poſsit per vires naturales, tunc ratione huius qualitatis ſe moveret, & non purè moveretur, quia qualitas illa, non eſt vt moveatur, ſed vt ſe moveat; & ſimiliter ſi Deus ſuperaddat vires ad portandum pondus, quod viribus proprijs quis portare non poſsit, medijs illis portaret, connaretur, & laboraret in portando.

31 Ad ſecundam confirmationem quidquid ſit de exempli veritate, dicendum eſt non eſſe ad rem; quia ſpecies non eſt virtus, qua intellectus operatur, ſed ſe tenet ex parte obiecti: habitus autem elevat vires potentiæ, cui tribuit poſſe; atque adeò licèt habitus ſolus contineat actum ſupernaturalem per modum virtutis, tamen quia per modum formæ tribuit voluntati poſſe ad actum, tribuit ipſi continere actum ſupernaturalem.

32 Id, quod additur ex Concilio, nullam habet robur. Nam ſolùm affirmat liberum arbitrium cooperari, & non merè paſsivè ſe habere, quod rectè componitur, etiam ſi gratia ſit tota ratio agendi: imò, vt vidimus, vtrumque docet, nam liberum arbitrium per gratiam operari, eſt operari ratione gratiæ; particula enim *Per* denotat cauſam formalem, qua poſſumus, & ſine qua inſufficientes, & impotentes ſummus ad actus ſupernaturales, vt paſsim in Scriptura, & PP. reperitur. Et iterùm notare oportet Lutherum putaſſe non poſſe gratiam eſſe totam rationem agendi, quoniam liberum arbitrium merè paſsivè ſe haberet, ex quo principio falſo, ſumpta minori vera, quod ſcilicèt eſt tota ratio agendi, intulit conſequens falſum, & hæreticum, nimirum liberum arbitrium merè paſsivè ſe habere: Calvinus verò putavit, quod ſi gratia eſt tota ratio agendi, liberum arbitrium non poteſt agere niſi ſolùm denominativè, & peraccidens: ex quo principio falsò, ſubſumpta eadem minori vera, intulit abſurdum conſequens, nimirum liberum arbitrium ſolùm agere denominativè, & peraccidens. Recentiores verò ex eodem principio falsò, ſubſumpta minori vera, ſcilicèt, liberum arbitrium propriè, & per ſe agere, intulerunt conſequens falſum nimirum gratiam non eſſe totam rationem agendi.

DVBIVM III.

Quomodo componatur cum noſtra ſententia libertas actuum ſupernaturalium.

33 NOSTRA Concluſio eſt. Non obſtat libertati actuum ſupernaturalium, quod gratia ſit tota ratio agendi; ſed potius obſtat dignitati gratiæ, quod ſic adſtruatur libertas actuum ſupernaturalium, vt voluntas ex propria virtute, & ratione ſui ſic influat in actum ſupernaturalem, vt ex vi huius influxus determinet gratiam ad influendum

dum in eũdem actum. Hæc conclusio quoad primam partem probatur: nam si voluntas ratione sui, & ex vi influxus ab ipsa immediatè procedentis determinaret gratiam, illam sibi subordinaret in operando; sed hoc absurdum est derogans dignitati gratiæ; ergo obstat gratiæ dignitati, quod sic constituatur libertas actuum supernaturalium, vt voluntas ex propria virtute sic influat in actum supernaturalem, vt ex vi huius influxus determinet gratiam ad operandum. Maior, & minor sunt probandæ. Et maior probatur: nam ex duabus causis concurrentibus ad eundem effectum, illa sibi alteram subordinat in operando, quæ alteram ad operandum determinat, & quæ ex vi libertatis, & dominij potest illam determinare, vel non determinare, vt ex se videtur manifestum, & Adversarij non negabunt, qui idem videntur fateri de Omnipotentia, quàm creatæ voluntati subordinant, vtpotè quæ à voluntate creata determinatur ad operandum hunc potiùs, quam illum actum, & apud voluntatem creatam constituunt dominium proximum, & libertatem ad determinandum, vel non determinandum Omnipotentiam Dei, quia proximum dominium diuinę voluntati negant. Minor etiam videtur certa; quia exinde sequitur, quod natura principalius, & perfectius, quam gratia concurrat ad actus supernaturales, & consequenter, quod potiùs naturæ, quam gratiæ essent tribuendi: gratiam autem primatum habere in ordine ad actus supernaturales ex Scriptura docemur passim à PP. & modo probandum non est. Sequela autem ex se est manifesta, nem ex duabus causis partialibus concurrentibus partialiter ad eundem effectum, illa præstantiorem præstat influxum, & principalius concurrit, quæ sibi aliã determinat, & subordinat in opperando, vt ex terminis constat.

34 Dices: hoc esse verum, si cætera sint paria, secus autem si paria non sint, vt in præsenti contingit, nam voluntas, & intellectus solum concurrunt instrumentaliter ad actus supernaturales, gratia autem principaliter. Sed contra est primo. Quia implicat causam partialem instrumentaliter concurrere, & simul sibi subordinare incõcurrendo alteram causam partialem principalem, qualis est gratia; & ratio est, nam causa sic concurrens, quod sit domina actionis, & effectus, non potest non habere principalitatem causæ ad effectum. Cui accedit quod causa verè instrumẽtalis subordinatur causæ principali, & effectui. Secundò, quia gratia est causa partialis principalis, quæ producit actum sub ratione supernaturalis, vt aiunt, quamvis indigeat voluntate causante actum sub ratione voluntarij, liberi, & vitalis, & sibi subordinante in concurrendo ipsam gratiam; ergo potiori titulo, quia voluntas nostra concurrit ad actum sub ratione vitalis, voluntarij, & liberi, concurrit principaliter, etiam si indigeat gratia, quam sibi subordinat, & quæ sic subordinata causat partialiter actum sub ratione supernaturalis.

35 Tertiò. Quia vt in præsenti probant nostri Thomistæ, vivens in actu secundo non potest instrumentaliter ad ipsum concurrere, & ipsi Adversarij asserentes instrumentaliter concurrere, frequenter docent esse quæstionem de nomine, an potentia naturalis dicenda sit causa instrumentalis, vel principalis, eamque instrumentalem vocant, quia concurrit per potentiam obedientialem; non tamen quia concursus supposita gratia perfectior non sit hic, & nunc. Quartò. Quia voluntas concurrit sicut ad alios actus naturales: nam ad hos solùm concurrit quantum sufficit, vt per illos vivat, & velit in actu secundo: at voluntas ad actus supernaturales concurrit ratione propriæ virtutis, quantum sufficit, vt per ipsos vivat, & libere velit; ergo concurrit sicut ad actus naturales: & consequenter vel ad actus naturales concurrit etiam instrumentaliter, quod non concedunt, vel ad actus supernaturales principaliter concurrit.

36 Quod vlterius explicatur: in ordine ad actus naturales voluntas non concurrit instrumentaliter, quia sic concurrit vt per ipsos vivat in actu secundò, & libere velit: si enim ad hoc vt vivat, & libere velit per illos, necessarius non est concursus principalis, non est fundamentum aliquod ad concedendus voluntati in actus naturales concursum principalem; cum enim concursus solum inferatur ex eo, quod per actum vivit, & libere vult, si ex hoc principalitas in causa non infertur, ex nullo capite infertur; atque adeò si ratione propriæ virtutis sic influit in actus supernaturales, vt per ipsos vivat in actu secundo, concurrit vt causa principalis.

37 Dices secundò: ex eo, quod gratia concurrit ad actus liberos vt determinata per voluntatem non inferri minus principaliter concurrere, & patet in Omnipotentia, quæ ad actus liberos concurrit determinata per voluntatem creatam: & non longè per-

perfectius concurrit Omnipotentia, quam voluntas creata. Sed hoc facilè reijcitur primò: Quia falsum omninò est Omnipotentiam concurrere vt determinatã,& subordinatam voluntati creatæ vt alibi ostendimus. Secundò: Quia falsum etiam est, quod admissâ doctrina illa, quam falsam omninò putamus, consequenter ab eius Authoribus asseratur, quod principalius, & perfectius concurrit Omnipotentia, quã voluntas creata. Inconsequentia constat ex dictis: quidquid enim vt subordinatum alteri concurrit, imperfectius concurrit. Et quidem maius absurdum non apparet in eo, quod Omnipotentia imperfectius concurrat quam creatura, quam in eo, quod subordinata creaturæ concurrat.

38 Dices, quod ab imperfectione depuratur hęc subordinatio, quia oritur ex ipso Deo volente offerre suum concursum indifferentem creaturæ ab ipsâ determinandum ad partem quam maluerit,& subijciẽdo liberè,& voluntariè suam Omnipotentiam creaturæ. Hoc etiam facilè excluditur; quod si semel, vt probatum est, Omnipotentiam formaliter, & proximè vt subordinatam creaturæ concurrere imperfectio est, Deus hoc non potest velle, nec id velle imperfectionem excludit, sed potiùs addit defectum in volendo; alias quodlibet prædicatum imperfectionem ex se dicens posset ab imperfectione depurari per hoc quod Deus illud vellet admittere: & etiam in sententia Adversariorũ posset Deus velle, quod voluntas creata determinaret non solùm Omnipotentiam, sed ipsam voluntatem divinam ad aliquid volẽdum,& quod voluntas creata sibi subordinaret voluntatem divinam, & illam necessitaret ad volendum, sicut Deus potest necessitare voluntatem creatam, quod quamvis ex Adversariorum doctrina admitti debeat, absurdum apparet.

39 Sed quidquid sit de hoc, ex doctrina ista argumentum desumimus: namque vt Deum concurrere determinatum à creatura, ab imperfectione liberetur, & ab inferioritate ad creaturã, necessarium est, vt ipse Deus libere creaverit voluntatem creatam, libereque ipsam constituerit in actu primo indifferentem, & liberam; sed gratia,& charitas; v.g. nec creavit voluntatem creatam, nec ipsi libere offert suum concursum, sed ex natura sua illi in eliciendo actum subordinatur; ergo ab imperfectione, & inferioritate respectu voluntis depurari non potest. Confirmatur; si Omnipotentia ex natura sua independenter à voluntate Dei libere illam subijcientis creaturæ, esset illi subordinata,& ex creaturæ determinatione concurreret, inferior esset in concurrendo ipsa creatura; sed charitas ex natura sua sic ad actum liberum concurrit, & hæc est eius natura; ergo ex se inferior est in concurrendo ipsa voluntate.

40 Deindè. Prima pars conclusionis probatur, & simul posterior, & ratio præcedens, confirmatur, supponendo aliud esse in voluntate nostra esse causam efficientem actuum supernaturalium, aliud esse illorum dominam; sicut in Deo aliud est esse causam efficientem creaturarum, aliud esse illarum dominum: Primum consistit in influxu physico in actum, vel in creaturam: secundũ autem in potestate supra actum, vel supra creaturam, scilicèt, quatenus voluntas sic dat esse actui, vt possit non dare, sic conservat, vt possit non conservare ex eius arbitrio. Ex quo oritur, vt ex vi sui influxus determinet se,& alia comprincipia, si quæ sunt ad actum; alia autem principia concurrunt vt determinata à voluntate, in quo modo concurrendi, scilicèt determinando se, & alia, exercitium dominij,& libertatis constituit. Quo supposito sic probatur prima pars conclusionis. Charitas v. g. est forma, qua voluntas constituitur domina actus voluntatis,& potens ratione influxus, quem præstat media illa, se, & alia comprincipia liberè determinare, & tanquam domina ad eliciendum actum charitatis; ergo quod sit tota ratio agendi libertatem actus charitatis non tollit. Consequentia patet: nam forma, qua principium aliquod constituitur dominus actus,& potens influxu media illa præstito, se,& alia ad actum eliciendum determinare, libertatem actus auferre non potest, cum actus liber in actu secundo supponat principium potens se,& alia comprincipia determinare,& consequenter supponit formam, qua principium constituitur. Antecedens autem probatur: actus charitatis non potest existere, nisi sit à gratia, non solùm effectivè, sed determinativè, & quasi dominativè: at non est à gratia determinativè tanquam à libero arbitrio; ergo est ab illa determinativè tanquam à forma, qua voluntas constituitur potens se,& alia determinare tanquam domina ad actum charitatis. Consequentia est bona, quia non potest actus alio modo determinativè ab aliquo procedere, nisi vel tanquam à libero arbitrio, vel tanquam à forma, qua liberum arbitriũ,

scilicèt, voluntas constituitur potens se determinare vt domina,& libera ; ergo si est à gratia determinativè,& non tanquam à libero arbitrio, est ab illa tanquam à forma, qua voluntas constituitur potens ad se determinandum vt domina.Minor etiam constat,nam charitas non est liberum arbitrium; ergo non procedit ab illa actus charitatis, tanquam à libero arbitrio.

41 Maior autem probatur. Quia actus charitatis supernaturalis est, non potest existere non concurrente gratia effectivè ad eius existentiam ; ergo quia supernaturalis est, non potest existere, non concurrente gratia determinativè. Probatur consequentia. Eo antecedens est verum, quia eo quod supernaturalis est, superat, seù est suprà vim effectivam naturæ : sed ex eodem principio infertur esse supra eius vim determinativam, scilicèt, supra eius naturale dominium; ergo ex eodem principio infertur non posse existere, non concurrente gratia determinativè.Minor hæc probatur : ex inferioritate naturæ comparativè ad supernaturalia infertur actum excedere vim activam naturæ ; ergo ex eadem inferioritate infertur excedere vim determinativam;non enim minus extollit naturam vis dominativa, & determinativa supra actum supernaturalem, quam vis effectiva; nec minus deprimit excellentiam entis supernaturalis non excedere vim effectivam,quam non excedere vim dominativam; sicut non est minor perfectio voluntatis esse dominam, seù exercere dominium supra actum supernaturalem, quam esse efectivam illius.

42 Dices, quod licèt ratione sui voluntas sit domina actus supernaturalis, hoc dominium est solùm conditionatum, indigens gratia, quam non exposcit, & quæ necessaria est, vt dominium transeat in absolutum; sicut licèt habeat vim activam ratione sui, quia tamen est conditionata indigens gratia, quam non exigit, & quæ est necessaria, vt vis activa naturæ transeat in absolutam,non est huiusmodi vis supra conceptum naturæ, sed cum ipsa natura identificatur.

43 Sed contra est, vel enim gratia est ratio formalis saltim inadæquatè constituens hoc dominium, vel est sola conditio, licèt requisita, supra exigentiam tamen naturæ, vt ipsa voluntas ratione sui sit adæquata domina, quin gratia etiam inadæquatè hoc dominium per modum formę constituat : si hoc secundum dicatur,voluntas ratione sui est adæquatè domina identificans vim adæquatam determinativam, & dominativam actus supernaturalis ; quod multo magis extollit naturam, quam habere vim solum inadæquatam activam, & esse partialem,& inadæquatam causam actus supernaturalis, magisque deprimit excellentiam gratiæ supernaturalis. Quod si supernaturalitas salvatur præcisè per hoc, quod dominium supra actum supernaturalem adæquatè constitutum in natura indigeat gratia vt conditione requisita, quam non exposcit, pariter poterit salvari supernaturalitas actus, etiam si adæquata vis activa in natura constituatur, indigens tamen gratia vt conditione requisita, non tamen exacta à natura; sufficietque gratiam Dei esse necessariam per modum conditionis, vt natura de facto influat in actum supernaturalem ; quod est incidere in sententiam Bacconij adæquatam vim activam in actus supernaturales tribuentis naturæ.

44 Si autem dicatur primum, nimirum gratiam inadęquatè hoc dominium constituere per modum formæ. Contra est primo. Nam semel concesso, quod gratia inadæquatè est forma, & ratio, media qua voluntas se determinat, influxus media gratia præstitus verè est influxus voluntis, licèt ratione gratiæ, & verè est determinatio,qua voluntas se determinat ratione gratię. Ex quo manifestè iuxta Recentiorum principia infertur, quod etiam si gratia sit tota ratio agendi, poterit ratione illius voluntas propriè se determinare : nam sicut influxus, & determinatio gratiæ est ab illa solùm vt à principio *quo*, & à voluntate, & anima vt *quod*, poterit similiter etiam si determinatio, sicut & influxus sit adæquatè à gratia, esse ab illa vt à principio,*quo*,& verè,& propriè vt *quod* ab anima,& voluntate,vt re vera est. Per quod verificatur, quod non libertate consequimur gratiam, sed gratia consequimur libertatem, nimirum, quia gratia est forma adæquata, qua voluntas constituitur libera in actu primò, & potens se determinare ad actus supernaturales. Secundò. Quia admisso gratiam constituere inadæquatè dominium, seù voluntatem potentem se libere determinare, tenentur Adversarij propria solvere argumenta, & patiuntur manifestam instantiam : nam iuxtà illos, principium se determinans ad actum, est quod potest suspendere influxum in actum,& cui tribuitur omissio actus,vel etiam actus oppositus;ergo cum charitas saltim in-

adæ-

adæquatè determinet ad actum, ipsi saltim inadæquatè debet tribui omissio actus, vel etiam actus oppositus.

45 Tertiò probatur conclusio. Nam vt voluntas libere eliciat actum charitatis, sufficit vt ratione charitatis possit elicere illum, & ratione sui possit omittere, vel etiam elicere actum oppositum; sed etiam si sit tota ratio agendi, salvatur, quod ratione charitatis potest ad actum charitatis, & ratione sui potest omittere; ergo etiam si sit tota ratio agendi, salvatur libertas actus charitatis. Consequentia est bona, maior, & minor sunt probandæ; & maior probatur: Nam licèt necessarium sit ad libertatem actus, quod volùtas illum eliciens possit omittere, vel elicere actum oppositum, non tamen requiritur, quod ratione eiusdem virtutis hoc possit; ergo vt libere eliciat actum charitatis, sufficit quod ratione charitatis possit actum charitatis elicere, & ratione sui omittere, vel elicere actum oppositum. Antecedens probatur: nam in Adversariorum sententia, voluntas non est potens adæquatè ad actum charitatis ratione sui, sed est potens ratione charitatis saltim inadæquatè constituentis principium inadæquatum actus charitatis; & tamen sola voluntas ratione sui est potens omittere, vel etiam elicere actum oppositum; cum charitas, nec etiam inadæquatè concurrat ad omissionem actus charitatis, aut actũ oppositũ: Ergo secundò, ad actum chariratis voluntas, in Adversariorum sententia, inadæquatè immediatè concurrens, influit ratione potentiæ obedientialis, & omissio est à voluntate ratione potentiæ naturalis; ergo non est necessarium, vt voluntas sit libera ad actum, quod ratione eiusdem virtutis sit potens ad actum & eius omissionem. Tertiò: Nam licèt ratione diversæ virtutis hoc possit voluntas, dum tamen possit, in eius est potestate, elicere, vel omittere actum; sed actus qui sic elicitur à voluntate, vt possit illum omittere, liber est; ergo etiam si possit ratione diversæ virtutis, actus erit liber.

46 Minor principalis quoad primam partem, nimirum quod etiam si charitas sit tota ratio agendi, salvatur quod ratione charitatis sit potens voluntas ad actum charitatis, in quem propriè, & non solùm denominativè influat, ex supradictis constat; ad hoc enim datur habitus charitatis, vt voluntas propria virtute impotens, elevetur, & vires supernaturales accipiat, quibus virtus propria constituatur potens proximè ad eliciendum actum charitatis. Ex quo etiam probatur secunda pars minoris, scilicèt, quod possit omittere ratione sui: nam etiam supposita charitate, retinet naturalem vim ad omittendum, vel ad actum oppositum; cum hæc exercitia intra ambitum suæ naturalis virtutis contineantur, ad quæ elevationem dantem posse non requirit; ergo ratione propriæ virtutis potest omittere.

47 Confirmatur, & explicatur amplius: vt voluntas verè possit omittere ratione propriæ virtutis, vel elicere actum oppositum, sufficit quod habeat virtutem ratione sui ad illa exercitia, & quod verè, & propriè ratione charitatis eliciat actum charitatis, seù possit illum verè, & propriè elicere; sed ex se habet virtutem ad illa exercitia, & ratione charitatis propriè influit, & elicit actum charitatis; ergo potest omittere, vel elicere actum oppositum. Minor constat, & maior probatur. Nam illius, qui elicit actum, & habentis vim ad illum omittendum, vel eliciendum actum oppositum, est omittere, cessare ab actu, vel actum oppositum elicere; sed voluntas ratione charitatis potest, & elicit charitatis actum, & ratione sui, vt vidimus, habet vim ad omittendum, vel eliciendum actum oppositum; ergo illius est posse omittere, vel etiam actum oppositum elicere.

48 Confirmatur secundò. Inde probant Adversarij voluntatem cessare non posse ab elicientia actus charitatis, si charitas est tota ratio agendi, quia existimant hoc supposito voluntatem non elicere actum charitatis, sed solam charitatem esse principium elicitivum illius; ergo cum nos probaverimus voluntatem media charitate verè elicere actum, cuius oppositum Adversarij non probant, sed nec probare possunt, sed supponunt, sicut nec probare possunt animam non influere medijs potentijs in actus naturales, rectè inferimus voluntatem sic elicere actum charitatis, vt possit illum omittere, seù ab illo cessare.

49 Confirmatur tertiò. Quia voluntas ratione virtualitatis, qua continet actus naturales, elicit illos, & ratione alteriùs virtualitatis potest non elicere, seù elicere actum oppositum, sic elicit actum naturalem, vt possit ab illo cessare, vel actum oppositum elicere; sed voluntas ratione charitatis elicit actum supernaturalem charitatis, & ratione virtutis naturalis est potens non elicere, vel habere actum oppositum; ergo sic elicit actum supernaturalem charitatis,

vt possit ab illo cessare, vel actum oppositum elicere.

56 Confirmatur quartò. Charitas est libera in actu primo per modum virtutis, constituitque voluntatem potentem libere elicere actum; ergo quod sit tota ratio agendi, non tollit libertatem actus. Antecedens probatur; vt charitas sit libera vt *quo*, & per modum virtutis sufficit quod ratione sui det posse ad actum charitatis, & relinquat, seù permittat voluntati illum omittere, seù actum oppositum elicere; sed charitas dat posse ad actum charitatis, & relinquit, seù permittit voluntati illum omittere, & actum oppositum elicere: ergo est libera in actu primo; & consequenter per modum virtutis constituit voluntatem potentem libere elicere actum. Minor constat: quia cum voluntas sit verè potens media charitate elicere actum, & propriè eliciat, relinquens potentiam ad oppositum, charitas, cum non destruat vim nativam voluntatis, sic dat posse, vt permittat voluntati omittere. Maior autem probatur: nam forma libera per modum virtutis, & in actu primo non requirit esse indifferentem per potentiam ad vtrumque extremum indifferentiæ, sed sufficit vt det posse ad vnum per modum virtutis, & permittat voluntati alterum. Licèt enim libertas per modum potentiæ requirat hanc indifferentiam potestatis ad vtrumque extremum, non tamen libertas per modum virtutis, & explicatur in actu, quia est ipsum exercitium libertatis, & maximè liber, & tamen est determinatus ad vnum extremum, imò ipsa determinatio ad vnum, cui repugnat alterum extremum attingere, qui tamen, vt diximus, est maximè liber per modum actus secundi, quia sic est determinatio ad vnum, quod relinquit, & supponit in voluntate potentiam ad oppositum; similiter ergo licèt charitas sit virtus ad actum charitatis, & non ad omissionem, seù ad actum oppositum, quia tamen relinquit voluntati potentiam ad oppositum, erit libera per modum virtutis. Similiter aliter est libera anima, nimirum per modum radicis, aliter voluntas per modum potentiæ dantis animæ posse ad vtrumque extremum, aliter actus, scilicèt, vt determinatio ad vnum supponens in potentia virtutem ad oppositum; ergo charitas, quæ est quasi medium inter voluntatem, & actum, poterit esse libera, quin sit potens ad oppositum, sicut voluntas, & quin sit determinatio ad vnum extremum, seù ipsum exercitium libertatis, sicut actus, sed solum quia dat posse ad vnum extremum, relinquens potentiam ad oppositum. Deindè sicut virtualitas, ratione cuius voluntas est potens ad actum naturalis amoris est libera in actu primo, quasi per modum virtutis, quamvis virtualitas illa, aut voluntas ratione illius non sit potens ad oppositum, quia scilicèt illa virtualitas componitur in voluntate cum alia, qua voluntas potest ad oppositum; pariter quamvis voluntas non sit potens ratione charitatis ad oppositum; sed solùm ad actum charitatis; quia tamen charitas componitur in voluntate cum potentia ad oppositum, erit libera in actu primo per modum virtutis.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

51 ARGVITVR Primò. Libertas proxima, & immediata inest voluntati respectu actus charitatis; sed libertas immediata, & proxima ipsi competere non potest sine immediata activitate in actum supernaturalem; ergo non potest ei inesse libertas, si habitus est tota ratio agendi. Consequentia patet: nam si habitus est tota ratio agendi non competit voluntati immediata activitas in actum supernaturalem; ergo si sine immediata hac activitate non salvatur libertas, nec salvari potest, si habitus est tota ratio agendi. Maior negari non potest: voluntas enim est liberum arbitrium, etiam in ordine ad actus supernaturales, quos voluntati esse liberos, fide certum est. Minor verò probatur: nam potentia libera est essentialiter activa cum indifferentia ad non agendum; atque adeò potentia immediatè, & proximè libera debet esse immediatè, & proximè activa cum indifferentia ad non agendum; si ergo voluntas est immediatè, & proximè libera, debet esse proximè, & immediatè activa.

52 Si autem dicatur, voluntatem non esse immediatè liberam, sed medio habitu. Contra est; tùm quia libertas solùm mediata non est verè libertas, sed solùm de-

nor

nominativè: tùm etiam quia vt sit mediatè libera asignari debet aliquid proximè liberum: at hoc asignari non potest; ergo. Minor hæc probatur: habitus non est proximè liber; ergo asignari non potest aliquid immediatè, & proximè liberum. Antecedens probatur; quia si esset proximè liber, esset liberum arbitrium in ordine ad actus supernaturales, sicut voluntas in ordine ad actus naturales, dareturque in homine duplex liberum arbitrium, quod inauditum est: tùm etiam, quia habitus est determinatus ad actum, non indifferens ad actum, & eius omissionem; ergo non est proximè liber. Consequentia probatur; quia libertas in indifferentia consistit, & antecedens est certum. Nam habitus non potest cohibere actum charitatis; v. g. non enim potest per nolitionem actus charitatis, cum habitus charitatis non possit influere, nisi in actum, qui sit formalis, aut virtualis tendentia in bonitatem divinam; nolitio autem actus charitatis non est formalis, aut virtualis tendentia in bonitatem divinam: nec potest per omissionem actus charitatis: nam cui repugnat actus formalis, seù positiva nolitio, etiam repugnat virtualis, & interpretativa nolitio: at omissio actus charitatis est virtualis, & interpretativa nolitio actus charitatis; ergo si charitati repugnat elicere nolitionem actus charitatis, etiam repugnabit omissio eiusdem actus.

53 Confirmatur: si libertas proxima ad agendum actum supernaturalem conveniret gratiæ, vt distinctæ à voluntate, voluntas vt distincta à gratia non esset potentia libera, sed simpliciter necessaria in actu primo proximo ad agendum actum, sed hoc dici non potest; ergo. Sequela probatur: Potentia, quæ est in actu primo libera, solùm mediatè per denominationem à forma sibi necessariò convenienti, simpliciter est necessaria, & non libera: at si tota ratio proxima ad agendum actum supernaturalem esset gratia divina, voluntas esset libera solùm mediatè per denominationem à forma sibi necessariò conveniente; ergo simpliciter est necessaria, & non libera. Probatur maior, in qua posita est difficultas; actus mediatè liber per denominationem ab alio actu à se independenti, potiùs est necessarius, quam liber in actu secundo; v. g. actus exterior imperatus efficacitèr ab interiori, qui in se immediatè non est à facultate libera, sed medio alio actu à se independenti, quo posito non potest non à voluntate pendere; ergo similiter potentia in actu primo libera solùm mediatè per denominationē à libertate alterius formæ à se independenti non est propriè, & simpliciter libera, sed necessaria. Et quidem saltim sequitur actum supernaturalem non esse magis liberū, quam sit actus exterior ab interiori imperatus; & consequenter sequitur non esse magis meritorium, quam actus exterior, qui in cōmuni sententia non meretur præmium distinctum à præmio correspondenti actui interiori.

54 Confirm. 2. Virtus activa immediatè libera debet esse determinativa suæ actionis, potiùs quam non actionis: at solus habitus non est determinativus suæ actionis, potiùs quam non actionis; ergo non est liber. Min. probat. Nam sola voluntas est, quæ elicit actum, quo vult non esse actum charitatis, & sola est à qua adæquatè procedit omissio eiusdem: sed illius est se determinare ad actionem potiùs, quam non actionem, à quo est nolitio actionis, vel actionis omissio; ergo habitus non est determinativus suæ actionis, potiùs quam non actionis.

55 Tandem, inadæquatum dominium proximum actus supernaturalis est apud voluntatem ratione sui; ergo similiter erit apud ipsam immediata activitas saltim partialis. Conseq. probat. Quia vt supra diximus, dominium in actum supernaturalem non est minoris excellentiæ, quam activitas in eundem; ergo si non est contra vel supra conceptum naturæ inadæquatum dominium in actum supernaturalem, nec partialis activitas in eūdem. Anteced. 1. probatur: Nam dominium in actum supernaturalem consistit in potentia, & indifferentia, ratione cuius voluntas habet in sua potestate esse, aut non esse actus supernaturalis: sed esto ratione habitus possit facere, quod existat actus supernaturalis; tamen ratione sui potest facere quod non sit; ergo dominium proximum inadæquatè constituitur per ipsam voluntatem. Itaque dominium proximum duo formaliter dicit, potentiam ad actum, & potentiam ad non esse actus; licèt ergo potentia proxima ad actum constituatur per gratiam, potentia tamen ad non esse illius per voluntatem constituitur, & consequenter dominium proximum inadæquatè constituitur per ipsam voluntatem. Quibus addendum est, quod libero arbitrio, quod in voluntate consistit, tribuitur tàm actus supernaturalis, quàm eius omissio, quod esse non posset si voluntas ratione sui non sibi subderet gratiam, & ipsam ad operandum determinaret.

56 Respondetur distinguendo maiorem, immediata, & proxima libertas inest voluntati in actum supernaturalem, ratione sui, nego maiorem, ratione gratiæ, concedo maiorem, & distinguo minorem, si habitus est tota ratio agendi non potest voluntati inesse immediata libertas, ratione sui, concedo minorem, ratione gratiæ, nego minorẽ, & neganda est consequentia; ad probationẽ concedimus voluntati inesse primam, & immediatam libertatem in sensu dicto, scilicèt, ratione gratiæ. Ad probationem minoris dicendum, potentiam liberam proximè, & immediatè debere esse activam, non tamen est necessarium esse activam ratione sui, sed sufficit, si sit activa ratione gratiæ.

57 Si dicas: implicat esse liberam, & activam proximè & immediatè, si sit activa, & libera ratione gratiæ; cum gratia mediet inter voluntatem, & actum; ergo solutio implicatoria involuit. Distinguendum est antecedens, implicat esse immediatè liberam per modum potentiæ, negandum est antecedens, per modum virtutis concedendum est, & neganda consequentia: itaque voluntas immediatè est libera per exclusionem alterius liberi per modum potentiæ, & similiter immediatè activa per exclusionem alteriùs potentiæ activæ mediantis; non tamen est immediatè libera per exclusionem gratiæ mediantis, & dantis virtutem, vt voluntas habeat potentiam ad actum supernalem, quam ex se non habet; & similiter est immediatè activa per exclusionem alterius formæ activæ per modum potentiæ; non tamen per exclusionem virtutis mediantis: ad salvandũ autem perfectam libertatem in voluntate ad actum supernaturalem, nihil obest, vt vidimus, quod non sit potens ad illum nisi ratione gratiæ; sufficit enim quod voluntas sic possit ad actum supernaturalem, vt possit illum omittere, & ab illo cessare. Quod autem si verè hanc potentiam habet, illam à gratia, vel ex se habeat, libertati nihil obest; sed potius hanc potentiam determinativam ex se habere, obstat dignitati gratiæ: ex quo intulimus perfectius influere naturam in actum supernaturalem, naturam subijcere sibi gratiam, & adæquatum dominium in actum supernaturalem convenire naturæ ratione sui. Quod si inconveniens non est, nec erit inconveniens, quod adæquata activitas in actum supernaturalem, cóveniat naturæ ratione sui, solùm concurrente gratia vt conditione; & vt supra notavimus, tota difficultas, quam ipsi insuparabilẽ putant, oritur ex eo, quod supponunt non posse gratiam esse totam rationem agendi, & simul quod voluntas ratione gratię verè operetur; & sicut illi ex hac suppositione inferunt consequens falsum, nimirũ gratiam non esse totã rationem agendi; alij Recentiores peius intulerunt absurdũ consequens, negantes influxum naturę, & affirmantes merè passivè se habere. Sententia autem Thomistica vtrumq; cõponi posse, & debere affirmat, nimirũ gratiã esse totam rationem agendi, & naturam ratione illius verè influere & vtrumque ex Concilijs, & PP. efficacitèr deducunt Thomistæ.

58 Et in hoc sensu intelligenda est solutio, quę in argumento subiungitur, nimirum habitũ sivè gratiã mediare inter voluntatem & actũ per modum virtutis liberæ, non per modũ potentiæ: ad illius primam impugnationẽ dicendũ, mediatione habitus non obstante voluntatẽ esse immediatè, & absolutè liberã, vtpotè potentẽ ad actus omissionem; & licèt mediet habitus, seù gratia, hæc tamen non est potens ad vtrumq; imò nec est potens ad actũ, nisi per modũ virtutis, & sola potentia est domina actus, & quæ verè per modum potentiæ, & liberi arbitrij habet in sua potestate elicere, vel omittere actũ: si verò gratia mediaret, vt ipsi supponunt nos dicere, per modũ potentię liberę, & voluntati solùm conveniret recipere illam; tunc transeat, quod gratia esset liberum arbitrium, & voluntas solùm denominativè libera.

59 Ad 2. impugnationem dicendum: assignari à nobis aliquid immediatè liberũ, & medians, non tamen liberũ per modũ potẽtię, sed per modum virtutis: ex quo non infertur gratiã esse liberũ arbitriũ, sed est virtus, qua liberũ arbitrium, nimirum voluntas constituitur potens ad vnũ ex extremis, nimirũ actũ supernaturalem. Ad 3 impugnationem dicendum: habitum esse determinatũ per modum virtutis, quatenus solùm dat virtutẽ potentiæ ad actũ supernaturalẽ, permittit tamen voluntati potentiã ad oppositũ, quod sufficit ad libertatẽ habitus per modũ virtutis, & vt diximus, in actu vbi maximè relucet libertas, maior est determinatio sine libertatis actus dispendio; quia ad illam sufficit, si permittat, vel supponat in voluntate potentiam ad oppositum, quamvis ipse sit ipsa determinatio ad vnum: libertas autem, quæ in indifferentia consistit, est libertas constitutiva liberi arbitrij, quod sicut & ipsa voluntas in ratione liberæ per hanc indifferentiam, & potestatem constituitur, non libertas abstrahens à libertate actus, virtutis, & potentiæ, seù liberi arbitrij, quamvis omnis libertas, tàm actus, quàm virtutis,

con-

connotet hanc indifferentiam liberi arbitrij, ſine qua actus libertatem propriam habere non poteſt.

60 Ad primam confirmationem diſtinguenda eſt maior. Si conveniret gratiæ libertas proxima per modum virtutis, nego maiorem, ſi conveniret per modum potentiæ, & liberi arbitrij, tranſeat maior, & conceſſa minori, neganda eſt conſequentia. Ad probationem maiores, ſeù ſequelæ, diſtinguenda eſt maior, ſi ſit libera à forma ſibi neceſſario convenienti, & libera per modum potentiæ, admitto maiorem, ſi ſit libera à forma ſibi neceſſariò convenienti, & libera ſolùm per modum virtutis, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, neganda eſt conſequentia: Dicimus ergo, quod ſi gratia medians eſſet libera per modum potentiæ, vel tanquam liberum arbitrium, tranſeat quod voluntas non eſſet libera, ſed neceſſaria, non tamen gratia medians ſic eſt libera, ſed ſolùm per modum virtutis dantis poſſe voluntati ad actum ſupernaturalem, & permittentis in ipſa potentiam ad oppoſitũ; & ſicut volũtas eſt libera in ordine ad amorem naturalem; v.g. licèt ipſi neceſſariò cõveniat virtus ad actum naturalem amoris, quia cum hac virtute retinet virtutẽ ad oppoſitum, pariter licèt neceſſariò, & non libere conveniat voluntati potentia ad actũ ſupernaturalẽ ratione gratiæ, quia tamẽ retinet potentiã ad oppoſitũ, eſt verè potẽtia libera.

61 Ad maioris probationem dicendum: actum exteriorem imperatum efficacitèr ab actu interiori libero verè eſſe liberum, licèt libertate exttinſeca deſumpta formaliter à libertate actus interioris, & ideò eſt actus moralis, vel bonus, vel malus, & peccatum, non tamen habet libertatem, aut bonitatem moralem intrinſecam; quia actus interior non ſic imperat, vt ex vi ſuæ efficaciæ faciat, quod procedat à potentia eliciente actum exteriorẽ indifferenter, & libere libertate, & indifferentia deſumpta ex potentia elicente, ſed ſolùm ex indifferentia, & voluntate imperante: gratia autem habet pro effectu formali, quod ipſa volũtas ratione illius verè eliciat actum ſupernaturalem, retinens potentiam ad oppoſitum, atque adeò præſtat quod libere ab ipſa voluntate procedat ratione gratiæ. Hæc dicta ſunt de actu exteriori elicito à potentia diſtincta à voluntate; ſi verò ſermo ſit de actu à voluntate elicito, ſolùm exteriori, quia ab alio eiuſdem voluntatis actu imperatur, dicendum: poſſe habere libertatem propriam intrinſecam, quamvis ab alio efficacitèr imperetur, ſi procedat à voluntate medio iudicio indifferenter proponente eius obiectum. Ex quo patet, quod non ſequitur actum ſupernaturalẽ non eſſe magis liberum, quàm ſit actus exterior elicitus à potentia exteriori, & imperatus à voluntate: nam actus iſte exterior, licèt imperetur à potentia libera, nimirum à voluntate, non elicitur à potentia indifferenti: actus verò ſupernaturalis elicitur verè, & propriè à potentia libera, ſcilicèt voluntate, licèt ratione gratię dantis virtutem.

62 Ad ſecundam confirmationem dicendum: gratiam eſſe determinativam ſuæ, & voluntatis actionis, non tamen per modũ potentiæ, ſed per modum virtutis dantis voluntati poſſe elicere actionem, media qua ſe, & gratiam determinat ad operandum: vndè voluntas ratione gratiæ determinat, & ipſa voluntas ratione eiuſdem gratiæ determinatur: nam potentia eliciens libere actionem determinat, & eadem potentia determinatur. Cum ergo voluntas ratione gratiæ ſit potens elicere actum ſupernaturalem, ratione eiuſdem gratiæ determinat, & determinatur; ſicut in ordine ad actum naturalem, quem ratione ſui elicit voluntas, ratione ſui determinat, & ratione ſui determinatur: de gratia ergo affirmandum eſt determinare per modum virtutis, & vt *quo*, & eodem modo determinari.

63 Ad vltimam dicendum: dominium adæquatum voluntatis, & ſuperioritatem eius ad actum ſupernaturalem, ea ratione, qua dicit perfectionem, & ſuperioritatem eſſe adæquatè à gratia. Pro quo notandum eſt, quod libertas, & dominium, vt dictum eſt, dicit poteſtatem ad actum ſupernaturalem, & poteſtatem ad non eſſe illius, prima poteſtas ſemper eſt perfectio impotens convenire naturæ niſi ratione gratiæ, poteſtas ſecunda, ſcilicèt ad non eſſe actus ſupernaturalis, non dicit formaliter perfectionem excedentem naturam; imò natura ſic habet hanc potentiam, quod ſi ſibi relinquatur, ſemper habeat illam coniũctam cum termino talis potentiæ, nimirum cũ non eſſe actus ſupernaturalis; ſi enim naturæ non conferatur gratia, non ſolũ poteſt non habere actum ſupernaturalẽ, ſed infallibiliter non habet; atque adeò naturæ connaturalis eſt potentia ad non eſſe actus ſupernaturalis, & actũ ſupernaturalẽ nõ habere; neutrũ tamen eſt perfectio, & excellẽtia naturæ cõparativè ad actũ ſupernaturalẽ; imò convenit vtrumq; ex eius inferioritate, ex qua naſcitur, quod ipſi non de-

debetur vllo modo actus supernaturalis, & exinde infertur, quod connaturaliter careat illo, etsi gratiosè, & ex elevatione possit illum habere; si tamen hæc potentia ad non habendum, sit libera, connotat perfectionem excedentem naturam, nimirum potentiam ad actum supernaturalem, quæ nisi à gratia esse non potest. Vndè potentia ad non esse actus supernaturalis libera dicit formaliter gratiam excedentem naturam. Vndè negandum est antecedens, vel distinguendum; ea ratione, qua dominium dicit superioritatem ad actum supernaturalem, nego antecedens, ea ratione, qua dicit solam physicam potentiam ad non esse actus, concedo antecedens. Ad probationem omissa maiori, distinguenda est minor, potest ratione sui facere libere, quod non sit, nego minorem, potentia solùm physica, & passiva, concedo minorem, & distinguendum est consequens, ea ratione qua dominium supponit physicam potentiam ad non esse actus, concedo consequentiam, ea ratione, qua hæc potentia divina constituitur, & superior ad actum, nego consequentiam.

64 Sed dices: supposita, claritatis gratia, possibilitate puræ omissionis, & quod libertas in actu, & in quolibet exercitio voluntatis non est denominatio extrinseca, sed intrinseca, ipsum non esse actus supernaturalis est exercitium libertatis non liberum denominatione extrinseca desumpta à potentia ad actum, sed intrinsecum liberum; at quo ad omnia intrinseca hoc exercitium est à voluntate ratione sui; ergo ratione sui voluntas est libera formaliter in ordine ad hoc exercitium, & consequenter ratione sui est domina actus supernaturalis, quantum ad non esse illius, quod est habere supra illum potestatem, & superioritatem. Secundò: si potentia ad non esse actus in ratione liberæ constituitur per potentiam ad actum, pariter potentia ad actum in ratione liberæ constituitur per potentiam ad non esse illius; ergo cum actus sit intrinsicè liber, non solùm potentia ad actum, sed potentia ad non esse actus debet in actum derivare libertatem intrinsecam, quæ cum supernaturalis sit, non repugnabit naturæ ratione sui in aliquid supernaturale influere.

65 Tertiò: Potentia ad actum constituta per gratiã est omninò eadem, sivè voluntas maneat libera ad actum, & cum potentia ad eius omissionem, sivè non; & consequenter eundem influxum habet in actũ: at si non adsit potentia ad omissionem actus charitatis, vt in Patria, non influit libertatem intrinsecam in actu; ergo neque quando datur potentia ad omissionem actus, vt in via, & consequenter modus intrinsecus libertatis actus charitatis in via non est à gratia.

66 Vt huic, & alijs fiat satis advertendum est: duplicem esse sententiam circa libertatem tàm actus naturalis, quàm supernaturalis. Prima asserit libertatem esse intrinsecam actui, sivè cum ipso identificatam, sivè modaliter ab illo distinctam: Secunda asserit esse denominationem extrinsecam desumptam ab indifferentia ipsius voluntatis. Iuxta hanc secundam sententiam, dominium in actu primo, quod in indifferentia, & libertate consistit, vtranque potentiam dicit nimirum ad actum, & ad omissionem actus; cum hac tamen differentia, quod dominium actus, seù ad esse actus dicit in recto potentiam ad actum, & in obliquo, & de connotato potentiam ad non esse actus, & dominium ad non esse actus dicit in recto potentiam ad non esse actus, connotata in obliquo potentia ad actum; iuxta quod dominium actus supernaturalis, quoad esse illius adæquatè per gratiam constituitur. Et ratio est, nam determinatio ad actum charitatis; v.g. est exercitium huius dominij, & est exercitium adæquatè potestatis ad actum, quæ per gratiam constituitur; quod exercitium vt liberum sit, connotat potentiam in voluntate ad omissionem actus; dominium ergo actus adæquatè per hanc potestatem, & per gratiam constituitur. Similiter non esse actus exercitium voluntatis, quod prout sic non potest non esse liberum, in quo ab exercitio positivo differt, est adæquatè ab ipsa voluntate, vtpotè purè naturale connotat tamen potentiã supernaturalem ad actũ.

67 Deindè advertendum est, quod dominiũ ad non esse actus non dicit perfectionem superantem naturam, licèt illam connotet; & ratio est: quia posse deficere ab operando supernaturaliter quantum ad rectum potentiæ, est posse deficere à perfectione supernaturali habenda, quod naturæ ex eius inferioritate convenit, quamvis connotet perfectionem supernaturalem, vt vidimus. Liceat hoc exemplo explicare: quod quis posset descendere, seù præcipitari ab altitudine, in qua reperitur, & ad quam ex se ascendere non potest, non est supra conceptum naturæ ad talem celsitudinem elevatæ, quæ ex se in infimo loco esset, si gratiosè elevata non fuisset, non tamen potest descendere, nisi connotata gratia elevante, & ex eius suppositione.

Ex

68 Ex quo ſolutio ad argumentum facilius intelligitur : Dominium ergo ad actum ſupernaturalem quantum ad eſſe eſt adæquatè à gratia, connotata potentia, ad oppoſitum; dominium quantum ad non eſſe actus eſt adæquatè à natura, connotata gratia; & quia dominium actus quantum ad eſſe perfectio eſt excedens facultatem naturæ, debet ſaltim inadæquatè per gratiam conſtitui, ſicut & principium adæquatum activum, etiam in ſententia Adverſariorum, ſi conſequenter loquantur; vndè actus ſupernaturalis debet determinativè, & dominativè eſſe à gratia ſaltim inadæquatè, & in noſtra ſententia adæquatè; cum quæ non poſſit eſſe ab illa tanquam à libero arbitrio, erit ab illa vt à virtute, qua voluntas ſe, & gratiam determinat. Iuxta hanc ſententiam replicæ facta, quæ ſupponunt libertatem actus eſſe illi intrinſecam, vim non habent.

69 Iuxta primam ſententiam, quæ verior, & communior eſt inter Thomiſtas, eodem diſcurrendum eſt, & ad primam replicam dicendum: quod potentia libera ad non eſſe actus ſupernaturalis dicit in recto naturam, & in obliquo gratiam, & quod non eſſe actus ſupernaturalis quamvis ſit exercitium intrinſecè liberum, nõ tamen libertate ſupernaturali, ſed naturali, ſicut aliæ omiſſiones: vndè quo ad omnia poteſt eſſe à natura, connotata gratia. Ad ſecundam dicendum: quod potentia ad actum, quæ ex ſe ſolum influit in ſubſtantiam actus, connotata potentia ad non eſſe illius influit in modum intrinſecum libertatis ſupernaturalis; ſicut virtus ad actum naturalem connotata potentia ad oppoſitum derivat in actum naturalem modum libertatis intrinſecum; nõ enim potentia ad omiſsionem eſt, à qua formaliter procedit libertas intrinſeca actus, hæc enim procedit ex virtute influente in actum, quæ non eſt formaliter potentia ad oppoſitum. Ad tertiam eodem modo dicendum, nimirum eandem poteſtatem influentem in ſubſtantiam actus, influere, vel non influere libertatem in actum, connotata, vel non connotata potentia ad oppoſitum.

§. V.

Statuitur tertia concluſio.

70 VITALITAS Viſionis non obeſt, quo minus gratia ſit tota ratio agendi. Hæc concluſio breviter eſt probanda; ad rationem actus vitalis ſolùm requiritur, quod per illum agens ſe moveat efficiendo, & recipiendo ſuum motum; ſed quod gratia ſit tota ratio agendi, non obeſt quominus homo, ſeù agens ſe moveat recipiendo, & efficiendo actum ſupernaturalem; ergo vitalitas actus nõ obeſt, quominus gratia ſit tota ratio agendi. Conſequentia eſt bona, maior certa: nam vivere eſt ſe movere; minor autem probatur. Quod namque gratia ſit tota ratio agendi non tollit quominus voluntas, vel intellectus media gratia, & ratione illius, vt vidimus, verè efficiat actum ſupernaturalem, nec tollit, quod eundem recipiat, licèt media gratia.

71 Confirmatur, actus vitalis eſt, qui procedit à principio vitali, & in ipſo recipitur: ſed etiam ſi gratia ſit tota ratio agendi, actus ſupernaturalis eſt à principio vitali, & in ipſo recipitur; ergo etiam ſi ſit tota ratio agendi, ſalvatur actus ſupernaturalis vitalitas. Probatur minor, quia eſt verè à potentia vitali, in qua recipitur. Tum etiã quia ipſa gratia vitalis eſt, atque adeò etiam ſi ſit tota ratio agendi, & recipiendi, actus ab illa procedens eſt à principio vitali. Aſſumptum probatur primo, quia gratia eſt formalis participatio naturæ divinæ, & eius vitalitatis, & ſimiliter charitas eſt formalis participatio voluntatis divinæ, & eius vitalitatis, ſicut, & lumen gloriæ eſt formalis participatio intellectus divini, & eius vitalitatis; quapropter gratia habitualis, & charitas dicuntur vita animæ, vt docuit Div. Thom. 2. 2. quæſt. 23. art. 2. ad 2. & quæſt. 27. de Veritate art. 3. & alibi ſæpè. Secundò, quia viſio beata eſt vitalis vitalitate divina, quapropter beatus vivit, non vita propria creaturæ, ſed Dei, cuius increatæ viſionis eſt formalis participatio; viſio beata creata, quæ

quæ constituit hominem viventem vita altioris naturæ, nimirum divina; ergo principium vitale, à quo provenit, & quo participat vitalitatem efficienter, debet similiter esse altioris naturæ,& superioris vitalitatis, nimirum divinæ: at principium vitale alterius ordinis non datur nisi gratia,& ratione gratiæ natura adiectivè, & accidentaliter in altiori ordine vitalitatis constituitur; ergo gratia est principium vitale.

72 Tertiò, quod gratia ab intrinseco naturæ non proveniat,non tollit quominus vitalis sit ; ergo gratia vitalis est. Antecedens probatur : nam quando subiectum non vivit vita propria , sed superioris naturæ , principium proximum vitalitatis eam non accipit à natura inferiori , in qua recipitur,& quam elevat ad vitam superiorem, sed à natura superiori ; ergo non est necessarium, quod procedat à natura inferiori: imò hoc est impossibile; est enim implicatorium, quod per principium ortum ex inferiori natura constituatur eadem natura in altiori ordine vivendi.

73 Quartò. Implicat , quod subiectum vivat in actu secundo vita superioris naturæ, quin vivat in actu primo vita etiam superioris naturæ ; sed beatus per visionem beatam vivit in actu secundo vita superioris naturæ ; ergo non potest non vivere in actu primo vita superioris naturæ, quod esse non potest, nisi per lumen gloriæ constituatur vivens in actu primo vita divina;atque adeò lumen gloriæ vitale est.

74 Tandem confirmatur:quia gratia constituit,vt supra diximus, naturam potentem vivere in actu secundo,& consequẽter viventem in actu primo ; ergo est vitalis in actu primo.Consequentia probatur, quia vivere in actu primo est posse vivere in actu secundo, seù posse se movere ; atque adeò si gratia constituit naturam potentem se movere, seù vivere in actu secundo , constituit ipsam viventem in actu primo. Consequentia autẽ, quæ sub infertur,scilicèt quod gratia sit vitalis in actu primo,probatur ; posse se movere aliquo modò in actu secundo,vel tanquam principium radicale motus, vt anima,vel tanquam potentia proxima,est vivere in actu primo, seù esse vitale in actu primo; ergo si gratia per modum virtutis elevantis potentiam dat posse vivere , seù est forma, qua potentia est vivens in actu primo, ipsa erit vitalis formaliter in actu primo per modum virtutis , & vt *quo* : itaque anima , & quodlibet principium ex parte animę se tenens constituens ipsam , vel per modum potentiæ, vel per modum virtutis potentem se movere est vitale in actu primo. Nec requiritur,quod sit potens se movere vt *quod*, seù radicaliter per modum naturæ ; etenim nec ipsa potentia sic est potens, sed sufficit quod aliquo modo possit, vel pertineat aliquo modo ad posse constitutivè.

75 Obijcies primò. Vt gratia constituat naturam viventem in actu primo vita supernaturali, necessarium non est,quod ipsa gratia sit vitalis formaliter , sed sufficit, quod sit vitalis virtualiter ; ergo malè intulimus esse vitalem formaliter ex eo , quod constituit potentiam viventem in actu primo, seù proximè potentem vivere in actu secundo. Antecedens probatur : anima rationalis, quæ est incorporea formaliter, cõstituit corpus , quia virtualiter corporea est; ergo vt gratia constituat naturam viventem, non requiritur quod sit formaliter vitalis, sed sufficit , si sit virtualiter vivens. Secundò: lumen gloriæ non est vitale ex eo, quod procedat à natura viventi; alias omnia entia essent formaliter vitalia : non quia recipitur in potentia vitali, quia plura accidentia nullomodo viventia recipiuntur in potentia vitali , qualia sunt species , quæ vitales non sunt. Ex quibus summitur argumentum; quia enim ab obiecto desumuntur, & à natura non diminant, non sunt vitales, quamvis in potentia vitali recipiantur; ergo similiter gratia , quæ ab extrinseco provenit, quamvis in potentia vitali recipiatur , non erit formaliter vitalis.

76 Tertiò,quamvis visio beata sit vitalis per participationem formalem vitalitatis visionis increatæ Dei , adhùc tamen petit essentialiter procedere à principijs intrinsecis subiecti ; ergo etiam principium vitale visionis , vt dicatur participatio formalis vitalitatis intellectus divini , debet ab intrinsecis subiecti dimanare , vt verè vitale sit. Consequentia probatur; quia sicut visio, seù actus secundus vitalis petit procedere à principio proximo,& immediato , ita principium proximum petit procedere à principio vitali radicali vitali.

77 Ad primum dicendum : fortassè esse quæstionem de nomine, an scilicèt forma constituens intellectum potentem se movere, seù viventem in actu primo dicenda sit vitalis formaliter , an virtualiter , seù eminenter formaliter ; si enim gratia semel constituit intellectum potentem se movere,

seù

seù viventem in actu primo, sine in conuenienti ponitur gratia tota ratio agendi. Quapropter diuisi sunt Thomistæ, alijs asserentibus gratiam esse formaliter vitalem, alijs è contra solùm esse vitalem virtualiter; sed nobis veriùs videtur esse formaliter vitalem propter dicta. Et ideò ad argumentum, negandum est antecedens, & ad probationem, concedendum est antecedens, & neganda consequentia; ratio discriminis est multiplex; prima desummitur ex eo quod vivere est se movere; vndè eo modo, quo aliquid est potens se movere, est vitale, seù vivens in actu primo: ex quo rectè intulli mus, quod si gratia potest se movere vt *quo*, & per modum virtutis, constituitque potentiam viventem in actu primo, est vitalis vt *quo*, & per modum virtutis: at corporeum non constituitur per hoc, quod corpus constituat, sed per hoc quod à materia dependeat; stat autem optimè, quod anima constituat corpus, absque eo quod à materia dependeat; atque adeò absque eo, quod sit corporea formaliter. Secunda est, quia vt forma constituat compositum, debet esse formaliter talis quo ad speciem, vel aliquid altius effectu formali à se præstito: anima autem rationalis, licèt corporea non sit, est tamen aliquid altiùs corpore; atque adeò non est inconueniens, quod in corporea cũ sit, constituat corpus: at lumen gloriæ non est aliquid altiùs vita, quam formaliter præstat potentiæ, si ipsum non sit formaliter vitale, cum viuere meliùs sit ex terminis, quam non viuere; atque adeò si præstat effectum vitæ non potest non esse vitale.

78 Etsi dicas: quod lumen est supernaturale altiùs effectu formali à se præstito. Negandum est antecedens; nam effectus formalis præstitus à lumine est vitalis, & supernaturalis supernaturalitate ipsa luminis. Tertia potest reddi differentia, quæ præcedentem magis explicat, scilicèt, quod forma, quæ naturaliter non est, nec operatur nisi mèdio effectu formali, non potest non habere naturam effectus formalis, & tale est lumen gloriæ, quod nec existere potest sine effectu formali separatum à subiecto, nec operationem aliam habet distinctam ab illa, quam effectus formalis præstat; at anima rationalis potest naturaliter existere sine effectu corporis, habetque proprias operationes nobiliores, & distinctas ab illis, quas habet medio effectu formali corporis; atque adeò potest ipsa esse incorporea, quamvis formalis effectus sit corporeus.

79 Ad secundum constat ex dictis ratio, quare lumen vitale sit. Ad argumentum desumptum ex paritate specierum, non desunt docti Thomistæ asserentes species etiam esse vitales; sed oppositum est dicendum, & ratio est, quia species non dat esse intellectui, sed supponit, & complet obiectiue determinando; alias non posset Deus vniri per modum speciei, vel posset per modum luminis: quorum vtrumque falsum est; nec species vivit in actu primo etiam vt *quo*, quia alias obiectum, quod proximè intelligibile constituit, constitueret etiam viuens in actu primo, viueretque obiectum per intellectionem in actu secundo. Nec ex eo, quod partialiter concurrat ad actum vitalem, infertur esse vitalem, vt posteà videbimus: alias obiectum sensibile producens speciem, quæ in eorum sententia vitalis est, vitale esset. Ex quo constat disparitas inter lumen, & speciem: nam lumen, quamvis ab extrinseco proveniat, se tenet ex parte potentiæ, illam constituens potentem se movere, atque adeò viventem in actu primo; species verò se tenet ex parte obiecti, quod constituit proximè intelligibile, non tamen vivens in actu primo.

80 Ad tertium concesso antecedenti, neganda est consequentia, ad probationem negandum est antecedens; non enim principium proximum per modum virtutis elevantis ad superiorem vitam petit ab intrinseco procedere, imò repugnat, vt vidimus; secus autem visio. Et ratio est, quia vivere est se movere, & vivere in actu primo est posse se movere. Vndè cum per virtutem ab extrinseco provenientem possit vivens constitui potens se movere, per illam vivit in actu primo: at per visionem ab extrinseco provenientem non se movet, cum se movere sit elicere, & recipere motum; atque adeò visio, qua quis constituitur vivens in actu secundo, non potest non procedere ab extrinseco, & est probabile quod per potentiam à solo Deo productam potest quis constitui vivens in actu primo, & videtur sic contingere in potentia visiva per miraculum restituta.

§. VI.

Statuitur vltima conclusio.

81 ULTIMA Conclusio. Gratia est tota ratio agendi actum supernaturalem: est communis inter Thomistas,& satis clarè docetur à D.Thoma,primò hac quæstione, art. 6. in corpore,vbi docens vnum beatum alio perfectius Deum videre subdit: *Hoc erit per hoc quod intellectus vnius habebit maiorem virtutem, seù facultatem ad videndum Deum, quam alterius. Facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam Dei formitate constituit.* Idem docet ad tertium: *Dicendum; quod diversitas videndi non erit ex parte obiecti: quia idem obiectum omnibus præsentabitur, scilicèt Dei essentia; nec ex diversa participatione obiecti per differentes similitudines, sed erit per diversam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam vt dictum est.* Ex quibus constat non agnoscere D.Thomam facultatem aliquam in natura etiam partialem ad videndum Deum; & consequenter adæquata facultas præstatus à lumine gloriæ.

82 Secundo colligitur ex D.Thoma in 1.dist.3.quæst.4.art.2. vbi sic docet: *Ab anima, cum sit substantia, nulla operatio egreditur, nisi mediante potentia, nec etiam à potentia operatio perfecta nisi mediante habitu:* Ex quibus sic arguitur, perfectio actus supernaturalis, ratione cuius à potentia medio habitu debet procedere,non est aliquid accidentale in actu, sed ipsius essentia,& substantia, quæ est essentialiter, & substantialiter supernaturalis; ergo actus supernaturalis quoad substantiam procedit à potentia medio habitu, & sicut facilitas actus naturalis est à potentia ratione habitus facilitantis, à quo adæquatè constituitur potentia facilis, pariter substantia actus supernaturalis est à potentia ratione habitus supernaturalis, à quo adæquatè habet potentia facultatem supernaturalem ad substantiam actus supernaturalis.

83 Idem colligitur ex D.Thoma in 1.dist.17,quæst.1.art.1. vbi probans charitatem non esse ipsum Spiritum Sanctum, sed qualitatem creatam in anima residentem, sic ait: *Nam cum actus proportionatur potentiæ operativæ, sicut effectus propriæ causæ, impossibile est intelligere, quod actus perfectus in bonitate sit à potentia non perfecta per habitum, sicut etiam calefacere non potest esse ab igne, nisi mediante calore, & ideò cum actus charitatis perfectionem quandam habeat ex hoc quod est meritorius omnibus modis, oportet ponere charitatem esse habitum creatum in anima;* ergo iuxta D.Thomam, sicut calefacere est ab igne medio calore, vt ratione adæquata operandi, pariter actus charitatis à voluntate media charitate. Et notetur quam expressè locis istis doceat D.Thomas, substantiam non posse operari nisi ratione potentiæ,& tamen illam verè operari, in quo eandem difficultatem inveniunt,Recentiores, ac in eo quod voluntas solum ratione charitatis eliciat actum charitatis; & tamen quod verè eliciat;cum tamen in primo nunquam difficultatem inveniat, nec meminerit argumenti Recentiorum; fortè quia puerile ipsi visum est.Idem docet Quodlibeto 6.art.1.& quæstione 20. de Veritate art. 2. ad 1.

84 Adhùc clariùs hanc docet sententiam, quæst. vnica de Charitate,artic. 1, probans etiam ibi charitatem non posse ipsum Spiritum Sanctum, illis verbis: *Sicut enim naturales actiones, & motus à quodam principio intrinseco procedunt, ita & actiones voluntariæ oportet, quod à principia intrinseco procedant; possibile autem est,quod res naturalis ab aliquo exteriori agente ad aliquid moveatur,non à principio intrinseco, puta cum lapis projicitur sursum: sed quod talis motus, vel actio non à principio intrinseco procedens naturalis sit, hoc omninò est impossibile, quia in se contradictionem implicat, nisi ei alia natura detur. Et similiter non potest hoc divinitus fierè,vt aliquis motus hominis, vel interior, vel exterior,qui sit à principio exterinseca sit voluntarius:* Et paulò infrà: *Actus igitur, qui excedit totam facultatem naturæ, non potest homini esse voluntarius, nisi superaddatur naturæ humanæ aliquid intrinsecum voluntatem perficiens, vt talis actus à principio intrinseco proveniat:Si igitur actus charitatis in homine,non ex aliquo habitu interiori procedat naturali potentiæ superaddito, sed ex motione Spiritus Sancti procedat, sequitur alterum duorum; vel quod actus charitatis non*

sit

sit voluntarius, quod est impossibile: aut quod excedat facultatem naturæ: quod est hæreticum.

85 Ex quibus sic arguitur: D. Thomas probat charitatem non esse Spiritum Sanctum, sed aliquid creatum animæ inhærens, quia sequeretur actum charitatis non esse voluntarium: sed hoc non sequeretur, si voluntas ratione sui influeret in actum charitatis; ergo vt ratio D. Thomæ convincat, necessariò asserendum est voluntatem non influere ratione sui in actum charitatis. Maior constat ex verbis D. Thomæ, qui tanquam absurdum ex doctrina Magistri dicentis Spiritum Sanctum esse charitatem, intulit actum charitatis non fore voluntarium. Minor autem probatur: Nam esto Spiritus Sanctus esset charitas, si voluntas ratione sui influeret partialiter ad actum charitatis, actus charitatis esset ab intrinseco, & consequenter voluntarius; sicut de facto, in sententia Recentiorum voluntarius est, quia licèt procedat à charitate, & non procedat media charitate à voluntate, tamen est voluntarius, quia voluntas ratione sui influit in actum charitatis, & similiter eadem ratione voluntarius esset, si fieret per auxilium extrinsecum, quod possibile authumant Recentiores.

86 Secundò D. Thomas docet, quod si actus charitatis non ex habitu superaddito potentiæ, sed ex motione Spiritus Sancti procederet, sequeretur vnum è duobus, vel quod actus charitatis non esset voluntarius ratione dicta, nimirum quia à voluntate non procederet, vel quod non excederet facultatem naturæ, quod est hæreticum. Hanc vltimã partẽ disiunctivæ probat D. Th. quia vt sit volũtarius, si procedat ex motione Spiritus S. necessarium est, quod voluntas ratione sui influat in actum charitatis, saltim simul cum Spiritu Sancto, quod putavit D. Thomas absurdum, eo quod ex huiusmodi influxu infertur actum charitatis non excedere facultatem naturæ, quod est hæreticum.

87 Tandem colligitur ex D. Thoma quæst. de Charitate citata art. 7. ad 17. *Cum dicitur aliquem diligere proximum ex charitate, hæc præpositio, ex, potest designare habitudinem causæ finalis, efficientis, & formalis. Finalis quidem, in quantum dilectio proximi ordinatur ad dilectionem Dei. In habitudine autem causæ efficientis, in quantum charitas est habitus inclinans ad diligendum, sic se habens ad actum dilectionis, sicut calor ad calefactionem.* Ubi clarè sentire videtur, quod sicut calor est tota virtus, & ratio calefaciendi; ita etiam habitus charitatis est tota ratio diligendi Deum, & proximum.

88 Hanc doctrinam ex D. Augustino desumpsit Div. Thomas, & vterquè ex Psalmo 32. illis verbis: *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritus oris eius omnis virtus eorum*: Vbi per Cœlos Augustinus Apostolos intelligit à Spiritu Sancto in gratia cõfirmatos, à quo non partem, sed omnem virtutem ad actus supernaturales acceperunt: nam ab Spiritu Sancto omnis virtus eorum; & consequenter præter gratiam Spiritus Sancti nulla datur virtus ad actus supernaturales. Sic etiam intelligit verba Psalmi vtraque Glossa Ordinaria, & Interlinealis.

89 Secundò probatur ratione: Nam lumen gloriæ; v.g. est tota ratio constituendi intellectum in ordine supernaturali, & divino; ergo est tota ratio agendi visionem Dei, quæ adæquatè supernaturalis est. Antecedens est certum, & consequentia probatur: quia operari sequitur ad esse, quapropter forma dans esse in ordine naturali, est tota ratio agendi actus naturales, & forma dans esse in ordine spirituali est tota ratio producendi actus spirituales; ergo forma dans esse in ordine supernaturali est tota ratio agendi actus supernaturales. Secundò eadem consequentia probatur: quia natura constituta in ordine inferiori ratione sui, & ex se solùm habet virtutem ad actus eiusdem ordinis inferioris, & ita est necessarium, vt operetur actus proprios alterius naturæ superioris, constituit in essendo in eodem ordine naturæ, cuius operationes elicit, vt per virtutem à superiori natura derivatam, seu participatam eliciat operationes, quas ex se non potest; ergo tota ratio constituendi naturam in ordine superiori, seu supernaturali, est tota ratio agendi actus supernaturales. Hac ratione, quia illuminare est actio superioris naturæ, non potest esse inferioris naturæ illuminare, nisi ratione lucis, à superiori participatæ, quæ est tota ratio illuminandi in aere.

90 Confirmatur; tota ratio agendi est tota ratio continendi effectum: sed tota ratio continendi actum supernaturalem est gratia; ergo tota ratio agendi. Probatur minor, res ordinis inferioris nequit continere rem ordinis superioris, & præter gratiam, quidquid assignari potest est ordinis inferioris ad actum supernaturalem; ergo nihil præter gratiam potest esse ratio continen-

nendi actum supernaturalem,& consequenter gratia est adæquata ratio continendi. Minor, quæ videtur per se nota, explicatur vt supra, quia res ordinis inferioris nequit continere actum superioris naturæ, & qui proprius est illius; quapropter, quia comburere est proprius actus ignis, nequit competere inferiori naturæ, etsi fortè convenit, convenit adequatè ratione formæ, quæ sit participatio superioris naturę.

91 Respondeti potest primo argumentum nostrum convincere de causa principali, non de instrumentali, quæ potest esse inferior ad effectum, & talis est intellectus respectu actus supernaturalis. Sed contra est. Quia intellectus, vt communius docent Adversarij, non est causa instrumentalis. Et alijs relictis mihi certum videtur ex eo, quod tàm intellectus, quàm voluntas iuxta Recentiorum sententiam ratione sui influunt in actus supernaturales, quantum sufficiens est, vt ex vi huius influxus vivant in actu secundo per actus supernaturales, illisque intelligant, aut ament, sed ad hoc non sufficit instrumentalis concursus, alias, vt supra dicebamus, in ordine ad actus naturales sine fundamento adstrueretur alius influxus prę-ter instrumentalem. Influxus autem harum potentiarum in suos actus infertur ex effectibus formalibus, quos præstant ipsis potentijs: quod si concedatur solùm vivere instrumentaliter in ordine ad actus naturales, sequitur eodem modo concurrere ad actus naturales, atque ad actus supernaturales.

92 Deindè si instrumentaliter concurreret, causa principalis, cui subordinatur, debet principaliter concurrere: at causa principalis, cui subordinatur, si semel instrumentum est, non concurrit principaliter; ergo neque potentia instrumentaliter. Minor probatur: nam causa principalis, cui subordinatur, est Deus Author naturæ, à quo accipit esse, & cui proindè vt causę principali subordinari deberet: sed Deus vt Author naturæ non est causa principalis actus supernaturalis; ergo causa principalis, cui deberet subordinari, non concurrit vt causa principalis ad actum supernaturalem. Minor probatur: nam Deus constituitur Author supernaturalis per influxum in actum supernaturalem; ergo non potest vt Author naturalis principaliter causare actum supernaturalem. Quod brevius sic proponi potest; potentia naturalis in influendo in actum supernaturalem, non subordinatur Deo Authori supernaturali, quia potentia naturalis à Deo vt Authore supernaturali non dependet, à quo proùt sic non accipit esse naturale; non Deo Authori naturæ, quia Deus vt Author naturæ non concurrit ad actum supernaturalem; ergo non est causa principalis, cui subordinari possit; atque adeò instrumentum non est.

93 Respondebis secundò: intellectum non posse cõtinere adæquatè visionem Dei, posse tamen inadæquatè, quia non est necessarium, quod causa inadæquata, quamvis principalis adæquet perfectionem effectus; sed sufficit, si coniunctum ex causis inadæquatis æquale sit; & quia in coniuncto, scilicèt intellectu, & visione continetur visio, sufficit ad hoc vt ipse intellectus inadæquatè saltim concurrat ad visionem: & quidem vt effectus à causa principali efficienti producatur, sufficit quod nullum sit prędicatum in effectu non contentum in causa. Quidquid autem in visione reperitur, continetur in coniuncto ex intellectu, & lumine: nam visio est vitalis, & est supernaturalis, vitalitas continetur in intellectu, supernaturalitas in lumine; atque adeò in coniuncto tota visio continetur. Nec ex hoc sequitur, intellectũ producere vitalitatem, & non supernaturalitatem, & è contra lumen supernaturalitatem, & non vitalitatem, essent enim causæ partiales partialitate effectus; quod Adversarij nõ admittunt, sed solùm sequitur, quod intellectus totam visionem producat sub ratione tantum vitalis, & lumen etiam totam sub ratione supernaturalis; sicut species non vitalis producit partialiter partialitate causę totam visionem vitalem, etiam ipsam vitalitatem, sub ratione tamen repræsentationis, & intellectus producit totam visionem, etiam ipsam repræsentationem sub ratione vitalis.

94 Sed hæc doctrina multipliciter reijcitur à Thomistis. Et primo ex exemplo adducto; quia intellectus vim habet ratione sui ad producendam visionem repræsentativam sub ratione vitalis, alterum comprincipium, cui per se correspondet repræsentatio visionis, nimirum species, non potest esse intellectui supernaturale, & indebitum, sed connaturale; ergo si intellectus ratione sui producit visionem supernaturalem, licèt solùm sub ratione vitalis, non potest ipsi esse supernaturale, & indebitum alterum comprincipium, nimirum lumen, cui per se correspondeat supernaturalitas.

95 Dices, quod repræsentatio per se correspondens speciei supernaturalis non est,

est; atque adeò non mirum, quod principiũ, cui per se correspondet, nimirum species nõ sit supernaturale, aut indebitum intellectui: at supernaturalitas per se correspondens lumini est prædicatum essentialiter naturæ indebitum; ac proinde non mirum, quod lumen, cui per se correspondet, indebitum sit. Sed contra est: nam quod repræsentatio visionis supernaturalis non sit, & supra debitum intellectus, aliunde probari non potest, nisi quia intellectus vt causa partialis producit totam visionem, etiam repræsentationem, licèt sub ratione vitalis; ergo si intellectus producit vt causa partialis totam visionem, etiam prædicatum, quod supernaturalitas vocatur, non est fundamentum, vt tale prædicatum sit indebitum intellectui, aut supernaturale comparative ad illum. Secundò, causa efficiens adæquata continens effectum petit connaturaliter concursum Dei ad illius productionem; ergo pariter causa partialis petit alteram concausam. Et ratio est eadem; quia esset frustra continentia illa partialis, si ex natura sua complementum, seù alteram concausam non exposceret; sicut esset frustra causa secunda adæquata in propia linea, cui concursus Dei ad productionem effectus connaturalis non esset.

96 Tertiò, quia lumen etsi non vitale producit totam visionem vitalem sub ratione supernaturalis, non potest ipsi supernaturale, aut indebitum esse alterum principium producens visionem supernaturalem sub ratione vitalis; ergo similiter intellectui producenti visionem supernaturalem sub ratione vitalis, non potest esse supernaturale lumen producens visionem vitalem sub ratione supernaturalis.

97 Quartò, supernaturalitas in visione non est prædicatum distinctum adhùc virtualiter ab alijs constituentibus ipsam in propria specie; sed nullum prædicatum ex constituentibus visionem Dei in propria specie per se correspondet lumini, sed solùm intellectui in sententia Recentiorum; ergo nullum est prædicatum in sententia Recentiorum per se correspondens lumini. Maior probatur; esse supernaturale consistit formaliter in eo, quod visio est cognitio quidditativa Dei, hac enim ratione ita excellens est, vt si comparetur ad totam naturam, superet eius exigentiam: sicut cognitionem esse naturalem est prædicatum indistinctum ab alijs, quæ quia infima sunt, non superant exigentiam naturæ. V.gr. cognitio terminata ad equum eo naturalis est, quia terminat hominis naturalem inclinationem, & illam terminare in eius essentiali differentia consistit. Minor probatur: nam visio Dei secundùm prædicatum differentiale specificũ, scilicèt, secundum quod est cognitio quidditativa obiecti excellentissimi, nimirum Dei est vitalis formaliter, hoc enim prædicato constituitur visio in ratione vitæ supernaturalis, & divinæ; sed prædicatum vitæ correspondet intellectui per se, & non lumini in sententia Recentiorum; ergo nullum est prædicatum in visione non correspondens per se intellectui, atque adeò luminis influxus non erit necessarius.

98 Quod aliter explicari potest: nam prædicatum excedens vim nativam intellectus non correspondet per se intellectui, vt ex se videtur manifestum; sed prædicatum differentiale visionis excedit vim nativam intellectus; ergo non correspondet per se intellectui. Tunc sic; sed prædicatum differentiale visionis est vitale formaliter; ergo prædicatum vitalitatis per se correspondet lumini. Quod amplius explicatur; quod per se correspondet lumini est supernaturalis visio; sed nulla alia est supernaturalitas in visione, nisi prædicatum differentiale, quod propter sui excellentiam est supra totam naturam; ergo conceptus vitæ lumini correspondet per se, & consequenter lumen totam visionem producit sub ratione vitalis vitalitate supernaturali. Ex quo infertur, lumen esse vitale, quia non posset totam visionem producere sub ratione supernaturalis, si supernaturale non esset; ergo si vitale non esset, non posset producere totam visionem sub ratione vitalis.

99 Dices: supernaturalitatem esse prædicatum, quod à priori demonstratur de visione; ergo non potest esse prædicatum differentiale constitutivum ipsius; hoc enim à priori demonstrari non potest. Antecedens probatur: hæc est bona consequentia, & à priori; visio Dei est cognitio quidditativa summi boni, & primi intelligibilis; ergo est supra totam naturam creatam; ergo à priori demonstratur supernaturalitas visionis. Respondetur: aliud esse prædicatum, quod excedit, & superat exigentiam naturæ; aliud illud cognoscere comparative ad naturam, & vt illam excedens. Primum est ipsa differentia visionis, ratione cuius excedit, & superat naturam. Secundum autem est idem prædicatum comparatum ad naturam nihil perfectionis addens visioni, sed solùm additum

ditur distinctus modus cognoscendi, & distincta expressio eiusdem, & si fortè aliquid additur, solùm est relatio realis, vel rationis, in quibus supernaturalitas consistere non potest; sicut in quantitate excedente alteram, id, ratione cuius excedit, est magnitudo absolutè sumpta, & illam cognoscere vt excedentem alteram, non addit prædicatum aliquod ad magnitudinem pertinens; sed solum cognitionem cõparãtem illam alteri, & si aliquid additur, est sola relatio, quæ extra essentiam quantitatis est. Igitur prædicatum, quod excedit activitatem naturæ, & eius continentiam, est illud, ratione cuius visio excedit naturam, & hoc prædicatũ est differentia constitutiva visionis, de quo argumentum nostrum procedit. Cognosci autem comparative ad naturam non est perfectio distincta, & quæ ratione sui superet naturam, aut eius exigentiam, si prædicatum sic excedens non superat. Similiter dicendum est de cognitione naturali, quæ in ratione talis per differentiam constituitur, & nihil additur, quando cognoscitur vt non excedens naturam, seù vt terminans eius exigentiam, nisi extrinseca cognitio, vel relatio realis, aut rationis, in quo consistere non potest eius naturalitas.

100 Tandem pro conclusione arguitur argumento iam insinuato; si intellectus immediatè, & ratione sui influeret in visionem beatam, tantum influeret in ipsam, quantum influit in cognitionem naturalem; & consequenter eodem modo illam contineret, ex quo manifestè sequitur non esse supernaturalem; cum non superet activitatem, & continentiam naturæ. Antecedens probatur. In cognitionem naturalem solùm influit quantum sufficiens est, vt per illam vivat in actu secundo vita naturali, & percipiat obiectum repræsentatum per ipsam: sed in visionem Dei influit quantum sufficit, vt per ipsam vivat in actu secundo vita supernaturali, & divina, & percipiat obiectum ipsius, nimirum, Deum; ergo tantum influit in visionem, quantum in cognitionem naturalem.

101 Dices: quod licèt tantum influat in visionem, nihilominus indiget ad præstandum huiusmodi influxum concursu supernaturali luminis, eo quod visio supernaturalis est, quod prędicatum naturæ per se correspondere non potest: at verò in ordine ad cognitionem naturalem, sic influit, vt non indigeat alterius luminis, vel causæ concursu, nisi solùm specie, eo quod in visione naturali nullum assignari potest prædicatum, ratione cuius altero lumine indigeat. Sed contra est primò: quia si ratione sui intellectus tantum influit in visionem Dei, quantum sufficit vt per ipsam vivat in actu secundo, & cognoscat quidditativè Deum repræsentatum per ipsam, sine fundamento dicitur supernaturalis; ergo solutio nulla est. Antecedens probatur: quia ideò supernaturalis dicitur, & est, quia vt cognitio quidditativa Dei superat exigentiam, activitatem, & continentiam naturæ; sed si influat in illam vt cognitio quidditativa Dei est, quantum sufficit vt per ipsam vivat in actu secundo, & Deum quidditativa cognoscat, non est fundamentum, vt superet exigentiam activitatem, & continentiam naturæ; ergo non est fundamentum, vt dicatur supernaturalis. Secundo: Quia intellectus sic influit in cognitionem naturalem, quantum sufficit, vt vivat vita naturali in actu secundo, non indiget alia concausa producente naturalitatem, sed ex vi eiusdem influxus ponitur sine alterius causæ indigentia; ergo si ratione sui sic influit in visionem, vt vivat vita supernaturali, non indiget alia concausa producente supernaturalitatem.

102 Tertiò: Intellectus ratione sui sic influit in visionem, etiam in eius vltimam differentiam, quantum influit in cognitionem naturalem, & eius vltimam differentiam; ergo sicut non indiget alia concausa ad cognitionem naturalem, neque indigebit in ordine ad visionem. Antecedens, & consequentia indigent probatione. Antecedens probatur: Nam in cognitionem naturalem, & eius vltimam differentiam solùm influit, quantum sufficit, vt vivat in actu secundo non solùm vita cognoscitiva vt sic, sed vita naturali talis speciei determinatæ: sed in visionem Dei influit, quantum sufficit, non solùm vt vivat vita cognoscitiva vt sic, sed vita supernaturali, non quacumque, sed supræma, & divina; ergo sic influit in vltimam differentiam visionis Dei, sicut influit in vltimam differentiam cognitionis naturalis. Consequentia autem probatur: nam visionem esse supernaturalem, vt vidimus, consistit in eius vltima differentia, quæ ratione suæ excellentię superat naturam; ergo si in hanc vltimam differentiam influit, sicut in vltimam differentiam cognitionis naturalis, non indigebit alia concausa producente supernaturalitatem; sicut non indiget alia ad producendum naturalitatem.

103 Confirmatur, & explicatur: in cog-

cognitionem equi ; verb. grat. influit intellectus, non solùm quatenus intellectio est, sed quatenus talis est, & perceptio huius obiecti, nimirum equi, quod necessarium est ad hoc vt per talem intellectionem percipiat equum ; ergo in visionem Dei influit, non solùm quatenus intellectio, sed quatenus perceptio est huius obiecti, nimirum Dei ; ergo sicut ex vi influxus intellectus existit intellectio equi, non solùm secundum rationem intellectionis, sed etiam vt perceptio est equi determinatè sine indigentia alteriùs causæ, similiter ex vi influxus intellectus existit visio, non solùm secundum conceptum intellectionis, sed secundum quod est quidditativa, & vitalis perceptio Dei ; & consequenter ex vi illius sine indigentia alteriùs causæ existit prædicatum, quod est supra totam naturam, & differentia adæquata visionis. Quod autem hęc differentia superet naturam, si quid ab ipsa distinctum est aliquo modo, consequitur ad eius essentiam, sine indigentia alterius concursus.

104 Hæc omnia clarè conspiciuntur, si visio Dei eliciatur ab intellectu sine lumine intrinseco, quod fieri posse de potentia absoluta, consequenter ad sua principia frequenter concedunt Recentiores: imò actus imperfectos supernaturales, nimirum motus subitos intellectus, & voluntatis fieri de facto sine intrinseco auxilio, fatentur aliqui ex Adversarijs. In hac ergo hypothesi, intellectus ratione sui influit in visionẽ Dei, & ex vi huius influxus videt Deum ; ergo non indiget nisi concursu vniversali Dei ; quia enim ratione sui influit in cognitionem equi, & ex vi huius influxus cognoscit equm, non indiget nisi concursu vniversali Dei ad cognitionem equi. Nec est fundamentum ad hoc, vt concursus iste dicatur auxilium extrinsecum indebitum, & supernaturale.

105 Vnum restare videtur nobis probandum, nimirum intellectum, & voluntatem influere ratione sui in actus supernaturales, quantum sufficit, vt ex vi huius influxus vivant in actu secundo huius modi potentiæ ; sed hoc vltro confitentur Adversarij ; eo enim asserunt intellectum ratione sui influere in visionem, quia alias intellectus provisionem non viveret in actu secundo, nec videret ; ergo debent concedere, quod ratione sui influit quantum sufficit, vt provisionem vivat, & videat Deum : imò negare non possunt eodem modo influere in actus supernaturales, atque naturales : nam influxum immediatum in actus supernaturales inferunt ex conatu harum potentiarum, quem experimur ; sed eundem conatum, & laborem in eliciendis actibus supernaturalibus, atque naturalibus experimur, & fortè maiorem ; ergo eundem influxum debent admittere.

§. Vltimus.

Solvuntur argumenta.

106 PRIMO Arguunt ex Sacra Scriptura 1. Corith. 15. *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum ; quod accepisse videtur Apostolus* ; ex Sapientiæ 9. *Mitte illam de Cœlis Sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret.* Quibus significatur, quod non solus homo, nec sola gratia, sed gratia Dei cum homine, vel homo cum gratia Dei operatur : nam vt ait Div. Augustin. de Gratia, & libero arbitrio, sensus est, non ego solus, nec gratia Dei sola, sed gratia Dei mecum. Confirmant ex Bernardo, qui de gratia, & libero arbitrio circa finem, sic docet : *Potuit dicere Apostolus per me, sed quia minus erat, maluit dicere mecum, præsumens se non solum operis esse ministrum per effectum, sed operantis quodammodo socium per consensum.* Quod expresit etiam Gregorius lib. 16. Moralium, cap. 12. ibi : *Quia Apostolus se esse aliquid invenit cum gratia, adiungit, sed gratia Dei mecum ; vt ergo se sine gratia nihil esse ostenderet ; ait : Non ego : vt verò se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit ; sed gratia Dei mecum.* Ex quibus manifestè colligitur, quod non sola gratia influit in actus supernaturales, sed etiam liberum arbitrium, cum dicatur, quod gratia cum libero arbitrio illos operatur. Nec aliter posset Paulus per suum consensum dici socius Dei operantis, nec posset dicere, se cum gratia ope-

operatum fuisse per liberum arbitrium, qualiter verba Pauli intellexit Gregorius.

107 Respondetur hæc omnia optimè verificari, si liberum arbitrium ratione gratiæ verè operetur: non enim dicitur, quod operatur immediatè, & ratione sui: Vndè dum non probatur, quod si gratia est tota ratio agendi, homo non potest operari, aut eius liberum arbitrium, nihil hæc testimonia convincunt, quæ solum docent non merè passivè se habere hominem, & eius liberum arbitrium, sed laborare cum gratia; quod rectè verificatur, si per vires gratiæ operetur. Et quidem sivè intelligatur testimonium Apostoli de gratia sufficienti, sivè de gratia efficaci, vim non habet: Si intelligatur de gratia sufficienti, Apostolus sibi negat meritum laboris, quod gratiæ tribuit, quia ipse per proprias vires non poterat immediatè concurrere adhùc partialiter ad talem laborem, sed media gratia tanquam ratione adæquata; potiùs ergo ex hoc testimonio infertur gratiam esse totam rationem agendi. Assumptum probatur, quia si Apostolus negaret sibi meritum liboris, quod gratię tribuit, quia licèt ipse partialiter ratione sui concurreret; non tamen potest sine gratia etiam partialiter influente, etiam eadem ratione meritum laboris posset negare gratiæ, & sibi tribuere; quia licèt gratia partialiter concurrat, non tamen sine libero arbitrio partialiter influente: at hoc dici non potest; ergo dicendum est sibi negare meritum laboris, quod gratiæ tribuit, quia gratia est tota ratio influendi. Maior probatur, si homini, quia causa partialis est indigens gratia, negaretur effectus, posset gratiæ partialiter concurrenti negari, & sicut gratiæ partialiter concurrenti tribuitur, posset homini etiam partialiter concurrenti attribui; & sicut dixit non ego, sed gratia Dei mecum; posset, & deberet dicere: non gratia, sed ego, & gratia, vel gratia, & ego. Imò vt supra dicebamus, potiori titulo sibi, quam gratiæ tribui deberet, cùm ex causis concurrentibus partialiter, potiùs tribuendus sit effectus causæ determinanti aliam ad operandum, quam è contra; & causa determinans absolutè dicenda est causa, & auctrix effectus in sententia Adversariorum; causæ autem, quæ ex alteriùs determinatione, & dispositione concurrit, non est effectus tribuendus. Hac ratione plures ex Adversarijs asserunt, quod licèt Deus concurrat physicè efficienter ad entitatem peccati, & ad omnes eius formalitates, etiam ad ipsam malitiam, quam ab alijs formalitatibus non distingunt, asserunt, inquam, hominem esse causam, & Authorem peccati; Deum autem non esse causam, aut Authorem, scilicèt, quia Deus ex determinatione creaturæ concurrit; si ergo liberum arbitrium concurrens ratione sui determinat gratiam ad concurrendum, non gratia, sed liberum arbitrium deberet dici causa actus supernaturalis, & ipsi, & non gratiæ deberet tribui contra Apostolum.

108 Hoc argumento vsus est Parens Augustinus in Enchiridione cap. 32. & lib. 1. ad Simplicianum, versans illud ad Romanos 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*: vbi misericordiæ, & gratiæ Dei, non homini, tribuit Apostolus velle, & currere, non quia homo habens virtutem partialem ad currendum, & volendum indigeat misericordia, & gratia Dei. Et rationem huius reddit Augustinus vbi supra illis verbis: *Si propterea solum dictum est, quia voluntas hominis sola non sufficit, vt iustè, rectèque vivamus, nisi adiuvemur misericordia Dei; potest & hoc modo dici, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Hæc D. Augustinus. Idem docet Div. Thomas ad Romanos 9. lectione 3. Anselmus de Præscientia, & Concordia prædestinationis cap. 3. Si enim Apostolus dixit, non ego, quia licèt ipse habeat virtutem partialem, indiget concursu gratiæ partialiter concurrentis; eodem modo potest dicere, non gratia, sed ego, quia gratia sola non sufficit: quod est argumentum Parentis Augustini, & nostrum. Asserere autem non esse Dei miserentis, sed hominis volentis, Catholicè dici non potest, vt testatur Augustinus vbi supra. Restat ergo, quod Apostolus gratiæ, & non homini, Deo miserenti, & non hominis voluntati tribuat actus supernaturales, quibus vitam æternam consequimur, quia licèt homo illos eliciat, & illis consentiat, virtus tamen totalis est gratia, sine qua nulla reperitur in homine partialis virtus, quod satis indicat Gregorius verbis relatis, ibi: *Vt ergo se sine gratia nihil esse ostenderet*, ait: *Non ego quidem*; non autem esset nihil, si ratione sui haberet in actum virtutem ad partialiter concurrendum; sicut gratia non dicitur nihil, quia licèt indigeat libero

arbitrio, habet tamen ratione sui virtutem partialem ad illum eliciendum in sententia contraria.

109 Si verò intelligitur testimonium Pauli de Gratia efficaci, quod probabilius videtur, & colligitur ex D. Thoma ad Rom. 9. illis verbis: *Non autem solus operor, sed gratia movens, qua movet voluntatem ad hoc. Deus enim non solùm infundit gratiam, qua nostra opera fiant grata. Et meritoria, sed etiam movet ad benè vtendum gratia infusa, & hæc vocatur gratia cooperans*: Vbi de gratia movente efficacitèr ad operandum intelligit verba Pauli; de hac ergo gratia efficaci rectè docet Apostolus, quod non ipse, sed gratia Dei secum, quia merita ratione gratiæ efficacis sunt dona Dei; gratia enim efficax facit, quod homo operetur, ipsique donat operationem liberam; quapropter gratiæ, & non homini tribuitur, quia non sunt habita ex nobis, sed ex dono Dei, sed quia cum hoc componitur, quod homo libere consentiat, & eliciat actum meritorium, licèt ex vi gratiæ moventis, & facientis, quod libere operetur, ideò dicitur gratia Dei mecum, & homo dicitur cooperari gratiæ Dei, quia libere elicit consensum, quem Deus media sua gratia efficaci donat homini, & hac ratione dicitur in aliquo sensu solius Dei in operando, & Deo cooperari.

110 Deindè arguitur: Quia sententia nostra videtur incidere in errorem Calvini; ipse enim admittebat quidquid nos admittimus; asserebat enim, vt refertur ex Bellarmino, & alijs, quod gratia est tota ratio agendi, quod homo operatur vt *quod* actus salutares, nec enim poterat negare, quod gratia, quæ est tota ratio agendi recipitur in potentijs: in quo admittit, quidquid docent Thomistæ. Insuper impugnat Catholicos tanquam asserentes liberum arbitrium partem habere in actibus supernaturalibus, & partialiter ad illos concurrere; ergo sententia nostra non differt à sententia Calvini. Insuper à Concilio Tridentino sententia Catholicorum, quos Calvinus impugnat, approbatur, & ipse impugnans damnatur, approbavitque Concilium sententiam asserentem liberum arbitrium partialiter concurrere, & oppositam damnavit, quam sequutus est Calvinus.

111 Hoc argumentum existimant Adversarij planè convincere eorum sententiam esse approbatam à Concilio, & damnatam oppositam, sed falluntur; & respondetur, quod sicut Calvinus non damnatur, quia activitatem in actus salutares libero arbitrio tribuit contra Lutherum, nec concèdendo esse dona Dei contra Pelagium, nec asserendo tàm gratiam sufficientem, quàm efficacem esse simpliciter necessariam ad actus salutares, sed quia ex his principijs certis, & de fide intulit conclusionem hæreticam Manicheorum, nimirum non dari in nobis liberum arbitrium, nec potestatem antecedentem ad dissentiendum: ita similiter dicimus non erasse in eo quod asseruit gratiam esse totam rationem agendi, & in nostra voluntate non esse virtutem aliquam partialem innatam immediatam ad eliciendum actus supernaturales, sed quia ex hoc inferebat, non dari in nobis liberum arbitrium, & quia cum his principijs componere non valuerat, aut non volebat hominem posse dissentire vocationi divinæ: & fortè quia licèt concederet voluntatem habere activitatem, & vt *quod* operari, non tamen intelligebat per se propriè operari, sed solùm peraccidens, vt nec Adversarij possunt intelligere, si gratia est tota ratio agendi; non verò, quia asserebat voluntatem operari vt *quod*, & gratiam esse totam rationem agendi; hæc enim est Catholica doctrina D. Augustini, vt supra vidimus, & docetur à D. Thoma 1. Corithiorum 3. lectione 3. vbi expressè docet, adæquatam virtutem esse ex gratia Dei, & non solùm partem virtutis. Idem docet ad Ephesios 3. lectione 2. explicans illa verba: *Cuius factus sum ego Minister, secundum donum gratiæ Dei*: & quidem sufficientiam esse ex gratia, sæpè docet Apostolus; sufficientia autem partialis non est sufficientia, sed pars sufficientiæ; sicut anima non est homo, sed pars hominis.

112 In alijs materijs simile argumentum conficitur, cuius fallacia facilè detegitur; omnes fatentur dari amorem necessarium, & existere creaturas ex influxu Dei; nullus addit ex parte actus necessarij aliquid entitatis, nec ex parte creaturæ; aliqui non solùm nihil addunt entitatis, in quo Doctores Catholici conveniunt, sed nec addunt ex parte actus necessarij terminationem intrinsecam, quæ deficere possit, etiam quoad terminationem; & tamen aliqui errarunt, quia ex his principijs certis intulerunt Deum non amare libere creaturas, aut solùm illas similitudinatiè amare, cum quibus Doctores Catholici conveniunt in principijs, à quibus tamen maximè distant, quia cum illis principijs componunt

libertatem divinam in diligendo creatutas; quibus simile argumentum fieri potest. Doctores Catholici nihil ponũt ex parte Dei, nisi eius actum necessarium, & ex parte creaturæ nihil ab ipsa distinctum; hoc ipsum concedunt negantes Dei libertatem: ergo eadem est eorum sententia. Simile argumentum fit in scientia futurorum, & est idem, atque illud, quod Adversarij conficiunt contra physicam prædeterminationem. Calvinus non negabat iudicium indifferens, vt asserunt; concesit physicam prædeterminationem, & voluntatem efficacem Dei necessariam ad existentiam actus: hoc ipsum dicunt Thomistæ; ergo. Sed argumentum est fallax; ex principijs enim veris intulit Calvinus conclusionem hæreticam, nimirum hominem non habere liberum arbitrium, in quo eius error consistit, & in quo plus distat à Thomistis, quam ab alijs Doctoribus Catholicis: nam Thomistæ cum cæteris Catholicis dicunt consequens esse hæreticum, & insuper asserunt esse malam consequentiam; alij autem licèt affirment consequens esse hæreticum, affirmant tamen sicut Calvinus, bonam esse consequentiam.

113 Ad id, quod dicitur Calvinum impugnasse Catholicos quasi asserentes partialiter concurrere: Dicendum est Calvinum deceptum putando non posse esse libertatem in actibus sine concursu partiali. Vndè cum videret Catholicos libertatem illorum defendere, putavit necessariò asserturos liberum arbitrium partialiter concurrere: sic aliqui ex Adversarijs decepti sunt, qui asserunt hanc esse quæstionem de nomine, si liberum arbitrium verè, & propriè concurrat, quasi existiment non posse verè concurrere, si partialiter non concurrit, in quo falluntur. Vel dici potest, quod licèt concedat Calvinus, voluntatem vt quod concurrere, non tamen verè, & propriè, sed denominativè; & cum Catholici asserant verè concurrere, quod ipse non putavit posibile, sicut Adversarij, si voluntas non habeat partialem concursum, impugnavit Catholicos quasi asserentes partialitèr concurrere. Et hæc hoc Dubio.

TRAC-

TRACTATVS SECVNDVS.

DE SCIENTIA DEI NECESSARIA.

PROOEMIUM.

POSTQUAM D. Thomas egit hac Prima Parte de ijs, quæ ad divinam ſubſtantiam pertinent, vt eius Angelica doctrina in omnibus ſemper appareat, non minus ordine, & methodo, quâ veritate conſpicua in hac quæſtione 14. ſermonem inſtituit de his, quæ ad Dei operationem ſpectant; inter quæ primum locum obtinet Scientia divina; hæc enim inter operationes immanentes, intelligere, ſcilicèt, & velle, prima eſt; quippè cognitio regulat, & dirigit volitionem, & vtraque hæc operatio præcedit illam, quæ ad exteriorem effectum tranſit. Et fortaſsè Div. Thomas, nè videretur excludere à conſtitutione naturæ divinæ Dei intellectionem, non dixit hucuſque ægiſſe de natura divina, ſed de his, quæ pertinent ad ſubſtantiam Dei: nec dixit modo conſiderare tantum de operationibus divinis, ſed de his, quæ pertinent ad operationem Dei, inter quæ numeranda venit ipſa natura divina, vtpotè operationum radix. Quod notare libuit cum Magiſtro à Sancto Thoma, non quia in ea ſim ſententia, quæ naturam divinam in intellectione actuali conſtituit, ſed vt appareat argumentum ex his verbis D. Thomæ deſumptum ad oppoſitum probandum non eſſe omninò efficax; quamvis vt verum fatear, cum inter operationes divinas numeret Div. Thomas ſcientiam, ſeù cognitionem; ſatis indicat ſcientiam non conſtituere naturam, ſed illam vt ſui radicem ſupponere. Et quidem ſi natura divina inter ea, quæ ad operationem ſpectant, numeranda eſt, quia eſt illarum radix, & ſi ab illis virtualiter diſtincta, potiori titulo in-

cludi debet in his, quæ ad divinam ſubſtantiam ſpectant, à qua neque virtualiter adæquatè diſtinguitur. De Scientia Dei egit Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 35. 38. & 39. vbi D. Thomas, & cæteri Scholaſtici. Egit inſuper Angelicus Magiſter 1. contra Gentes à cap. 44. vſque ad 71. & quæſt. 2 de Veritate. Cuius doctrinæ ex animo adherentes, Angelicam mentem pro captu noſtro explicare, & defendere conabimur: ſed quia non omnia diſputari poſſunt, vt præcipua, & vtiliora tradamus, tractatum iſtum in duas partes dividemus, in prima agendum nobis eſt de Scientia neceſſaria, & in ſecunda de Scientia libera.

DIS.

DISPVTATIO PRIMA.

DE SCIENTIA NECESSARIA DEI.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm in Deo sit Scientia, & circa quæ obiecta?

§. I.

Stabilitur existentia Scientiæ divinæ.

1 CERTA Fide tenendum est non dari in Deo scientiam ex principijs, aut ab intellectu causatam; dicit enim imperfectionem dependentiæ, & compositionis, quæ longè distat à Deo: qua ratione etiam est certum non dari in Deo scientiam per modum qualitatis; cum ab illo omne accidens sit relegandum; & idem de scientia per modum habitus docere videtur Div. Thomas artic. 1. ad 1. est enim de conceptu habitus ratio qualitatis, & accidentis. Est insuper certum dari in Deo absolutè scientiam, quod vt docet D. Thomas quæst. 2. de Veritate art. 1. ab omnibus conceditur; quamvis in modo illam constituendi aliqui erraverint, quos ibi refert, & refutat, solùm concedentes scientiam metaphoricè talem, seù solùm in sensu causali.

2 Est tamen Catholica veritas dari in Deo scientiam sumptam pro cognitione certa, & evidenti. Quæ veritas fidei tantum apud homines invaluit, vt docet D. Thomas 1. contra Gentes, cap. 44. vt ab intelligendo nomen Dei imponerent. Theos enim, quod apud Græcos Deum significat, à Theastes dicitur, quod est considerare, vel videre; & manifestè constat ex testimonijs Scripturæ, à D. Thoma vbi proximè adductis, Job enim 9. de Deo dicitur: *Sapiens corde est, & fortis robore.* Et 11. *Apud ipsum est fortitudo, & sapientia.* Et Psalm. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Et infrà: *Cognovisti omnia novissima, & antiqua.* Et Psalm. 146. *Sapientiæ eius non est numerus.* Et Esther 14. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Et ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* & alibi sæpè; vt enim docet Dionisius de Divinis Nominibus, cap. 7. *Deum scire omnia, scripta divina tradunt, nihilque effugere divinam scientiam:* Quæ verba in proprio sensu accipienda esse constat ex communi consensu Patrum, & Theologorum: Quibus accedit, quod ex hac acceptione tantum abest aliquod sequi inconveniens, vt potiùs negatio scientiæ propriè sumptæ rationi naturali repugnet. Quapropter egregie D. August. lib. 5. de Civitate Dei, cap. 9. dixit: *Deum fateri, & ipsum negare præscium futurorum apertissima vesania est.* Cui consonat Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos docens; qui à Deo scientiam tollit, divinitatem tollit; in cuius confirmationem August. sermone 2. in Psalm. 113. dixit; quod stultissimi Gentium ligna, & lapides, tanquam Deos colentes manifestè putarunt vivum habitatorem ibi delitescere.

3 Deindè probatur rationibus Div. Thomæ. Prima sit ex quæstione 2. de Veritate, citata artic. 1. Omne, quod simpliciter

in

in omni meliùs eſt eſſe, quam non eſſe, Deo tribuendum eſt : ſed ſcientia eſt huiuſmodi; ergo Deo eſt tribuenda. Maiorem deſumpſit D. Thomas ex Anſelmo in Monologio, & explicatur: illa perfectio, quæ talis eſt, quod illam habere meliùs eſt cuivis individuo entis, quam illa carere, vel habere aliam repugnantem, Deo tribuenda eſt; eſt enim melior ipſa, quam non ipſa: vndè cum Deo nihil meliùs excogitari poſsit, Deo tribuenda eſt. Minor verò ex ipſis terminis apparet nota; meliùs eſt enim habere naturam intellectivam, quam illa carere, vel aliam illi repugnantem habere. Cui accedit, Deo attribuendam eſſe omnem perfectionem, nullam admiſcentem imperfectionem: at ſcientia eſt huiuſmodi, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit; ergo Deo eſt tribuenda. Secunda ſit; Deus operatur propter finem, cum ſit perfectiſsimum agens: ſed non propter finem ab alio præſtitutum, qualiter agētia naturalia creata; aliàs perfectiſsimum non eſſet; cum in operando ab alio penderet; ergo propter finem à ſe præſtitutum media cognitione. Tertia: Deus operatur ad extra non neceſſariò, ſed libere, vt Tractatu de Voluntate ex D. Thoma monſtrabimus, & per ſe evidens eſt; cum hic modus operandi ſit perfectior: at libere operari eſt operari ex electione, quæ cognitionem neceſſariò ſupponit; ergo in Deo datur cognitio.

4 Quod confirmari poteſt; quia in Deo eſt perfectiſsima providentia, perfectiſsimum creaturarum dominium, & aliæ virtutes, ſcilicèt, liberalitas, miſericordia, virtus remunerativa, & punitiva, quæ varijs in locis de Deo à D. Thoma demonſtrantur, & lumen naturæ in Deo fatetur: ſed hæc abſque cognitione, ſalvari non poſſunt; ergo cognitio datur in Deo. Confirmatur ſecundo: Deus dedit creaturis intellectualibus vim intellectivam, docetque homines ſcientiam, ab ipſo naſcitur, & ex eius determinatione oritur diverſitas creaturarum: ſed hoc impoſsibile apparet abſque eo, quod res creatas cognoſcat, & illarum diſtinctionem; quod non obſcurè tradditur à Regio Vatè Pſalm. 93. *Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat*; ergo.

5 Neque ad hoc ſalvandum ſufficit eminentialis cognitio, vt videntur docere quos ſupra ex Div. Thoma retulimus: tùm quia nulla ex perfectionibus aſsignatis eſſet in Deo formaliter, ſed ſolùm eminenter; quod evidenter eſt falſum: tùm etiam, quia ſi non eſſet formaliter cognoſcens, Deus produceret creaturas, illaſque gubernaret neſciens formaliter quod faceret; quod lumen naturæ abhorret: tùm denique; quia non eſt intelligibilis natura ſolùm eminentialiter intellectiva; eſſet enim perfectior, quam natura formaliter intellectiva: quod implicat; quia vt ſupra diximus, vis intellectiva eſt melior ipſa, quam non ipſa.

6 Sed dices; perfectio non cognoſcitiva formaliter poteſt excedere in ratione perfectionis omnem naturam cognoſcitivam creatam; ergo natura non intellectiva formaliter poteſt excedere in perfectione omnem naturam creatam intellectivam; & conſequenter ſine intellectualitate formaliter poteſt eſſe cognoſcitiva, ſeù intellectiva eminenter. Conſequentia conſtare videtur; & antecedens probatur: non omnis perfectio divina eſt cognoſcitiva formaliter, vt conſtat in voluntate: & tamen omnis excedit in perfectione omnem naturam intellectivam creatam, vtpotè infinita in propria linea; ergo perfectio non intellectiva formaliter poteſt excedere in perfectione omnem naturam intellectivam creatam.

7 Hoc tamen facilè ſolvitur diſtinguendo antecedens, perfectio non cognoſcitiva formaliter, neque conexivè, antecedenter, vel conſequenter, nego antecedens; non intellectiva formaliter conſtitutivè, concedo antecedens, & neganda eſt conſequentia: ad antecedentis probationem, diſtinguēda eſt maior eodem modo. Ratio huius eſt; quia natura intellectualis non ſolùm habet intelligere, ſed velle, & alias plures perfectiones, quæ cognoſcitivæ formaliter, & conſtitutivè non ſunt; quod etiam in Deo verum eſt abſque limitatione, & diſtinctione reali, quæ in creaturis reperitur: Quapropter vt docet D. Thomas quæſt. 2. de Scientia art. 1. Deus à nobis non vnico concipitur actu, ſed pluribus, propter ſuam eminentiam, & noſtram limitationem. Vndè ſi natura intellectualis, qualis eſt divina, ſit infinita, omnis eius perfectio, quamvis non explicet formaliter, & conſtitutivè intellectualitatem, excedit infinitè quamlibet naturam intellectualem creatam, quia eſt proprietas naturæ infinitæ cum ipſa identificata, ipſique proportionata, à qua ſummam habet perfectionem: at verò ſi natura non eſſet intellectiva formaliter, eſſet poſitivè imperfecta, vtpotè carens perfectione, quæ melior eſt ipſa, quam non ipſa; neque in illa

poſ-

poteſt conſpici prædicatum, vi cuius continere poſsit omnem naturam intellectualem, creatam: licèt ergo ex immaterialitate per modum attributi, vel proprietatis non inferatur vis cognoſcitiva formaliter; cum voluntas ſit immaterialis; quæ tamen non eſt formaliter cognoſcitiva; benè tamen ex immaterialitate per modum ſubſtantiæ, vel naturæ: quo ſenſu explicatur communitèr à Theologis ratio D. Thomæ in præſenti; ſic ſimiliter ex exceſſu perfectionis ſupra omnem naturam intellectualem creatam per modum attributi, ſeù proprietatis, non infertur intellectualitas formaliter in tali attributo: ex exceſſu autem per modum ſubſtantiæ, vel naturæ optimè infertur; & è contra ſicut hæc conſequentia non tenet, ſtat aliquid eſſe immateriale formaliter, & non eſſe formaliter intellectivum, vt patet in voluntate; ergo ex eo, quod Deus ſit immaterialis, non infertur, quod ſit intellectivus; pariter hæc conſequentia non tenet, voluntas divina excedit omnem ſubſtantiam intellectualem creatam: & tamen non eſt formaliter intellectiva; ergo ſtat naturam excedere omnem ſubſtantiam intellectualem creatam, & non eſſe formaliter intellectivam.

8 Deinde veritas iſta conſtat; quia homines lumine naturæ cognoſcunt Deum peccatis offendi: ſed hoc eſt cognoſcere ipſum talis eſſe naturę, vt in peccatis; ex eorum malitiæ cognitione diſpliceat; ergo lumine naturæ notum eſt Deum eſſe prædituṁ cognitione.

9 Tandem probatur ratione D. Thom. in præſenti art. 1. Immaterialitas eſt ratio, cur aliquid ſit cognoſcitivum, & ſecundum modum immaterialitatis eſt modus cognitionis: ſed Deus eſt in ſummo immaterialitatis gradu, vtpotè actus purus omnem excludens potentialitatem; ergo eſt in ſummo cognitionis, quod eſt habere perfectiſsimam ſcientiam. Maior quoad ſecundam partem probatur; eo enim animal eſt ſenſitivum, non vero plantæ, propter harum maiorem materialitatem, & quia ſenſus eſt receptivus ſpecierum ſine materia: & ſimiliter intellectus magis cognoſcitivus eſt quam ſenſus, quia magis ſeparatus à materia, vt dicitur in 3. de Anima; ergo ſecundum modum immaterialitatis eſt modus cognitionis. Quoad primam verò probatur; quia propriũ eſt cognoſcentium habere non ſolùm formam ſuam, ſed alteriùs: nam ſpecies rei cognitæ eſt in cognoſcente: ſed hoc ipſis convenit ex maiori amplitudine, & illimitatione illorum, & hæc ex illorum immaterialitate; cum coarctatio ſit per materiam; ergo immaterialitas eſt ratio cur aliquid ſit cognoſcitivum.

10 Hanc rationem eſſe demonſtrationem à priori, cõmunius docetur à Theologis; quia quamvis vis intellectiva ſit quæ demonſtratur, & hæc ſaltim radicalis ſit prędicatum conſtitutivum divinæ naturæ, ſupponit tamen noſtro modo concipiendi aliũ conceptum inadæquatè diſtinctum, nimirum immaterialitatem; quod cernere licèt in omni ſubſtantia creata, quæ licèt in propria ſpecie conſtituatur inadæquatè per cõceptum naturæ, & radicis operationum; iſte tamen ſupponit noſtro modo intelligendi alium inadæquatè diſtinctum, qui conceptus eſſentiæ communiter nominatur; prius enim concipitur ſubſtantia in ordine ad ſe, & ad proprium eſſe, quam in ordine ad aliud, & conceptus iſte eſt ratio, quare ſubſtantia ſit radix harum operationum, potiùs quam aliarum. Quod autem immaterialitas ſit huiuſmodi, optimè probat ratio Div. Thomæ, qui videndus eſt queſt. 2. de Veritate art. 2. vbi magis illam explicat: & quidem primus conceptus, ex quo à priori deducitur vis intellectiva, debet eſſe communis omni intelligenti, & illi proprius; ſicut conceptus, ex quo deducitur in animali vis ſenſitiva, debet eſſe communis omni animali, & illi proprius: at nullus alius poteſt aſsignari communis omni intelligenti, & illi proprius, niſi immaterialitas; ergo hęc eſt ratio intellectualitatis.

11 Contrà hanc veritatem aliqua ſunt argumenta. Primò; gratia habitualis excedit omnem ſubſtantiam creatam; cum ſit naturæ Divinæ participatio: & tamen intellectiva non eſt; erga dabilis eſt perfectio excedens omnem ſubſtantiam intellectivam, quæ tamen intellectiva non ſit; & conſequẽter Deus excedere poteſt omnem ſubſtantiam intellectivam creatam, quin exinde inferatur, quod ſit intellectivus. Confirmatur; etſi genus ſpirituale ex conceptu ſuo perfectius ſit, quam materiale, non inconvenit dari ſubſtantiam corpoream perfectiorem aliqua ſpirituali: ſed hæc non eſſet intellectiva; ergo dabilis eſt ſubſtantia ſpiritualis non intellectiva. Minor eſt certa; ſubſtantia enim intellectiva neceſſariò excedit non intellectivam. Maior autem probatur. Licèt incorruptibile ex genere ſuo perfectius ſit, quam corruptibile, tamen equus corruptibilis perfectio-

fectior eſt Cœlo incorruptibili; ergo ſimiliter quamvis genus ſpirituale perfectius ſit materiali, non inconvenit aliquam ſubſtantiam excedere minimum accidens ſpirituale. Subſtantia etiam perfectior eſt accidenti: & tamen datur accidens ſpirituale excedens plures ſubſtantias corporeas.

12 Hoc argumento convincuntur moderni quidam extra Scholam D. Thomæ ad deſſerendas aliquas ex rationibus ſupra factis: ſed immeritò; admiſſa enim maiori, neganda eſt minor; etenim gratia eſt intellectiva ea ratione, qua eſt, & dicitur participatio naturæ divinæ; hoc enim eſt eſſe radicem videndi, & amandi Deum: inſuper admiſſo non eſſe intellectivam formaliter, negari non poteſt eſſe intellectivam antecedenter.

13 Sed dices: eo ipſo quod gratia excedat omnem ſubſtantiam creatam intellectivam, etiam ſi ipſa intellectiva non ſit, ſubſtantia, cui convenit, debet excedere, & continere omnem ſubſtantiam creatam intellectivam; vt enim ſupra dicebamus, non poteſt prædicatum conveniens alicui naturæ excedere omnem ſubſtantiam intellectualem creatam, etſi intellectivum formaliter non ſit, quin natura, cui convenit ſit intellectualis, & continens omnem ſubſtantiam intellectualem creatam: ſed hoc eſt manifeſtè falſum; ergo concedendum non eſt gratiam excedere omnem naturam intellectivam, vel falſa eſt doctrina traddita.

14 Reſpondetur negando antecedens: non enim ex eo quod prædicatum conveniens naturæ excedat omnem ſubſtantiam intellectualem creatam, ſequitur naturam illam eundem habere exceſſum, niſi tale prædicatum ſit ipſi connaturale, & veluti illius proprietas: gratia autem non eſt huiuſmodi, ſed omninò indebita, elevans naturam ad ordinem divinum: ex quo ſolùm ſequitur, quod natura divina, cuius participium, & veluti proprietas eſt, ad cuius conſortium elevat creaturam, habeat ſimilem, ſeù maiorem exceſſum. Inſuper, quamvis gratia excedat omnem ſubſtantiam creatam intellectualem diviſivè; non tamen collectivè: attributum autem divinum, de quo ſuprà loquebamur, excedit omnem ſubſtantiam etiam collectivè.

15 Sed dices iterùm: etiam ſi gratia non ſit proprietas naturæ, quia ſpiritualis eſt, ſupponit naturam intellectivam; ergo etiam ſi proprietas non ſit, ſi ſemel excedit, debet ſupponere naturam excedentem. Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: nam eo ipſo, quod ſpiritualis ſit, non poteſt non habere ſubiectum ſpirituale: inſuper in gratia eſt alia ratio; quia enim elevat naturam ad participium divinæ naturæ, debet ſupponere illam capacem videndi, & amandi Deum; atque adeò cognoſcitivam: ex eo autem, quod excedat, non arguitur ſimilis exceſſus in ſubſtantia, cui convenit; & ratio eſt, quia illam elevat ad ordinem altiorem, ſolumque in ipſa ſupponit capacitàtem, vt eius effectum recipiat, quæ habetur eo ipſo, quod intellectiva ſit abſque ſimili exceſſu: inſuper, vt diximus, ſupponit naturam, cuius participium eſt intellectivam.

16 Tandem dices: ſi ſuppoſitum divinum aſſummeret naturam inſenſibilem; quod communius poſsibile iudicatur à Theologis, vnio nectens naturam creatam cum ſuppoſito divino excederet omnem ſubſtantiam intellectivam: & tamen intellectiva non eſſet formaliter, antecedenter, aut conſequenter; cum natura inſenſibilis incapax ſit intellectionis; ergo ſtat excedere omnem ſubſtantiam intellectivam, abſque vi vllomodo intellectiva. Maior conſtans videtur; quia perfectiùs coniungeret naturam creatam cum Deo, quam gratia, aut viſio beata, ſcilicèt in vnitatem ſuppoſiti; qua ratione vnio hypoſtatica ſumpta pro modo vnionis excedit gratiam, & viſionem beatam.

17 Qui aſſerunt vnionem defacto coniungentem humanitatem cum Verbo non excedere gratiam habitualem, aut viſionem beatam, hoc ipſum potiori titulo de modo illo fateri tenentur: quo poſito non eſſet difficilè aſſerere, non excedere omnem ſubſtantiam creatam; ſicut non eſt improbabile, non omne accidens ſupernaturale illam excedere. Sed quia hanc doctrinam communitèr deſſerunt Theologi argumentò facto convicti, aliter reſpondendum eſt concedendo maiorem intellectam de exceſſu ſpecifico; eſſet enim perfectionis ſpecies, quam à ſuppoſito divino ſumeret, qualiter hucuſque loquuti ſummus, non de exceſſu continentiæ, quem etiam gratiæ negamus: Minor autem neganda eſt, quam non convincit probatio ſubiuncta; licèt enim natura inſenſibilis non ſit intellectiva, ſuppoſitum tamen divinum, quod cum illa coniungit intellectivum eſt; eſtque proprietas, vel participium ſuppoſiti ſubſiſtentis in natura increata; non verò naturæ inſenſibilis, quam

eleva

elevat, in qua ſolùm ſupponit, vt de gratia ſupra diximus, capacitatem recipiendi eius effectum formalem, ad quem non requiritur vis intellectiva. Ad confirmationem concedimus ex capite generis perfectioris non convinci exceſſum, vt probant exempla adducta, convincitur tamen ex exceſſu in tali genere: nam eo ipſo, quod ſubſtantia careat materia, habet quandam amplitudinem, ratione cuius eſt capax habendi alia.

18 Secundò arguitur: intelligere eſt vivere; ſed vivere eſt dicere imperfectionē Deo repugnantem; ergo & intelligere. Minor probatur; quia vivere eſt ſe movere, quod repugnat divinæ immutabilitati, & ſimplicitati. Confirmatur; quia implicat vivere in actu ſecundo ſine actione vitali; ſed hæc Deo repugnat; ergo & vivere. Minor probatur; quia actio vitalis dicit in ſuo conceptu formali egreſsionem à principio: ſed in Deo implicat huiuſmodi egreſsio; ergo & actio vitalis.

19 Neque ſufficit reſpondere, ad actum vitalem ſufficere egreſſum virtualem, qui imperfectio non eſt: tùm, quia actio vitalis dicit eſſentialiter egreſſum à principio; ergo actio formaliter vitalis egreſſum formalem, & conſequenter ſi iſte repugnat, etiā repugnabit actio formaliter vitalis: tùm etiam; quia ſicut de conceptu relationis eſt eſſe ad aliud, de conceptu actionis eſt eſſe ab alio, ſcilicèt à principio; ſed ob primum, non poteſt dari relatio, quæ ad aliud formaliter non ſit; ergo neque actio, quæ à principio formaliter non ſit; atque adeò ſi egreſſus formalis repugnat, repugnat actio vitalis. Tùm etiam; quia eſt probabilis ſententia, intellectionem conſtituere naturam divinam, qua admiſſa, negandus videtur egreſſus virtualis, qui ſine virtuali diſtinctione formæ egredientis à principio, à quo egreditur, concipi non poteſt; ergo in Deo non datur egreſſus etiam virtualis intellectionis à principio; atque adeò cum aliquis egreſſus ad actum vitalem requiratur, videtur à Deo eſſe relegandum actum vitalem.

20 Reſpondetur negando minorem, ad probationem diſtinguo maiorem, eſt ſe movere quantum ad modum ſignificandi, & ſimilitudinarie, concedo maiorem, motu proprio, nego maiorem, & minorem eodem modo: itaque vt docet D. Thomas in præſenti art. 1. ad 1. *Quia perfectiones procedentes à Deo in creaturas alteri modo ſunt in Deo, oportet, quod quandocumque nomen ſumptum à quacumque perfectione naturæ Deo attribuitur, ſecludatur ab eius ſignificatione omne illud, quod pertinet ad imperfectum modum, qui competit creaturæ.* Vndè quamvis in Deo ſit vivere, & intelligere, non eſt motus, niſi ſimilitudinarie; motus enim diſtinctus, niſi ſit actus perfecti, eſt imperfectio, à qua denudatur vita in Deo: eſt autem ſimilitudinarie motus, vt docet Div. Thomas infra queſt. 18. art. 3. ad 1. quia ſicut motus eſt perfectio mobilis, ſic vita eſt perfectio, & actus viventis.

21 Ad confirmationem admiſſa maiori, diſtinguo minorem, egreſſum formalem, vel virtualem, admitto minorem, formalem tantum, nego minorem, & conſequentiam: actio ergo vitalis, quæ eſt vita in actu ſecundo, dicit quidem egreſſum ſeclusa imperfectione diſtinctionis realis à principio, quæ in creaturis reperitur; quæ ablata ſolùm poteſt manere egreſſus virtualis, qui imperfectio non eſt, ſicut neque radicatio virtualis, vt conſtat in attributis. Et ex hoc conſtat ad primam impugnationem; actio enim, ſeù actus vitalis non dicit ex conceptu ſuo egreſſum formalem; hic enim illi competit ex imperfecto modo, proùt in creaturis reperitur.

22 Ad ſecundam nego paritatem: actus enim vitalis habet eſſe ab alio formaliter ex modo imperfecto, quo in creaturis reperitur; ac proindè non poteſt eſſe de cōceptu actus vitalis, iſte enim eſt perfectio procedens à Deo in creaturas, vt loquitur D. Thomas; ac proindè à conceptu eius formali excludi debet huius modi imperfectio. In relatione autem eſſe ad aliud formaliter nulla eſt imperfectio; atque adeò, vt transferatur in Deum, ſecludi non debet: ſi autem pro eſſe ad aliud intelligatur alietas in natura, imperfectio eſt relationis creatæ: & paritas hæc fortiùs currit, ſi intellectio conſtituat naturam divinam; eſt tamen ſolvenda iuxta dicta, & ſtatim tradenda.

23 Ad tertiam dicendum: quod in ſententia illa probabili, aliqui etiam admittunt egreſſum virtualem intellectionis à principio, ſub qua ratione intellectio non conſtituit naturam divinam; quod non impedit, quo minus ipſa conſiderata, vt actus puriſsimus illam conſtituat. Alij diſtinguentes inter naturam, & eſſentiam, aſſerunt intellectionem conſtituere naturam, egredi tamen virtualiter ab eſſentia. Sed ij ab alijs eiuſdem ſententiæ Authoribus deſſeruntur, qui meliùs abſq; egreſſu etiā virtuali, vitam, & intellectionem actualem agnoſcunt; iſte enim

enim egreſſus ab ipſis non intelligitur abſque potentialitate; & cum iuxta dicta ab intellectione,& actu vitali Dei debeat omnis imperfectio ſecludi, debet excludi huiuſmodi egreſſus : vndè ad argumentum factum reſpondent,de conceptu actionis vitalis non eſſe egreſſum etiam virtualem diſtinguentem virtualiter actionem à principio ; quod ex conceptu perfectiſsimæ vitæ , & intellectionis deducunt : nam vt docet D. Thomas quæſt. 18. ſequent. art. 3. citato, viventia,eo magis perfecta ſunt,quo minus ab alijs moventur : vndè perfectiſsimum intelligens, & cuius ſua natura eſt ipſum eius intelligere, & cui id, quod naturaliter habet , non determinatur ab alio , ſummum obtinet gradum vitæ ; non enim ad vivendum eſt neceſſarius egreſſus virtualis per diſtinctionem virtualem actus vitalis à principio ; ſed potiùs perfectiſsimus modus vitæ eſt in illo, cuius natura eſt ipſum eius intelligere.Quod ſatis probabiliter deduci videtur ex D.Thoma in preſenti art.4.vbi ſic concludit corpus articuli : *Et ſic patet ex omnibus præmiſſis, quod in Deo intellectus,& id , quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis, & ipſum intelligere ſunt omninò vnum,& idem* ; vbi omnem diſtinctionem , etiam virtualem videtur excludere. Colligitur etiam,ex eo,quod intelligere fit per aſsimilationem intelligentis ad rem intellectam, quæ in principali analogato tranſit in ſummam identitatem excludentem diſtinctionem etiam virtualem ; admodum quo generatio, de cuius ratione eſt eſſe in ſimilitudinem naturæ, in ſupremo analogato tranſit in omnimodam naturæ identitatem.

24 Sed dices primò: Perfectiſsimus gradus vitæ iuxta D. Thomam eſt ille , in quo vivens ab alio non movetur vllo modo; ſed etiamſi intellectio actualis egrediatur virtualiter à natura virtualiter diſtincta, Deus nullo modo ab alio moveretur ; ergo cum egreſſu virtuali ſalvatur ſumus gradus vitæ. Secundo: ſi doctrina traddita vera eſſet nihil remaneret commune actui vitali creato,& increato,per quod ab alijs perfectionibus divinis,quæ vitales formaliter non ſunt, diſtinguantur ; ergo vt detur conceptus communis vitæ creatæ, & increatæ illis proprius, debet concedi omni vitæ egreſſus aliquis, vel formalis ,vel virtualis.

25 Ad primum conceſſa maiori,negganda eſt minor : implicat enim iuxta hanc ſententiam, ab alio non moveri , ſi ipſa natura viventis ex ſe, & conſtitutive non ſit in actu vltimo intelligendi; quod videtur mens ipſa D. Tho. ſi enim operatio vitalis ſupponit principiũ, à quo egrediatur, tale principiũ minus habet de actu , & de gradu vitæ, & intelligitur determinabile per actum vitalem. Vndè ex eo, quod ipſa actualis vita ſit conſtitutive ipſa natura viventis , intulit D.Thomas ab alio non moveri vllo modo.

26 Ad ſecundùm nego antecedens: diſtinguitur enim actus vitalis in Deo ab alijs perfectionibus,quia per illum Deus ſe movet virtualiter ſecluſis imperfectionibus abſque aliqua egreſsione,& abſque virtuali diſtinctione principij, & termini , ſeù actus ; virtualiter autem ſe movere in eo conſiſtit , quod Deus per ſe ipſum ſemper eſt in actu ſecundo , ad quem pervenit vivens creatum per motum de actu primo in ſecundum. Ex quo naſcitur , quod vivens creatum non excludat omnem motionem ab alio,Deus autem illam excludat.

27 Quod ampliùs ſic poteſt explicari : nam vivere eſt habere perfectionem à ſe , quam vivens creatum abſque influxu formali acquirere non poteſt , & ad quam nullo modo poſſunt pertingere non viventia , quale eſt intelligere, & velle : per hoc autem quod natura Dei conſtituatur per ipſum intelligere , non aufertur , quod huiuſmodi perfectionem , quam vivens creatum habet à ſe , ſed per influxum formalem , Deus habeat à ſe , quamvis abſque aliquo influxu ; atque adeò non aufertur, quod in Deo eſt propriſsima vita. Aliæ autem perfectiones , quæ non ſunt formaliter vitales , non ſunt huiuſmodi ; quamvis enim Deus illas habeat à ſe , ad illas tamen non pertingit vivens creatum per influxum formalem ; atque adeò illas à ſe habere,non diſtinguit vivens à non vivente.

§. II.

Stabilitur ſtricta ſcientia in Deo, & eius obiectum.

28 PRO Quo ſit prima concluſio: Cognitio Divina eſt propriè, & ſtrictè ſcientia, & non ſolùm communiter, eo ſenſu, quo omnis cognitio certa, & evidens denominatur ſcientia. Hæc eſt communis inter Theologos cum D. Thoma in præſenti quæſtione, & locis ſupra citatis. Eſt tamen contra P. Vazquez 1. part. diſp. 4. cap. 4. & diſp. 85. cap. 7. qui aſſeruit eſſe quidem in Deo ſcientiam propriè, hoc eſt, non metaphoricè; non tamen ſcientiam ſtrictam; ſed communiter ſumptam, quatenus omnis cognitio certa, & evidens ſcientia communiter dicitur, pro qua etiam refertur Durandus in 1. diſtinct. 35. quæſt. 4. Hæc concluſio probatur primo ex D. Thom. 1. contra Gentes, cap. 94. vbi num. 2. ſic habet: *Item ſi ſcientia eſt rei cognitio per propriam cauſam, ipſe autem omnium cauſarum, & effectuum ordinem cognoſcit, & per hoc ſingulas cauſas novit, manifeſtum eſt, quod in ipſo propriè ſcientia eſt.* Item quæſt. 2. de veritate, art. 1. ſic habet; quamvis modo cognitionis attento non ſit aliquid Deo magis, aut minus notum; ex parte tamen obiecti eſt vnum altero notius, quod Divinus intellectus cognoſcit. Vnde etiam quantum ad iſtum ordinem, qui poteſt attendi in Divina cognitione ex parte obiectorum, etiam ſalvatur in Deo ratio ſcientiæ; ipſe enim omnia per cauſam cognoſcit. Quod non obſcurè colligitur ex hoc artic. 1. ad 2. vbi docet, tunc cognitionem concluſionum cauſari ex cognitione principiorum, quando principia, & concluſio diverſis cognitionibus, attinguntur: vbi cum argumentum, quod ſoluit, intenderet probare repugnantiam ſcientiæ ſtrictè ſumptæ, D. Thom. illam Deo non negavit, ſed docuit eſſe imperfectionem ſcientiæ cauſari ex cognitione principiorum. Quibus accedit, quod teſtimonia Scripturæ, & Patrum commodius accipiuntur de ſtricta ſcientia, & rigoroſa, ſi ex hac acceptione nullum ſequatur abſurdum; quod tamen non ſequi, ex argumentorum ſolutione conſtabit.

29 Secundo probatur concluſio ratione ex locis D. Thomæ deſumpta; ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, & quod illius eſt cauſa, & quod res aliter ſe habere non poteſt; ſed Deus cognoſcit rem per cauſam, & quoniam ipſius eſt cauſa, & quod aliter ſe habere non poteſt; ergo habet ſtrictam ſcientiam. Maior eſt communis inter Philoſophos ſic ſcientiam definientes. Minor verò probatur: quia Deus in ſeipſo, & per ſeipſum, qui eſt creaturarum cauſa, illas cognoſcit, vt inferius conſtabit; inſuper cognoſcit quoniam illarum eſt cauſa, & quod res aliter ſe habere non poteſt; ergo vera eſt minor.

30 Neque ad ſcientiam requiritur vnam cognitionem cauſari ex alia. Tùm; quia ex D. Thoma vidimus neceſſariam non eſſe. Tùm; quia ex eo, quod vnica cognitione præſtetur altiori modo, quod in nobis præſtat multitudo cognitionum, non poteſt obſtare rationi ſcientiæ, ſed illam perficere: qua ratione in Angelo datur ſcientia, quamvis ipſe eadem cognitione attingat concluſiones, & principia. Tùm etiam; quia admiſſo requiri aliqualem diſcurſum, non eſt ratio, quare non ſufficiat virtualis, in eo conſiſtens, quod vna cognitio ex alia virtualiter cauſetur; ſed hanc virtualem cauſalitatem vnius cognitionis in aliam Deo non repugnare eſt valdè probabile; ſicut quod attributa virtualiter ab eſſentia dimanent, & quod actus vitalis egrediatur à principio. Maior probatur: Tùm; quia in Angelo eſt ſcientia; & tamen in ipſo ſolùm aſſignatur huiuſmodi cauſalitas vnius cognitionis in aliam. Tùm etiam; quia non poteſt maior cauſalitas requiri ex parte cognitionum, quam ex parte obiectorum, vt inter eſſentiam, & proprietates: ſed ex parte obiectorum ſufficit cauſalitas virtualis, & formalis non requiritur, vt conſtat in obiecto metaphiſicæ, & Theologiæ; ens enim ſolùm poteſt virtualiter cauſare attributa ex ipſo demonſtrata, cùm ab ipſo realiter non diſtinguantur, & ſimiliter in Deo; ergo admiſſo aliquam cauſalitatem requiri ex parte cognitionum, ſufficiet virtualis. Ex quibus ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ deſumptum ex eo, quod ad rationem ſcientiæ neceſſarius eſt diſcurſus, negatur aſſumptum, quod ſæpè negavit D. Thomas; vel diſtinguatur de formali diſcurſu, & virtuali; quorum primus, ad ſcientiam neceſ-

ſarius non eſt; ſecundum verò Deo non repugnare valdè probabile eſt.

31 Secundo argui poteſt: ſcientia debet primario verſari erga concluſiones; ſed nulla datur in Deo cognitio primario attingens concluſiones; ergo in Deo non datur ſtricta ſcientia. Maior videtur certa; in hoc enim diſtinguitur ſcientia à lumine primorum principiorum, quod iſtud verſatur primo, & per ſe erga principia, illa autem erga concluſiones: & huius ratio eſt; quia quælibet virtus verſari debet primo, & per ſe erga proprium obiectum, proprium autem ſcientiæ obiectum ſunt concluſiones. Minor verò probatur: nam concluſiones, & veritates, quæ à Deo ſciri poſſunt, ſunt creatæ; ſed quidquid creatum eſt, attingitur ſecundario à cognitione Divina; ergo nulla datur cognitio primo, & per ſe attingens concluſiones.

32 Neque ſolvitur argumentum, ſi aſſeratur ipſa attributa Dei, quæ increata ſunt, eſſe veritates, quas Deus ſcit. Contra enim eſt; quia ſi qua eſt in Deo ſcientia, debet erga creaturas verſari, de quibus argumentum factum pro noſtra ſententia probat. Tùm etiam; quia in Deo non dari ſtrictam ſcientiam attributorum, eſt probabilis multorum ſententia; ergo ſi erga creaturas non datur, probabile erit non eſſe in Deo ſcientiam ſtrictam. Tùm denique; quia etiam attributa non attingi primo, & per ſe, ſed in eſſentia Divina, quę eſt primarium obiectum cognitionis divinæ, eſt etiam probabilis ſententia; ergo cognitio Divina nullam veritatem ſcibilem primario attingit; & conſequenter in ipſo ſcientia non eſt.

33 Reſpondetur negando maiorem, vel illam diſtinguendo, ſi ſcientia ſit erga obiectum primarium, concedenda eſt maior, & neganda, ſi ſolùm denominetur ſcientia erga obiectum ſecundarium; & admiſſa minori, neganda conſequentia. Itaque ſcientia Divina eſt talis comparativè ad obiectum ſecundarium, nimirum creaturas; atque adeò neceſſarium non eſt, quod primo, & per ſe illa reſpiciat; ſicut ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſeù abſtractiva, ſolùm erga obiectum ſecundarium verſatur, ſeù ſolùm talis dicitur comparativè ad creaturas. Ad maioris probationem dicendum, verum eſſe lumen primorum principiorum, & ſcientiam ſic diſtingui, quando inter ſe iſtæ virtutes diſtinguuntur: tunc enim quælibet habet proprium, & diſtinctum obiectum primarium: quando autem indiſtinctæ ſunt, vt in Deo, poteſt habere denominationem luminis principiorum à primario obiecto, & denominationem ſcientiæ à ſecundario, à quo aliquā denominationē accipere inconveniens non eſt, vt vidimus in denominatione ſimplicis intelligentiæ, quæ ab obiecto ſecundario deſummitur.

34 Quod ſi admittamus in Deo ſcientiam ſtrictam erga attributa propria, etiam facilè ſolvitur obiectio; poteſt enim dici, attributa pertinere ad obiectum primarium; vel ſi non pertinent, non obſtare ad rationem ſcientiæ non terminari ad concluſiones primario, vt de ſcientia creaturarum diximus. Vel dicendum, quod quamvis cognitio divina, quatenus intelligentia, & actus pertinens ad lumen primorum principiorum, non attingat primario, & per ſe attributa, ipſa tamen quatenus ſcientia eſt virtualiter ab intelligentia diſtincta, primo, & per ſe attingit attributa. Iuxta quem modum dicendi diſtinguenda eſt in Deo virtualiter duplex cognitio.

35 Sit ſecunda concluſio: Deus habet ſtrictam ſcientiam creaturarum. Hæc concluſio ex dictis evidenter infertur; vt tamen explicemus erga quam veritatem habeat ſcientiam, advertendum eſt, veritates creatas eſſe in triplici differentia, aliæ ſunt immediatæ, & prima principia, vt homo eſt animal; aliæ ſunt ex his deductæ, & per prima principia à nobis demonſtrabiles, vt homo eſt riſibilis: aliæ ſunt veritates contingentes, vt homo eſt albus; & de omnibus his Deum habere ſtrictam ſcientiam aſſerimus. Et de primis probatur: nam quamvis prima principia creata in ſuo ordine prima ſint, quatenus nihil mediat inter prędicatum, & ſubiectum, habent tamen cauſam, nimirum Deum, quæ eſt ratio illas cognoſcendi, & in qua de facto illas cognoſcit; habet ergo illarum propriam ſcientiam. Veritates autē neceſſariæ à nobis demonſtrabiles, etiam cognoſcuntur à Deo in ſeipſo, qui illarū eſt cauſa; atque adeò etiam eſt in Deo illarum propria ſcientia. An autem illarum ſcientiam habeat, quia cognoſcit cauſas creatas, ex quibus derivantur, dubium eſt inter Theologos: affirmativè tamen reſpondendum eſt, quia videtur expreſſum in Div. Thom. 1. contra Gentes, c. 94. n. 2. illis verbis: *Si ſcientia eſt rerum cognitio per propriam cauſam; ipſe autē omnium cauſarum, & effectuum ordinem cognoſcit, & per hæc ſingulorū cauſas novit, manifeſtū eſt, quod in ipſo propriè ſcientia eſt*; vbi de ſcientia propriè loquens illā in Deo conſti-

stituit D. Thomas, quia cognoscit ordinem causarum, & effectuum; quod intelligi non potest de causa prima, quæ vnica est: habet ergo scientiam, quia cognoscit causas creatas, & effectus, seù conclusiones, ex illis deductas, & quia singulorum causas creatas novit; vbi pro hac parte rationem etiam efficacem traddit.

36 De veritatibus tertij generis est aliqua maior difficultas, cum assensus scientificus debeat esse omninò infallibilis, quod verificari non potest de assensu erga veritates contingentes; veritas enim assensus non potest esse infallibilis, si obiectiva sit contingens. Nihilominus assensum erga has veritates esse scientificum est communis sententia, & probatur: nam licèt veritas sit contingens, habet tamen in Deo causam infallibilem, nimirum essentiam divinam per decretum determinatam, quæ proùt sic est ratio illas cognoscendi, & infallibiliter cum illis connectitur; ergo assensus illius ex vi medij, quo illas veritates attingit, habet omnimodam infallibilitatem; & cum alias sit cognitio rei per causam, nihil illi deficit, vt sit scientia, strictè sumpta.

37 Contra hanc conclusionem obstare videtur primò: essentia creaturarum nullam habet causam; cum enim intra puram possibilitatem nihil sint, nullum influxum terminant in aliquo genere causæ; ergo non possunt cognosci per causam. Secundo; quia scientia est cognitio rei per propriam causam: sed Deus propria causa non est alicuius creaturæ, sed omnium communis; ergo illarum cognitio per causam increatam scientia non est. Tertiò: nam veritas immediata attingitur à nobis lumine primorum principiorum; ergo potiori titulo à Deo; si enim nos ad illarum cognitionem sufficimus per lumen principiorum, non est ratio quare Deus indigeat lumine scientifico.

38 Respondetur ad primum distinguendo antecedens, nullam habent causam subiectivè, & exercitè, concedo antecedens, obiectivè, & possibiliter, nego antecedens, & consequentiam: creaturæ enim possibiles eo modo, quo sunt, habent causam, seù dependentiam ab illa; & quia nihil sunt subiectivè, & exercitè, causam subiectivè non habent, sed solùm obiectivè, & possibiliter; quod sufficit vt scientificè cognosci possint, vt constat in scientia nostra, erga creaturas possibiles, de quibus passiones demonstrantur, in quas tamen essentiæ non influunt actu, sed solùm possibiliter. Ad secundum distinguo maiorem, est cognitio rei per propriam causam ipsi adæquatam, nego maiorem, adæquatam, vel inadæquatam, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam: essentia enim divina est causa communis omnium creaturarum, non quia perfectè non contineat omnes, & singulas, sed quia cum nulla adæquatur: Quæ est solutio Div. Thomæ in hac quæst. art. 6. ad 3.

39 Ad tertium concesso antecedenti, neganda est consequentia: nos enim illas in seipsis cognoscimus, neque Deum vt illarum causam attingimus: Deus autem illas, nisi in seipso videre non potest; atque adeò harum veritatum cognitio non potest non esse scientifica. Vel dicatur, has veritates vtroque lumine attingi à Deo, & lumine primorum principiorum, & scientifico: quod videtur docere Div. Thomas 1. contra Gentes, cap. 94; quod autem à nobis lumine scientifico non attingantur, imperfectio est nostri intellectus non valentis Deum cognoscere, vt illarum causam, à qua imperfectione liberatur intellectus beati, qui Deum, vt aliquarum veritatum causam in particulari cognoscit, quarum proindè habet strictam scientiam.

40 Secundo arguitur ad probandum, Deum non habere strictam scientiam erga veritates mediatas necessarias per causam creatam; quia ad rationem scientiæ non sufficit cognoscere proprietates causari ab essentia, & hanc in illas influere, sed requiritur, vt essentia sit ratio obiectiva attingendi proprietates: at quamvis Deus cognoscat rationalitatem; v.g. esse causam risibilitatis, & hanc terminare illius influxum, rationalitas tamen non est ratio obiectiva, vt cognoscatur à Deo risibilitas; ergo non cognoscit hominem esse risibilem scientificè per causam creatam. Maior probatur: Tum; quia cognitio scientifica debet esse rei per causam, in quo denotatur influxus aliquis obiectivus causæ in effectum, qui in alio cõsistere non potest, nisi in eo, quod causa sit ratio obiectiva attingendi effectum. Tùm etiam; quia si hoc non requireretur, neque etiam esset necessarium ad scientiam à posteriori, quod effectus esset ratio obiectiva attingendi causam, sed sufficeret cognoscere effectũ dependere à causa: consequens est falsum; ergo ad scientiam à priori requiritur, quod causa sit ratio obiectiva attingendi. Minor probatur; quia aliàs negari nullo modo posset in Deo esse scientiam

à poſteriori ; cum cognoſcat effectus à ſuis cauſis dependere : imò nulla eſſet diſtinctio ſcientiæ à priori, & ſcientiæ à poſteriori; cum ſecluſo concurſu obiectivo, idem omninò ſit cognoſcere cauſam influere in effectum, & effectum accipere eſſe à cauſa. Minor verò principalis probatur : ſi eſſentia eſſet ratio obiectiva attingendi proprietatem, eſſet ratio movens intellectum Divinum ad cognitionem proprietatis ; ſed nihil creatum hoc præſtare poteſt : aliàs cognitio divina ab aliquo creato ſpecificaretur ; ergo reſpectu illius nequit eſſentia creata eſſe ratio obiectiva attingendi proprietatem.

41 Reſpondetur primo ad rationem ſcientiæ neceſſarium non eſſe, quod eſſentia moveat ad cognitionem proprietatis, ſed ſufficere cognoſcere eſſe cauſam proprietatis ; quod videtur deduci ex Div. Thoma 1. contra Gentes vbi ſupra, qui ad rationem ſcientiæ ſolùm requirit cognitionem cauſæ, & effectus, & illorum ordinem. Ad huius impugnationem, ſi in Deo non admittitur ſcientia à poſteriori, dicendum eſſe diſparem rationem: nam in ſcientia debet eſſe aliqua prioritas formalis, aut virtualis ex parte cognitionis, vel ſaltem ex parte obiectorum vnum debet eſſe cauſa alterius; & quia neque eſt prioritas etiam virtualis in cognitione effectus comparative ad cognitionem cauſæ, neque effectus cognitus influit in cauſam, ideò cognoſcere effectum dependere à cauſa, ſufficiens non eſt ad ſcientiam à poſteriori. In cognitione autem cauſæ, & effectus, & ordinis vnius ad alterum reperitur prioritas, non quidem ex parte cognitionis Divinæ, ſed ex parte cauſæ in effectum.

42 Secundò, & meliùs reſpondetur, per cauſam creatam Deum cognoſcere effectum, non quia cauſa in ſe moveat ad cognitionem effectus ; ſed quia movet vt contenta in eſſentia Divina; eo modo, quo merita movent Divinam voluntatem ad cõferendum præmium, non in ſe, & vt aliquid creatum ſunt, ſed vt contenta in bonitate divina, vt communiter docetur à Thomiſtis.

43 Tertiò arguitur : Deus cognoſcit creaturas cognitione, quæ eſt intelligentia, ſeù intellectus; ergo non ſcientificè; iſtæ enim cognitiones inter ſe diſtinguuntur. Antecedens probatur : Deus per primam cognitionem, quæ vel ipſum conſtituit, vel eſt primus intellectionis conceptus, ſeipſum comprehendit, & conſequenter creaturas cognoſcit; ſed cognitio illa eſt formaliter intelligentia, ſeù intellectus ; ergo per cognitionem, quæ intelligentia eſt, & à ſcientia diſtinguitur, cognoſcit Deus creaturas.

44 Si dicatur, hanc eandem cognitionem primam duplicem habere denominationem, & intelligentiæ, & ſcientiæ : primam comparative ad Deum ; ſecundam autem comparative ad creaturas. Contra eſt : quod hæc prima cognitio, etiam vt ſe extendit ad creaturas, eſt intelligentia, ſeù intellectus : nam D. Thomas 1. contra Gentes, cap. 94. numero 3. ex eo, quod Deus res cognoſcat abſque diſcurſu, intulit, quod in ipſo eſt intellectus, ſeù intelligentia: ſed abſque diſcurſu, etiam virtuali, cognoſcit creaturas illa prima cognitione ; ergo etiam proùt terminatur ad creaturas, eſt intellectus. Deinde ; quia Deus res cognoſcit ſine diſcurſu, eſt in ipſo intellectus ; ergo comparative ad res, quas ſine diſcurſu cognoſcit, quæ proculdubiò ſunt creaturæ.

45 Reſpondetur primò conceſſo antecedenti, negando conſequentiam : non enim eſt neceſſarium diſtinguere virtualiter in Deo duplicem cognitionem, ſed eadem etiam virtualiter vtramque rationem ſortitur, ſcientiæ, & intellectus; primam in ordine ad creaturas: ſecundam comparative ad ſe. Cui non obſtat Div. Thomas in contrarium adductus, qui cognitionem creaturarum intellectum appellat ; quia etiam reſpectu creaturarum vtramque habet rationem, intellectus, quatenus illas attingit ſine diſcurſu ; ſcientiæ autem, quatenus per cauſam illas cognoſcit. Vel dicatur cum Ferrara cognitionem creaturarum eſſe intellectum quoadmodum, quia ſine diſcurſu illas cognoſcit ; eſſe verò ſcientiam quoad ſubſtantiam.

46 Reſponderi poteſt ſecundo, conceſſo etiam antecedenti, negando conſequentiam : licèt enim per primam cognitionem Deus ſe comprehendat, & creaturas in ſeipſo cognoſcat, & eſſe cauſam illarum, talis cognitio ſcientia non eſt, ſed intelligentia, à qua virtualiter ſcientia diſtinguitur. Et quamvis vt quod vtriuſque cognitionis ſit idem obiectum ; ratio tamen formalis diſtinguitur, eo quod ratio cauſę, quæ formaliter & vt ratio ſub qua pertinet ad ſcientiã, ſolũ vt *quod*, & vt ratio quę cõparatur ad primam cognitionẽ: ſicut de amore ſtricto, & gaudio di-

dicunt communiter Theologi infra quæst. 20. quamvis enim per amorem strictum Deus attingat quidquid amatur per gaudium; actus tamen isti distinguntur, eo quod primus tendit in Deum, quia bonus; secundus verò, quia possessus: qua etiam ratione scientia distinguitur in Deo à prudentia, & arte, etiamsi per scientiam cognoscat Deus suam essentiam esse primam rationem agibilium, & factibilium; quia scilicèt ratio hæc comparatur ad scientiam, vt obiectum *quod*, seù ratio *quæ*; respectu verò prudentiæ, & artis, vt ratio *sub qua*.

47 Tandem arguitur: scientia Dei vt terminata ad decretum vt actu existens, non est scientia stricta; ergo nec vt terminata ad veritates contingentes creatas. Consequentia probatur: quia decretum liberum ex suppositione quod sit, necessariò est, non minus quam veritates contingentes ex suppositione decreti; ergo si hac necessitate non obstante decretum non cognoscitur per scientiam strictam, neque veritates contingentes. Antecedens autem probatur; quia scientia est cognitio rei per causam connexam cum re, quæ terminat scientiam: sed nullum est prædicatum diuinum, quod possit esse causa virtualis decreti cum ipso necessariò connexum; cum omnia alia prædicata sint necessaria, & indifferentia ad esse, & non esse decreti; ergo Deus non cognoscit scientia stricta propria decreta.

48 Huic argumento respondent aliqui negando antecedens, & ad huius probationem, negant minorem: nam licèt voluntas in actu primo considerata non connectatur cum decreto; ipsa tamen vt virtualiter influens in decretum, cum illo connectitur. Sicut voluntas creata, vt influens in actum, cum illo connectitur, etiamsi in actu primo considerata indifferens sit ad illum.

49 Sed hæc solutio non videtur argumentum solvere, neque veram doctrinam continere. Primum probatur: quia de voluntate divina vt influente virtualiter in decretum, idem sit argumentum, quod restat solvendum; ex suppositione enim quod sic virtualiter influat, necessarium est quod influat: & tamen prout sic non terminat scientificam cognitionem; cum non cognoscatur per causam, cum illa vt influente necessariò connexam; voluntas enim considerata in actu primo non connectitur cum seipsa vt in actu secundo influente; aliàs etiam connecteretur cum decreto; neque aliud prædicatum assignari potest habens huiusmodi connexionem, nisi fingatur alius virtualis influxus in voluntatem vt influentem; quod impossibile est, & de hoc iterum restat solvere argumentum, nisi repetatur in infinitum multiplicitas influxuũ.

50 Secundum verò probatur: Quia voluntas divina non influit in decretum distincto influxu ab influxu in actum necessarium; neque decretum addit formalitatem aliquam, sed solam terminationem eiusdem actus necessarij. Secundò: Quia esto concedatur influxum in decretum prout distinguitur ab actu necessariò; non tamen concedendus est distinctus virtualiter ab ipso decreto; si enim decretum vix distinguitur ab actu necessariò, cum solùm addat novam terminationem, quomodo intelligi potest influxus in terminationem ab ipso, & ab actu necessariò virtualiter distinctus? Insuper, influxus in actum necessarium non distinguitur virtualiter ab actu necessariò: imò influxus voluntatis creatæ in proprium actum non distinguitur virtualiter ab illo; ergo multominus in terminationem debet ab ipsa distingui.

51 Quare ad argumentum concedendum est decretum per scientiam strictam non cognosci, quia non cognoscitur per causam, etiam virtualem cum ipso infallibiliter connexam, quod inconveniens non est, sicut neque quod si non cognoscatur per strictam scientiam voluntas, vt in actu secundo influens. De veritatibus autem contingentibus alia est ratio; istæ enim certo cognoscuntur, & per causam, nimirum, per essentiam divinam, vt determinatam per decretum: neque inconveniens debet censeri eandem cognitionem etiam virtualiter esse scientiam comparativè ad creaturas, & non comparativè ad decretum.

(050)

§. III.

Statuitur ſcientia in Deo erga propria attributa.

51 SIT Tertia Concluſio. Probabilius eſt dari in Deo ſtrictam ſcientiam ſuorum attributorum: oppoſitum huius concluſionis docuit ſatis probabiliter Ferrara 1. contra Gentes, cap. 25. Nazarius in præſenti art. 1. controverſia 2. & alij, quos ſequitur Ildephonſus Michael art. 1. dub. 3: noſtram tamen concluſionem traddunt communius Thomiſtæ, Albelda, Cornejo, Salmanticenſes, & alij; & probatur primo ex D. Thoma ad Romanos 12. lectione 5. vbi de Deo ſic loquitur: *Habet enim ſapientiam de divinis, & ſcientiam de rebus creatis.* Idem docet ad Coloſenſes 2. lectione 1: ſed omnis ſapientia eſt ſcientia, vt ex D. Thoma ſtatim videbimus; ergo habet ſcientiam de ſeipſo, & de proprijs attributis. Expreſsius hoc tradidit D. Thomas in 1. diſt. 35. art. 1. ad 5. dicendo, quod ea, quæ dicuntur de Deo, ſemper intelligenda ſunt per eminentiam ablato omni eo, quod imperfectionis eſſe poteſt. Vndè à ſcientia ſecundum quod in Deo eſt oportet auferre diſcurſum rationis inquirentis, & retinere certitudinem circa rem ſcitam; ſed quia ſcientia cõplexorum eſt, & intelligere propriè eſt quidditatis rei, ideò Deus dicitur ſciens, in quantum cognoſcit eſſe ſuum, & dicitur intelligens in quantum cognoſcit naturam ſuam; quæ tamen non eſt aliud, quam ſuum eſſe, nec magis ſimplex; & ideò in Deo non eſt aliud intelligere, quam ſcire, niſi ſecundum rationem. Sapientia verò non ponit in numero cum ſcientia, & intellectu, quia omnis ſapientia ſcientia eſt, ſed non convertitur, quia illa ſcientia ſola eſt, quæ cauſas altiſsimas conſiderat, per quas ordinantur, & cognoſcuntur omnia ſequentia: vndè propriè Deus ſapiens dicitur, in quantum ſeipſum cognoſcit & intelligens, & ſciens, ſecundum quod ſe, & alia cognoſcit.

52 Ex quibus apertè conſtat primo: Deum ſcire quatenus cognoſcit eſſe ſuum: ſecundo conſtat Deum eſſe ſapientem in quantum ſeipſum cognoſcit, & vt teſtatur D. Thomas eſſe ſapientem eſt formaliter eſſe ſcientem, quia omnis ſapientia ſcientia eſt; & conſequenter Deus eſt ſciens, non ſolùm quia alia cognoſcat, ſed quia ſeipſum cognoſcit. Tertiò conſtat D. Thomam diſtinguere intelligentiam, & ſapientiam; primamque Deo concedit reſpectu ſuæ naturæ, ſecundam autem reſpectu ſui eſſe, ideſt attributorum; alias nulla eſſet diſtinctio inter intelligentiam, & ſapientiam. Quarto conſtat D. Thomam loqui de ſtricta ſcientia; tùm quia loquitur de ſapientia, & ſcientia, prout diſtinguitur ab intelligentia: tùm, quia expreſsis verbis docet Deum eſſe propriè ſapientem, in quantum ſeipſum cognoſcit; ergo loquitur de ſapientia, & ſcientia ſtricta.

53 Sed dices: Div. Thomas contraponit ſapientiam, quam docet Deum habere de ſeipſo, ſcientiæ, quam fatetur habere ſecundum quod ſe, & alia cognoſcit: ſed hęc ſcientia ſapientia eſt, quæ eſt cognitio rei per altiſsimas cauſas; ergo ſapientia, quam habet de ſeipſo, & quatenus ſe cognoſcit, eſt ſapientia communiter ſumpta, & quæ non eſt cognitio rei per altiſsimam cauſam; aliàs nulla eſſet contrapoſitio ſapientiæ ad ſcientiam. Tùm ſic: at ſapientia, quæ non eſt rei per altiſsimam cauſam, non eſt ſcientia; ergo reſpectu ſui non cognoſcit in Deo ſapientiam, quæ verè ſcientia ſit. Reſpondetur D. Thomam non poſſe loqui de ſapientia, quæ ſcientia non ſit; cum in eodem teſtimonio doceat, quod omnis ſapientia eſt ſcientia: ratio autem contrapoſitionis eſt: quia cognitio creaturarum in ſeipſo eſt ſciẽtia, quatenus eſt cognitio rei per cauſas creatas, & ſub hac ratione non eſt ſapientia, quamvis rationem ſapientiæ obtineat, quatenus creaturas cognoſcit per ſeipſum, tanquam per cauſam altiſsimam.

54 Secundo probatur concluſio ratione communi; ad rationem ſcientiæ non requiritur ex parte obiecti formalis cauſalitas eſſentiæ in proprietates; ſed ſufficit virtualis, vt conſtat in ente reſpectu ſuarum proprietatum, quas demonſtrat metaphiſica: at in Deo datur virtualis cauſalitas eſſentiæ in attributa, & vnius attributi in aliud, quatenus eſſentia eſt ratio, quare Deo conveniant attributa, & vnum attributum eſt ratio alterius; quia enim Deus eſt immaterialis eſt intellectivus, & quia intellectivus eſt volitivus, & ſic de alijs; ergo ex parte obiecti

iecti datur quidquid requiritur ad veram rationem ſcientiæ. Neque ex parte cognitionis divinæ aliquid deeſt, vt hæc omnia ſcientificè attingat; non enim poteſt obſtare, quod hæc omnia vnico intuitu cognoſcat: tùm, quia ſe, & creaturas vnico intuitu attingit: & tamen cognitio creaturarum ſcientia ſtricta eſt. Tùm etiam; quia Angelus ſcientiam habet entis, & ſuarum proprietatum, quas vnico intuitu cognoſcit; & ratio horum eſt: quia ad rationem ſcientiæ ſufficit cognoſcere cauſam formalem, vel virtualem, & effectum illi correſpondentem, & quoniam illius eſt cauſa, quod vnico intuitu cognoſcere poteſt.

55 Neque iterùm obſtare poteſt, quod Deus non diſtinguat inter attributa, & eſſentiam ſicut nos, ſed potiùs illa cognoſcat vt vnam, & omninò eandem ſimplicem formalitatem abſque aliqua diſtinctione, etiam rationis: tùm, propter ea, quæ modo diximus de Angelo, qui inter ens, & eius proprietates non diſtinguit, quas tamen ſcientificè cognoſcit. Tùm etiam; quia abſque eo, quod Deus diſtinguat, vel præſcindat inter attributa, & eſſentiam, cognoſcit virtualem illorum diſtinctionem, & vnius in alterum virtualem cauſalitatem, hæc enim formaliter reperitur in Deo, & non eſt aliud, quam eminentia illius ſimpliciſsimæ formalitatis. Tùm etiam; quia abſque eo, quod Deus diſtinguat, aut præſcindat, cognoſcit eſſe æternum, quia eſt immutabilis; hoc enim verum eſt, & ab eo cognoſcibile; alias Theologia noſtra verùm non attingeret.

56 Tùm etiam; quia Deus cognoſcit ex vi proceſsionis Verbi communicare naturam, & non attributum, ſeù naturam eſſe terminum formalem proceſsionis Verbi, & non attributum: cuius oppoſitum in proceſsione Spiritus Sancti cognoſcit; ſcit enim proceſsionem Verbi eſſe generationem, & proceſsionem Spiritus Sancti talem non eſſe. Scit inſuper rationem differentiæ inter vtramque proceſsionem, quæ eſt ſupra adducta: & tamen attributum, & natura ſunt eadem indiviſibilis formalitas, quam Deus per rationem non partitur; ergo eſto Deus non diſtinguat inter eſſentiam, & attributa, cognoſcit tamen vnum eſſe virtualiter rationem alterius. Et confirmatur: nam ipſa generatio Uerbi reſpicit tanquam terminum formalem naturam, & non attributum, & è contra proceſsio Spiritus Sancti reſpicit tanquam terminum formalem attributum, & non naturam; ergo in cognitione divina poterit diſtingui duplex formalitas virtualiter diſtincta, quarum vna attingat primo, & per ſe eſſentiam, & ratione eſſentiæ attributa, & alia, quæ ratione eſſentiæ primo, & per ſe in attributa feratur.

57 Tum etiam; quia vt diſtinguamus intelligentiam, & ſcientiam, non eſt neceſſarium Deum præſcindere, ſed ſufficit ex parte obiecti vnius, & alterius dari diſtinctam virtualiter rationem formalem, vt conſtat in amore, & gaudio, in miſericordia, & iuſtitia, quæ in obiecto nõ diſtingueret, neq; Deus inter illa aliquam facit diſtinctionem; ſed intelligentiæ, & ſcientiæ aſsignabilis eſt in Deo diſtincta virtualiter ratio formalis; per intelligentiam enim ſeipſum Deus cognoſcit, ſecundum quod abſolutè, & in ſe intelligibilis eſt; per ſcientiam autem, ſecundum quod eſt virtualis attributorum cauſa; ergo,

58 Denique: quamvis hæc ex parte rationis formalis obiectivæ diſtinctio non detur, aut non ſufficiat ad diſtinguendum virtualiter duplicem cognitionem, non eſt ratio quare non ſit ſufficiens ad hoc, vt eadem indiviſibilis cognitio ſolùm per rationem, & ex modo cognoſcendi diſtincta obtinere poſsit rationem intelligentiæ, & ſcientiæ; ſicut plures de amore, & gaudio docent, eundem, ſcilicèt, indiviſibilem actum, vtriuſque rationem ſortiri; ergo eſto cognitio attributorum à cognitione primaria Dei nõ diſtinguatur, poterit obtinere vtrumque munus. Antecedens probatur paritate adducta amoris, & gaudij. Secundò: quia cognitio primaria Dei attingens in ipſo creaturas, obtinet rationem intelligentiæ reſpectu Dei, & rationem ſcientiæ reſpectu creaturarum; cum illa cognoſcat ſe Deus comprehenſivè, atque adeò in ſeipſo tanquam in cauſa creaturas, quod non negant plures ex authoribus, contra quos diſputamus; ergo eſto erga Deum non diſtinguamus etiam virtualiter duplicem cognitionem, poterit vtriuſque munus ſortiri; intelligentiæ, quatenus vnico intuitu attingit totum Deum, & ſcientiæ, quatenus per illam Deus cognoſcit eſſentiam eſſe cauſam virtualem attributorum, & vnum attributum reſpectu alterius. Ad huiuſmodi autem cognitionem, non eſt neceſſarium, vt diximus, attributa à natura diſtingui, vel Deum illa per rationem diſtinguere; cum enim abſque diſtinctione formali verum ſit eſſentiam eſſe cauſam virtualem attributorum, & vnum attributum alterius, poteſt Deus hoc cognoſcere abſque co-

eo, quod aliquam faciat diſtinctionem.

59 Quod vlteriùs explicare libet hoc exemplo : Deus cognoſcit eſſentiam communicari Filio, & Paternitatem non communicari, abſque eo, quod adſit aliqua formalis diſtinctio inter Paternitatem, & eſſentiam, vel Deus illam confingat ; ſed potius quia omnia videt vt ſunt in ſe, & in re ita eſt, quod eſſentia communicatur, & Paternitas non communicatur; & etiam verùm eſt eſſentiam, & Paternitatem eſſe eandem omninò formalitatem, ideò Deus omnia vt in ſe ſunt cognoſcens, abſque aliqua diſtinctione hæc omnia cognoſcit, & ſimul virtualem diſtinctionem inter eſſentiam, & Paternitatem; pariter ergo abſque aliqua confictione cognoſcit eſſentiam, & attributa eſſe eandem formalitatem, & ſimul eſſentiam eſſe illorum virtualem radicem.

60 Quæ omnia confirmari poſſunt ex doctrina, quam ſæpè traddit D. Thomas, & nos ſupra retulimus, ſcilicèt à ſcientia divina debere auferri omnem imperfectionem; quapropter etiamſi in nobis dicat imperfectionem diſcurſus, abſque illa in Deo ſtrictam ſcientiam adſtruimus, quia ſcilicèt, cognitio divina, quæ nos per diſcurſum attingimus, ſimplici intuitu, & altiori modo cognoſcit. Similiter ſi diſcurſus virtualis imperfectionem importat, abſque illo datur in Deo vera ſcientia; ergo ſimiliter conſtituenda eſt in Deo ſcientia ſuorum attributorum, quia omnia, quæ nos de ipſo intelligimus ſcientificè formando diſtinctionem rationis, Deus abſque huiuſmodi imperfectione, altiori modo cognoſcit.

61 Per quod conſtat ad præcipuum fundamentum oppoſitæ ſententiæ, deſumptum ex eo, quod Deus cognoſcit ſe, & ſua attributa vt ſunt in ſe; in ſe autem eſt eadem indiviſibilis formalitas abſque aliqua diſtinctione à Deo conficta; ergo ſe, & ſua attributa ſimplici intelligentia cognoſcit, & non per ſcientiam : Conceſſis enim præmiſſis, negatur conſequentia ; tùm, quia cùm hoc componitur Deum cognoſcere eſſentiam eſſe attributorum virtualem cauſam. Tùm, quia cognoſcit eminentiori modo quidquid nos de Deo per ſcientiam cognoſcimus : vndè cognitio Dei erga ſeipſum obtinet rationem ſcientiæ, & intelligentiæ ſimul : ſi autem vtranque cognitionem velimus virtualiter diſtinguere, conſtat qualiter aſſignanda ſit vtriuſque diverſa ratio formalis obiectiva.

62 Sed dices: nos per cognitionem, quæ ſolùm pertinet ad lumen primorum principiorum cognoſcimus eſſentiam hominis; ergo Deus ſeipſum, & omnia attributa potiori titulo cognoſcit ſolùm per lumen primorum principiorum. Conſequentia probatur. Quia in rei veritate magis vnum ſunt eſſentia, & attributa in ſe, quam ſit vnum, & idem eſſentia hominis cum homine ; ergo ſi eſſentiam hominis nos per lumen ſolùm primorum principiorum cognoſcimus, potiori titulo Deus eſſentiam, & attributa.

63 Reſpondetur admiſſo antecedenti, negando conſequentiam : Ad ſummum enim infertur Deum ſeipſum cognoſcere per lumen primorum principiorum, ſicut nos eſſentiam hominis ; non autem infertur per ſcientiam non cognoſcere ſe ipſum, vel quia eadem cognitio vtramque rationem ſortitur, vel quia eſt duplex virtualiter cognitio, vt ſæpè diximus. Quare autem cognitio, quam habemus de homine, non habeat vtramque rationem, eſt, & ex parte hominis, & ex parte cognitionis ; primum ſtat in eo, quod homo non habet ſecum identificare proprietates, ſcilicèt intellectum, & voluntatem, qua ratione cognito homine, ſolùm eius eſſentiam cognoſcimus, non proprietates. Ex quo naſcitur, quod ſcientiam de homine non habeamus, ſi aliud non cognoſcamus ab eſſentia hominis diſtinctum : Deus autem propter ſui eminentiam identificat attributa, & proprietates, qua ratione ſcientiam habemus de Deo, etiam ſi nihil ab ipſo diſtinctum cognoſcamus. Secundam eſt, quia nos eſſentiam hominis imperfectè cognoſcimus, neque per lumen primorum principiorum attingimus eſſentiam, & proprietates cum ipſo identificatas, qualis eſt veritas, & bonitas. Quod ſi eadem cognitione perfectè cognoſceremus hominis eſſentiam, eius veritatem, & bonitatem, qualiter Angelus eam cognoſcit, vel eſſet virtualiter duplex cognitio, vel eadem eſſet luminis principiorum, & ſcientiæ; cum ergo Deus ſeipſum perfectè cognoſcat, eius cognitio eſt intelligentia, & ſcientia modo dicto.

64 Secundo arguitur : Viſio beatorum eſt participatio formalis ſcientiæ Dei: & tamen non eſt ſtrictè ſcientia, ſed pura intelligentia : ergo neque ſcientia divina eſt ſtrictè ſcientia. Si dicatur eſſe ſcientiam, & intelligentiam ſimul, ſicut dictum eſt de ſcientia increata. Contra eſt primo : Quia antecedens adæquatè ſumptum communi-

ter,

ter docetur à Theologis. Secundo: Quia de fide attributorum dici non potest, quod sit strictè scientia: quæ tamen est participatio scientiæ Divinæ,& non intelligẽtiæ,quæ pro obiecto respicit essentiam, & non attributa; ergo signum est, quod scientia attributorum non est strictè scientia. Respondetur negando minorem ad cuius improbationem, nego antecedens;eodem enim modo de scientia beata creata, atque de increata discurrunt communitèr Theologi. Ad secundam dicendum fide esse participationem scientiæ Dei, non sub conceptu scientiæ, sed sub conceptu certitudinis; sicut neque est eius participatio sub conceptu evidentis.

65 Sed dices: per fidem attinguntur omnia prædicata Divina, & quidquid nos per Theologiam possumus de Deo cognoscere,& altiori modo: & tamen scientia non est; ergo ex eo,quod Deus omnia cognoscat, quæ nos per scientiam attingimus, non rectè colligitur esse in Deo strictam scientiam suorum attributorum. Respondetur admissa maiori, & concessa minori, negando consequentiam;& ratio est,quia fidei deficit evidentia,quæ saltim exactive sumpta est de conceptu essentiali scientiæ.

66 Tandem arguitur: sic comparantur inter se intentio finis, & electio mediorum, sicut lumen principiorum,& scientia; sic enim comparantur iuxta commune placitum ex Aristotele desumptum, principia in ordine intellectivo, atque finis in ordine volitivo, qua paritate, & proportione vtitur sæpè D.Thomas etiam in Deo, & videri potest infra quęst. 62. art.2.& 1. contra Gentes, cap.76.& 80. & quæst. 23. de veritate,art.4: sed non est sufficiens distinctio inter attributa,& essentiam ad hoc,quod essentia terminet intentionem, & attributa electionem; ergo nec erit sufficiens distinctio,vt natura Dei intellectu principiorum,& attributa per scientiam à Deo cognoscantur. Minor probatur primo ex D. Thoma infra quæst.19.art.2. vbi docet Deum seipsum tanquam vltimum finem amare,reliqua autem vt media; solùm ergo agnoscit electionem erga reliqua, quæ à Deo distinguũtur. Et quæst. 22. sequenti, artic. 1. docet, quod in Deo nihil est in finem ordinabile, cum ipse sit finis vltimus; id autem, quod per electionem diligitur, in finem ordinatur. Idem docet,quæst.5.de veritate, art.2. & 4. & expressius 1.contra Gentes,cap.74. in quo assumptum probandum, est, quod principale volitum Dei est divina essentia. Quod ratione 5.sic probat; vnaquæque virtus ad suum obiectum principale secundum æqualitatem proportionatur; Divinæ autem voluntati nihil ex æquo proportionatur, nisi eius essentia; igitur principale obiectum divinæ voluntatis est divina essentia. Cum autem divina essentia sit intelligere, & omnia alia, quæ in ipso esse dicuntur, manifestum est, quod eodem modo principaliter vult se intelligere, se velle, se esse vnum, & quidquid aliud est huiusmodi. Ex quo liquet, quod quidquid in Deo est, est eius principale volitum, & eodem modo; atque adeò à Deo omnia diliguntur tanquam vltimus finis. Neque in ipso aliquid assignari potest, quod sit causa aliud volendi; aliàs sicut creaturæ non sunt principale volitum, quia ratione divinę essentiæ diliguntur, vt constat ex toto capite; similiter aliquid, quod est in Deo non esset volitum principale contra D. Thomam. Item cap.88.ratione 3. sic habet; secundum Philosophum 3. Ethicorum: Voluntas est finis, electio autem eorum, quæ ad finem sunt; cum igitur Deus seipsum tanquam finem velit,& non sicut quæ ad finem sunt; alia verò sicut quæ ad finem sunt, sequitur, quod respectu sui habeat voluntatem tantum, respectu autem aliorum electionem.

67 Secundo probatur minor: Deus terminat sui amorem, seù voluntatem sui ratione bonitatis propriæ: sed hæc coalescit ex omnibus prędicatis, scilicèt,ex essentia,& attributis, & in sola essentia non consistit; ergo essentia divina vt ab attributis distincta non terminat huiusmodi amorem, sed omnia, quæ in Deo reperiuntur, ingrediũtur formaliter vt illum terminantia; atque adeò nihil in Deo electionem terminat.Maior est certa; minor verò probatur ex Div. Thoma supra quæst.5. art. 1. vbi rationem entis à ratione boni distinguit, docetque primam salvari in essentia, & substantia entitatis; secundam autem dicere non solùm entitatem essentię, sed accidentia,& attributa, quia bonum,& perfectum idem sunt, nihil autem est, aut intelligitur perfectum,nisi intellectis omnibus, quæ ipsi debentur. Et quæstione 21.de veritate, & alibi sæpè inter veritatem,& bonitatem idem statuit discrimen, vt Tractatu de Voluntate Dei dubio 1. videbimus. Tertio probatur minor; quia actus charitatis supernaturalis attingit omnia, quæ reperiuntur in Deo,in ipsũq;tendit ratione omnium perfectionum, quæ in ipso sunt, propterèaque obtinet rationẽ intentionis,

nis,& non electionis,& charitas virtus electiva non eſt; ergo ſimiliter amor Divinus, cuius charitas eſt participatio, in Deum ratione omnium perfectionum tendit; ſolumque obtinet rationem intentionis.

68 Argumentum hoc licèt difficilè, habet manifeſtam inſtantiam; tùm in nobis, qui nihil divinum per electionem actu charitatis diligimus, vt argumentum ſupponit: & tamen de Deo plura per ſcientiam cognoſcimus; qualiter ergo in nobis eſt conſtituendum diſcrimen inter electionem, & ſcientiam, pariter in Deo. Tùm etiam; quia ſi Deus amat creaturas poſsibiles, vt plures non ſine probabilitate docent, dicendum eſt illas amare neceſſariò,& non per electionem ſtrictam; cum tamen illas cognoſcat ſtricta ſcientia.

69 Ad argumentum reſpondetur, non in omnibus ſic ſe habere electionem ad intentionem, ſicut ſcientia ad lumen primorum principiorum; ad electionem enim requiritur libertas, vt docet D. Thomas vbi ſupra, quæ ad ſcientiam neceſſaria non eſt. Inſuper electio,de qua loquitur D.Thomas, terminatur ad purè media, quæ reſpectu prędicatorum Dei dari non poteſt. Loquendo ergo de electione libera, aut terminata ad purè media, manifeſta redditur diſparitas inter electionem, & ſcientiam; prædicata enim divina non ſunt purè media, ſicut creaturæ, neque libere amantur à Deo; quapropter huiuſmodi electio erga divina prædicata non datur; quæ ratio in ſcientia non militat. Si autem electionem vocare velis actum, quo Deus vult ſua prædicata, & vnum eſſe virtualiter ab alio, vel propter aliud, dicendum eſt eſſe electionem, ſicut & ſcientiam; ſicut enim Deus hæc cognoſcit, quod ad ſcientiam ſufficere vidimus, ſimiliter illa amat; contra quam electionem argumenta ex D.Thoma deſumpta non militant, qui loquitur de electione libera, & ad purè media terminata. Quod ſi ad ſcientiam requiratur diſtinctio virtualis à lumine principiorum, quod neceſſarium non eſſe meliùs putamus, etiam diſtinguere poſſumus in Deo duplicem volitionem virtualiter diſtinctam, aliam primariam, qua Deus, quia bonus in ſe diligitur, & aliam, qua diligat attributa ratione eſſentiæ, ſicut in ipſo diverſa attributa ad voluntatem pertinentia, vt iuſtitiam, & miſericordiam diſtinguimus, quia eandem bonitatem divinam ſub diverſa ratione reſpiciunt.

70 Per quod conſtat, qualiter interpretandus ſit D.Thomas, quando electionem erga divina attributa negat; loquitur enim de electione propriè ſumpta, & quæ tendit in media propriè talia. Sed vt plenius fiat ſatis argumento, placuit animadvertere, circa obiectum terminativum primarium divinę cognitionis duplicem eſſe ſententiam inter Thomiſtas. Prima docet eſſe ſolam eſſentiam Divinam, quia illa primo, & per ſe per ſpeciem repræſentatur; atque adeò omnia, quę reperiuntur in Deo, ratione eſſentiæ terminant cognitionem; neque propter hoc attributa ſunt ſecundarium obiectum, ſicut creaturæ; quia quamvis ratione eſſentiæ terminent, cum ab illa ſolùm virtualiter diſtinguantur, terminant ratione alicuius cum ipſis habentis ſummam identitatem. Iuxta quam ſententiam dupliciter poteſt ſolvi argumentum; primo aſſerendo idem contingere in voluntate divina, nimirum bonitatem eſſentiæ eſſe obiectum primarium volitionis divinæ, & attributa amari ratione bonitatis eſſentiæ, ſicut ratione eſſentiæ intelliguntur: iuxta quod duplex diſtinguenda eſt virtualiter volitio, quarum prima rationem obtineat intentionis; ſecunda autem aliqualem rationem electionis, non pro ùt hæc dicit libertatem, aut terminari ad purè media, ſed pro ùt dicit rationẽ amoris vnius obiecti propter aliud amati, & ad aliud virtualiter ordinati; ſecunda enim volitio ratione eſſentiæ tendit in attributa, ad quam hæc virtualiter ordinantur, ſicut ab ipſa virtualiter diſtinguuntur; iuxta quod admiſimus ſimilitudinem, & proportionem in argumento adductam, non in libertate electionis, aut in eius terminatione ad purè media.

71 Ad ſecundam minoris probationem, quæ videtur convincere, non ſolam bonitatem eſſentiæ eſſe formale obiectum voluntatis divinæ, ſed omnia, quæ reperiuntur in Deo, dicendum; non eſſe directè contra nos, ſed contra ſententiam, quam ſupponimus; eſt tamen iuxta illam breviter dicendum, ſenſum D. Thomæ eſſe, quod vt aliquid dicatur ſimpliciter bonum, omnia illa requiruntur, non quia omnia ingrediantur formaliter conſtitutionem boni, ſed quia bonitas eſſentiæ, ſeù ſubſtantiæ illam abſolutè non denominat bonam, niſi alia, quæ debentur exiſtant, non quia hæc requirantur per modum formæ ad conſtitutionem boni ſimpliciter, ſed quia requiruntur per modum connotati; ſicut actum eſſe moraliter abſolutè, & ſimpliciter bo-

num

num ex obiecto dicit obiectum bonum, & carentiam pravæ circunſtantiæ; non quia ab hac carentia bonitatem accipiat, ſed quia bonitas obiecti illam non derivat in actum, niſi hac carentia connotata. Et eſt notanda differentia inter bonitatem eſſentiæ Divinæ, & bonitatem ſubſtantiæ creatæ; quod prima ex ſuo conceptu formaliter habet inferre omnes perfectiones divinas, & carentiam omnis defectus; quapropter illa ſola intellecta, intelligitur Deus ſimpliciter bonus. Subſtantia autem creata non infert infallibiliter omnia, quæ illi debentur, aut carentiam defectus; atque adeò vt intelligatur bona ſimpliciter non ſufficit intelligere bonitatem ſubſtantiæ, ſed inſuper eſt neceſſarium ex alio capite non habere defectum, quod ex conceptu ſubſtantiæ creatæ non infertur. Ad tertiam dicendum, quod ſi actus charitatis tendat in Deum ratione bonitatis eſſentiæ, eſt pura intentio; ſi autem ratione bonitatis attributi, eſt actus ſecundarius, & inconveniens non eſt habere rationes modo dicto.

72 Secundo reſponderi poteſt tradendo diſparitatem ex eo, quod propter rationem Div. Thomæ obiectum formale cognitionis Divinæ eſt eſſentia, ratione cuius attributa intelliguntur, voluntatis autem, eſſe omnia, quæ reperiuntur in Deo; quapropter attributa per eſſentiam cognoſcuntur, quæ eſt illorum cauſa virtualis; atqueadeò ſcientificè cognoſcuntur; non autem amantur propter eſſentiam propter finem virtualiter diſtinctum; atqueadeò nec per electionem, aut per actum, qui aliquomodo poſsit dici electio.

73 Sed quia eſt probabilis multorum Thomiſtarum ſententia aſſerentium obiectum formale terminativũ cognitionis Divinæ coaleſcere ex omnibus prædicatis, quæ reperiuntur in Deo, ideò in hac ſententia etiam eſt ſatisfaciendum argumento, & tradendæ diſparitas inter electionem, & ſcientiam; ad hanc enim ſufficit cognoſcere eſſentiam eſſe attributorum cauſam virtualem, vt ſæpè diximus: ad electionem autem requiritur vnum amari propter aliud, ſaltem virtualiter diſtinctum, quod in Deo non contingit, qui terminat amorem ratione omnium, quæ in ipſo reperiuntur. Quod ſi amare eſſentiam; & attributa, & illam eſſe eorum cauſam virtualem ſufficiat ad rationem electionis, quod non credimus, dicendum erit eſſe etiam electionem aliqualem attributorum.

§. Vltimus.

Scientia à poſteriori relegatur à Deo.

74 CIRCA Scientiam à poſteriori diviſi ſunt Authores etiam Thomiſtæ: nam PP. Salmanticenſes diſp. 3. dub. 1. num. 8. Cornejo, dub. 2. Magiſter Serra, art. 1. dub. 1. M. Ildephonſus Michael, art. 2. dub. vnico, & alij affirmant Deum ſe cognoſcere per creaturas, vel in creaturis, & conſequenter de ſeipſo habere ſcientiam à poſteriori, quã ſententiam defendunt etiam extra Scholam D. Thomæ, Herice, diſp. 4. ſectione 2. Alviz, diſp. 3. ſect. 2. Arriaga, & alij. Eſt tamen diſcrimen in hac ſententia defendenda: nam Thomiſtæ relati aſſerũt creaturas eſſe obiectum ſecundarium, non formale, ſed materiale Divinę cognitionis, & ratio horũm eſt; quia quamvis Deus cognoſcens dependentiam creaturarum ab ipſo, cognoſcat ſe tanquam terminum habitudinis, & dependentiæ, totum hoc cognoſcit vnico, & eodem ſimpliciſsimo actu comprehẽſivo, & in ſeipſo tanquam in obiecto priùs cognito, cum quo componitur, quod per creaturam, & dependentiam à Deo cognoſcat ſeipſum Deus tanquam terminum habitudinis cognitione quadam abſtractiva eminenti, vt aliqui illorum loquuntur, quæ quidem ſimul eſt intuitiva, & comprehenſiva obiecti primarij. Alij verò extra Scholam D. Thomæ non reputant inconveniens Deum eſſe obiectum indirectum, & ſecundarium; creaturas verò primarium, & directum reſpectu cognitionis Divinæ terminatæ ad Deum per creaturas; & conſequenter aſſerunt creaturas ſpecificare aliquam cognitionem Divinam.

75 Oppoſita tamen ſententia, nimirum, Deum non ſe cognoſcere per creaturas, aut in creaturis, neque tanquam in obiecto primario, neque tanquam in obiecto ſecundario, communior eſt inter Recentiores Thomiſtas, vt videre eſt in Magiſtro à Sancto Thoma in præſenti, & non obſcurè videtur colligi ex D. Thoma, art. 5. vbi do-

cet

cet Deum ſe ipſum videre in ſe, quia ſe per ſeipſum cognoſcit; alia autem à ſe videre in ſeipſo, in quantum eius eſſentia continet ſimilitudinem aliorum à ſe.

76 Pro veritatis explicatione ſupponendum eſt primo, Deum non ſe cognoſcere per creaturas, aut in creaturis tanquam in obiecto formali primario, & eſt ſententia communis Theologorum, quam latè probat D. Thomas 1. contra Gentes, cap. 48. & in præſenti art. 5. hanc veritatem inde probat; quia creatura non poteſt dare perfectionem, vel ſpeciem cognitioni Diuinæ; obiectum autem formale, & primarium aliquẽ influxum formalem habet in cognitionem, cuius eſt obiectum, illamque ſpecificat; creatura ergo non poteſt eſſe obiectum formale per quod, vel in quo Deus ſe cognoſcat.

77 Secundo ſupponendum eſt, eandem cognitionem Diuinam indiuiſibilem attingere Deum primario, & creaturas ſecundario, ita vt ex parte cognitionis nulla ſit formalitas attingens creaturas, quæ non habeat Deum pro obiecto primario; quod ex præcedenti ratione colligitur: ſi enim in cognitione Diuina aliqua eſſet formalitas, vel conceptus, cuius obiectum primarium eſſet creatura, ab illa ſpecificaretur, & acciperet perfectionem aliquid diuinum. Ex quo etiam apertè deducitur priùs terminare eſſentiam Diuinam omnem formalitatem Diuinæ cognitionis, quam creatura: obiectum enim primarium præcedit in terminando ſecundarium.

78 Ex quibus dicendum eſt primo: Deum non ſe cognoſcere ex vi cognitionis creaturarum; & probatur primo: nam vt Deus cognoſcatur ex vi cognitionis creaturarum, neceſſarium eſt, quod creaturæ terminantes Diuinam cognitionem, moueant ad cognitionem Dei; hoc enim denotat vnũ obiectum cognoſci ex vi alterius; ſed creaturæ mouere non poſſunt ad cognitionem increatam Dei; aliàs aliquem influxum haberent in illam: ergo Deus non ſe cognoſcit ex vi cognitionis creaturarum.

79 Secundo probatur: ex vi eiuſdem cognitionis indiuiſibilis, qua creaturæ cognoſcuntur pro priori ad illarum terminationem, intelligitur cognitum in Deo quidquid ex vi creaturarum per illam poterat attingi; ergo nihil attingitur Dei ex vi attingentiæ creaturarum. Antecedens probatur; id, quod ex vi cognitionis creaturarum poterat in Deo huiuſmodi cognitionem terminare, vel hac cognitione cognoſci, eſt eſſe cauſam creaturarum, vel eſſe terminum dependentiæ illarum à Deo: ſed hæc priùs terminant, & cognoſcuntur, quam creaturæ per hanc indiuiſibilem cognitionẽ; ergo quidquid poterat ex vi cognitionis creaturarum cognoſci, intelligitur cognitum, & terminans pro priori ad terminationem creaturarum. Conſequentia verò probatur: nam ex terminatione creaturarum non poteſt habere Diuina cognitio, aut Deus in ratione terminantis, quod pro priori ad illam intelligitur in Deo; ergo ſi pro priori ad terminationem creaturarum intelligitur in Deo quidquid terminat cognitionem, & cognitio terminata, non poteſt ex vi cognitionis creaturarum Deus cognoſci, aut terminare cognitionem. Et confirmatur; pro priori ad paſsivam terminationem creaturarum intelligitur adæquatè cognitio, & obiectum illius ſpecificativum; intelliguntur etiam in Deo, non ſolùm prædicata terminantia, ſed ipſum exercitium terminandi; hæc enim omnia ſunt prædicata diuina, quæ præcedunt creaturam, & eius paſsivam terminationem; ergo nihil horum habetur ex vi cognitionis creaturarum.

80 Ex quibus dicendum eſt ſecundo: Deum non ſe cognoſcere in creaturis, ita vt Deus ſub aliqua ratione terminet ſui cognitionem pro poſteriori ad terminationem creaturarum. Quod ex dictis probatur: nam in Deo exercitium terminandi propriam cognitionem eſt intrinſecum, & neceſſarium: ſed nihil Deo intrinſecum, & neceſſarium poteſt ipſi competere pro poſteriori ad terminationem paſsivam creaturarum, quæ aliquid creatum eſt; ergo.

81 Dicendum eſt tertiò. Deum non ſe cognoſcere per ſcientiam à poſteriori, & probatur; quia ad hoc requiritur Deum ſui cognitionem terminare pro poſteriori ad terminationem creaturę, vel aliquo modo à creaturis dependere: ſed neutrum Deo cõpetit; ergo nec ſcientia à poſteriori. Maior probatur; quia ſcientia eſt cognitio rei per cauſam, quod in ſcientia à poſteriori non poteſt in Deo verificari, niſi per hoc, quod effectus priùs terminet cognitionem, quam cauſa, vel per hoc, quod effectus influat in cauſam; ergo cum Deus nullo modo terminet pro poſteriori ad creaturam, neque vllo modo à creatura dependeat, ſequitur non habere requiſita ad ſcientiam à poſteriori.

82 Sed dices: vt ſit in Deo ſcientia à priori ſufficit Deum cognoſcere cauſam,

&

& effectum, & ordinem cauſæ ad effectum, vt ſupra ex D. Thoma vidimus; ergo vt ſit ſcientia à poſteriori, ſufficit cognoſcere effectum, & cauſam, & ordinem effectus ad cauſam; quod Deo negari non poteſt; & conſequenter neque ſcientia à poſteriori. Reſpondetur negando conſequentiam: nam vt iam diximus, ad ſcientiam requiritur aliqua prioritas ſaltim virtualis vnius obiecti in cognitionem alterius, vel vnius obiecti in alterum; quod in cognitione effectus, & ordinis eius ad cauſam non ſalvatur; cum effectus neque præcedat cognitionem cauſæ, neque ipſam cauſam.

83 Ex his infertur in Deo non eſſe cognitionem abſtractivam ſui, cum ſolum ſe cognoſcat in ſeipſo. Cæterùm dubitari poterat: an ſi Deus ſe à poſteriori, & per creaturas cognoſceret, talis cognitio foret abſtractiva Dei? Et ratio dubitandi eſt, quia cognitio intuitiva nequit haberi per medium extrinſecum, eſt enim cognitio Dei in ſe; qua ratione Angelus Deum per creaturas cognoſcens illum abſtractive, & non intuitive cognoſcit. Reſpondetur tamen non fore abſtractivam, ſed intuitivam: & in ſententia Thomiſtarum ſic oſtenditur: eadem indiviſibilis formalitas cognitionis Deum attingit in recto, & in ſe, inſuper ipſum attingit in obliquo, & per creaturas, ſeù in creaturis; ergo eſto hæc cognitio non habeat rationem intuitionis ex eo, quod Deum per creaturas attingit, non poteſt non eſſe intuitio, quia Deum in ſeipſo cognoſcit: neque ad rationem notitiæ abſtractivæ ſufficit ex aliquo capite non habere eſſe intuitivam, ſed requiritur ex nullo capite illud habere.

84 Sed dices: eadem indiviſibilis cognitio poteſt eſſe intuitiva, & abſtractiva, vt patet in cognitione Dei, & creaturarum poſsibilium, quæ eſt intuitiva Dei, & abſtractiva poſsibilium: ſed hoc habet, quia ex aliquo capite intuitiva non eſt, nimirum ex capite terminationis ad creaturas poſsibiles; ergo ſi cognitio Dei ex illo capite, quod per creaturas habetur non eſt intuitiva, erit abſtractiva; & conſequenter eſto eadem omninò ſit, erit partim intuitiva, & partim abſtractiva. Reſpondetur negando minorem; cognitio enim poſsibilium, & impoſsibilium eſt abſtractiva, non ſolum quia ex illo capite non eſt intuitiva, ſed quia ex illo habet poſitive eſſe abſtractivam, vt potè rei abſentis: in noſtro autem caſu etiamſi cognitio Dei non habeat eſſe intuitivam, quia per creaturas habetur, non tamen habet ex illo capite eſſe poſitive abſtractivam; cum non habeat eſſe rei abſentis, ſed tantum non præſentis ex illo capite.

85 In ſententia verò aliorum diſtinguendum eſt: nam vel præter cognitionem, qua Deus ſe in ipſo tanquam obiectum primarium cognoſcit, datur alia duplex cognitio, vna terminata ad creaturas tanquam ad obiectum primarium, & alia ex hac deducta terminata ad Deum per creaturas; vel eademmet cognitio attingit creaturas in recto tanquam obiectum primarium, & Deum tanquam obiectum ſecundarium, & in obliquo. Si primum dicatur, aſſerendum eſt talem cognitionem eſſe intuitivam Dei; & ratio eſt, nam cognitio Dei, illata ex cognitione creaturarum, eſt Dei in ſeipſo, & quamvis creaturæ ex ſe non moveant ſufficienter ad intuitionem Dei, Deus ſe cognoſcit per ſpeciem propriam ſui; & conſequenter ſe perfectè cognoſcit, etiamſi hæc perfectio cognitionis non conveniat ex vi medij, per quod Deus ſe cognoſcit.

86 Si verò aſſeratur ſecundum, dicendum eſt non eſſe intuitivam; & ratio eſt: nam illa cognitio ſpeciem accipit à creatura, quam reſpicit tanquam obiectum primarium, ſed implicat, quod cognitio habens pro obiecto primario creaturam, & ſecundario ad Deum terminata, ſit intuitiva Dei; ergo talis cognitio non poteſt eſſe intuitiva. Minor probatur; tùm quia vis cognitionis non poteſt excedere vim obiecti primarij in ratione terminandi, & repræſentandi: ſed creatura, quæ eſt obiectum primarium, ſolum habet vim ad ſe repræſentandum intuitive, & Deum abſtractive; ergo cognitio ab illa ſpecificata ſolum habet vim ad cognoſcendum creaturam intuitive, & Deum abſtractive. Tùm etiam; nam cognitio quantumvis perfectiſſima in obiecto primario ſolum poteſt perfectè cognoſcere, quod in ipſa perfectè continetur; ſed in creatura Deus imperfectè cõtinetur, & vt in ſui participatione; ergo in ipſa tanquam in obiecto primario ſolum poteſt Deus imperfectè cognoſci.

87 Sed dices : etiam Deus iuxta iſtum modum dicendi ſeipſum cognoſcit per ſpeciem Dei ; ergo eſto ex vi obiecti primarij non habeat eſſe intuitionem Dei, abſolutè erit intuitio, & cognitio Dei in ſe. Conſequentia probatur : Deus ſe per creaturas cognoſcens cognitione virtualiter diſtincta, ſeipſum intuetur, quia eſto creaturæ non moveant ſufficienter ad intuitionem Dei, tamen Deus ſe per ſui ſpeciem cognoſcit ; ergo eſto creatura vt obiectum primarium non moveat ſufficienter, vt in ipſa intuitivè cognoſcatur Deus, quia tamen ſeipſum cognoſcit per ſpeciem ſui, erit notitia intuitiva.

88 Reſpondetur diſtinguendo antecedens, per ſpeciem adæquatè ab ipſo ſpecificatam, nego antecedens, per ſpeciem ſui, & creaturarum ab ipſis inadæquatè ſpecificatam, concedo antecedens, & nego conſequentiam : in illo enim modo dicendi ſpecies impreſſa Dei ex quo, & immediatè repræſentat Deum, & creaturas, & in cognitione creaturarum vtitur Deus ſpecie illa inadæquatè, & ſolum vt repræſentativa primario creaturarum : in cognitione autem Dei derivata ex cognitione creaturarum, Deus ſe in ſeipſo cognoſcit, & vtitur ſpecie ſui ; ad eum modum, quo cum quis ex cognitione fumi devenit in cognitionem ingis, in quo caſu etiam ſi ex fumo moveatur ad ignis cognitionem, hunc tamen cognoſcit per ſpeciem ignis, quam anteà in memoria retinebat, & ideò etiamſi fumus non poſſet ex ſe movere ad cognitionem quidditativam ignis intellectum, non habentem aliàs ſpeciem ignis quidditativam, quia per ſpeciem fumi non poteſt ignis quidditativè cognoſci, benè tamen intellectum illam habentem.

89 Contra noſtram reſolutionem ſtat commune argumentum ; cognitio, qua Deus cognoſcit creaturas eſt comprehenſiva illarum, & conſequenter illas cognoſcit vt dependentes à Deo, & cum ipſo eſſentialiter connexas : at hoc ſtare non poteſt abſque eo, quod ex vi cognitionis creaturarum Deus ſeipſum in obliquo, vel ſecundario cognoſcat ; ergo vel ſe cognoſcit cognitione derivata ex cognitione creaturarum, vel ſaltim eadem cognitione, qua creaturas primario attingit, ſe cognoſcit ſecundario. Minor probatur ; implicat enim intelligere extremum cum alio connexum, vt tale, quin ex vi eiuſdem cognitionis, vel alterius ex prima deductæ cognoſcatur terminus cognitionis, & ſimiliter implicat cognoſcere dependentiam vnius ab alio, quin vnum, & alterum cognoſcatur. Confirmatur : Deus cognoſcit creaturam dependere à ſe, & non poſſe exiſtere ſine ipſo : ſed hoc eſt cognoſcere creaturam in recto, & Deum in obliquo ; ergo Deus ſe ita cognoſcit. Confirmatur ſecundo : Deo tribuendus eſt omnis modus cognoſcendi obiectum non afferens aliquam imperfectionem ; ſed in eo quod iſto modo ſe per creaturas cognoſcat, nulla involuitur imperfectio ; ergo talis modus ſe cognoſcendi Deo tribuendus eſt. Minor probatur ; quia huiuſmodi cognitio, vel eſſet intuitiva, & comprehenſiva ipſius, vt vidimus, vel ſi intuitiva non eſſet, id imperfectionem poſitivam non dicit, quia creatura, per quam Deus ſeipſum cognoſcit, & quæ eſt obiectum formale, & primarium cognitionis, non habet vim ad illud intuitive repræſentandum, quod eſt imperfectio creaturæ, non cognitionis.

90 Prætermiſſa ſolutione quorundam Recentiorum aſſerentium creaturam non connecti cum Deo, cuius falſitas infra manifeſtè conſtabit ; reſpondetur negando minorem, ad cuius probationem diſtinguo antecedens, ſi extremum connexum, & dependens cognoſcitur per cognitionem prius terminatam ad terminum connexionis vt talem, & ex vi illius, nego antecedens, aliàs concedo antecedens, & neganda eſt conſequentia.

91 Ad primam confirmationem nego minorem : quamvis enim nos cognoſcendo creaturam dependere à Deo, Deum cognoſcamus in obliquo, non tamen Deus ; & ratio eſt, quia ſe in recto cognoſcendo, & ſecundario creaturam, hanc veritatem cognoſcit ; cum enim ex vi terminationis ad Deum primario, & ſecundario ad creaturas, ſe comprehendat, & creaturam, neceſſarium eſt hanc veritatem cognoſcere abſque eo, quod neceſſaria ſit iterata terminatio ad Deum ; neque modum cognoſcendi Dei debemus imperfectione noſtra metiri, ex qua naſcitur, quod cognoſcendo creaturam dependentem à Deo, ipſum in obliquo attingimus ; ſicut quam-

vis

vis nos non posſimus concipere Deum cognoſcere ſe intelligere, abſque eo, quod ex modo concipiendi intelligamus cognitionem Divinam ſupra ſeipſam reflecti; Deus tamen abſque aliqua reflexione, & tanquam obiectum primarium cognoſcit ſe intelligere. Et quidem, ſi quia Deus cognoſcit creaturam ab ipſo dependere, cognitio illius deberet habere aliam terminationem ad Deum in obliquo, ſeu ſecundario, poſt hanc etiam terminationem deberet ad creaturas iterum terminari, cum Deus ſic cognitus etiam cognoſcatur cum creatura connexus. Ad ſecundam conceſſa maiori, nego minorem, ad cuius probationem dicendum: imperfectionem conſiſtere in eo, quod Deus ſecundum aliquid ſui terminaret cognitionem pro poſteriori ad creaturam, & ex vi illius; & conſequenter quod exercitium terminandi neceſſarium in Deo eſſet pro poſteriori ad terminationem creaturarum.

92 Secundo difficilius arguitur multiplici teſtimonio D. Thomæ. Primum habetur quæſt. 2. de Veritate, art. 2. ad 1. illis verbis: *Nihilominus tamen ex parte cognoſcibilium poteſt quidam circuitus in eius cognitione inveniri, dum ſcilicèt cognoſcens eſſentiam ſuam, aliàs res intuetur, in quibus ſuæ eſſentiæ ſimilitudinem videt, & ſic quodammodo ad ſuam eſſentiam reddit, non quaſi ſuam eſſentiam ex rebus aliis cognoſcens, ſicut in noſtra anima accidebat*: in quibus concedere videtur circuitum in cognitione Divina, quæ ad eſſentiam Dei ex creaturarum cognitione terminatur.

93 Secundum habetur in 1. diſt. 32. quæſt. 2. artic. 1. ad 3. illis verbis: Ad tertium dicendum, quod videre in aliquo dicitur dupliciter, aut quia cognitionem in eo accipit, ſicut intellectus ſcientiam in ſenſibilibus accipit, vel intellectus poſsibilis in lumine intellectus agentis, vel diſcipulus in verbo magiſtri, dicto, vel ſcripto: aut rem cognitam in alio repræſentatam intueri; ſicut ædificator videt artem ſuam in domo, quam facit, vel ſicut aliquis videt illud, quod ſcit in libro, vbi ſcriptum eſt. Primo ergo modo Pater nihil videt in filio, quia non accipit *cognitionem à filio, ſed ſecundo modo, quia rationes omnium creaturarum in verbo ſuo poſuit ipſum generando*; & hoc modo in creaturis ſeipſum videt. Idem habet in ſolutione. Ad quartum dicendum; quod quidam dicunt, quod quamvis Pater videat in verbo creaturam, non tamen ibi videt ſeipſum; imò in ſe videt ſe. Non tamen video cauſam, quare ſicut per modum prædictum creaturam in Verbo videt, quæ ibi relucet, non multo magis ſeipſum videat, qui perfectiſsimè in Verbo repræſentatur; & ſic etiam non eſt inconveniens, quod per modum iſtum in creatura ſe videat, quæ ipſius Divinæ bonitatis repræſentativa eſt per imaginem, vel veſtigium. Vltimum habetur in 1. ad Annibaldum diſt. 3. quæſt. 2. art. 1. illis verbis: Beati non cognoſcunt Deum ex creaturis, quia vident Deum per eſſentiam; cognoſcunt tamen eum in creaturis, ſicut & Deus ſeipſum videt in creaturis repræſentatum, & cognitio per creaturas eſt tantum hominum viatorum.

94 Hæc tria teſtimonia aliquibus Recentioribus viſa ſunt inſolubilia, ſed falluntur: & ad primum reſpondetur, ſimilitudinem Dei, vt talem dupliciter poſſe videri, vel in extremo ſimilitudinis, vt contingit in Deo, qui in ſeipſo creaturam, quam perfectiſsimè continet, perfectiſsimè cognoſcit; vel in ſeipſa, & non in extremo prius cognito; & vtroque modo cognoſcitur ſimilitudo, & extremum, & eſſe illius ſimilitudinem: ſi ſecundo modo Deus ſuam ſimilitudinem cognoſceret, non poſſet non ſe cognoſcere per illam. Primo autem modo quamvis ex modo noſtro concipiendi, ſit aliquo modo circuitus, quia non facilè intelligimus Deum cognoſcere creaturam, & ſui ſimilitudinem ſine redditu cognitionis ad ipſum; re tamen vera circuitus non datur, quia totum hoc Deus in ſeipſo cognoſcit, cuius cognitionis terminatio ſiſtit in creatura, quæ eſt Deus repræſentativè; quod ſi non ſiſteret, eſſentiam ſuam ex rebus creatis cognoſceret, quæ eſſent medium ad ſui cognitionem, quod ibi negat D. Thomas.

95 Ad alia teſtimonia aſſerendum eſt, Deum ſe in creaturis cognoſcere, non quia hæc ſint medium, vt Deus ſui terminet cognitionem, ſed quia ſcit ſe in illis eſſe repræſentatum, quod totum habetur, vt vidimus, quin Deus terminet in obliquo, aut ſecundario ſui cognitionem. Quæ interpretatio colligitur ex D. Thoma, qui in primo teſtimonio aſſerit quodammodo eſſe circuitum, quia in aliis rebus ſui ſimilitudinē videt, non quia ſe per illam ſimilitudinē tanquā per medium cognoſcat; & in ſecundo docet, ſe in creaturis

cognoſcere, ſicut qui in libro videt ſcriptum quod ſcit, vbi ſcriptura medium non eſt ad ſciendum. Item docet in verbo ſe videre, quatenus in ipſo videt ſe repræſentatum, & eodem modo ſe in creaturis cognoſcit; quod expreſsius tradit in vltimo teſtimonio, illis verbis: *Sicut & Deus ſeipſum videt in creaturis repræſentatum*; quibus ſatis indicat, per hoc, quod eſt Deum ſe videre in creaturis ſolum intelligere videre ſe eſſe repræſentatum in illis, quod idem eſt, atque videre creaturam ab ipſo dependere, & cum illo connecti. Et hanc eſſe mentem Div. Thomæ colligitur ex eodem in 1. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. ad 4. illis verbis: *Dicendum; quod nullo eſt concedendum, quod Pater intelligat in filio tanquam in obiecto, vel ſpecie, qua cognoſcit, quia hoc poneret filium habere aliquam rationem principij ad Patrem, ſed tantum concedendum eſt, quod Pater intelligit in filio, & ſeipſum, & alia, in quantum videt filium eſſe ſimilitudinem ſuam, & omnium aliorum, ſicut principium videtur in eo, cuius eſt principium; poſſum enim videre hominem in imagine ſua, quamvis ipſum etiam per ſe videat, ita quamvis Pater ſeipſum videat in ſe, & omnia alia, tamen omnia poteſt videre in filio, & ſeipſum; ſicut ſeipſum in creatura videre poteſt, in quantum ipſum creatura repræſentat, quamvis imperfectè*: in quo ſatis exprimitur, ſe in creaturis videre, idem eſſe, atque videre ſui ſimilitudinem.

96 Tandem arguitur: Angelus à poſteriori, & per effectum cognoſcit cauſam: & tamen cognitio effectus non cauſat in ipſo cognitionem cauſæ, cum Angelus non diſcurrat, neque effectus aliquam habet prioritatem ad cauſam; ergo ſufficit ad ſcientiam à poſteriori cognoſcere effectum, & cauſam, & ordinem effectus ad cauſam. Reſpondetur conceſſa maiori, diſtinguendo minorem, non cauſat formaliter, concedo minorem, virtualiter, nego minorem, & conſequentiam; quia cum Angelus non ſemper ſit in actuali cauſæ conſideratione, ex cognitione effectus excitari poteſt ad cognitionem cauſæ, quæ quia per diſcurſum formalem non habetur, non cauſatur à cognitione effectus, benè tamen virtualiter, quatenus cognitio effectus eſt illi ratio cognoſcendi cauſam.

DVBIVM II.

Vtrùm Omnipotentia connectatur cum creaturis poſsibilibus?

VT Explicemus qualiter Deus cognoſcat creaturas poſsibiles, neceſſarium duximus hoc dubium præmittere, quia vt poſteà conſtabit, ideò præcipuè P. Uazquez, & Sequaces moventur ad deſſerendum D. Thomæ, & communem ſententiam, ſcilicèt, Deum cognoſcere in ſeipſo tanquam in cauſa creaturas poſsibiles, quia vt in cauſa prius cognita cognoſcatur effectus, debet eſſe in cauſa ordo, vel connexio cum illo, quam in Deo non concedunt, vt exinde etiam deducant Deum non cognoſcere futura in eſſentia Divina, vt determinata per decretum, quia decretum eſt inconnexum cum exiſtentia creaturæ quoad realitatem, & entitatem, vel etiam ſi connexum ſit, non ſit medium neceſſarium, vt futura cognoſcantur; vt ergo fundamentum hoc nullum eſſe monſtremus, ſtabilienda eſt connexio Omnipotentiæ cum creaturis poſsibilibus; pro quo ſit.

§. I.

Aliqua ſupponuntur, & referuntur ſententiæ.

1 SVPPONENDVM eſt creaturas poſsibiles ante exiſtentiam nullum habere eſſe, neque eſſentiæ, neque exiſtentiæ intrinſecè, &c

& subiectivè, sed solùm obiectivè, & possibiliter, seù in potentia causæ, quod latè tradidimus Tractatu de Voluntate Dei, & ex D. Thoma didicimus suprà quæst. 5. artic. 1. ibi: *Secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens secundum quod primo discernitur ab eo, quod est in potentia; si ergo creaturæ ab æterno haberent aliquod esse præter esse in potentia, aut possibiliter, essent simpliciter ab æterno, quod nullus fatetur.*

2 Deindè supponendum est, duplicem posse in creatura distingui possibilitatem, aliam intrinsecam, & extrinsecam aliàs: intrinseca possibilitas nihil aliud est, quam propria entitas creaturæ ex habitudine terminorum non implicans in suo conceptu prædicata contradictoria; per hoc enim possibile ab impossibili distinguitur, quia istud in suo conceptu implicat contradictoria prædicata, seù esse, & non esse: possibilitas extrinseca est ipsa potentia activa Dei, à qua creatura dicitur possibilis; quod nos docuit D. Thomas infra quæst. 46. artic. 1. *Ad primum dicendum; quod antequam mundus esset, possibile fuit mundum esse, non quidem secundum potentiam passivam, quæ est materia, sed secundum potentiam activam Dei, & etiam secundum quod dicitur aliquid absolute possibile, non secundum aliquam potentiam, sed ex habitudine terminorum, qui sibi non repugnant, secundum quod possibile opponitur impossibili, vt patet per Philosophum 5. metaphisice*; ex quibus facilè deducitur de facto non dari subiective, & exercite creaturæ purè possibilis aliam possibilitatem, quam activam potentiam Dei: cum enim possibilitas intrinseca sit ipsa entitas creaturæ possibilis, quæ subiectivè nihil est, neque ipsa possibilitas intrinseca subiective datur; sed solum in potentia, & obiective: datur tamen extrinseca possibilitas, quæ ab Omnipotentia Dei non distinguitur.

3 Ex his deducitur: Omnipotentiam non connecti cum possibilitate creaturarum intrinseca subiective à creatura habita: Quod sic patet; nam hæc possibilitas est ipsa essentia, & entitas creaturæ, quæ solum subiective ipsi convenit ex beneficio Dei, & per creationem; sed Omnipotentia non connectitur cum entitate sic habita, cum non habeat connexionem cum creatura existenti, quæ proùt sic est aliquid contingens; ergo neque cum possibilitate intrinseca creaturæ, vt subiective possessa. Deinde certum debet esse Deum connecti cum possibilitate extrinseca creaturæ; hæc enim est ipsa Omnipotentia, sine qua Deus consistere non potest,

4 Tandem supponimus, de qualibet creatura necessariò prædicari esse possibilem; cum enim possibilitas intrinseca sit prædicatum essentiale imbibitum in conceptu creaturæ, necessarium non est, vt verificetur creaturam esse possibilem huiusmodi possibilitate, ipsam existere, sicut neque vt alia prædicata essentialia de ipsa verificentur. Ex quo etiam deducitur de illa necessariò verificari esse possibilem possibilitate extrinseca; vt enim Omnipotentia Dei denominet creaturam possibilem, non requiritur entitas in creatura subiective, sed solùm obiective, vt enim Deus possit producere creaturam, non requiritur ipsam existere, sed sibi non repugnare ex habitudine terminorum, Deumque habere virtutem ad illam producendam; & consequenter neque ad hoc, quod creatura ab hac Omnipotentia Dei denominetur possibilis.

5 Quod ergo inquirimus est; an Omnipotentia Divina, seù prædicata necessaria Dei connectantur essentialiter cum eo; quod creatura sit possibilis, ita vt ex Omnipotentia rectè inferatur, creaturam esse possibilem, & ex negatione possibilitatis creaturæ negatio Omnipotentiæ, non quia hæc dependeat à possibilitate creaturarum, vt aliqui moderni loquuntur; quia dependentia imperfectionem designat, sed quia est radix possibilitatis creaturarum.

Circa quod duplex versatur sententia; prima est negativa, quam tuetur P. Vazquez tomo 1. in primam partem, disp. 60. cap. 2. & disp. 50. cap. 4. 5. & 6. Alarcòn Tract. de Scientia Dei, disp. 2. cap. 4. Arrubal tom. 1. in 1. part. disp. 30. & disp. 99. cap. 3. vbi docet, oppositum probabiliter dici non posse; pro qua etiam adducit Suarez in metaphisica, disp. 30. sect. 26. & disp. 47. sect. 15. sed in vtroque fallitur. Eandem sententiam tuetur Basilius Legionensis in Quodlibetis, quæst. 8. Scholastica, cap. 5. & relectione 5. qui eandem doctrinam ad causas creatas extendit negans illis connexionem cum effectuum possibilitate. Opposita sententia communior est inter Theologos. Illam tradit Magister à S. Thoma in præsenti, & sup. disp. 15. art. 3. PP. Salmanticenses, Illustrissimus Araujo, Albelda, & alij quos longum

eſſet recenſere, quibus accedit Granadus, tomo 1. in 1. part. lib. 3. controverſia 1. tract. 6. diſp. 1. ſect. 5. Suarez, & Herice, & plures alij, quos refert Magiſt. à S. Thoma in præſenti.

§. II.

Explicatur vera ſententia.

6 CONCLVSIO Noſtra ſit: Omnipotentia connectitur cum poſsibilitate creaturarum, ita vt ex illius exiſtentia rectè, & à priori inferatur creaturas eſſe poſsibiles, & earum poſsibilitate negata, à poſteriori inferatur negatio Omnipotentiæ. Et probatur primo ex D. Thoma quæſt. 2. de Veritate, artic. 2. ad 11. vbi hæc habet: *Quod ſicut ſi punctum diminuatur in actu à quantitate lineæ, non perit quantitas lineæ, ſi tamen diminuatur, quod linea ſit terminabilis ad punctum, perijt ſubſtantia lineæ, ſic etiam nihil deperit à Deo, ſi creaturæ non ponantur in eſſe, deperit tamen ſi ab eo auferatur poteſtas producendi creaturarum.* Ex quibus ſic probatur concluſio: ſi homo redderetur impoſsibilis, Deus non poſſet illum producere, ſicut de facto non poteſt producere chymeram, quia impoſsibilis eſt; ſed iuxta D. Thomam aliquid deperit Deo, ſi auferatur poteſtas producendi creaturam; ergo ablata poſsibilitate creaturarum aliquid Deo deficeret.

7 Secundo probatur concluſio ratione: ſi homo eſſet impoſsibilis, non poſſet dari Omnipotentia; ergo Omnipotentia connectitur cum hominis poſsibilitate. Antecedens probatur: ſi repugnaret homo, exiſteret duplex contradictorium: ſed Omnipotentia eſt incapax coexiſtendi duplici contradictorio; ergo non poteſt exiſtere caſu, quod homo eſſet impoſsibilis. Conſequentia eſt legitima; maior, & minor ſunt probãdæ, & maior probatur primo: quia ſi homo eſſet impoſsibilis, repugnaret ex terminis, vt ſupponitur, & non repugnaret, quia homo eſſentialiter, & ex habitudine terminorum habet non repugnantiam ad eſſendum. Secundo, ſi homo eſſet equs, per locum ab intrinſeco ſequeretur, dari duplex contradictorium, ſcilicèt, hominẽ eſſe rationalem, quia eſt homo, & irrationalem, quia equs; ergo ſimiliter ſi homo eſſet impoſsibilis darentur duo contradictoria, nimirum, eſſe impoſsibilem, quia eſt homo, de cuius eſſentia eſt eſſe poſsibilem.

8 Deinde minor probatur primo; de eſſentia coniunctionis duorum contradictoriorum eſt non poſſe coexiſtere Omnipotentiæ; ergo de eſſentia Omnipotentiæ eſt, non poſſe coexiſtere duplici contradictorio. Hæc conſequentia conſtat: nam mihi, v. g. repugnat coexiſtere decreto Dei, quo decernat me nunquam exiſtere, non alia ratione, niſi quia eſt eſſentiale tali decreto mihi non coexiſtere; ergo ſi de eſſentia duorum cõtradictoriorum eſt non poſſe coexiſtere Omnipotentiæ, de eſſentia Omnipotentiæ eſt non poſſe duplici contradictorio coexiſtere. Antecedens verò probatur: de eſſentia duorum contradictoriorum eſt non poſſe ſimul exiſtere; ergo de eſſentia illorum eſt non poſſe alteri coexiſtere. Secundo probatur minor: ſi Deus coexiſteret duplici contradictorio, ſcilicèt Petro, & carentiæ Petri, hic Deus non eſſet hic Deus: ſed ab intrinſeco repugnat Deo, quod non ſit hic Deus; ergo ab intrinſeco repugnat coexiſtere duplici contradictorio. Maior probatur; ſi Deus coexiſteret illi duplici contradictorio, in hoc inſtanti eſſet verum, hic Deus coexiſtit Petro, & hic Deus non coexiſtit Petro: ſed ex his rectè infertur, quod hic Deus non ſit hic Deus; ergo etiam ex coexiſtentia cum duplici contradictorio.

9 Confirmatur: coexiſtere Petro, & non coexiſtere illi ſunt prædicata contradictoria: ſed Deo ab intrinſeco repugnat, quod de illo verificentur duo contradictoria; ergo repugnat duplici contradictorio coexiſtere. Minor probatur; id, de quo duo contradictoria verificantur, eſt aliquid impoſsibile, & chimęricum ſibi repugnans, vt cum D. Thoma loquamur; eo enim Hircocervus repugnans eſt, & chimęra, quia involuit duo contradictoria: ſed Deo ab intrinſeco repugnat eſſe impoſsibilem; ergo ab intrinſeco illi repugnat duplici contradictorio coexiſtere.

10 Hoc argumentum, quod ſolum ad noſtram ſententiam comprobandam Recentioribus placuit, nobis diſplicet, niſi ex dicendis roboretur: & in primis deficit; quia probat quamlibet creaturam habere immediatam connexionem cum cuiuſcumque al-

te-

terius posſibilitate, vt recolenti argumentum facilè conſtabit; quod tamen verum non eſt: quamvis enim ex defectu poſsibilitatis creaturæ mediatè inferatur deſtructio poſsibilitatis omnium, quatenus immediatè ſequitur deſtructio Omnipotentiæ, qua deficiente nihil eſſet poſsibile, immediatè tamen nullatenus ſequitur, vt ex dicendis fiet manifeſtum. Secundo; quia quidquid ſit de argumenti efficacia non procedit ex proprijs Omnipotentiæ, ex quibus noſtræ ſententiæ Authores illam efficaciter probant. Tertiò; quia vt videre eſt in Authoribus contrariæ ſententiæ, quando aſſeritur ex impoſsibilitate Petri non inferri deſtructionem Omnipotentiæ, non debet remanere Petrus poſsibilis, ſed purè impoſsibilis, & ex ſuppoſitione, quod ſic remaneat, dubitatur; an deſtruatur Omnipotentia? Ipſi negant, quia non ex defectu Omnipotentiæ eſt impoſsibilis, ſed ex ſui repugnantia; nos autem probare debemus tranſitum iſtum fieri non poſſe ſine defectu Omnipotentiæ.

11 Quartò deficit, quia ex dictis duplex colligitur argumenti ſolutio, niſi aliundè vrgeatur. Et primò, antecedenti negato, ad illius probationem ommiſſa maiori, negatur minor, ad cuius probationem omiſſo antecedenti, negatur conſequentia; repugnantia enim, vt duo contradictoria coexiſtant Omnipotentiæ in eo ſtat, quod ipſa non poſſunt exiſtere; coexiſtere enim Omnipotentiæ dicit vtramque exiſtentiam, ſcilicèt contradictoriorum, & Omnipotentiæ: vndè quamvis ipſa exiſtat, repugnant duo contradictoria illi coexiſtere, quia exiſtere non poſſunt, non quia ſemel admiſſa eorum exiſtentia aliquid Omnipotentiæ pereat. Ad probationem conſequentiæ, nego antecedens; mihi enim non repugnat ex intrinſecis tali decreto coexiſtere, quia ipſi eſt eſſentiale mihi non coexiſtere, ſed quia Deus non poteſt cum illo componere alterum decretum de mea exiſtentia, quod neceſſarium eſt ad illam, non quia mihi ex intrinſecis repugnat. Vel meliùs ad probationem dicatur, rationem quare ego non poſſum coexiſtere decreto, quo Deus decernat me nunquam exiſtere, non eſſe, quia mihi non poteſt coexiſtere quomodocumque, ſed quia non poſſe ipſi non provenit ex impotentia ad eſſendum, ſed ex prædicatis proprijs, quibus connectitur cum carentia meæ exiſtentiæ, cum qua exiſtentia contradictoriè opponitur: in duobus autem contradictorijs repugnantia ad coexiſtendum Omnipotentiæ, oritur præciſè ex impotentia illorum ad exiſtendum.

12 Ad ſecundam minoris probationem, nego maiorem, & ad probationem iterùm, nego maiorem: Si enim duo contradictoria exiſterent, ſolùm eſſet verùm, quod Deus coexiſtit Petro, & quod coexiſtit eius carentiæ, quod non dicit repugnantiam intrinſecam in Omnipotentia, ſed extrinſecam, quæ ſupponitur, ſcilicèt exiſtentiam illorum duorum contradictoriorum, ex quorum ſuppoſitione coexiſtere carentiæ Petri non eſt non coexiſtere Petro, ſed vtrique coexiſtere, carentiæ, & Petro; vel ſi eſt non coexiſtere Petro, ideò eſt, quia Petrus eſt, & Petrus non eſt, non quia ex parte Omnipotentiæ aliqua ſit contradictio. Ad confirmationem conceſſa maiori, & minori, diſtinguo cõſequens, repugnat ex intrinſecis Omnipotentiæ, nego conſequentiam, ex impotentia vt duo contradictoria exiſtant, concedo cõſequentiam. Ex quo conſtat qualiter licèt Deo repugnet ab intrinſeco eſſe impoſsibilem, non repugnat ab intrinſeco coexiſtere duplici contradictorio, ſi eſſet; tunc enim repugnantia, & impoſsibilitas, ſi qua eſſet ſe teneret ex parte contradictoriorum, non Dei.

13 Secundo reſponderi poteſt ad argumentum, negando antecedens, & ad probationem nego maiorem: repugnantia enim hominis, ex qua aſſerunt Adverſarij non defecturam Omnipotentiam, non relinquit hominem poſsibilem, ſed purè impoſsibilem, imò neque relinquit eadem prædicata hominis. Ad probationem iam conſtat quid ſit dicendum, ſi enim homo eſſet impoſsibilis retenta poſsibilitate, & ijſdẽ prædicatis, verum eſſet fore poſsibilem, & impoſsibilem; non autem ſi eſſet purè impoſsibilis. Ad ſecundam dicatur, quod impoſsibile illud ſtat in coniunctione vtriuſque prædicati, & vtriuſque eſſentiæ, & conſequenter in eo, quod homo eſſet rationalis, & irrationalis, quæ coniunctio purè impoſsibilis eſt. Contra quod non obſtat confirmatio: Deus enim non coexiſteret duplicî contradictorio; & vt iam monuimus, argumentum non currit ſpecialiter de Omnipotentia, ſed eodem modo formari poteſt in qualibet creatura, quam immediatè non connecti cum omnium aliarum poſsibilitate, communiter docetur à Theologis.

14 Relicto igitur hoc argumento, probanda eſt concluſio ratione, quam optimè, & breviter expendit Magiſter à Sancto Thoma ſupra, quæſt. 12. diſp. 15. art. 3. Petrum

trum eſſe poſsibilem, & idem eſt de alijs creaturis, nihil aliud eſt, quam eſſe in potentia cauſæ, quod præcipuè de cauſa prima intelligendum venit: ſed eſſe in potentia cauſæ, nihil eſt ſubiective intrinſecum in creatura, ſed ſolum potentia extrinſeca cauſæ ad illam producendum; ergo implicat, quod deficiat poſsibilitas creaturæ, quin deficiat potentia cauſæ. Maior eſt D. Thomæ vbi ſupra, & alibi ſæpè, & ſic explicatur. Petrus poſsibilis nihil eſt ſubiective, & actualiter, niſi ſolum poſsibiliter; ergo ſolum habet in illo ſtatu eſſe in potentia cauſæ. Minor etiam probatur: nam eſſe in potentia cauſæ, quod de facto verificatur de poſsibili, nihil aliud eſt quam poſſe cauſam illud producere.

15 Dices, argumentum probare creaturam non poſſe tranſire de poſsibili in impoſsibilem poſsibilitate extrinſeca deſumpta ab Omnipotentia, ſine defectu Omnipotentiæ; non tamen non poſſe tranſire in impoſsibilem poſsibilitate intrinſeca. Cõtra tamen eſt primo; eo ipſo, quod perſeveret poſsibilitas extrinſeca à potentia cauſæ deſumpta, implicat, quod non perſeveret poſsibiliter, & obiective poſsibilitas intrinſeca; ergo ſolutio eſt nulla. Antecedens probatur; implicat, quod perſeveret virtus ad producendum Petrum, quin detur terminus huius potentiæ in ſtatu apto ad terminandum; ſed terminus huius potentiæ eſt intrinſeca poſsibilitas, non quidem ſubiectivè exiſtens, ſed ſolùm obiective, & poſſibiliter; ergo implicat, quod perſeveret poſsibilitas extrinſeca à potentia cauſæ deſumpta, quin perſeveret intrinſeca poſsibilitas poſsibiliter, & obiective. Conſequentia eſt bona, minor certa: & maior probatur. Implicat, quod perſeveret in Omnipotentia virtus, ſeù potentia productiva Petri, quin Petrus ſit in potentia cauſæ, ſeù in virtute Omnipotentię: ſed implicat, quod Petrus ſit in potentia cauſæ, ſeù in virtute Omnipotentię, quin ſit in ſtatu apto ad terminandum virtutem Omnipotentiæ; ergo implicat, quod perſeveret virtus ad producendum Petrum, quin detur terminus potentiæ huius in ſtatu apto ad terminandum. Minor probatur; quia vt ſit terminus Omnipotentiæ, ſufficit vt poſsit omnia ab illa accipere: ſed ad hoc non requiritur aliquod eſſe intrinſecum in creatura; ergo ſufficit eſſe in potentia, ſeù in virtute cauſę. Maior etiam probatur: nam eſſe in potentia, ſeù in virtute cauſę nihil aliud eſt, quàm eſſe in cauſa virtutem.

16 Secundo hoc ipſum magis explicatur: Implicat deficere intrinſecam poſſibilitatem Petri ſubiective, ſed ſolùm obiective, & poſsibiliter; ſed implicat ſic deficere, non deficiente Omnipotentia; ergo implicat, quod deficiat poſsibilitas intrinſeca non deficiente Omnipotentia. Conſequentia eſt bona; maior ex dictis conſtat, & à pluribus ex Adverſarijs negari non poteſt, qui nobiſcum fatentur entitatem Petri in ſtatu poſsibilitatis nihil eſſe ſubiective, quod de poſsibilitate intrinſeca etiam eſt affirmandum, cum hæc ab entitate ſit indiſtincta: & inſuper ſic oſtenditur; poſsibilitas intrinſeca Petri ſolum poteſt deficere eo modo, quo eſt: ſed in ſtatu poſsibilitatis ſolum eſt obiective, & poſsibiliter; ergo deficere poſsibilitatem Petri non eſt aliquid ſubiective deficere, ſed ſolum obiective, & poſsibiliter. Minor autem probatur: nam Petrum, & eius intrinſecam poſsibilitatem eſſe obiective, & poſsibiliter nihil eſt præter ipſam Omnipotentiam, cum nihil ſit in creatura, vt ſæpè diximus, præter eſſe in potentia cauſæ; ergo deficere obiective, & poſsibiliter eſt deficere ipſam Omnipotentiam.

17 Confirmatur, & explicatur primo: à Petro in ſtatu poſsibilitatis nihil poteſt auferri, cum in illo ſtatu nihil intrinſecum habeat, niſi ſolùm poſsibiliter, & prius eſt aliquid actu poſsideri, quam ab illo auferri; ergo ſi aliquid aufertur, debet eſſe extrinſecum, & ipſa potentia cauſæ. Confirmatur ſecundo; quia in Petro poſsibili terminare meam cognitionem nihil eſt ſubiective, ſed ſolum terminative, & obiective, implicat, quod tranſeat determinante meam cognitionem in non terminantem, ſeù de obiecto in non obiectum illius ſine defectu meæ cognitionis: ſed eſſe obiective, & poſſibiliter in Petro nihil eſt ſubiective; ergo vt tranſeat de eſſe obiective, & poſsibiliter in impoſsibilem, ſeù de termino in non terminum Omnipotentiæ, neceſſarium eſt Omnipotentiam deficere.

18 Confirmatur tertio; quia res futura nihil eſt ſubiective, ſed erit, vt tranſiret de futura in non futuram, neceſſarium eſſet aliquid extrinſecum variari, nimirum decretum Dei, quod vel ipſam futuram conſtituit, vel ſupponitur neceſſariò ad eius futuritionem; ergo quia creatura poſsibilis nihil eſt actu ſubiective, ſed ſolum poſsibiliter, vt tranſiret de poſsibili in impoſsibilem, neceſſarium eſſet, quod deficeret Omnipotentia, à qua conſtituitur poſsibilis, vel quæ neceſ-

ſariò

sariò supponitur ad eius posſibilitatem.

19 Vel aliter hoc ipſum proponatur, vt tacitæ obiectioni occurramus; quia res futura nihil eſt intrinſecè, & ſubiectivè, vt de facto ſit futura, neceſſarium eſt dari aliquid de facto, nimirum decretum Dei, quod vel ipſam futuram conſtituat, vel inferat infallibiliter futuritionem eius; ergo quia creatura poſsibilis nihil eſt, neceſſarium eſt vt ſit poſsibilis, quod detur de facto aliquid conſtituens ipſam poſsibilẽ, vel ex quo inferatur infallibiliter eius poſsibilitas, quod aliud eſſe non poteſt, quam Omnipotentia Divina.

20 Et ex his confirmatur quarto; ſi per impoſsibile deficeret Omnipotentia, Petrus non eſſet poſsibilis aliquo modo, neque poſsibilitate intrinſeca, neque extrinſeca; ablato enim primo ente neceſſe eſt omnia deficere. Inſuper per poſitionem Omnipotentiæ ſine eo, quod Petro aliquid ſuperadderetur, eſſet poſsibilis vtraque poſsibilitate; ergo ad exiſtentiam Omnipotentiæ omnis poſsibilitas Petri infallibiliter conſequitur, & illa deficiente perit. Tandem confirmatur ex principijs aliquorum ex Adverſarijs, qui ideò negant connexionem Omnipotentiæ cum poſsibilibus, quia poſsibilia nihil ſunt in ſtatu poſsibilitatis; à quibus inquiro: vel in tranſitu Petri de poſsibili poſsibilitate intrinſeca in impoſsibilem aliquid aufertur intrinſecum Petro, vel non? Si primum, hoc poteſt eſſe terminus Omnipotentiæ: ſi nihil intrinſecum aufertur, cum in tranſitu illo aliquid auferatur, debet eſſe extrinſecum, nimirum Omnipotentia; ergo vel Petrus poſsibilis habet quidquid requiritur vt ſit terminus Omnipotentiæ, vel in tranſitu illo neceſſarium eſt Omnipotentiam deficere.

21 Sed contra dicta obijcies: Petrum eſſe poſsibilem, eſt habere prædicata ſibi coherentia non implicantia contradictionem: ſed hoc aliquid diſtinctum eſt ab Omnipotentia; ergo ſi hoc deficeret, aliquid ab Omnipotentia diſtinctum deficeret. Reſpondetur poſsibilitatem Petri in ſtatu poſsibilitatis eſſe diſtinctum à Deo, eo modo quo eſt; & cum in illo ſtatu ſolum ſit poſsibiliter, & obiective, ſolum poſsibiliter diſtinguitur: vnde non repugnantiam illam deficere, non eſt aliquid intrinſecum deficere, ſed exuere ſtatum illum poſsibilitatis, & in alterum trãſire; in ſtatu autem poſsibilitatis per ipſam Omnipotentiam conſtituitur. Et ad argumentum diſtinguo maiorem, eſt habere prædicata non implicantia obiectivè, & poſsibiliter, concedo maiorem, ſubiective, nego maiorem, & diſtinguo minorem, eſt aliquid diſtinctum ab Omnipotentia obiective, & poſsibiliter, concedo minorem, ſubiective, nego minorem, & conſequentiam; deficere enim non repugnantiam obiective, & poſsibiliter eſt deficere ipſam Omnipotentiam: quæ ſolutio conſtat ex dictis, & ex dicendis amplius conſtabit.

§. III.

Alijs rationibus probatur concluſio.

22 SECVNDO Principaliter probatur concluſio. Deus de facto eſt potens producere Petrum; ſed ſi repugnaret Petrus, Deus non eſſet potens illum producere; ergo aliquid deficeret intrinſecum Deo, ſi Petrus repugnaret. Maior eſt certa, & minor negari non poteſt, etenim Deus de facto non poteſt producere chimæram, quia repugnat; ergo caſu quo Petrus repugnaret, non eſſet Deus potens illum producere. Conſequentia verò probatur: Deum poſſe producere Petrum eſt aliquid intrinſecum Deo, & effectus formalis præſtitus ab Omnipotentia; ſed ſi non eſſet potens producere Petrum, deficeret, vt conſtat; ergo aliquid intrinſecum deficeret.

23 Huic argumento duplex adhibetur ſolutio; prima conceſſa maiori, & minori, negat conſequentiam, & ad probationem diſtinguit maiorem, eſt aliquid intrinſecum in Deo, & effectus Omnipotentiæ, adæquatè, negat maiorem, inadæquatè concedit maiorem, & conceſſa minori, negat conſequentiam: nam poſſe producere Petrum, duo dicit, vnum in recto, & alterum in obliquo, ſeù per modum complementi: dicit in recto Omnipotentiam ratione ſuæ perfectionis continentem Petrum, & quidquid poſsibile fuerit; dicit in obliquo, ſeù per modum complementi poſsibilitatem Petri. Quapropter vt deficiat denominatio potentis producere Petrum, ſufficit deficientia poſsibilitatis illius, eo modo, quo conſtituen-

tes decretum inadæquatè per aliquid extrinsecum asserunt decretum duo dicere, actum necessarium in recto, & in obliquo, seù per modum complementi, aliquid extrinsecum creatum, quod etiam est forma inadæquata constituens Deum libere volentem: quapropter vt hæc denominatio, seù effectus formalis deficiat, non est necessarium aliquid intrinsecum deficere, sed sat est, si deficiat complementum creatum. Quod alijs terminis ab alijs explicatur; nimirum Omnipotentiam esse potentiam conditionatam, quæ non denominat absolutè Deum potentem producere creaturam, sed solum sub conditione posibilitatis illius, qua sola deficiente deficit denominatio potentis. Hanc solutionem tradit Ripalda tomo 1. de Ente Supernaturali, disp. 25. sect. 5. quem alij Recentiores sequuntur.

24 Sed reijcitur primo; quia ex illa sequitur, Deum saltim inadæquatè constitui potentem per aliquid, quod nō est, nec erit, sed solum posibiliter est: at hoc manifestè repugnat; ergo solutio est nulla. Maior, & minor sunt probandæ, & in primis maior, præterquam quod videtur ipsa solutio, probatur; Deus constituitur potens saltim inadæquatè per ipsam intrinsecam posibilitatem Petri; sed hęc Petro non existente, aut futuro, non est, neque erit, sed solum posibiliter est, vt sæpè diximus; ergo constituitur inadæquatè potens per id, quod non est, neque erit, sed solum posibiliter est. Maior ab Adversarijs negari non potest: nam iuxta illorum principia, denominatio, seù effectus formalis deficere non potest existente adæquata forma, seù adæquato eius constitutivo: sed denominatio, seù effectus formalis potentis deficit, deficiente solum posibilitate Petri; ergo hæc est inadæquata forma, seù inadæquatum eius constitutivū. Minor etiam probatur; est enim impossibile concretum existere, quin existat eius adæquatum constitutivum; concretum enim, vt illorum terminis vtamur, non est aliud quam eius constitutiva; & consequenter nihil aliud est existere concretum, quam eius existere constitutiva.

25 Confirmatur primo: nam vt Tractatu de Voluntate dicemus, decretum, seù effectus formalis volentis libere creaturas nequit constitui per aliquid creatum, etiam inadæquatè, quia decretum, seù effectus formalis volentis abæterno existit, & nihil creatum est abæterno; sed denominatio, seù effectus formalis potentis producere Petrum de facto datur; ergo nequit constitui etiam inadæquatè per id, quod solum posibiliter est. Confirmatur secundo ex principijs Recentiorum; ipsi probant, vt supra dicebamus, Omnipotentiam non connecti cū posibilitate creaturarum, seù ab illa non dependere, vt ipsi loquuntur; quia posibilitas hæc, seù non repugnantia in statu posibilitatis nihil est; ergo à fortiori nequit Deus constitui potens etiam inadæquatè per posibilitatem creaturæ; magis enim est constitui, quam connecti, magisque implicatorium apparet, concretum existere non existente forma, quam existens connecti cum posibilitate non existentis: primum enim est existere rem non existente eius constitutivo; secundum autem non implicare, infra demonstrabimus.

26 Dices; etiam de facto Petrus denominatur posibilis ab eius intrinseca posibilitate: & tamen de facto non datur intrinseca Petri posibilitas, quæ indistincta est ab illo, qui de facto non est; ergo etiam si posibilitas intrinseca Petri non existat, poterit inadæquatè Deum potentem constituere. Contra tamen est; nam argumentum nostrum procedit ex eo, quod de facto existit hoc concretum: *Deus potens producere Petrum*; ex quo efficacitèr infertur, concreti adæquatam formam existere; at Petrum esse posibilem, licèt verum sit, sicut quod est animal rationale, non tamen de facto existit, sed posibiliter, quamvis de facto existat Omnipotentia, vi cuius posibilis est, & ratione cuius est verum esse posibilem. Dicere autem cum alijs Recentioribus, Deum posse producere Petrum esse aliquid morale, propterèaque non requiri vt Deus sit potens, adæquatam formam existere, ridiculum est, & in simili à nobis impugnabitur in secunda Parte huius Tractatus de Scientia libera.

27 Secundo principaliter reijcitur solutio; repugnat in Deo potentia productiva Hircocervi sub conditione posibilitatis illius; ergo Omnipotentia non est potentia conditionata. Assumptum probatur primo; implicat potentia ad terminum sub conditione, qua purificata, non manet terminus; si enim chimæra esset posibilis, non esset chimæra, sed aliquid illi oppositum; ergo modo repugnat potentia ad producendam chimæram sub conditione posibilitatis illius. Et similiter si Petrus redderetur impossibilis, non esset idem Petrus; ergo esto in casu illo non posset Deus producere Petrum, non es-

set impotens ad producendum Petrum, qui de facto datur. Et confirmatur; vel purificata conditione, Hircocervus haberet prædicata, quæ modo habet, vel non. Si haberet; ergo cum de facto talia prædicata essentialiter, & ex terminis nullam dicant perfectionem in genere entis contentam, neque in illa hypothesi; & consequenter neq; essentia divina esset ab ipso participabilis, nec Deus potens illum producere. Si autem in illa hypothesi alia haberet prædicata, vel dicerent perfectionem in genere entis contentam, vel non: si dicatur secundum, reddit argumentum factum, & Deus non posset illum producere. Si verò dicatur primum, non est habere potentiam ad producendum Hircocervum, sed ad producendam perfectionem contentam in genere entis: sed ad hanc est de facto absoluta potentia in Deo; ergo ad nihil datur in Deo potentia conditionata.

28 Dices: tunc casus Hircocervum fore perfectionem, non tamen quæ de facto contineatur in genere entis, sed aliam, quæ tunc contineretur, quam Deus de facto producere non potest, quia de facto in genere entis, & perfectionis non est. Contra tamen est primo; quia non est perfectio imaginabilis, neque ab ipso Deo cognoscitur, quæ de facto in genere entis non contineatur; ergo si tunc casus esset aliqua perfectio, esset ex contentis de facto in genere entis. Secundo; perfectio non contenta de facto in genere entis, & in collectione possibilium, est chimæra ex terminis, & essentialiter, sicut ipse Hircocervus; ergo in casu, quo Hircocervus esset perfectio illa, nõ posset Deus illum producere; cum implicet producere perfectionem chimericam. Explicatur vlterius; implicat concipere veram perfectionẽ, quam Deus de facto non possit absolutè producere; ergo perfectio, quæ in illa hypothesi esset Hircocervus, & quam Deus de facto producere non potest, non est vera perfectio; & consequenter neque in illa hypothesi posset Deus illam producere.

29 Idem fit argumentum de possibili reddito impossibili; si enim Petrus redderetur impossibilis, vel retineret eadem prædicata, quæ de facto habet, vel non: si primum; ergo cum hæc de facto, & essentialiter dicant realitatem, & perfectionem, pariter in illa hypothesi; quapropter etiam in illa posset Deus illum producere. Si dicatur, tunc habiturum alia prædicata inquiro; vel contenta in genere entis, vel non? Si primum; ergo etiam tunc posset illum producere: si secundum; ergo tunc haberet prædicata chimerica, quæ Deus de facto non potest absolutè producere; nulla ergo datur in Deo potentia conditionata.

30 Placet alijs terminis argumentum proponere; vel Deus continet prædicata, quæ haberet Hircocervus, si possibilis esset; vel quæ de facto habet: si hoc secundum dicatur; sequitur primo Deum continere per modum causæ prædicata nullam dicentia realitatem, aut perfectionem. Secundo sequitur, quod posset in illa hypothesi producere prædicata nullam dicentia perfectionem, aut realitatem; quod implicat, sicut Deum aliquid producere, & hoc nullam dicere perfectionem, aut realitatem. Vtrumque autem sequi constat: primum; quia prædicata, quæ de facto habet Hircocervus nullam dicunt realitatem; secundum verò, quia vt causa absolutè possit producere effectum, sufficit in ipsa continentia, & effectus possibilitas, & vtrumque in illa hypothesi daretur. Quod autem vtrumque sit inconveniens, etiam constat; secundum ex probatione ibi subiuncta; primum autem, quia continentia, per modum causæ est continentia perfectionis, & realitatis, & ob hoc est perfectio. Tùm etiam; quia effectus extra causam habet in se id, quod in causa cõtinetur; sed implicat effectus in se non dicens realitatem, seù perfectionem; ergo implicat in causa continentia alicuius non dicentis perfectionem.

31 Si autem dicatur, Deum de facto continere prædicata, quæ haberet Hircocervus in illa hypothesi; inquiro, vel illa dicunt realitatem, & perfectionem, vel non dicunt? Si dicatur primum, sequitur de facto Deum posse absolutè producere perfectionem illam, vt supra arguebamus; si dicatur secundum; ergo Deus de facto continet prædicata, quæ de facto nullam dicunt perfectionem, quod implicare iam ostendimus. Per quod manet exclusa solutio Ripaldæ, vbi supra disp. 32. sect. 6. distinguentis de continentia per modum causæ, & potestatis, & per modum connexionis; ostendimus enim nullam posse dari causam continentiæ, nisi realitatis, & perfectionis; atque adeò causa cantinentiæ arguit, & infert realitatem, & perfectionem in contento; & consequenter possibilitatem.

32 Tertiò reijcitur solutio, ex eo, quod potentia conditionata dicit imperfectionem in Deo ab ipso relegandam. Assump-

ſumptum probatur ; potentia conditionata impeditur nè poſsit producere effectum, quem continet, ab alio extra ſe, & ex eius natura non orto, nimirum à repugnantia termini : ſed hoc arguit imperfectionem in potentia; ergo potentia conditionata ex terminis dicit imperfectionem. Minor probatur primo. Indigere ad operationem aliquo, quod ab operãte non præſtatur, arguit imperfectionem, & ſubordinationem in ipſa operatione, vt conſtat; operatio enim creata indigens, vt ſit, prædeterminatione Dei, quæ ab agente creato non præſtatur, arguit imperfectionem in operatione, vt omnes fatentur; ergo indigere aliquo, quod à potente non præſtatur, vt poſsit, arguit limitationem,& imperfectionem in potentia.

33 Secundo: Deum impediri ad operandum actum liberum creaturæ, quem continet, & intra collectionem poſsibilium eſt, ex ſcientia media contingenti Deo non libera, imperfectio eſt; ergo impediri eius continentiam ab aliquo extra ſe,& quod ex eius natura non oritur,vt abſolutè conſtituat Deum potentem imperfectio eſt. Antecedens ex terminis videtur notum, & infra à nobis demonſtrandum ; conſequentia verò probatur. Nam ſicut Deum potentem in actu primo producere effectum, qui de facto intra collectionem poſsibilium continetur, nimirum actum liberum creaturæ, impediri ab eius productione ex ſuppoſitione, quam vitare non potuit, arguit ipſum in operando alteri ſubordinari, à quo eius exercitium impediri poteſt, pariter continentia per modum cauſæ, quæ abſolutè non conſtituit ſubiectum potens, quia impeditur ab aliquo extrinſeco ex eius natura non orto, ſcilicèt ex repugnantia effectus, arguit potentiam imperfectam, & ab alio dependentem : & omnium horum ratio ea eſt, quam ſupra inſinuavimus, ſcilicèt, quia aliqua contineri in collectione poſsibilium, alia verò non, fundatur, & oritur ex eſſe, & Omnipotentia Dei; ſicut enim aliqua eſſe futura, & alia non, fundatur, & naſcitur ex alicuius libera determinatione, nimirum ex determinatione Dei; ſic ſimiliter poſsibilia eſſe talia,fundari, & oriri debet ex aliquo eſſe de facto exiſtenti : quia tamen res poſsibilis neceſſariò eſt poſsibilis,eſſe,ex quo hoc oritur,debet eſſe omninò neceſſarium.

34 Secunda ſolutio eiuſdem P. Ripalda vbi ſupra,& aliorum eſt; quod Deum poſſe producere Petrum eſt denominatio adæquatè intrinſeca, quæ deficeret ex defectu poſsibilitatis Petri ; ſicut denominatio libere volentis eſt adæquatè intrinſeca in noſtra ſententia ; ex quo non infertur, in caſu illo defecturam Omnipotentiam,neque continentiam activam Petri, ſed ſolum quãdam denominationem, ſeù extenſionem eiuſdem, ſicut de decreto libero dicitur.

35 Sed hæc ſolutio etiam deficit, primò : quia deficeret continentia activa Dei, quæ ad impoſsibilia terminari non poteſt, vt iam diximus; ergo aliqua perfectio. Secundo ; quia quidquid neceſſarium eſt in Deo,cum ipſo identificatum eſt,ita neceſſarium ſicut Deus, eſt enim, vel ipſa natura Dei, vel eius attributum : ſed hæc denominatio eſt neceſſaria,& identificata cumDeo; ergo eſt ita neceſſaria ſicut Deus ; & conſequenter ipſa deficiente deficeret Deus. Tertio; quia huiuſmodi denominatio,ſeù effectus formalis, quæ aliquid reale eſt in Deo, ipſi convenit ex natura ipſius Dei ; ergo ipſo non deficiente deficere non poteſt. Antecedens mihi eſt omninò certum ; hæc enim denominatio realis neceſſariò exiſtit,& Deo convenit, non ex eius libera determinatione, non ex determinatione alterius, neque acaſu,& fortuito ; ergo ex ipſa natura Dei. Conſequentia verò eſt nota ; id enim, quod naſcitur neceſſariò ex natura Dei deficere non poteſt ab ipſo, ipſo non deficiente.

36 Dices, oriri quidem ex natura Dei, non tamen abſolutè, ſed ſuppoſita poſsibilitate creaturarum ; qua propter hac deficiente deficeret, non deficiente Deo : proprietas enim dimanans à natura ſuppoſita aliqua conditione, vel ſtatu, defieit deficiente ſtatu ſine defectu naturæ, vt pluribus exemplis conſtat. Sed contra eſt argumentum factum, quod ſic vrgetur; iuxta hanc doctrinam Deus ex ſua natura, & eſſentia indifferens eſt, vt coniungatur cum hac denominatione, ſeù effectu formali, vel cum eius carentia: ſed hoc eſt abſurdum; ergo doctrina traddita non eſt vera. Maior probatur ; Deus ex ſua natura, & eſſentia indifferens eſt, vt Petrus ſit poſsibilis, vel non, potenſque quatenus eſt ex ſe coniungi cum quolibet ex his extremis, alias connecteretur cum illius poſsibilitate : ſed hæc denominatio, ſeù effectus formalis connexus eſt eſſentialiter cum poſsibilitate Petri; ergo Deus non poteſt non eſſe ex ſe, & ex natura ſua indifferens, vt coniungatur cum hac denominatione, vel eius carentia. Minor autem probatur : nam ſi Deus ex ſe in-

differens est, vt coniungatur cum hac denominatione, seù effectu formali, necessarium est, quod ipsa denominatio ex se, & proùt à natura Dei distinguitur, cum necessariò existat, existat necessariò à se, vel necessariò necessitate orta ex existentia alicuius à Deo distincti: Si dicatur primum, illa denominatio, & effectus, tàm necessarius est sicut Deus, qui à se, & ex natura sua necessarius est; & consequenter si deficiente possibilitate Petri deficeret, idem sequeretur inconveniens, atque si Deus deficeret: si autem existit necessariò necessitate orta ex existentia alicuius à Deo distincti, manifestè falsitatis convincitur, cum nihil extra Deum existat necessariò.

37 Quod vlteriùs explicatur; esto possibilitas intrinseca Petri non oriatur ex natura Dei, quia huiusmodi possibilitas in statu possibilitatis nihil est, tamen dari de facto, & exercite effectum formalem potentis, qui non oriatur necessariò ex natura Dei, vel ex eius libera determinatione, absurdum est; sed effectus ille de facto datur, & non oritur ex Dei libera determinatione; ergò necessariò asserendum est, oriri necessariò ex natura Dei, quæ ex se est determinata ad illum, atque adeò illum inferens, & possibilitatem creaturarum. Hoc argumentum pleniorem intelligentiam accipiet ex dicendis de scientia libera; & huius solutionis falsitas ampliùs constabit §. sequenti.

§. IV.

Vlterior probat ip nostræ sententiæ.

38 AMPLIVS Veritas nostræ conclusionis constabit, si ostendamus infirmas esse rationes, quibus Aduersarij illam impugnant. Sic ergo argumentum conficitur; si non daretur connexio Omnipotentiæ cum possibilitate creaturarum, maximè, quia ista nihil est in statu possibilitatis, vel quia in Omnipotentia esset imperfectio huiusmodi connexio; sed vtraque ratio nulla est; ergo datur talis connexio. Maior continet duo argumenta, quibus Recentiores vtuntur; & primum, quod magni apud ipsos habetur, probatur primo ex illorum principijs; id quod nihil est, potest esse terminus connexionis; ergo argumentum primum non conuincit. Antecedens probatur; non magis requiritur esse ad hoc, vt aliquid sit terminus connexionis, quam subiectum; sed creatura potest esse subiectum connexionis cum possibilitate causæ, cum iuxta ipsos sit connexa cum causæ possibilitate; ergo poterit esse terminus. Secundo; ipsi asserunt actum vitalem dependentem à principio vitali essentialiter connecti cum principij possibilitate; sed principij possibilitas intra statum possibilitatis nihil est; ergo quod nihil est, potest connexionem alterius terminare.

39 Tertiò: quia, vt suprà dicebamus, magis requiritur ad constituendum inadæquatè effectum formalem existentem, quam ad terminandum connexionem; sed iuxta Aduersarios possibilitas, quæ nihil est, constituit inadequatè potentem; ergo potiori titulo potest esse terminus connexionis. Quartò; non minus est denominari possibilem ab Omnipotentia, quam terminare eius connexionem; sed quod non est, denominatur ab illa possibile; ergo etiam potest eius connexionem terminare. Quinto; id, quod non est, potest terminare amorem necessarium Dei, cum creaturæ possibiles iuxta ipsos amẽtur necessariò à Deo. Insuper à nullo negari potest terminare scientiã necessariam Similiter effectus formalis potentis producere Petrum connectitur cum eius possibilitate, vt concedunt; ergo idem, quod priùs. Ratiõ autem horum eadem est; ideò enim possunt terminare scientiam, quia hoc nihil aliud est, quam Deus cognoscere creaturas possibiles, ad quod non requiritur earum existentia; sed terminare connexionem Omnipotentiæ, nihil aliud est quam posse Deum illas producere; dato enim, quod Deus absolutè possit illas producere, non possunt non esse possibiles, & alias vt Deus possit, non requiritur quod ipsæ aliquid sint, sed quod possint esse; ergo vt terminent connexionem Omnipotentiæ non requiritur, quod habeant aliquod esse.

40 Sexto: reuelatio futuritionis Anti-Christi connectitur cũ eius existentia, quę de facto nõ datur, cũ implicet existere reuela-

tionẽ,& non eſſe extiturũ Anti-Chriſtũ;ergo cum aliquo,quod nondum eſt, ſed ſolum erit, connectitur.Reſpondent connecti cum ſcientia Dei de futuritione Anti-Chriſti,non verò cum ipſo Anti Chriſto, ſcientia autem Dei de facto datur. Sed contra eſt primo; quia etiam connectitur cum Anti-Chriſto, cum nequeat eſſe talis revelatio ſine Anti-Chriſto futuro. Secundo; quia ſcientia Dei de Anti-Chriſto futuro eſt, & connectitur cum Anti-Chriſto, qui non eſt; ergo iam conceditur aliquid connexum cum non exiſtente.

41 Reſpondent iterùm, ſcientiam Dei includere ipſum obiectum, quidquid autem ſcientiæ diſtinguitur ab obiecto, non connectitur cum illo;& eum ſolum de facto exiſtat ſcientia ea ratione, qua ab obiecto diſtinguitur,nihil exiſtens cum non exiſtenti connecti. Sed multipliciter deficit ſolutio; primo,quia, vt ſæpè diximus, magis implicatorium eſt Deum eſſe ſcientem per id, quod non eſt,quam exiſtens cum non exiſtente connecti: prętęrquàm quod ſcientiam liberam adæquatè conſtitui per aliquid intrinſecum,latè probabimus Tractatu de Voluntate. Secundo,quia ſaltim actum fidei de futuritione Anti-Chriſti connectitur cum exiſtentia revelationis facta tempore Apoſtolorum,quæ tamen,vt ipſi aſſerunt,de facto non eſt.

42 Hoc argumentum valdè difficilè viſum eſtRecentioribus,ad cuius ſolutionem duo dicunt. Primum eſt,eſſe valdè difficilè explicare connexionem actus fidei cum exiſtentia revelationis, propter quod maximè inclinant ad connexionem negandam. Sed quidquid ſit de difficultate, connexio negari non poteſt; alias actus fidei ſupernaturalis, quo credimus Anti-Chriſtum futurum, poſſet exiſtere ſine revelatione;& conſequẽter poſſet eſſe falſus,quod tamen tutum non eſt. Secundo,nè concedant actum fidei poſſe falſificari,in ſecundo dicto concedunt cõnexionem,non tamen intrinſecam ex natura actus fidei, ſed quaſi extrinſecam, quia ſcilicèt indecens eſt, Deum concurrere ad actum fidei ſupernaturalis non exiſtente revelatione.Sed hoc etiam falſum eſt; ſi enim actus fidei ex intrinſecis non connectitur cũ revelatione,coniunctio illius cum carentia revelationis non eſt ex terminis impoſsibilis;ſed quidquid ex terminis non implicat contradictionem,poteſt fieri à Deo abſque aliqua indecentia;ergo poteſt concurrere ad actum fidei non exiſtente revelatione abſque aliqua indecẽtia.Minor probatur; quidquid non implicat contradictionem poteſt à Deo fieri: ſed quidquid ab illo fieri poteſt, fieri poteſt ſine indecentia; ergo abſque illa poteſt à Deo fieri quidquid non implicat contradictionem.

43 Secundam rationem, ſcilicèt, hanc connexionem in Omnipotentia dicere imperfectionem,eſſe etiam infirmam, probatur ex exemplis adductis; ſcientia enim poſsibilium ſine imperfectione cum illorum poſsibilitate connectitur; amor ſimiliter neceſſarius, quẽ concedunt, & idem de effectu formali abſolutè potentis ipſi affirmant. Idem colligitur ex connexione decreti cum creatura futura. Quæ omnia confirmantur: nam Deus de facto eſt potens velle producere Petrum per prædicatum intrinſecum, quod connectitur ſine imperfectione cum Petri poſsibilitate; Deus enim non poteſt velle impoſsibile. Aſſumptum inde conſtat; quia velle in actu ſecundo producere eſt prædicatum adæquatè intrinſecum;ergo potiori titulo poſſe velle.Tùm etiam nam poſſe velle eſt ipſa voluntas Divina.

44 Secundo probatur: quia connecti cum alio non ex indigentia, aut dependentia, ſed ex fœcunditate, imperfectio non eſt, ſed ſumma perfectio, ſicut ipſa fœcunditas; quapropter Patrem æternum cum Filio connecti imperfectio non eſt; ſed Deus connectitur cum poſsibilitate creaturarum, non ex indigentia, aut dependentia, ſed ex fœcunditate, qua à creaturis participabilis eſt; ergo connexio non eſt imperfectio. Ex quo etiam infertur, quod ſicut deficiente termino fœcunditatis ad intra,ipſa fœcunditas,& perfectio deficeret, pariter deficiente poſsibilitate creaturarum deficeret fœcunditas, qua Deus ad extra participabilis eſt.

45 Tertio,& à priori probatur aſſumptum:Deum connecti cum poſsibilitate creaturarum non eſt aliud, quam non poſſe eſſe Deum,quin creaturæ ſint poſsibiles, & non poſſe deficere poſsibilitatem creaturarum, quin aliquod prædicatum Divinum deficiat: ſed hoc imperfectio non eſt; ergo nec Deum connecti cum poſsibilitate creaturarum imperfectio eſt. Minor probatur; hoc non eſt aliud quam Deum non indigere aliqua conditione, quæ ex eius eſſentia non oriatur, vt poſsit creaturas producere, ſed potiùs ex ſe habere omnia requiſita, & inferre poſsibilitatem creaturarum, quæ ad earum productionem requiritur:

ſed

sed hoc maximà perfectio est, & oppositum imperfectio, vt supra arguebamus; ergo vera est minor. Est tamen hic advertendum, quod cùm possibilitas intrinseca nihil sit subiectiue in creatura, vt sæpè diximus, inferaturque à priori, non est necessaria, vt sit Omnipotentia ex indigentia illius, neque ad hoc habet aliquam conducentiam; esset enim imperfectio in Omnipotentia, sed potius ex esse Dei oritur, & aliter deficere non potest, quàm deficiente Deo.

46 Tandem placet cõfirmare conclusionẽ, & simul impugnare rationẽ hanc argumento communi, quod ex dictis facilè colligitur: Deum esse Omnipotentem est prædicatum, & attributum Dei, quod tamen deficeret deficiente possibilitate omnium creaturarum. Ex quo duo concluduntur; primum est non esse imperfectionem, Deum cum aliquo extra se connecti modo. Secundum est, saltem deficiente possibilitate omnium creaturarum defecturum attributum Dei. Cui solum potest responderi, vel quod in casu illo Deus non diceretur Omnipotens, non ex defectu virtutis, sed ex defectu possibilitatis creaturarum: vel quod ad denominationem Omnipotentis sufficit, quod Deus quatenus est ex se, posset producere creaturas, licèt absolutè in casu illo non esset potens illas producere ex defectu possibilitatis illarum. Sed vtrumque esse insufficiens ex dictis constat, & insuper primum reijcitur; quia non solum est attributum Dei posse producere creaturas quatenus est ex parte virtutis, sed esse absolutè Omnipotentem, quod fatemur in symbolo; ergo si tunc non esset Omnipotens, vndecumque hoc proveniat, deficeret attributum Dei. Secundum etiam reijcitur; non potens absolutè aliquid producere, non est absolutè Omnipotens: sed in casu illo Deus non esset potens aliquid producere; ergo non esset absolutè Omnipotens. Consequentia est bona, minor nota; hæc enim esset absolutè falsa, Deus est potens aliquid producere, sicut de facto falsum est posse producere chimæram: ergo eius contradictoria, nimirum hęc Deus absolutè non est potens aliquid producere, esset vera. Maior etiam constat: nam esse Omnipotentem est omnia posse, in quo clauditur aliquid posse; ergo non potens absolutè aliquid producere non est absolutè potens aliquid, & consequenter neque Omnipotens.

(((o)))

§. V.

Solvuntur argumenta.

47 CONTRA Nostram conclusionem obstat primo argumentum, quo vtuntur quidam Recentiores. Tantum abest, vt ex negatione possibilitatis creaturarum inferatur defectus Omnipotentiæ, quod potius ex non possibilitate illarum inferatur Omnipotentiam existere; ergo conclusio nostra falsa est. Antecedens probant: nam hæc est bona consequentia; vel Omnipotentia est, vel creaturæ sunt possibiles: sed non sunt creaturæ possibiles; ergo Omnipotentia est; cùm arguatur à disiunctiva, cum negatione vnius partis ad positionem alterius; sed disiunctiva vera est, & negatio vnius partis est negatio possibilitatis creaturarum; ergo ex huiusmodi negatione infertur existentia Omnipotentiæ.

48 Confirmatur primò ab eisdem; si aliquod impossibile fieret possibile, adhùc maneret Omnipotentia; ergo hæc non connectitur cum possibilitate creaturarum. Consequentia à nobis negari non potest, vt constat ex dictis, & ex dicendis amplius constabit. Antecedens autem probatur; impossibile est iuxta nostram sententiam, quod si deficeret possibilitas creaturarum, maneret Omnipotentia; sed si hoc impossibile fieret possibile, maneret Omnipotentia; ergo si aliquod impossibile fieret possibile, maneret Omnipotentia. Minor probatur; si hoc impossibile fieret possibile, esset verum, & possibile, quod si creaturę possibiles deficerent, maneret Omnipotentia; ergo si aliquod impossibile fieret possibile, maneret Omnipotentia; imò ex eo, quod fiat possibile sequitur existentia Omnipotentiæ.

49 Confirmatur secundo: si impossibile fieret possibile, posset à prima

cauſa produci ; implicat enim poſsibile, niſi à prima cauſa ; ergo ex eo , quod aliquod impoſsibile fiat poſsibile , potiùs infertur exiſtentia primæ cauſæ , quam eius deſtructio ; & cum alias ex terminis implicèt alia prima cauſa, præter Deum Optimum Maximum, qui de facto datur , ex eo , quod impoſsibile fieret poſsibile , potiùs infertur eſſe Dei , quam non eſſe illius. Confirmatur tertio ; non poteſt eſſe prima radix , & ratio impoſsibilitatis id , quo deficiente adhùc chimæra maneret impoſsibilis : ſed ſi deficeret Deus , vel eius Omnipotentia, chimæra maneret æquè impoſsibilis , ac modo ; ergo exiſtentia Dei , & Omnipotentia non eſt prima radix impoſsibilitatis chimeræ. Minor eſt nota : nam deficiente Deo æquè eſſet impoſsibilis cauſa chimeræ; ergo ipſa æquè maneret impoſsibilis.

50 Sed hoc non vrget. Ad primum negatur aſſumptum, & ad probationem etiam eſt negandum eſſe bonam conſequentiam , & ad ſubiunctam probationem dicendum : à disiunctiva cum negatione vnius partis ad poſitionem alterius tunc eſſe bonam conſequentiam, quando negatio vnius non eſt virtualis, aut formalis alterius deſtructio ; vt enim ſit bona, neceſſarium eſt, eſſe à negatione vnius partis tantum , quod non verificatur , quando negatio vnius eſt alterius virtualis negatio. Vel dicendum , quod licèt ſit bona , ſuppoſita tamen veritate negationis vnius partis , nimirum poſsibilitatis creaturarum , disiunctiva non poteſt eſſe vera ; atque adeò poſita huiuſmodi negatione, nunquam probatur exiſtentia Omnipotentiæ ; cum ad hanc probandam requiratur vlterius veritas disiunctivæ , quæ cum tali negatione non componitur. Et argumentum manifeſtè inſtatur in hoc ; vel homo eſt rationalis , vel eſt riſibilis : ſed non eſt riſibilis ; ergo eſt rationalis ; quod quidem deficere conſtat, cum ex negatione riſibilitatis non inferatur exiſtentia rationalitatis , ſed potiùs oppoſitum.

51 Prima confirmatio manifeſtam habet inſtantiam in contrariorum ſententia; hæc enim propoſitio, *ſi Petrus poſsibilis fieret impoſsibilis , deſtrueretur Omnipotentia*, quę eſt noſtra ſententia, eſt impoſsibilis apud ipſos, quæ ſi fieret poſsibilis , & vera, deſtrueretur Omnipotentia ex eo, quod Petrus poſsibilis fieret impoſsibilis. Ex quo eodem modo nos inferre poſſumus , quod ſi aliquod poſsibile fieret impoſsibile , deſtrueretur Omnipotentia , quod ipſi negant. Dicimus ergo , quod impoſsibile illud eſt contraria ſententia , quæ ſi eſſet vera , oppoſito modo diſcurrendum eſſet , & hoc argumentum convincit. Neque eſt idem de alijs impoſsibilibus , ſi fierent poſsibilia , quæ non ſupponunt , neque ſunt contraria ſententia : & mirum non eſt, quod ſuppoſita contraria ſententia aliter ſit diſcurrendum , atque abſolutè rerum naturis conſideratis , iuxta quod noſtra ſententia vera eſt.

52 Veruntamen ſiſtendo in noſtris principijs aſſerendum eſt, quod ſi illud impoſsibile fieret poſsibile , deſtrueretur Omnipotentia : nam ſi illud fieret poſsibile, Omnipotentia non eſſet connexa cum poſſibilitate creaturarum; & conſequenter Omnipotentia non eſſet : ex quo per mediatas conſequentias etiam infertur, illud impoſſibile, quod ſupponitur poſsibile , non fore poſsibile , quia deſtructa Omnipotentia, nihil poteſt remanere poſsibile , cum ipſa ſit prima , & vnica radix omnis poſsibilitatis. Vndè in forma , nego antecedens, & ad probationem conceſſa maiori, nego minorem , ad cuius probationem diſtinguo antecedens , eſſet verum , & non verum, concedo antecedens, verum præciſè , nego antecedens, & diſtinguatur conſequens eodem modo. In illo ergo caſu daretur Omnipotentia , & non daretur ; daretur , quia ſupponitur ; non daretur , quia non maneret cum prædicatis ſibi eſſentialibus , quod non eſt exiſtere Omnipotentiam , ſed chimeram. Inſuper addendum eſt ex dictis, quod cum impoſsibile ex terminis ſit repugnans, quamvis ſupponatur poſsibile , dummodo eadem remaneant prædicata obiectiva ex terminis impoſsibilia , erit poſsibile, & non erit poſsibile ; ex quo non mirum vtrumque inferri , ſcilicèt exiſtere , & non exiſtere Omnipotentiam : ſi autem alia prædicata ſint poſsibilia in illa hypotheſi , eſſent prædicata , quæ de facto intra collectionem poſsibilium continentur , ex quorum poſsibilitate inferri non poteſt deſtructio Omnipotentiæ.

53 Ad ſecundam confirmationem diſtinguo antecedens , poſſet , & non poſſet à prima cauſa produci , concedo antecedens , poſſet præciſè , nego antecedens , & conſequentiam , vel diſtinguo conſequens eodē modo, infertur exiſtentia,

&

& non existentia primæ causæ, concedo consequentiam, existentia præcisè, nego consequentiam; vt enim iam diximus, si fieret possibile, immediatè sequeretur destructio Omnipotentiæ, & per consequentias mediatas illud, quod supponitur possibile, non esse possibile; quia destructa prima causa, quæ defacto datur, non remaneret aliquid possibile. Insuper dici potest, impossibile factum possibile, si retineret eadem prædicata, esset possibile, & impossibile, vt diximus: si autem alia assignentur contenta intra collectionem possibilium, nulla datur variatio; cum prædicata chimeræ semper maneant impossibilia, alia autem continentur intra collectionem possibilium.

54 Ad vltimam ommissa maiori, nego minorem: deficiente enim Deo nihil esset possibile, aut impossibile, possibilitate, aut impossibilitate physica de facto existente, quæ aliud non est, quam ipsa Omnipotentia, & hac possibilitate destructa, quæ est fundamentum, vt obiectivè homo concipiatur, & dicat prout sic prædicata non dicentia repugnantiam, & similiter est fundamentum, vt chimera concipiatur implicans, nihil esset vllo modo possibile, aut impossibile; non physicè, aut extrinsecè, quia hæc possibilitas, & impossibilitas supponitur deficere; non obiectivè, quia huius possibilitatis fundamentum est Omnipotentia, quæ non esset. Neque mirum debet esse, quod deficiente Deo nihil horum daretur; sicut neque mirum debet esse, quod si per impossibile deficeret omne exercitium Divinæ voluntatis, nulla res esset, aut non esset; cùm vtrumque sit contingens, & dependens à determinatione Dei.

55 Secundo arguitur: Omnipotentia connexa cum possibilitate creaturarum non est summè perfecta; ergo hæc connexio est omninò neganda. Consequentia constat, & antecedens probatur: concipiamus Omnipotentiam connexam, & Omnipotentiam non connexam, quarum perfectiorem esse inconnexam, probatur: nam Omnipotentia connexa non continet plures effectus, quam inconnexa; cum etiam inconnexa constituatur à suis Authoribus continens omnes effectus possibiles, quos, & non plures continet Omnipotentia connexa; & consequenter saltim in hoc æquiparari videntur; & aliàs Omnipotentia connexa deficeret in eodem eventu, in quo non connexa subsisteret, nimirum casu, quo deficeret possibilitas Petri; ergo perfectior est Omnipotentia non connexa, quam connexa. Consequentia hæc probatur; quia ex duabus entitatibus, cæteris paribus, perfectior est illa, quæ permanet in eodem eventu, in quo alia desinit esse.

56 Confirmatur primo: perfectior est Omnipotentia, quæ subsistere potest absque aliquo extrinseco, sine quo alia non potest existere: sed Omnipotentia inconnexa potest existere sine possibilitate Petri, sine qua Omnipotentia connexa esse non potest; ergo perfectior est illa quam ista. Confirmatur secundo: Omnipotentia non connexa, qualiter ponitur ab Adversarijs, talis est naturæ, quod habeat totum illud, quod requiritur ex parte virtutis causativæ ad producendum, non solùm effectus, qui de facto sunt possibiles, sed ad producendum impossibiles, quos sine nova virtute posset producere, si illorum repugnantia non obstaret; ergo longè perfectior est, quam Omnipotentia connexa. Tandem confirmatur: Authores qui constituunt Omnipotentiam à connexione absolutam, asserunt, Deum non posse producere chimeram præcisè, quia illa repugnat, nullo modo ex defecta virtutis Omnipotentiæ, qui inferatur ex hac repugnantia; nos autem diximus non posse, quia chimera repugnat, ex cuius repugnantia infertur defectus virtutis ad illam producendam; ergo oppositi Authores maiorem virtutem Omnipotentiæ tribuunt; & consequenter illam perfectiorem constituunt.

57 Respondetur negando antecedens, & ad probationem iterùm est negandum, ad cuius probationem nego Omnipotentiam inconnexam posse effectus continere; implicat enim continentia, præcipuè in causa prima absque connexione cum effectus possibilitate: neque obstat, quod vtrumque supponit contraria sententia, & argumentum, scilicet, continere, & non connecti. Sed hoc omisso, supponamus cum Adversarijs continentiam, & inconnexionem: tunc nego hanc continentiam æquè perfectam esse, atque Omnipotentiam connexam; continentia enim indigens alio ex se non orto, vt denominet Deum potentem, imperfectio est, vt supra arguebamus: secus continentia à nobis posita, quæ ex se affert possibilitatem effectus, neque illa aliunde orta indiget; & ommissa altera

parte antecedentis, nimirum in eodem eventu defecturam Omnipotentiam connexam, in quò non deficeret in connexa, negatur conſequentia: nam etſi deficeret Omnipotentia connexa, non tamen deficeret ex defectu alicuius à ſe diſtincti; hoc enim eſſet indigere alio extra ſe ad propriam exiſtentiam, ſed deficeret ad defectum ſui ipſius; non enim alio modo deficeret poſsibilitas creaturarum, niſi per defectum Omnipotentiæ, & hoc prius non intellecto intelligi non poteſt defectus poſsibilitatis illarum. Per quod conſtat ad conſequentiæ probationem; eſt enim diſtinguendo antecedens, illa entitas eſt perfectior, quæ permanet in eodem eventu, in quo alia deſinit eſſe, ſi eventus ſit ipſum non eſſe rei, nego antecedens, ſi ſit alius, tranſeat antecedens. Eventus ergo, in quo Omnipotentia connexa deficeret, eſt eventus, & caſus, quo Omnipotentia non eſſet, in quo Omnipotentia, quæ manet, non eſt Omnipotentia, ſed chimæra nullam dicens perfectionem. Et argumentum ſolutum eſt huic ſimile, Deus, qui componitur cum non eſſe ipſius, exiſtit in eventu, in quo verus Deus non daretur; ergo Deus, qui componitur cum non eſſe ſui perfectior eſt, quam ille qui de facto datur, quæ conſequentia nihil valet.

58 Ad primam confirmationem diſtinguo maiorem, ſine quo quaſi à poſteriori, & tanquam ex eius perfectione derivato non poteſt exiſtere, nego maiorem, ſine quo à priori, & vt aliundè orto non poteſt exiſtere, concedo maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Vel aliter poteſt diſtingui maior, perfectior eſt, quæ poteſt ſubſiſtere abſque aliquo extrinſeco, quod in ſe, & ſubiective aliquid eſt, concedo maiorem, quod ſolum poſsibiliter eſt tale, nego maiorem, & diſtincta minori, nego conſequentiam: itaque Omnipotentia, quæ non poſſet eſſe abſque aliquo extrinſeco ſubiective tali imperfecta eſſet, cum nihil extra Deum tale eſſe poſsit independenter à dominio Dei, quapropter extra Deum nihil datur huiuſmodi neceſſarium, & oppoſitum eſſet contra eius libertatem, & dominium: Omnipotentia autem, quæ non poteſt eſſe abſque aliquo extrinſeco poſsibiliter tali, nullam dicit imperfectionem: nam cum eſſe poſsibiliter nihil ſit niſi potentia cauſæ, idem eſt non poſſe eſſe ſine effectu poſsibili, atque non poſſe eſſe ſine potentia illum continenti.

59 Ad ſecundam diſtinguo antecedens: ponitur ſine implicatione, & contradictione, nego antecedens, repugnanter, admitto antecedens, & nego conſequentiã: repugnantia autem illius poſitionis iam eſt à nobis multiplex aſsignata: prima eſt, quia implicat continentia per modum cauſæ, niſi alicuius perfectionis. Secunda eſt, quia effectum eſſe poſsibilem nihil aliud eſt, quam eſſe in potentia cauſæ, eſſe autem in potentia cauſæ idem omninò eſt, atque cauſæ cõtinentia. Tertia eſt; quia continentia effectus non afferens ſecum effectus poſsibilitatem imperfecta eſt; vtpotè alio indigens, vt ſit abſoluta potentia.

60 Ex his conſtat ad vltimam: reſpondetur enim verum eſſe diſcrimen inter has ſententias in antecedenti aſsignatum, & nego conſequentiam propter modo dicta: talis enim potentia, ſeù virtus, quæ ex ſe non affert poſsibilitatem effectus, ab alio impeditur nè ſit abſoluta potentia, quod eſt imperfectio virtutis. Inſuper chimeram eſſe repugnantem, & impoſsibilem nihil aliud eſt, quam non contineri in cauſa prima. Undè Adverſarij admittentes repugnare, & eſſe in Deo virtutem ad illam producendam, implicationem admittunt, & eadem infertur implicatio ex eo, quod chimera, quæ nullam dicit perfectionem, in virtute cauſæ contineatur.

61 Tertio arguitur: in eo, quod detur in Deo potentia ad producendum Hircocervum ſua repugnantia purgatum, nulla involuitur imperfectio; ergo Deo eſt concedenda. Antecedens probatur: ſi aliqua eſſet imperfectio, maximè, quia hoc ex terminis repugnat. Sed hoc eſt falſum; ergo illud, ex quo ſequitur. Minor probatur primo; quia nulla involuitur implicatio in eo, quod detur relatio tranſcendentalis ad terminum impoſsibilem, vt conſtat in cognitione terminata ad chimeram, quæ ad illam tranſcendentaliter refertur; ergo neque implicat potentia productiva Hircocervi, quæ ſi repugnantia exuatur, poſsit ad actum reduci. Secundo; quia non implicat deſiderium boni non exiſtentis, quæ ad exiſtentiam terminetur: quæ tamen non datur, & multoties neque dari poteſt, cum impoſsibile, vt poſsibile apprehenſum deſideretur; ergo pariter. Tertio tandem explicatur minor exemplo: optimè ſtat, quod Sacerdos approbatus pro tota Eccleſia ad confeſsiones audiendas ex vi huius poteſtatis poſsit abſolvere Turcam, non abſolutè, ſed ſub conditione, quod fiat fidelis, ita vt nulla poteſta-

teſtate ſibi ſuperadditam illum abſolvere poſsit, præciſè per hoc, quod purificetur conditio; ergo ſimiliter ſtabit optimè Deum poſſe producere chimeram, non abſolutè, ſed ſub conditione poſsibilitatis illius.

62 Confirmatur primo: effectus poſsibilis æquè non eſt, atque chimera; ergo nequit Omnipotentia cum ipſo connecti. Antecedens ſupponitur ex dictis, & conſequentia probatur: id, quod de facto non eſt, etiamſi ſine repugnantia eſſet, eſt omninò impertinens ad hoc vt hic, & nunc aliud exiſtat: ſi enim non magis eſt quam chimera, nihil amplius poteſt præſtare in ſtatu poſsibilitatis, quam ipſa; ergo nequit Omnipotentia exiſtens cum effectus poſsibilitate connecti. Confirmatur ſecundo: cauſa non dependet ab exiſtentia effectus; ergo neque ab illius poſsibilitate. Conſequentia probatur: poſsibilitas intrinſeca, & exiſtentia ſunt omninò idem; ergo ſi non dependet ab exiſtentia effectus, neque ab eius intrinſeca poſsibilitate.

63 Hoc argumentum, quod magni æſtimant illius Authores, ex dictis facilem habet ſolutionem, eſtque negandum aſſumptum: iam enim aſsignavimus imperfectionem, & implicationem. Ad primam impugnationem conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: relatio enim tranſcendentalis cognitionis eſt ipſa cognitio, quæ ſi creata eſt, ad obiectum refertur, quapropter in relatione nullam agnoſcimus implicationem, ſicut neque in cognitione, quæ extendi poteſt ad poſsibile, & impoſsibile. In potentia autem conditionata plures aſsignavimus implicationes. Ad ſecundam eodem modo reſpondetur, ſcilicèt deſiderium ex ſe non afferre exiſtentiam obiecti, immò neque poſsibilitatem; ſufficit enim, quod obiectum apprehendatur vt bonum, vt voluntas, quæ potentia cæca eſt, in illud tendat.

64 Ad vltimam dicimus exemplum non eſſe ad rem, & in primis poteſtatem illam in Sacerdote eſſe imperfectam eo præciſè, quod illi poteſtati non ſubiacet purificatio conditionis; nemò non videt. Eſt etiam imperfectio, quod aliundè, & non ex ipſo eius poteſtas impediatur; quæ proindè imperfectiones ab Omnipotentia ſunt relegandæ. Inſuper poteſtas impedita ex aliqua ſuppoſitione contingenti, non ſubdita, neque auferibili ab habente poteſtatem licèt imperfecta ſit, non tamen implicat; ignis enim hic exiſtens poteſt comburere lignum Romæ exiſtens ſub conditione applicationis ab alio ponendæ; poteſtas tamen ad aliquid ſub conditione impoſsibili eſt poteſtas chimerica, & talis eſſet poteſtas ad impoſsibile.

65 Ad primam confirmationem conceſſo antecedenti in ſenſu explicato, nego conſequentiam, ad cuius probationem concedimus poſsibile in ſtatu poſsibilitatis nihil amplius poſſe præſtare per modum cauſæ, quam chimera: poſſe tamen ab ipſa Omnipotentia in ſtatu poſsibilitatis conſtitui, & ab ipſa denominari poſsibile, quamvis nihil ſit ſubiective, quia ad hanc denominationem non amplius requiritur, quam eſſe in potentia cauſæ: ratio eſt; quia cum eſſe aliquid poſsibile non ſit habere eſſe, ſed poſſe illud habere, non requiritur aliquid eſſe ſubiectivum, & in hoc ſenſu diximus Omnipotentiam cum poſsibilitate connecti, ſcilicèt, quatenus dari non poteſt Omnipotentia, quin poſsibilia ſint impotentia cauſæ; atqueadeò quin ſint poſsibilia: & argumentum inſtatur in futuro ſic: futurum tàm non eſt, quàm non futurum, cum vtrúque careat eſſe; ergo decretum non connectitur cum futuro, quia hoc nihil amplius poteſt præſtare ad exiſtentiam decreti, quam non futurum, quæ conſequentia nihil valet, quia ſcilicèt ex vi decreti conſtituitur in ſtatu futuritionis.

66 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, conceſſo antecedenti, ommittendo conſequens: nos enim dependentiam Omnipotentiæ à poſsibilibus non concedimus, quæ imperfectionem dicit, ſed ſolum connexionem; ſed quia Adverſarij dependentiam pro connexione, quamvis impropriè accipiunt, negatur conſequentia, ſumpta dependentia pro connexione. Ad probationem aliqui negant antecedens, & benè; quia poſsibilitas identificatur cum eſſentia rei, quæ in ſententia D. Thomæ ab exiſtentia realiter diſtinguitur. Sed nos hac ſolutione non vtimur: tùm quia argumenti ſolutio ab hac ſententia non dependet. Tùm quia, etiam in noſtra ſententia poteſt idem confici argumentum de eſſentia purè poſsibili, & de ipſa vt ſubiective habenti entitatem eſſentiæ pro priori ad exiſtentiam, & de ipſa exiſtentia vt exercite præſtante ſuum effectum, & vt poſsibili. Vndè omiſſo antecedenti, diſtinguo conſequens, ſi non dependet ab exiſtentia vt poſsibili, nec ab intrinſeca poſsibilitate vt poſsibili, concedo conſequentiam, ſi non dependeat ab exiſten-

DE LA PROPIEDAD INTELECT

tentia vt posibili, nec ab intrinseca posibilitate vt posibili, concedo consequentiam, si non dependeat ab existentia vt exercitè existenti, nec ab intrinseca posibilitate vt posibili, nego consequentiam. Itaque Omnipotentia, vt nostris terminis vtamur, eodem modo connectitur cum posibilitate intrinseca, atque cum existentia; cum illa connectitur, quatenus non potest dari Omnipotentia, quin creatura sit posibilis, quo etiam modo cum existentia connectitur; implicat enim Omnipotentia, quin existentia creaturæ sit posibilis; cum neutra autem vt subiectivè habita connectitur; potest enim esse Omnipotentia, quin creatura existat, & quin habeat subiectivè intrinsecam posibilitatem, quæ non habetur, nisi dum creatura existit.

67 Tandem contra hanc solutionem, & doctrinam arguitur; iuxta dicta Omnipotentia connectitur cum intrinseca posibilitate Petri, proùt à chimera distinguitur: sed hæc in statu posibilitatis solum à chimera distinguitur per hoc, quod est in potentia causæ; ergo solum cum illa connectitur proùt est in potentia causæ. Tunc sic; proùt sic est ipsa Omnipotentia; esse enim in potentia causæ est causam posse illum producere; ergo Omnipotentia solùm connectitur cum seipsa, non cum creatura ab illa distincta.

68 Confirmatur primò: Omnipotentiam connecti cum aliquo à se distincto est non posse esse sine illo; ergo connecti cum intrinseca posibilitate Petri est non posse esse sine illa. Ex quo duo inconvenientia inferuntur; primum, Omnipotentiam esse imperfectam; cum ad sui esse aliquo à se distincto indigeat. Secundum; intrinsecam posibilitatem Petri, proùt ab Omnipotentia distinctam, aliquod habere esse subiective, quod deficere non potest non deficiente Omnipotentia, quod stare non potest iuxta dicta.

69 Confirmatur secundo ex Div. Thoma infra quæst. 25. art. 3. illis verbis: *Ea verò, quæ contradictionem implicant, sub Divina Omnipotentia non continentur, quia non possunt habere posibilium rationem: vndè convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus non posit facere.* Ex quibus verbis sic arguitur. Iuxta D. Thom. ideò Deus non potest facere impossibilia, quin ipsa non habent posibilium rationem; ergo ex suppositione, quod haberent, posset illa producere. Secundo; convenientius dicitur ea non posse fieri, quam Deum non posse illa facere; ergo ex parte virtutis Divinæ sufficientia est ad illa producenda, si possent fieri. Deinde art. 4. sequenti ad 2. sic habet: *Sicut Deus quantum est ad perfectionem Divinæ potentiæ omnia potest, sed quædam non subiacent eius potestati, quia deficiunt à ratione posibilium, &c.* in quibus indicat, non esse defectum ex parte virtutis Divinæ, sed ex parte impossibilium.

70 Tandem adducitur Anselmus, lib. 2. cur Deus homo, cap. 17. illis verbis: *Quotiescumque dicitur, Deum non posse, nulla negatur in Deo potestas, sed insuperabilis signatur in ipso sapientia, & fortitudo; non enim aliud intelligitur, nisi quia nulla res potest efficere vt agat ille, quod negatur non posse, nam vsitata est huiusmodi multum loquutio, vt dicatur res aliquas non posse, non quia in illo, sed quia in illa re est impotentia; in quibus clarè docere videtur oppositam sententiam.*

71 Respondetur supponendo ex dictis, in statu posibilitatis duplicem posse assignari formam, quæ distinguat Petrum à chimera: prima est ipsa essentia Petri; secunda Omnipotentia; cum enim ab hac denominetur, & sit Petrus posibilis, quam denominationem chimera habere non potest, fit, vt etiam per Omnipotentiam distinguatur Petrus ab illa. Prima forma in statu posibilitatis non est aliquid subiectivè, vt sæpè diximus, sed solum posibiliter; atque adeò distinguit Petrum solum posibiliter: eo enim modo distinguit, quo est. Vndè in forma ommissa maiori, distinguo minorem, solùm distinguitur distinctione desumpta à forma, quæ de facto sit, concedo minorem, desumpta à forma, quæ posibiliter est, nego minorem, & distinguo consequens, ly *proùt* designante terminum connexionis, nego consequentiam, denotante radicem, in qua continetur, concedo consequentiam, & ommissa minori subsumpta, nego consequentiam; aliud enim est id, quod est in potentia causæ, & aliud ipsa potentia, seù continentia causæ; terminus connexionis est id, quod continetur in potentia causæ, non ipsa potentia, & licèt hoc nihil subiectivè sit, neque subiectivè habeat distinctionem ab Omnipotentia, vt sit terminus illius hoc non requiritur, sed sufficit si ab Omnipotentia posit habere, per quod ab ipsa, & à chimera subiectivè, distinguatur; cum enim Omnipotentia sit virtus, à qua omnia potest habere, vt eius terminet con-

connexionem, nihil in ipsa requiritur subiective habitum.

72 Ad confirmationem distinguatur antecedens, non posse esse sine illo in statu, in quo est terminus connexionis, concedo antecedens, extra statum illum, nego antecedens, & distinguatur consequens eodem modo: ex quo primum inconveniens non sequitur; non enim Omnipotentia indiget aliquo extrinseco, cum terminus connexionis, sine quo esse non potest, in statu, in quo terminat, nihil sit nisi solum possibiliter: neque secundum sequitur inconveniens propter eandem rationem.

73 Ad authoritatem Div. Thomæ respondetur, ly *quia* non esse rationem à priori, sed à posteriori, quæ optimè traditur: cum enim fateri teneamur, Deum esse Omnipotentem, & summe perfectum, nihil est potentiæ negandum, nisi ex parte obiecti appareat implicatio, cuius implicationis ratio à priori est ipsa Omnipotentia, quæ est primum ens, quod ad omnia necessario supponitur, & quo ablato nihil esset possibile, aut impossibile; per quod constat ad primum. Ad secundum dicimus, quod, vt rectè notavit Caietanus, voluit nos docere modum loquendi honestum, quia scilicèt, Deum non posse, videtur denotare defectum impotentiæ, & quia defectus non est, sed summa eius perfectio, quæ explicatur quoad nos per implicantiam termini, ideò convenienter dicitur ea non posse fieri; per quod explicatur Deum non posse ex summa eius perfectione. Per quod constat ad secundum eius testimonium. Anselmus non adducitur ad rem; ibi enim loquitur de impossibilitate, & necessitate orta ex divina voluntate, docetque, quod ex suppositione, quod Deus velit aliquid facere, non posse non facere non est impotentia, sed fortitudo: dato autem, quod loquatur de impossibili ex terminis, docet nos modum honestum loquendi, sicut Div. Thomas.

DVBIVM III.

Vtrùm Deus cognoscat creaturas in seipso tanquam in causa, & obiecto prius cognito?

§. I.

Aliqua supponuntur, & referuntur sententiæ.

1 CERTUM Est de fide Deum seipsum cognoscere; quod apertis testimonijs Scripturæ convincitur, & demonstravit D. Thomas in præsenti artic. 2. & 1. contra Gentes, cap. 47. & 48. quæst. 2. de Veritate, artic. 2. in 1. distinct. 35. quæst. 1. art. 1. & ratione facilè suadetur: Deus enim est summe cognoscibilis, quia summe immaterialis, & eadem ratione est infinite cognoscitivus; ergo seipsum cognoscit. Insuper beatitudo in Dei cognitione consistit, vel illam necessariò involuit; ergo cum Deus sit summe beatus, non potest seipsum non cognoscere. Idem colligitur manifestè; quia Deum seipsum cognoscere est perfectio sine imperfectione, & sui ignorantia maxima esset imperfectio.

2 Tandem alijs relictis probatur ratione D. Thomæ in hoc artic. 2. Intellectus, qui est omninò idem cum obiecto intelligibili, illud necessariò intelligit: sed intellectus divinus est omninò idem cum Deo, qui simplicissimus est; ergo seipsum necessariò intelligit. Maior constat; quia in tantum aliquid intelligitur, in quantum intellectus informatur specie illius, per quam quodammodo fit res intellecta; ergo si intellectus omnibus modis est idem cum obiecto intelligibili, necessariò illud intelligit. Minor verò probatur; quia intellectus divinus nunquam caret specie intelligibili, & ipsa species est intellectus divinus, & Dei essentia; & consequenter intellectus divinus est actus purus.

3 Contra hanc rationem sibi obijcit

Ca-

Caietanus in præsenti: intellectus Angeli in ordine ad cognitionem ipsius nunquam caret specie intelligibili, quia Angelus seipsum cognoscit per suam essentiam, & species intelligibilis est idem cum substantia intellectus Angeli; vt docetur communiter ex Div. Thoma infra quæst. 56. art. 1. & tamen intellectus Angeli non est actus purus, neque idem cum obiecto intellecto, cum à substantia Angeli realiter distinguatur; ergo ratio D. Thomæ nulla est.

4 Respondet Caietanus, quod D. Thom. in illa ratione nō loquitur de specie impressa, sed expressa, quæ est terminus intellectus, seù verbum, quod exprimit obiectum; vbi autem intellectus est idem cum specie expressa, & impressa, vniversaliter verum est esse idem cum obiecto intellectus. Contra quam solutionem objicit M. Bañez hoc art. 2. quod non videtur hæc doctrina ad mentem D. Thomæ, qui per speciem intelligibilem speciem impressam frequenter intelligit. Secundo; quia est inter Thomistas probabile Angelum in sui cognitione non formare verbum, in qua sententia species impressa, & expressa idem sunt cum substantia Angeli, quin illius intellectus idem sit cum obiecto, qui realiter distinguitur à substantia Angeli.

5 Hæc tamen non vrgent; non primum: nam vtraque species impressa, & expressa verè obtinet rationem speciei intelligibilis, & media vtraque intellectus fit quoddammodo res intellecta, imò perfectiori modo per expressam, quæ est illius expressa similitudo. Non secundum; quia quidquid sit de probabilitate illius sententiæ, est expressè contra D. Thomam 4. contra Gentes, cap. 11. illis verbis: *Perfectior igitur est intellectualis vita in Angelis, in quibus intellectus ad sui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori, sed per se cognoscit seipsum, non tamen ad vltimam perfectionem vita ipsorum pertingit, quia licèt in illis intentio intellecta sit eis omninò intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia, quia non est idem in eis intelligere, & esse.* Idem docet quæst. 9. de Potentia artic. 5. & quæst. 4. de Veritate art. 2.

6 Secundo ad argumentum respondetur cum M. Bañez, negando quod essentia Angeli, quæ est species in sui cognitione, sit idem realiter cum intellectu Angeli; quæ est expressa doctrina D. Thomę infra quæst. 54. art. 3. At in Deo Essentia Diuina, quæ est species intelligibilis formaliter est vnum cum divino intellectu etiam in esse intelligibili. Ex qua doctrina explicatur ratio D. Thomæ dupliciter: primò, asserendo ad intentum D. Thomæ sufficere identitatem intellectus cum obiecto, vt proximè intelligibili: ex quo rectè infertur Deum esse in actu primo proximo ad sui intellectionem, & consequenter seipsum intelligere; quæ etiam videtur explicatio Caietani. Secundo explicari potest asserendo, quod ex eo, quod intellectus divinus identificet speciem impressam, quæ est ipsa substantia Dei, rectè infertur identificare expressam, cum essentia Dei seipsa propter sui infinitatem vtrumque munus exerceat, quod in Angelo non contingit propter limitationem substantiæ eius. Tertio dici potest; quod intellectus divinus identificat adæquatam eius speciem, nimirum essentiam Dei; ex quo rectè infertur esse actum purum, & seipsum intelligere: intellectus autem Angeli non identificat speciem sui, & quamvis hæc semper illi adsit, non tamen est eius species adæquata.

7 Deindè supponendum est cum D. Thoma, Deum seipsum perfectissimè cognoscere cognitione comprehensiva; & facilè probatur eius ratione, quæ sic proponitur; tùm aliquod obiectum comprehenditur, quando cognoscitur quantum cognoscibile est; sed Deus seipsum cognoscit quantum cognoscibilis est; ergo seipsum comprehendit. Maior communiter recipitur à Theologis, & merito; tunc enim aliquid comprehenditur, quando sic cognoscitur quantum petit eius passiva cognoscibilitas. Minor verò etiam constat, quia cognoscibilitas Dei non potest perfectiorem cognitionem exigere, quam infinitam per essentiam; sed talis est cognitio, qua Deus seipsum cognoscit; ergo seipsum cognoscit quantum cognoscibilis est. Et quidem, vt supra dicebamus, tàm cognoscibilitas passiva, quàm activa Dei supra immaterialitatem, & actualitatem eandem fundantur; atque adeò vis activa cognoscitiva adæquat cognoscibilitatem Dei, quod, & non amplius ad comprehensionem requiritur.

8 Cui non obstat Deum in Scriptura dici incomprehensibilem, vt constat Ieremiæ 32. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*, quod de rigorosa comprehensione accipi debet ex communi sententia Theologorum, vno, vel altero excepto: sed id, quod aliquo intellectu comprehenditur, non potest dici incomprehensibile ab-

so-

ſolutè; cum abſolutè comprehenſibile ſit; ergo Deus non comprehendit ſeipſum. Non inquam obſtat: nam Deus dicitur incomprehenſibilis ad oſtendendum exceſſum eius comparativè ad intellectum creatum, ad quod ſufficit, quod à creatura comprehendi non poſsit, & non requiritur, quod à ſe non comprehendatur cognitione per eſſentiam infinita. Inſuper ad ſic interpretandam Scripturam cogimur; tùm, quia Deum ſeipſum comprehendere, ex ipſa clarè deducitur. Nam 1. Corinth. 2. dicitur: *Spiritus Dei ſcrutatur profunda Dei*; quæ verba de Spiritu Sancto, & de cognitione comprehenſiva intellexit D. Thom. ſuper Paulum. Tùm etiam, quia cum Scriptura, & ratione naturali conſtet, Deum eſſe infinitæ actualitatis, evidens eſt iuxtam rationem factam ſeipſum cognoſcere cognitione adæquante eius paſsivam intelligibilitatem; atqueadeò quando dicitur incomprehenſibilis intelligi debet comparative ad intellectum creatum.

9 Deindè ſupponendum eſt, Deum cognoſcere creaturas omnes tàm poſsibiles, quàm exiſtentes, quàm futuras, non ſolum ſecundum communem rationem entis, & inconfuſſo, ſed diſtinctè, & ſecundum rationes particulares. Contrarius error, quia art. 6. refertur à D. Thoma, tribuitur Averroi, 12. metaphiſicæ, textu 51. & aliqui exiſtimant in illum incidiſſe Ariſtotelem vbi proximè, eo quod docuerit intellectum divinum viliſsimum forè, ſi cognoſceret minutiſsima, quæ ſunt in hoc mundo; ſed Div. Thomas loco citato illum excuſat docens, ſolum intendiſſe Deum non exire extra ſe ad cognoſcendum ea, quæ ſunt in hoc vniverſo, ſed in ſeipſo illa cognoſcere; quod magnum habet fundamentum in Philoſopho, quia ipſe 3. metaphiſicæ textu 15. & 3. de Anima, textu 80. tanquam magnum abſurdum infert contra Empedoclem, quod Deus non cognoſcat, quod homines viſu percipiunt. Ab hoc tamen errore parum, aut nihil diſtat Aureolus apud Capreolum in 1. diſt. 35. queſt. 2. aſſerens cognitionem divinam non terminari ad creaturas, neque primario, neque ſecundario, ſed adæquatè ſiſtere in eſſentia Divina, quæ ſolum eminenter eſt creatura: aliqui tamen non ſine probabilitate ſententiam Aureoli benignè interpretantur determinatione immediata, quatenus Deus non extra ſe, ſed in ſeipſo eas cognoſcit.

10 Sed quidquid de hoc ſit, ſuppoſitum noſtrum eſt de fide, conſtatque ex Paulo ad Hæbreos 4. *Quod pertingit vſque ad diviſionem ſpiritus, & animæ, compaginamque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inviſibilis in conſpectu eius*, & alibi ſæpè; rationeque naturali convincitur. Circa quod graviter errare videtur Gabriel, diſt. 35. citata quæſt. 5. aſſerens hanc veritatem demonſtrari non poſſe; convincitur enim apertè, quia Dei cognitio non eſſet ſummè perfecta, ſi aliquid Deum lateret, quæ eſt ratio D. Thomæ art. 6. deducitur etiam, ex creatione, providentia, & gubernatione Dei: & vt alia omittamus, ſic proponitur ratio ex providentia, deſumpta; non ſtat providentia creaturarum abſque decreto productionis illarum: ſed hoc decretum non ſtat ſine cognitione prævia creaturarum; ergo non ſtat creaturarum providentia abſque illarum cognitione. Minor probatur: nam decretum eſt actus voluntatis Divinæ; ſed hic neceſſariò præſupponit cognitionem obiecti attingendi per actum voluntatis; ergo decretum productionis creaturarum cognitionem illarum præſupponit. Ex quo evidenter deducitur, Deum cognoſcere nedum creaturas exiſtentes, verùm etiam poſsibiles: nam cognitio creaturarum ad decretum præſuppoſita, ſolum terminatur ad creaturas poſsibiles, cum præcedat decretum, pro quo ſigno creatura ſolum eſt poſsibilis. Pro hac fidei veritate plures affert rationes D. Thom. 1. contra Gentes, à cap. 47. vſque ad 50. & 2. 2. quæſt. 1. art. 8. ad 2. illam reducit ad articulum creationis.

11 Sed contra illam obijcies, & primo contra rationem factam; ſcientia regulans decretum productivum creaturarum eſt ſcientia viſionis; hæc enim eſt cauſa rerum, & non ſcientia ſimplicis intelligentiæ; ſed ſcientia viſionis ſolum terminatur ad creaturas exiſtentes; ergo ſcientia præcedens decretum vt illius regula non terminatur ad creaturas poſsibiles; atqueadeò ex decreto productionis creaturarum neceſſario ad providentiam, ſolum infertur cognitio creaturarum exiſtentiam, non poſsibilium.

12 Reſpondetur diſtinguendo maiorem, cognitio regulans decretum exequtivum, concedo maiorem, intentivum, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguendum eſt illud conſequens eodem modo. Igitur ſcientia regulans decretum intentivum, ſeu primum actum voluntatis Divinæ erga creaturarum productionem eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ ſolum ad creaturam

turam possibilem terminatur, cum nullum præsupponat decretum: scientia autem visionis præcedit quidem decretum exequutivum, supponit tamen intentivum, qua ratione ad creaturas existentes terminatur; argumentum autem factum de prima scientia procedit.

13 Secundo arguitur; cognitio Spiritus Sancti regulans actum voluntatis, quo à Patre, & Filio procedit, præcedit talem actum, nullumque alium supponit: & tamen non terminatur ad Spiritum Sanctum vt possibilem, sed vt existentem; ergo etiamsi scientia regulans decretum intentivum illud præcedat, nullumque aliud supponat, potest terminari ad creaturas, non vt possibiles, sed vt existentes. Respondetur concessa maiori, & minori, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est, quod scientia præcedens decretum non connectitur cum illo, aut cum existentia creaturæ, sed potest componi cum vtriusque carentia; atque adeò à creaturæ existentia præscindit: cognitio autem regulans actum voluntatis, quo Spiritus Sanctus procedit, cum illo cõnectitur; atque adeò ad illum vt existentem terminatur, eo modo quo scientia visionis regulans decretum exequutivum, quia cum illo, & creatura connectitur, ad illam vt existentem terminatur.

14 Tertio arguitur ex Patrum authoritate, & primo ex Augustino lib. 83. quæstionum, quæst. 46. vbi sic ait: *Deus non extra se quicquam positum intuebatur, vt secundum id constitueret, quod constituebat, nam hoc opinari sacrilegum est*; ergo vt decernat creaturas, non intuetur aliquid extra se, sed precisè seipsum; & consequenter ad providentiam creaturarum, illarum cognitio non est necessaria. Secundo, & difficilius arguitur authoritate Hieronymi in Habacuc cap. 1. ad illa verba: *Mundi sunt oculi tui*; vbi sic habet; sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia, sic in cæteris animalibus generationem quidem, dispositionem, & ordinem, cursumque rerum intelligere possumus, verbi gratia quomodo nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis, quomodo reptilia, & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis: cæterum absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotvè moriantur, quæ cimicum, & pullicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus maiorum præ-

decedere debeat. Non simus tàm fatui adulatores, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos iniurioſi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes, ex quo liber ille apochriphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quendam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus, & in hanc similitudinem piscibus quoque, & arboribus, & bestijs vniversis: hucusque Hieronymus. Ex quibus deduci videtur non esse Deo concedendam omnium creaturarum claram, & distinctam cognitionem.

15 Ad primum aliqui cum Uazquez disp. 60. cap. 4. respondent, solum voluisse Augustinum Deum ad constituendum creaturas non respicere aliud exemplar externũ, ad cuius similitudinem creaturas efformet, vt rudibus pictoribus accidit, qui ante se positam figuram habent, vt eam imittentur, sed intra seipsum cogitasse quæ facturus erat, non quia suam essentiam solum aspiceret, ad cuius instar cętera faceret, sed quia intra seipsum habuit singularum rerum, quæ facturus erat distinctam notitiam. Sed præstat solutio D. Thomæ art. 5. ad 1. *Dicendum, quod verbum Augustini dicentis, quòd Deus nihil extra se intuetur, non est sic intelligendum, quasi nihil, quod sit extra se intuetur; sed quia id, quod est extra seipsum non intuetur, nisi in seipso, vt dictum est.*

16 Ad authoritatem Hieronymi respondet Uazquez in Commentario articuli 6. quod sententia Hieronymi non debet labefactare Catholicam veritatem, manifestè sentiens Hieronymum in illo fuisse errore; quod à Theologis communiter reprehenditur, vt non satis pium erga Maximum Doctorem. Alij sequuti Magistrum Sententiarum in 1. dist. 36. asserunt, Hieronymum solum negasse per singula momenta Deum novam scientiam habere de his, quæ denuò singulis momentis accidunt, sed omnia etiam minutissima abæterno simul cognoscere. Sed hæc interpretatio non videtur ad mentem Hieronymi: nam constituit discrimen inter homines, & creaturas irrationales: vndè eam scientiam negat Deo erga irrationalia, quam erga homines concedit; sed erga homines non habet singulis momentis novam scientiam; ergo non hanc, sed aliam erga irrationalia negat.

17 Melius ergo respondetur cum eodem Magistro vbi suprà illum interpretando eo modo, quo D. Thomas ibi quæst.

2.art.2.ad 8.interpretatur ipſum Habacuc; & infra quæſt.22.art.2.ad 5. D. Paulum 1. ad Corinth.9.ſcilicèt Hieronymũ ſolùm negaſſe erga minimas,& irrationales creaturas eandem providentiam Deum habere, atque erga homines;his enim, & præcepta dedit, Angelos ad cuſtodiam deſtinavit, & illos ad finem altiſsimum ordinavit, quod erga bruta non præſtat.Et hanc eſſe mentem Hieronym. conſtat ex eo,quod pluries Catholicã doctrinam docuit,vt videre eſt ad Epheſios 5.primæ adTheſalonicenſes 5.& ſuperMatthæum 6.& 10.vbi ſic habet; *quoniam ſi ſine Dei ſcientia parva quoque animalia non dericdunt, quantò magis homo.* Quod etiam convincit ipſe locus Habacuc, vbi ad verba relata, hæc præmiſerat; *dicunt quicquam fiat te fieri,hoc blaſphemum eſt, cum itaque tu ſis vniverſitatis rector,& dominus, te neceſſe eſt facere,quod ſine te fieri non poteſt*; vbi omnia ſubijci Divinæ providentiæ fatetur; & verba ipſa relata hoc indicant, quibus nos moner, nè ſic potentiam Dei ad ima detrahamus, vt nobis iniurioſi ſimus aſſerentes omnium eãdem habere providentiam; vbi fatetur ad omnia extendi potentiam Dei, & conſequẽter ſcientiam,non tamen eodem modo. Nec mirum debet eſſe ſic loquutum Hieronymũ, vt videatur ſcientiam denegare Deo erga minima; cum ipſe Prophęta ibi ſcientiam malorum Deo negare videatur,vt magis oſtenderet Deo mala non placere,vt interpretatur Hieronymus; ita ergo Doctor Maximus,vt ſpecialem tribuat Deo erga homines providentiam,ſic loquitur,vt videatur ſcientiam aliorum negare;qua etiam ratione, vt diximus, D.Thomas, interpretatur Paulum vbi ſupra.

18 His poſitis, circa modum, quo Deus cognoſcit creaturas poſsibiles, variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima affirmat Deum in ſeipſo tanquam in cauſa, & obiecto prius cognito creaturas poſsibiles cognoſcere.Hanc tenet Capreolus in 1.diſt. 35.quæſt.9.Ferrara 1. contra Gentes, cap. 48.Caietanus in præſenti art.5.& 6.Bañez, & Zumel in præſenti,quos ſequuntur Nazarius,Navarrete,Albelda,M.à S.Thoma, Salmanticenſes,& alij,qui apud hos videri poſſunt. Pro hac ſententia refert Scotum Rada, tomo 1.controv.29.& ex alijs eandem tenent ſententiam Molina artic. 5. Valencia, puncto 3.Suarez lib.3.deAttributis,cap.10. Ruiz,Granados,Herice,Albiz,& alij.Authores huius ſententiæ differunt in eo, quod alij aſſerunt Deum non aliter cognoſcere creaturas, niſi in ſeipſo tanquam in cauſa, & obiecto priùs cognito,quæ eſt ſententia Thomiſtarum. Plures alij extra Scholam D. Thomæ,præcipuèRecentiores vtroque modo aſſerunt Deum creaturas cognoſcere,nimirum,in ſeipſo tanquam in cauſa, & etiam immediatè in ſeipſis: inter quos etiam eſt differentia; alijs aſſerentibus creaturas in ſeipſis à Deo cognitas eſſe obiectum purè terminativum; alijs aſſerentibus eſſe etiam obiectivum motivum. Inter negantes connexionem Omnipotentiæ cum poſsibilibus etiam eſt differentia: alij hac connexione negata, neceſſario negandum eſſe affirmant Deum in ſeipſo, vt in cauſa,& obiecto priùs cognito creaturas poſsibles cognoſcere; alij verò vtrumque componunt, & Deum non connecti cum creaturis poſsibilibus, & in ſeipſo tanquam in cauſa illas cognoſcere.

19 Secunda ſententia extremè oppoſita negat Deum cognoſcere, creaturas in ſeipſo tanquam in cauſa, & obiecto priùs cognito: nè tamen videantur illius Authores PP. infra referendis opponi, affirmant Deum in ſeipſo tanquam in ſpecie expreſſa, ſeù verbo illas cognoſcere, quod revera non tollit quominus in ſeipſis immediatè cognoſcantur; quia apud Authores huius ſententiæ ſpecies expreſſa, & intellectio nullatenus diſtinguuntur, vel etiam ſi virtualiter diſtinguantur in Deo, ſpecies expreſſa vtrũque repræſentat immediatè, Deum, & creaturas, inter quas, & cognitionem nihil mediat terminans *vt quod* talem cognitionem; qualitet immediatè à nobis creaturæ cognoſcuntur, quamvis inter cognitionem, & creaturas mediet verbum,quo repræſentantur; cuius ſententiæ patronus eſt P.Vazquez diſp.60.cap.3.quem ſequuntur Alarcon, tract.2.diſp.2. Becanus, cap. 10. quæſt. 4. concluſione 2.& 3. Hurtado,diſp. 2. difficultate 2. Circa Divina prædicata,in quibus creaturæ cognoſcuntur, etiam ſunt variæ ſententiæ; alijs aſſerentibus cognoſci in Omnipotentia;alijs in idæis;alijs in omnibus prædicatis, quæ cum creaturis connectuntur.

§. II.

Statuitur prima concluſio.

20 DEUS Cognoſcit creaturas in ſeipſo tanquam in cauſa, & obiecto prius cognito. Hanc concluſionem docuit Div. Thomas hac quæſt. 14. artic. 5. & 6. & artic. 3. ad 1. Et quæſt. 15. ſequenti artic. 1. ad 3. & ſupra quæſt. 12. artic. 8. Et in 1. diſt. 35. quæſt. 1. artic. 3. & ad Annibaldum eodem lib. & diſtinct. artic. 5. quæſt. 3. de Veritate, artic. 3. ad 5. & ad Romanos, cap. 2. 1. contra Gentes, cap. 69. & 49. vbi ſic ait: *Colligendo igitur has duas concluſiones apparet, Deum cognoſcere ſeipſum quaſi primo, & per ſe notum, alia verò ſicut in eſſentia ſua viſa.* Illam probat D. Thomas vbi proximè authoritate Dioniſij 7. cap. de Divinis Nominibus, vbi noſtram expreſsè tradidiſſe concluſionem, teſtatur Angelicus Magiſter. Verba Dioniſij ſunt: *Non ex exiſtentibus exiſtentia dicens novit divina mens, ſed ſe ex ſeipſa ſecundum cauſam omnium ſcientiam, & cognitionem præhabet, non ſecundum viſionem ſingulis ſe immittens, ſed ſecundum vnam cauſæ continentiam omnia ſciens.* Et paulò infrà: *Divina ſapientia ſeipſam cognoſcens ſcit alia.* Et quæſt. 2. de Veritate, art. 4. ex eodem Dioniſio verba ſequentia refert: *Si ſecundum vnam cauſam Deus omnibus exiſtentibus eſſe tradidit, ſecundum eandem cauſam ſciet omnia.* Quod etiam expreſsit verbis à Vazquez relatis vbi ſupra cap. 4. quæ ſic habent: *Neque enim ea, quæ ſunt, ex his, quæ ſunt dicens novit divina mens, ſed ex ſe, & in ſe per cauſam rerum omnium cognitionem ſcientiam, eſſentiamque anticipatam, & ante comprehenſam habet, non quod per ſpeciem ſingula conſideret, ſed quod vno cauſæ complexu omnia ſciat.* Et paulò infrà: *Seipſam ergo cognoſcens divina ſapientia novit omnia.* Idem etiã docuit Auguſtinus vbi ſupra, aſſerens ſacrilegium eſſe aſſerere, quod Deus exeat extra ſe ad aliquid cognoſcendum. Similiter Ambroſ. in Symbolo, cap. 1. illis verbis: *Licèt omnia cæleſtia, & terreſtria, & minima quæque proſpiciat Deus, nihil tamen extra intelligere, ſed ſingula in ſe intueri dicitur.*

21 His teſtimonijs reſpondet Vazquez, ſolum iutendere PP. Deum ex ſeipſo, & non per ſpecies à rebus acceptas creaturas cognoſcere; non verò, quod in ſe tanquam in cauſa illas cognoſcat. Sed hęc interpretatio ad mentem Patrum non eſſe conſtat primo; quia inde probant, Deum non cognoſcere creaturas in ſeipſis immediatè, ſeù extra ſeipſum, quia illas cognoſcit in ſua eſſentia tanquam in cauſa prius cognita; ergo non ſolum intendunt, Deum non extra ſe cognoſcere creaturas, quatenus ab illis non accipit ſpecies; ſed quia in ſeipſo vt cauſa, & obiecto prius cognito illas cognoſcit. Secundò: nam Angelus non accipit ſpecies à rebus, ſed à Deo: & tamen de illo non verificatur res alias à ſe, non extra ſe, ſed in ſeipſo illas cognoſcere; ergo idem quod prius. Tertio: nam ſpecies impreſſa, de qua loquitur Vazquez, non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte principij ad cognitionem; ergo illam à rebus non accipere, non ſufficit vt in ſeipſo cognito res alias cognoſcat.

22 Neque aliquid iuvat, quod ab alijs additur, nempè Deum in ſeipſo vt in ſpeculo cognoſcitivo rerum omnium cognoſcere res in ſeipſo vt in cauſa, quia non aliter eſt cauſa rerum, quam per intellectum dirigentem ad productionem creaturarum, & per voluntatem decernentem. Non, inquam, iuvat: nam iuxta hos Authores non cognoſcit Deus creaturas in ſeipſo, tanquam in ſpeculo quaſi reflexe cognito, & tanquam in cauſa *vt quod* viſa, ſed illas in ſeipſo, vt in ſpeculo cognoſcere, ſolum eſt, quod Deus infinite intellectivus nequit non ſe extendere ad omnem veritatem: at hoc non eſt cognoſcere creaturas in cognitione infinita ipſarum, ſed per cognitionem infinitam ipſarum; nec eſt cognoſcere illas in cauſa, ſed per cognitionem, per quam cauſat; ergo hoc non iuvat ad ſalvandum mentem, & verba Patrum. Inſuper PP. non ſolum docent, Deum cognoſcere creaturas, quia eſt ipſarum cauſa, ſed quia ſe cognoſcit vt cauſam: at admiſſo, quod hæc interpretatio primum ſalvet, non tamen ſecundum; ergo inſufficiens omninò eſt.

23 Confirmatur: Dioniſius docet Deum, ſecundum vnicam cauſæ comprehenſionẽ omnia ſcire, & cõprehendere; inſuper quod

quod vnico cauſæ complexu omnia noſcit; quod ſeipſam cognoſcens Divina ſapientia novit omnia: at hæc non ſalvantur per hoc, quod Deus eadem cognitione ſe, & creaturas immediatè cognoſcat: ergo ad ſalvandum mentem Patrum, hoc eſt neceſſariò aſſerendum. Minor probatur: ſi ad verificandum quod vnico cauſæ complexu omnia noſcit, ſufficeret eadem cognitione ſe, & creaturas cognoſcere, etiam eſſet verum, quod vnico creaturarum complexu omnia novit; & quod ſecundum vnicam creaturarum comprehenſionem ſeipſum cognoſceret; cum hoc ſolùm denotet eandem eſſe cognitionem ſui, & creaturarum: & ſimiliter ſicut eſt verum, quod ſeipſam cognoſcens Divina ſapientia novit omnia, pariter eſſet verum, quod cognoſcens creaturas ſeipſam Divina ſapientia cognoſcit, cum eadem cognitione què immediatè ſe, & creaturas cognoſcat.

24 Secundo probatur concluſio ratione D. Thomæ in præſenti, artic. 6. non poteſt aliqua cauſa comprehendi, quin in illa, & ex vi cognitionis illius cognoſcantur effectus, quos continet; ſed Deus ſeipſum comprehendit, qui eſt cauſa continens omnes creaturas poſsibiles: ergo Deus ex vi cognitionis ſuæ, & in ſeipſo omnes illas cognoſcit, & conſequenter in ſeipſo tanquam in cauſa, & obiecto prius cognito creaturas poſsibiles cognoſcit, etiam ſecundum vltimas differentias, & ſecundum quod adinvicem diſtinguntur: cum etiam ſecundum hanc rationem in Deo tanquam in cauſa contineantur. Conſequentia tenet, minor eſt certa, & maior probatur; tunc aliquod obiectum comprehenditur, quando cognitio adæquat illius paſsivam cognoſcibilitatem, ſeù quando cognoſcitur quantum cognoſcibile eſt; ſed cauſa non cognoſcitur quantum cognoſcibilis eſt, neque eius cognitio paſsivam cauſæ cognoſcibilitatem adæquat, niſi in illa, & ex vi cognitionis illius cognoſcantur effectus in illa contenti: ergo non poteſt cognoſci comprehenſivè, niſi in illa, & ex vi cognitionis illius cognoſcantur effectus, quos continet. Maior eſt definitio comprehenſionis communiter recepta, minor verò probatur; quia cauſa poteſt movere ad cognoſcendum effectus in illa contentos, cum ſit ſufficiens medium obiectivum ad illos cognoſcendos; ergo non cognoſcitur quantum cognoſcibilis eſt, niſi cognoſcantur ex vi illius, *vt quod* cognitæ eius effectus.

25 Reſpondet Vazquez, quod vt cauſa vt obiectum moveat ad cognitionem effectuum, neceſſarium eſt, quod ad illos dicat habitudinem, ſeù relationem tranſcendentalem; & quia Deus, ſeù Omnipotentia hanc habitudinem non dicit, ideò quamvis vt cauſa perfectè cognoſcatur, neceſſarium non eſt, vt in ipſa cognoſcantur effectus.

Contra hanc tamen ſolutionem obſtat primo: quod vt in cauſa, & ex vi cognitionis illius, effectus cognoſcatur, non eſt neceſſaria habitudo ad effectum, ſed ſufficit continentia, & connexio cum illo; ſed hæc datur in Deo, vt dubio antecedenti vidimus: ergo in Deo vt cauſa, & ex vi cognitionis illius poſſunt effectus cognoſci. Maior probatur: nam quod cauſa cognita *vt quod* obiective repræſentet effectum, aut moveat ad illius cognitionem, non fundatur in cauſæ imperfectione, ſed in eius perfectione: ſed referri ad effectum, & ad illum tranſcendentaliter ordinari imperfectionis eſt cauſa, ſi ſtrictè relatio ſumatur: ergo non in hac fundatur, ſed in continentia, & connexione. Secundo, per ſpeciem impreſſam, per cognitionem, & per ſpeciem expreſſam Divinam, ſeù verbum repræſentantur creaturæ, iuxta Vazquez; & tamen non dicunt relationem, ſeù habitudinem ad creaturas: ergo eſſentia Divina, ſeù Omnipotentia poterit obiectivè repræſentare creaturas abſque aliqua relatione ad illas; non enim eſt aſsignabilis ratio, quare ad repræſentationem formalem non requiratur relatio, benè tamen ad repræſentationem obiectivam. Tertiò: Deus in eſſe entis, & phiſicè continet creaturas, & eſt potens illas producere abſque reſpectu reali ad illas: ergo etiam poterit illas continere repræſentative per modum obiecti abſque alio reſpectu.

26 Quartò: effectus movet obiectivè ad cognitionem cauſæ: ergo cauſa poteſt movere ad cognitionem effectus; ſi enim à cauſa dependere, in illaque contineri ſufficit in effectu, vt moveat ad cauſæ cognitionem, non eſt ratio quare continentia activa cauſæ, eiuſque cum effectu vt ab illa dependenti connexio, non ſit ſufficiens, vt moveat ad cognitionem effectus. Et explicatur vlteriùs; in effectu movente ad cognitionem cauſæ duo ſunt conſiderandi; & movere, & imperfectè movere: primum

habet ratione connexionis cum cauſa: ſecundum ratione dependentiæ, & inferioritatis ad illam; ſed cauſa, præcipuè prima, ſine dependentia, & inferioritate connectitur; ergo perfectiſsime movebit ad cognitionem effectus. Quapropter vt docet Auguſtinus lib. 22. de Civitate Dei: *Cognitio creaturæ in ſeipſa decoloratior eſt, quam cum in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte, per quam facta eſt.*

27 Tandem: ſi cauſa comprehenſive cognita non moveret ad ſuorum effectuum comprehenſionem, non eſſet neceſſarium ad comprehenſionem cauſæ illius effectus cognoſcere: ſed iuxta Vazquez vt divina eſſentia comprehendatur, neceſſarium eſt effectus in illa contentos cognoſcere; ergo cauſa comprehenſive cognita, movet, & eſt ſufficiens medium ad ſuorum effectuum cognitionem. Minor eſt Vazquez aſſerentis, quod vt aliquod obiectum comprehendatur, requiritur, quod ex vi cognitionis illius, ſeù per illius cognitionem cognoſcantur omnia, quæ ad ipſum formaliter pertinent, & ſimul omnia, quæ in ipſo eminenter, aut virtualiter continentur; qua ratione docet: beatos non comprehendere divinam eſſentiam. Maior autem probatur: nam obiecti comprehenſio ſolùm petit terminari ad illud ſecundum omnia, quæ in illo, & ex vi illius poſſunt cognoſci: nam ſufficit, quod obiecti cognoſcibilitatem adæquet, quod habetur per hoc, quod per cognitionem attingantur omnia, quæ ex vi obiecti comprehenſi poſſunt cognoſci; ſed ſi cauſa non poſsit movere ad ſuorum effectuum cognitionem, ex vi cognitionis cauſæ non poſſunt cognoſci effectus; ergo ad comprehenſionem cauſæ non requiritur, quod effectus in illa contenti cognoſcantur. Secundo probatur maior; quia creaturæ exiſtentes non poſſunt cognoſci ex vi cognitionis eſſentiæ Divinæ conſideratæ ſolùm ſecundum ſua prædicata eſſentialia, neque eſſentia Divina proùt ſic poteſt movere ad exiſtentium cognitionem, ad comprehenſionem eſſentiæ Divinæ non eſt neceſſaria cognitio creaturarum exiſtentium, ſeù futurarum; ergo ſi non poſſet eſſentia Divina movere ad cognitionem poſsibilium, non eſſet neceſſaria illorum cognitio ad comprehenſionem Divinæ eſſentiæ. De quo videatur Illuſtriſsimus Godoy, tomo 2. in 3. partem, quæſt. 10. tract. 8. diſp. 33. §. 1.

28 Ex his deducitur, Deum non cognoſcere creaturas in ſeipſo tanquam in obiecto prius cognito, niſi illas cognoſcat in ſeipſo tanquam in cauſa; neque enim Deus poteſt ad cognitionem creaturarum obiectivè movere, niſi ratione continentiæ illarum. Et probatur: continentia repræſentativa per modum obiecti fundatur in continentia eminentiali illarum per modum cauſæ: ergo Deus in ſeipſo tanquam in obiecto prius cognito non poteſt cognoſcere creaturas, niſi illas in ſeipſo tanquam in cauſa cognoſcat. Antecedens probatur: nam vis repræſentativa alterius per modum obiecti fundatur in ſimilitudine, vel in dependentia, vel in continentia eminentiali, aut virtuali: ſed Deus non poteſt repræſentare creaturas ratione ſimilitudinis, quæ in ipſo ad creaturas non datur, neque ratione dependentiæ, quæ releganda eſt à Deo: ergo ſolum ratione continentiæ creaturarum in ipſo, tanquam in cauſa.

29 Contra concluſionem arguitur primo: Deus non poteſt cognoſcere creaturas, niſi vt ſunt in ſe, aliàs falſa eſſet divina cognitio; at Deus non poteſt cognoſcere in ſeipſo creaturas poſsibiles vt ſunt in ſe: ergo in ſeipſo non poteſt illas cognoſcere. Minor probatur; creaturæ vt in Deo, non diſtinguuntur à Deo, in ſe autem ab illo diſtinguntur: ergo implicat cognoſcere illas in ſeipſo, & vt ſunt in ſe. Confirmatur, Deus non cognoſcit creaturas in ſeipſo, vt ab ipſo diſtinctas, neque vt indiſtinctas: ergo nullomodo cognoſcit illas in ſeipſo. Antecedens pro prima parte probatur: nam ante illarum exiſtentiam nondum habent eſſe diſtinctum à Deo: ergo non poſſunt vt diſtinctè cognoſci, aliàs aliter ac ſunt in ſe cognoſcerentur, & Deus falleretur. Pro ſecunda etiam parte probatur: nam ſi cognoſceret creaturas vt indiſtinctas ab ipſo, vel non cognoſceret illas ſecundum eſſe formale, vel falleretur divina cognitio, cum ſecundum eſſe formale non poſsint identificari cum Deo, quorum vtrumque eſt inconveniens.

30 Reſpondetur diſtinguendo maiorem, niſi vt ſunt in ſe, ly *vt* dicente rationem cognitam, concedo maiorem, ly *vt* reduplicante medium, *in quo* prius cognito attinguntur, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Ad probationem mi-

minoris distinguatur prima pars antecedentis, ly *vt* reduplicante formalitatem divinam, ratione cuius continentur in Deo, concedo antecedens, sumpto specificativè, & solum designante creaturas, quæ in Deo continentur, nego antecedens. Pro secunda etiam parte etiam distinguo antecedens, in se distinguntur positive, nego antecedens, negative, concedo antecedens: vel aliter, distinguntur possibiliter, concedo antecedens, actualiter, nego antecedens, & nego consequentiam in sensu explicato.

31 Confirmatio si quid probat est, quod Deus nullomodo cognoscit creaturas possibiles; sed ad hoc etiam inefficax est: respondetur enim distinguendo antecedens, vt à se distinctas negative, & possibiliter, nego antecedens, positive, & actualiter, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem primę partis antecedentis omisso antecedenti, distinguatur consequens vt supra. Neque exinde sequitur Deum falli: nam pro illo signo cognoscit Deus creaturas, & simul, quod pro illo non habent entitatem subiective, sed solum possibiliter, & quod pro illo non habent subiective entitatem, per quam subiective distinguantur à Deo; cognoscit insuper, quod potest illis communicari existentia, quæ si ipsis de facto communicetur, illas distinguet positive à Deo. Neque est necessarium, vt Deus cognoscat creaturas, quod ipsæ habeant esse, seù entitatem subiective, sed sufficit, quod possint habere, & quod in Deo, à quo possunt accipere esse, contineantur tanquam in causa; sic enim intelligitur intellectum trahere res ad se, scilicèt, quatenus ad illarum cognitionem non requiritur intrinseca in ipsis cognoscibilitas, sed sufficit extrinseca, quæ possibilibus convenit, quatenus in Omnipotentia continentur, suntque intelligibiles ratione intelligibilitatis divinæ, sicut possibiles ab Omnipotentia. Per quod patet ad secundę partis probationem.

32 Secundo arguitur: prius intelligitur in Deo scientia terminata ad creaturas, quam Omnipotentia, priusque Deus est cognoscens creaturas, quam potens illas producere; ergo Omnipotentia non potest esse medium, & obiectum, in quo Deus possibilia cognoscat. Antecedens probatur: nam Omnipotentia, vel est attributum distinctum ab intellectu, & voluntate, & illis posterius, vel est voluntas divina, vel aggregatum ex intellectu, & voluntate: sed omnia hæc præsupponunt scientiam Dei; ergo prius intelligitur scientia possibilium, quam Omnipotentia. Consequentia verò probatur: nam obiectum determinans cognitionem, seù movens ad alicuius notitiam, talem notitiam præcedit; ergo si Omnipotentia consequitur ad scientiam possibilium, supponitque Deum cognoscentem creaturas, non potest esse medium, in quo cognito creaturæ cognoscantur.

33 Confirmatur primò: Deus constituitur proximè potens producere creaturas per scientiam ipsarum, vt possibilium; ergo potius scientia possibilitatis præcedit ad posse divinum, quam è contra. Confirmatur secundo: creatura intellectualis plura cognoscit, quæ efficere non potest; ergo Deus cognoscit creaturas possibiles independenter ab eo, quod sit illarum causa, & præcisè, quia infinitè intellectivus est.

34 Huic argumento, quod est præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ, variis modis satis faciunt Authores nostræ sententiæ: aliqui asserunt, quod licèt Omnipotentia sit posterior scientia', quapropter in ipsa non potest Deus cognoscere creaturas, cognoscit tamen illas in sua essentia, quę scientiam, & Omnipotentiam præcedit, & est sufficiens medium ad creaturarum cognitionem, quia illas vt perfectissima causa continet.

35 Sed hæc solutio licèt sufficiens sit ad salvandum Deum in seipso tanquam in causa cognoscere creaturas; non tamen omninò placet, quia quodlibet attributum contentivum creaturarum est medium sufficiens ad illarum cognitionem, & de facto ab eo comprehendi non potest, nisi in eo cognoscat creaturas possibiles, iuxta superius dicta: quapropter D. Thomas, quæst. 2. de Veritate art. 8. docet Deum cognoscere creaturas in sua bonitate, & alibi sæpè docet illas cognoscere in idęis, quia, scilicèt, bonitas est causa finalis, & idea causa exemplaris creaturarũ. Ex quibus colligitur sentire, non solum in essentia, sed in quolibet attributo, quod sit creaturarum causa, Deum illas cognoscere; atq; adeò cum Omnipotentia sit virtus proximè illarum effectiva, in Omnipotentia debet cognoscere creaturas. Deindè D. Thom. vbi proximè docet, Deũ cognoscere creaturas in sua potentia, quia nihil est quod ipse non

poſsit: ſed D.Thomas potentiam Dei nunquam pro eſſentia, ſeù natura, vt ab Omnipotentia diſtincta vſurpavit; ergo ſentit in Omnipotentia omnia cognoſcere.

36 Secundo alij reſpondent Omnipotentiam etiam formaliter ſumptam præcedere ſcientiam, ſivè ſit attributum ab intellectu,& voluntate virtualiter diſtinctum, illiſque poſterius, ſivè ſit ipſa voluntas, aut agregatum ex intellectu,& voluntate; & rationem aſsignāt; quia licèt intellectus ſumptus quaſi in actu primo præcedat voluntatem,& Omnipotentiam etiam in actu primo conſideratam,non eſt neceſſarium,quod actus ſecundus intelligendi præcedat voluntatem,& Omnipotentiam; vt videre eſt in nobis, in quibus intellectus præcedit voluntatem, non tamen intellectio, licèt verum ſit, quod actus ſecundi harum potentiarum ſervent eundem ordinem, atque ipſæ potentiæ; quapropter ſicut intellectus præcedit voluntatem, intellectio præcedit volitionem: ſic ergo in Deo ſcientia actualis præcedit volitionem,& actum ſecundum Omnipotentiæ, non tamen voluntatem, nec ipſam Omnipotentiam.

37 Hæc etiam ſolutio non videtur ſufficiens: Primo, quia tenentur aſſerere illius Authores Deum in nullo attributo ſubſequuto ad ſcientiam actualem videre creaturas,quamvis in ipſo contineantur; quod tamen falſum eſt, vt vidimus. Secundo non placet; quia creaturæ non ſolum continentur in Omnipotentia, ſed in ipſa in actu ſecundo conſiderata: nam eius actus ſecundus, quamvis ab illa virtualiter diſtinguatur, non tamen realiter; eſtque in Deo ita neceſſarius, ſicuti ipſa Omnipotentia, quāvis non quoad denominationem actualiter producentis, eſtque influxus in creaturas ſicut ipſa Omnipotentia; ergo vel Deus non cognoſcit creaturas in omni attributo contentivo illarum, quod impoſsibile eſt, ſicūt & quod ſit aliquod attributum à Deo non comprehenſum, vel Deus cognoſcit creaturas in attributo ſubſequuto ad ſcientiam, nimirum in actu ſecundo Omnipotentiæ, qui ad ſcientiam ſubſequitur, vt fatentur. Tertiò;quia licèt in nobis actus ſecundi, qui ſunt accidentia communia non ſupponantur ad potentias, quæ ſunt proprietates, non licèt inferre actum ſecundum in Deo non præcedere attributum per modum actus primi, quia actus ſecundus eſt etiam attributum Deo neceſſarium, adeò vt ipſa actualis ſcientia Dei ſit iuxta plures ipſa natura diuina,& primum prædicatum Dei. Ex quo quarto reijcitur hæc ſolutio: nam ſi verum eſt, quod intellectio Dei eſt ipſa natura divina formaliter conſtitutivè, præcedit Omnipotentiam, quæ eſt attributum: & tamen in Omnipotentia cognoſcit creaturas poſsibiles, cum intellectio conſtituens naturam divinam ſit comprehenſiva Dei; ergo ſaltem in hac ſententia fatendum eſt Deum cognoſcere creaturas in attributo ſubſequuto ad illam. Tandem; quia in relata ſententia natura divina, in qua Deus cognoſcit poſsibilia non præcedit cognitionem, cum ab illa ſit omninò indiſtincta; ergo non eſt neceſſarium, quod obiectum in quo aliud cognoſcitur præcedat cognitionem.

38 Tertio alij reſpondent duplicem diſtinguendo cognitionem virtualiter diſtinctam: prima pertinet ad lumen primorum principiorum: ſecunda eſt cognitio ſcientifica attributorum; quę in eo conveniunt, quod vtriuſque adæquatum motivum eſt natura divina, vt ab attributis diſtincta, & per vtranque cognoſcuntur creaturę: diſcriminantur tamen in eo, quod reſpectu primæ attributa ſunt obiectum merè materiale; reſpectu ſecundæ ſunt obiectum formale *quod*, quibus poſitis ad argumentum, ſi de prima cognitione ſit ſermo, reſpondetur concedendo ſcientiam præcedere ad Omnipotentiam, quod non obeſt, quominus in ipſa poſsit attingere creaturas, quia Omnipotentia ad primam cognitionem cōparatur vt obiectum ſecundarium,quod non eſt neceſſarium præcedere cognitionem: ſi verò de ſecunda cognitione ſit ſermo, aſſerunt, quod cum hæc reſpiciat Omnipotentiam tanquam obiectum formale *quod*, & primarium, debet præcedere cognitionem in genere cauſæ obiectivæ virtualis, quod ſufficit, vt in ipſa tanquam in obiecto formali poſsit cognoſcere creaturas; non tamen obſtat, quominus hęc eadem cognitio præcedat Omnipotentiam in alio genere cauſæ.

39 Sed quidquid ſit de diſtinctione harum cognitionum,& obiecto formali illarum, pro ſolutione ſufficiat, quod etiam ſi ſcientia præcedat Omnipotentiam, in ipſa poteſt cognoſcere creaturas: nam ſicut non obſtante hac præcedentia Omnipotentia perfectiſsime cognoſcitur, poterit eſſe medium in quo creaturæ cognoſcantur; non enim magis requiritur præcedentia in medio cognitionis, quam in obiecto cognito; ergo ſi præcedentia non obeſt, quominus

Om-

Omnipotentia sit perfectissime cognita, non obstabit, vt in ipsa tanquam in medio creaturæ cognoscantur. Neque est necessarium obiectum formale *quod*, etiam primarium præcedere cognitionem, vt constat in sententia relata constituente naturam divinam in actuali intellectione, cuius obiectum primarium ipsam non præcedit; non enim præcedit naturam, quæ ab intellectione virtualiter non distinguitur; non attributa, quæ naturam consequuntur, & nullo modo illam præcedunt; ergo etiamsi obiectum primarium cuiuslibet cognitionis divinæ sint omnia, quæ reperiuntur in Deo, vt aliqui probabiliter volunt, non est necessarium, quod omnia præcedant cognitionem, nisi solum quantum ad modum significandi, qualiter cognitio vt obiectum sui ipsius seipsam præcedit.

40 Vnde resolutorie dicimus, vel quod obiectum non necessariò præcedit cognitionem, nisi ex modo significandi, vt constat in cognitione divina seipsam habente pro obiecto, quæ præcedentia non repugnat Omnipotentiæ, quamvis ex alio capite sit consequens ad scientiam; vel quod etiamsi requiratur præcedentia hæc, convenit Omnipotentiæ respectu scientiæ, quamvis illa sit posterior in alio genere causæ. Et argumentum habet manifestam instantiam iam adductam; negari enim non potest esse obiectum cognitionis divinæ, quod eandem habet difficultatem, atque esse medium, in quo creaturæ cognoscantur. Deindè instatur in sententia communi asserente Verbum procedere ex cognitione Spiritus Sancti, in qua propriori originis, in quo procedit Verbum, nondum intelligitur Spiritum Sanctum procedere, cum eius processio sit origine posterior processione Verbi: & tamen pro priori processionis Verbi cognoscitur Spiritus Sanctus; similiter ergo poterit Omnipotentia terminare cognitionem pro signo, pro quo nondum intelligitur dimanans virtualiter à Deo. Per quod constat ad primam confirmationem. Ad secundam concesso antecedenti, omittendum est consequens, quod licèt falsum sit, & ex antecedenti non inferatur, contra conclusionem non est, in qua solum asserimus Deum in seipso tanquam in causa cognoscere creaturas, non tamen in illa negatur in seipsis illas cognoscere.

41 Ex quibus infertur in quo sensu sit vera hæc propositio, quia Deus cognoscit creaturas, potest illas producere; verificatur enim, quia scientia est attributum, ex quo à priori infertur Omnipotentia, si ab ipsa scientia distinguatur: est insuper vera, quia scientia complet per modum dirigentis Omnipotentiam, quæ est virtus effectiva. Si autem Omnipotentia à scientia non distinguatur, est vera, quia in illa sententia distinguendus est in scientia triplex conceptus, scilicèt contemplationis, practicæ directionis, & virtutis exequutivæ, & sub hoc vltimo conceptu est Omnipotentia; & quia in scientia prior, & secundus conceptus præcedit tertium nostro modo intelligendi, vera est prædicta propositio. Infertur secundo, in quo sensu verum sit Deum scire creaturas, quia est Omnipotens; est enim verum, primo, si Omnipotentia radicaliter summatur: secundo, si Omnipotentia obiectivè præcedat per virtualem causalitatem: tertiò etiam est verum, si ex modo concipiendi præcedat, eo modo quo, vt supra dicebamus, ipsa scientia vt obiectum sui secundum modum intelligendi seipsam præcedit.

42 Infertur tertio Deum cognoscere creaturas in omni attributo, quod est causa illarum; quia cum quodlibet comprehendatur à Deo, in quolibet debent cognosci eius effectus. Vt autem creaturæ comprehendantur, probabile videtur esse necessarium creaturas cognoscere in omni attributo, quod est illarum causa; & ratio est, quia creaturæ non solum dependent à Deo in genere causæ efficientis, sed in alijs generibus; ergo vt earum dependentia perfectè cognoscatur; in omnibus attributis, à quibus in alijs generibus dependent, cognosci debent. Est tamen probabile hoc non esse necessarium, sed sufficere ad creaturarum comprehensionem illas in Omnipotentia, verbi gratia, cognoscere; & ratio est: nam Omnipotentia illas perfectissime continet, & ex parte creaturæ nulla est formalitas, aut dependentia non contenta in genere causæ efficientis in Omnipotentia.

43 Infertur quarto, quod si scientia sub primo eius conceptu est causa creaturarum, vel quia constituit naturam divinam, vel quia sub illo conceptu est formaliter Omnipotentia, vel quavis alia ratione, verum est Deum in sua scientia cognoscere creaturas; & ratio est, quia scientia cum Omni proprietate est obiectum sui ipsius, & perfectissime seipsam cognoscit, sicut quodlibet aliud attributum; ergo si ipsa est causa creaturarum, in seipsa cognoscit creaturas. Consequentia probatur; tum quia seipsam com-

comprehendit ; tùm etiam, quia non minor requiritur diſtinctio obiecti à cognitione, quam medij, in quo cognoſcuntur ; ſed abſque aliqua diſtinctione ſcientia eſt obiectum ſui ipſius : ergo medium, in quo Deus creaturas cognoſcit.

§. III.

Statuitur ſecunda concluſio.

44 SI Omnipotentia ſit abſoluta à connexione cum poſsibilitate creaturarum, non eſt medium obiectivum ſufficiens, vt Deus cognoſcat rerum poſsibilitatem. Hæc concluſio eſt contra aliquos Recentiores, qui negantes connexionem Omnipotentiæ cum poſsibilibus, defendunt Deum in ipſa poſsibilia cognoſcere : & probatur ; medium æqualiter indifferens ad vtramque partem contradictionis, nequit eſſe ratio obiectiva ad aſſentiendum vni parti determinatæ præ alia : ſed iuxta ſententiam ſuppoſitam Omnipotentia eſt æqualiter indifferens ad poſsibilitatem creaturarum, & poſsibilitatis carentiam ; ergo nequit eſſe medium ſufficiens ad illarum cognitionem.

45 Confirmatur primo : indifferens ad vtramque partem contradictionis proùt ſic, non ſuadet intellectui vnam præ altera ; ergo Omnipotentia indifferens ad poſsibilitatem, & eius carentiam, non potiùs ſuadet poſsibilitatem creaturæ, quam oppoſitum ; atque adeò, neque obiectivè movere poteſt ad cognoſcendum poſsibilitatem creaturarum. Inſuper movens obiectivè ad aſſentiendum poſsibilitati prudenter aſſummitur ad illam ſuadendum : id autem, quod indifferens eſt ad vtramque partem contradictionis, ineptè aſſummitur ad vnam determinatè ſuadendam ; ergo idem quod prius.

46 Confirmatur ſecundo : perfecta comprehenſio Omnipotentiæ duo petit ; primo perfectè cognoſci omnia intrinſeca ipſius ; ſecundo, quod in illa appareant, & videantur illa, quæ ſi non viderentur, inferretur non eſſe perfectè, & exactè cognitam Omnipotentiam : ſed in ſuppoſitione facta omnia intrinſeca cognoſcerentur, & ex eo, quod creaturæ poſsibiles non apparerent, aut viderentur, non inferretur non eſſe exactè, & perfectiſsimè cognitam Omnipotentiam ; ergo in ſuppoſitione facta, quantumvis perfectiſsimè cognoſceretur, non inferretur, in illa cognoſci creaturas, neque ex defectu cognitionis illarum concluderetur non eſſe perfectè cognitam. Minor pro prima parte conſtat : nam poſita poſsibilitate Petri non habet aliquid entitative Omnipotentia, quod non haberet illa deficiente ; ergo ſi deficiente poſsibilitate Petri, hac non cognita perfectè cognoſceretur Omnipotentia quoad intrinſeca, pariter poſita Petri poſsibilitate. Pro ſecunda parte etiam conſtat ; tùm quia deficiente poſsibilitate Petri, æquè perfectè cognoſceretur Omnipotentia, atque modo, etiamſi tunc Petri poſsibilitas non cognoſceretur ; ergo ipſa poſita ſine illius cognitione æquè perfectè maneret cognita. Tùm etiam : nam quod ex vi cognitionis Omnipotentiæ indifferentis ad poſsibilitatem, & impoſsibilitatem Petri non cognoſcatur determinatè poſsibilitas, non infert minus perfectè eſſe cognitam Omnipotentiam, ſed ſolum quod ex ſe Omnipotentia eſt indifferens ad poſsibilitatem, & impoſsibilitatem ; ſed etiam data poſsibilitate Petri, Omnipotentia eſt indifferens ; ergo etiam tunc ex vi Omnipotentiæ non cognoſci Petri poſsibilitatem, non arguit minus perfectè eſſe cognitam.

47 Hac ratione probamus contra P. Molinam, Deum in voluntate creata indifferenti ad conſenſum, & diſſenſum, non cognoſcere vnum determinatè præ alio, quantumvis ſuper comprehendatur, potiuſque ex perfectiſsima voluntatis comprehenſione ſolum inferri perfectiori modo indifferentiam cognoſci, & nihil determinatè ex vi illius poſſe inferri.

48 Dices : ex hoc ſolum concludi Deum ex vi cognitionis Omnipotentiæ non poſſe iudicare quænam creatura poſsibilis ſit ; non tamen infertur, illas non cognoſcere apprehenſive : nam cum in Omnipotentia contineantur, illa perfecte cognita non poſſunt non cognoſci ſaltim apprehenſive : quod explicatur exemplo adducto voluntatis creatæ, in qua indifferenti licèt Deus non cognoſcat futurum conſenſum præ diſſenſu, ex vi tamen cognitionis illius vtrumque cognoſcit ſecundum ſuam quidditatem, licèt non vt futurum.

Sed

49 Sed contrà est primò: quia si Deus ex vi cognitionis Omnipotentiæ cognoscit quidditatem Petri, quæ in ipsa continetur, eius Omnipotentia, & cognitio cõnectuntur cum huiusmodi quidditate: sed eius quidditas est omninò indistincta ab intrinseca possibilitate; ergo etiam cum hac connectitur; & consequenter non stat Deum in Omnipotentia cognoscere quidditatem Petri, etiam apprehensive sine connexione Omnipotentiæ cum intrinseca possibilitate Petri. Secundò: eo ipso, quod Deus in Omnipotentia cognoscat quidditatem Petri, & eius intrinsecam possibilitatem, quæ vt diximus, indistincta est ab eius quidditate, debet etiam cognoscere Petrum esse possibilem; hoc enim est de eius essentia, & totum hoc in Omnipotentia continetur; ergo non solùm debet cognoscere apprehensive quidditatem, sed iudicare Petrum esse possibilem. Quod vlteriùs explicatur; quia quidditas in Omnipotentia continetur, in illa cognoscit Petri quidditatem; sed etiam perfectissime continetur Petrum esse possibilem; & eius discretio ab impossibili, cum hæc sit de eius essentia; ergo ex vi cognitionis Omnipotentiæ totum hoc debet cognoscere, & iudicare Petrum esse possibilem, si ex vi Omnipotentiæ aliquid cognoscitur; & consequenter cum ex vi cognitionis Omnipotentiæ non possit iudicare Petrum esse possibilem, nequit ex vi illius aliquid cognoscere, semel negata connexione Omnipotentiæ cum creaturarum possibilitate.

50 Explicatur secundò: si semel Deus cognoscit quidditatem Petri, non potest ex vi huius cognitionis non cognoscere per assensum esse animal rationale; ergo neque potest non cognoscere per assensum esse possibilem. Consequentia constat; quia tàm possibilitas, quàm rationalitas sunt prædicata essentialia illius. Antecedens probatur; quia in voluntate prædeterminata ad consensum, non solùm continetur futuritio, sed esse futurum consensum, in illa Deus cognoscit, non solùm futuritionem consensus apprehensive, & per modum quidditatis, sed consensum esse futurũ; sed in Omnipotentia continetur non solùm quidditas Petri, sed Petrum esse animal rationale, & possibilem; ergo non solùm cognoscit quidditatem Petri apprehensive, sed esse animal rationale, & esse possibilem.

51 Tandem: homo, cognoscens quidditatem Petri solum apprehensivè, habet sufficiens fundamentum, vt formet hoc iudicium: *Petrus est animal rationale*; ergo si Deus ex vi cognitionis Omnipotentiæ cognoscit quidditatem Petri, ex vi illius sufficiens habet fundamentum ad iudicandum esse animal rationale, & esse possibilem; atqueadeò Omnipotentia cognita comprehensive sufficiens est fundamentum ad iudicandum Petrum esse possibilem, si se mel sufficit, vt eius quidditas cognoscatur; inconsequenter ergo asseritur in Omnipotentia cognosci quidditatem Petri, non tamen Deum iudicare esse possibilem.

52 Dices secundo: quod licèt Omnipotentia secundum entitatem non connectatur cum possibilibus, connectitur tamen secundum denominationem, seù terminationem potentis illa producere, quæ intrinseca est, & quæ stare non potest sine possibilitate creaturarum, & deficeret sine defectu entitatis Omnipotentiæ, si deficerent possibilia; atqueadeò in Omnipotentia cognita secundum hanc terminationem, possunt possibilia cognosci. Sed hoc nihil obest: nam conclusio nostra procedit de cognitione Omnipotentiæ secundum suam entitatem, secundum quam indifferens supponitur ad possibilitatem, & eius carẽtiam. Quid autem sit dicendum de illa cognita secundum terminationem, seù denominationem potentis, statim constabit.

53 Contra hanc conclusionem obijciunt Recentiores primo: comprehensio Omnipotentiæ posita possibilitate Petri; v.g. necessariò attingit Petrum esse possibilem; sed Omnipotentia movet sufficienter ad suã comprehensionem; ergo sufficienter movet ad cognoscendam Petri possibilitatem, hac suppositа. Maior probatur: comprehensio Omnipotentiæ necessariò attingit quidquid ad ipsam pertinet; sed ad illam pertinet possibilitas Petri, ex suppositione quod detur; ergo comprehensio Omnipotentiæ illam attingit. Et confirmatur. Etiamsi Deus non sit connexus cum existentia Petri; ex suppositione tamen, quod Petrus sit, Deus seipsum comprehendens non potest non cognoscere existentiam Petri; ergo etiamsi non connectatur cum possibilitate creaturarum, hac suppositа non potest ex vi comprehensionis suæ non cognoscere creaturas possibiles.

54 Respondetur distinguendo maiorem, ex vi comprehensionis Omnipotentiæ, nego maiorem; quia talis cognitio est infinita, & ratione infinitatis petit attingere quidquid cognoscibile est, admitto maiorem, & concessa minori, nego consequentiam;

tiam, & ad probationem distinguo maiorem, quidquid ad ipsam pertinet formaliter, vel connexivè, concedo maiorem, aliter, nego maiorem, vel illam subdistinguo, attingit necessario, titulo cõprehensionis, nego maiorem, titulo infinitatis, transeat maior, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam, vel distinguatur consequens iuxta dicta. Ad confirmationem, distinguo antecedens, ex vi comprehensionis entitatis Omnipotentiæ, nego antecedens, ex vi cõprehensionis ipsius, vt determinatæ per decretum, & connexę prout sic cum existentia Petri, concedo antecedens, & nego consequentiam.

55 Sed dices: etiam ex suppositione possibilitatis Petri Deus est absolutè potens illum producere, quæ denominatio intrinseca est, & connexa cum possibilitate Petri: ergo ex illa suppositione ex vi comprehensionis Omnipotentiæ vt affectæ tali denominatione, seù terminatione cognoscet Deus possibilitatem Petri. Ad hanc instantiam concedenda est consequentia, supposito quod denominatio potentis sit adæquatè intrinseca: est tamen advertendum, quod ex vi huius terminationis non potest creatura quidditativè, aut comprehensivè cognosci: nam licèt sit connexa cum possibilitate creaturę, cum non addat perfectionem ad Omnipotentiam ratione sui, & vt ab Omnipotentia distinguitur, non potest continere per modum causæ creaturam; atqueadeò non est medium sufficiens, vt in ipsa comprehendatur creatura; quamvis enim medium connexum cum termino, sufficienter moveat ad termini cognitionem, non tamen ad eius perfectam cognitionem, si terminum non contineat; quapropter effectus non movet ad perfectam cognitionem causæ.

56 Quod si in Omnipotentia, vt ab hac terminatione præscindente, continetur Petrus, v.g. non ex vi terminationis superadditæ, sed ex vi Omnipotentiæ cognoscetur; quia continentia non potest non esse connexa, neque terminatio distincta necessaria est. Vnde sententia, quam supponimus implicatoria involuit, vt etiam ex hac parte eius falsitas appareat; si enim Omnipotentia ratione suæ entitatis continet Petrum, ratione huius continentiæ potest movere ad cognitionem Petri, in quo cognitio attingit prædicata nullam involuentia contradictionem, atq; adeò cognoscit Petri possibilitatẽ: si autem Omnipotentia ratione suæ entitatis non continet Petrum, non potest non continere ratione terminationis; atqueadeò terminatio debet ratione sui dicere perfectionem, & ex defectu possibilitatis creaturæ aliqua perfectio deficeret, nimirum continentia; quod idem inconveniens est, atque deficere Omnipotentiam.

57 Ex quibus iam constat differentia inter decretum, & prædicata necessaria ex vna parte, & terminationem, de qua loquimur, & Omnipotentiam ex alia: nam licèt determinatio decreti non contineat entitatem, & existentiam Petri ratione sui, vtrùmque continet ratione prædicati necessarij, nihilque in Petro existenti datur, quod in Deo tanquam in causa non contineatur. Vndè comprehenso Deo quoad entitatem omnia comprehenduntur, & determinatis per decretum prædicatis necessarijs, sunt medium continens, & connexum cum existentia Petri; atqueadeò sufficiens, vt in illo Deus cognoscat Petrum existere: at verò si determinatio Omnipotentiæ, qua connectitur cum possibilibus ratione sui non continet, vt debent Aduersarij fateri, vt ex dictis colligitur, & ex alio capite non possit supponere continentiam, aliàs connexionem supponeret, fit, vt in Omnipotentia connexa ratione terminationis non possint creaturæ comprehendi. Ex quibus etiam colligitur, qua ratione licèt in voluntate creata indifferenti possit Deus cognoscere consensum quoad quidditatem, licèt non quoad futuritionem; non tamen in Omnipotentia indifferenti: & ratio discriminis est, quod voluntas indifferens ad futuritionem consensus, & eius carentiam, est determinata ad possibilitatem consensus, & cum illa connectitur: Omnipotentia autem supponitur indifferens ad possibilitatem.

58 Tandem obijcies: quamvis Omnipotentia sit inconnexa cum possibilitate creaturæ, est tamen virtus conditionata ad illam producendam, scilicèt, sub conditione, quod non implicet; sed implicat perfectè cognoscere virtutem conditionatam ad producendum Petrum, v.g. sub conditione, quod sit possibilis, quin ex vi cognitionis illius cognoscatur Petrus; implicatque cognosci Petrum, quin in ipso appareat eius possibilitas, sicut & rationalitas, vt diximus: ergo implicat Deum perfectè cognoscere Omnipotentiam, quæ est virtus conditionata respectu Petri, quin cognoscat Petrum; atqueadeò quin in ipso appareat eius possibilitas; & consequenter in Omnipotentia in-

indifferenti Deus cognoscit Petri possibilitatem; esse enim virtutem conditionatam non tollit eius indifferentiam, sed potiùs indifferentia explicatur à suis Authoribus per hoc, quod sit virtus conditionata.

59 Confirmatur: iudicium dubium, vel probabile alicuius obiecti, seù veritatis non connectitur cum illa, sed est indifferens vt sit, & non sit: & tamen reflexè cognitum est medium sufficiens, licèt non ad assentiẽdum veritati, ad illius tamen apprehensionem: ergo quamvis sit indifferens Omnipotentia ad possibilitatem, & impossibilitatem creaturæ, potest esse medium sufficiens ad illam cognoscendam, quamvis non ad assentiendum eius possibilitati.

60 Respondetur ex dictis, quod vel hæc potentia, seù virtus, quam vocant conditionatam, purificata conditione possibilitatis creaturæ, habet continentiam illius, sicut, & denominationem potentis, quæ continentia, & denominatio deficerent deficiente possibilitate creaturæ; vel ratione sui habet continentiam, & purificata conditione habet denominationem absolutè potentis, deficienteque possibilitate non deficeret cõtinentia, sed solùm denominatio. Si dicatur primum, in Omnipotentia secundum suam entitatem non potest cognosci Petrus, aut eius possibilitas, quia in illa proùt sic, neque continentia Petri, neque connexio cum eius possibilitate cõtinetur: cæterùm continentia, & denominatio potentis, quæ ponitur, & desinit ad positionẽ, vel desitionem possibilitatis, est ipsa Omnipotẽtia, quæ nihil aliud est, quam continentia creaturæ per modum virtutis proximæ; atqueadeò si hoc primum dicatur, tenentur fateri in Omnipotentia, neque Petrum, neque eius possibilitatem cognosci, & ex alio capite contra ipsos convincitur Omnipotentiam deficere, si deficiat possibilitas creaturæ. Si verò dicatur secundum asserendum est, quod ex vi continentiæ Petri in entitate Omnipotentię potest movere ad illius cognitionem: cęterum hoc posito inconsequenter asseritur non connecti cum eius possibilitate: nam Omnipotentia proùt sic necessario movet ad Petri cognitionem, in quo sicut necessario apparet rationalitas, apparet etiam possibilitas, atqueadeò ad vtriusque cognitionem movet: vndè non solum Omnipotentia, sed Omnipotentiæ comprehensio connectitur cum possibilitate creaturæ. Ex quibus apparet ex vi indifferentię Omnipotentiæ non cognosci in ipsa creaturas; inconsequenter tamen indifferentem constituì, si adstruatur in ipsa continentia creaturarum.

61 Ad confirmationem concessis maiori, & minori, nego consequentiam; & ratio est, nam si Omnipotentia indifferens est ad possibilitatem, ab ipsa aufertur continentia creaturarum, manetque absoluta ab omni respectu, aut connexione cum creatura; atqueadeò in ipsa nullomodo potest cognosci. Si autem componatur indifferentem esse, & continere, duo contradictoria componuntur; ex quibus vtrumque sequi, inconveniens non est, nimirum in ipsa cognosci creaturàm ratione continentiæ, quæ à connexione præscindi non potest, & quia perfectissima est continentia, non solum movet ad apprehensionem creaturæ, sed ad eius perfectissimam comprehensionem; & simul infertur non cognosci, quia indifferens est. At verò iudicium probabile, aut dubium, quia ex terminis non connectitur cum veritate obiecti, reflexè cognitum non potest movere ad illius certum assensum, & aliundè cum motivo probabili, aut dubio, ad huius cognitionem potest movere. Potest insuper ratione repræsentationis movere ad cognitionem obiecti, circa quod est iudicium, quia ad illud respectum dicit, ad quem terminandum non requiritur in obiecto existentia, imò neque possibilitas; non tamen potest movere ad illius perfectam cognitionem, quia respectus iudicij ad terminum non fundatur in perfecta continentia.

§. IV.

Statuitur tertia conclusio.

62 MOTIVUM Adæquatum cognitionis Divinæ sunt Divina prædicata, quæ etiam sunt obiectum primarium adæquatum *quod*, ita vt in Deo nulla sit cognitio, quæ immediatè terminetur ad creaturas. Pro opposita sententia refertur Gabriel, Scotus, & Ocham: illam tenet Vazquez disp. 55. Herice, Alarcon, & alij: inter quos aliqui asse-

aſſerunt, creaturas nullomodo movere ad ſui cognitionem, illam tamen primario *vt quod*, & immediatè terminare. Alij verò, & movere, & terminare affirmant; & licèt ab aliquibus vocentur obiectum ſecundarium, hoc eſt, quia minus principale, non quia ratione ſui non moveant, & immediatè terminent. Noſtram tamen concluſionem tenent Albelda 1. parte, diſp. 37. ſectione 2. M. S. Thoma, diſp. 17. artic. 2. Cornejo, diſp. 2. dub. 1. ſequuti Capreolum, Caietanum, Ferraram, Bañez, & alios ab ipſis relatos, eſtque communis inter Thomiſtas; quam etiam ex alijs præcipuè quoad primam partem defendit Molina hic artic. 2. diſp. vnica, concluſione 2. Ualencia, puncto 3. concluſ. 1. Suarez lib. de Attributis, cap. 2. & alij.

63 Concluſio probatur primo ex teſtimonijs adductis pro prima concluſione, in quibus PP. manifeſtè docent Deum extra ſe nihil cognoſcere, quia omnia in ſeipſo, vt obiecto, & cauſa prius cognita cognoſcit: in quibus videntur aſſerere in Deo nullam eſſe cognitionem. Secundo probatur ex D. Thoma 1. contra Gentes, cap. 48. vbi ſic habet: *Operatio intellectualis ſpeciem, & nobilitatem habet ſecundum id, quod eſt per ſe primo intellectum, cum hoc ſit eius obiectum; ſi igitur Deus aliud à ſe intelligeret, quaſi per ſe primo intellectum, eius operatio intellectualis ſpeciem, & nobilitatem haberet ab alio, quam ab ipſo: hoc autem eſt impoſſibile, cum ſua operatio ſit eius eſſentia, & hæc, quippè ens à ſe, nequeat ab alio diſtincto à Deo ſpeciem capere. Sic igitur impoſſibile eſt, quod intellectum à Deo primo, & per ſe ſit aliud ab ipſo.* Item cap. 49. docet principale cognitum eſſe ſuam eſſentiam. Quod etiam docet hac 1. parte art. 5.

64 Quæ teſtimonia explicari non poſſunt de obiecto principalitatis: tùm, quia potentia, & cognitio ſpeciem, & nobilitatem habet, non ſolùm ex obiecto principalitatis, ſed ex obiecto minus principali, dùmodo intra obiectum primarium contineatur tanquam pars ſubiectiva illius: ſpecificativum enim eſt obiectum primarium adæquatum, & non ſolum obiectum principalitatis; ſed D. Thomas docet obiectum, à quo cognitio Diuina accipit nobilitatem, & ſpeciem, non eſſe aliud à ſeipſo: ergo ſentit nihil extra Deum eſſe obiectum primario, & per ſe intellectum, tanquam obiectũ primarium, & ſpecificativum adhùc inadæquatum; ſed ſolùm poſſe eſſe obiectum ſecundarium, à quo cognitio divina, neque etiam inadequatè accipit ſpeciem, & nobilitatem. Tùm etiam, quia docet ſolum ipſum Deum eſſe primo, & per ſe cognitum à Deo: ergo ſentit eſſe obiectum adæquatum primarium. Conſequentia probatur; quia etiam obiectum minus principale, primò, & per ſe attingitur à potentia, dummodo obiectum ſecundarium non ſit, vt conſtat in omnibus potentijs: ergo ſi ſolus Deus eſt primo, & per ſe cognitus, ſolus ipſe eſt obiectum primarium. Ex quibus rectè deducitur, Deum eſſe adæquatum motivum cognitionis divinæ, & ſolùm ipſum immediatè illam terminare: obiectum enim ſecundarium, neque movet, neque immediatè terminat, ſed mediante obiecto primario.

65 Secundo probatur concluſio ratione ex his locis deducta: obiectum primarium cognitionis divinæ eſt adæquatè increatum, non abſtrahens à creato, & increato: ergo obiectum motivum, & terminativum primarium eſt aliquid increatum. Antecedens probatur, nihil extra Deum poteſt ſpecificare intellectionem divinam: ergo ſolus Deus eſt obiectum primarium illius, ſeù primo, & per ſe à Deo intellectum, non verò aliquid abſtrahenſa creato, & increato. Conſequentia conſtat; quia quidquid eſt obiectum primarium, primo, & per ſe attingitur ab intellectione: ſed quidquid ſic attingitur, ſaltim inadæquatè dat ſpeciem: ergo ſi nihil creatum poteſt vllomodo dare ſpeciem cognitioni divinæ, ſolus Deus eſt obiectum primarium, & primo, & per ſe intellectum per cognitionem divinam. Antecedens verò probatur: tùm quia dare ſpeciem eſt exercere in potentiam, ſeù cognitionem aliquomodo cauſalitatem, quod repugnare enti creato reſpectu intellectionis divinæ manifeſtum eſt. Tùm etiam; quia ſpecificare non eſt purè terminare cognitionem; alias obiectum ſecundarium ſpecificaret, contra communem Philoſophorum, & Theologorum ſententiam: ſed ſi aliquid addit, non poteſt aliud eſſe à cauſalitate, quam exercet in ſpecificatum: ergo cum hæc enti creato repugnet reſpectu intellectionis divinæ, nequit illam ſpecificare.

66 Confirmatur primo: obiectum motivum, & terminativum primarium Theologicarum virtutum eſt ſolus Deus, vt tenet communis Theologorum ſententia: ergo obiectum primarium motivum, & terminativum cognitionis divinæ adæquatè eſt aliquid increatum. Conſequentia proba-

tur.

tur: Tùm; quia si cognitio divina haberet pro obiecto aliquid abstrahens à creato, è increato, non esset ratio, quare virtus Theologica hoc ipsum non haberet. Tùm etiam, quia quidquid conceditur virtuti creatæ propter eius perfectionem, negari non debet cognitioni divinæ: sed virtuti Theologicæ propter eius perfectionem conceditur habere Deum pro obiecto adæquato, tàm motivo, quàm terminativo; ergo hoc ipsum concedendum est omni cognitioni divinæ.

67 Confirmatur secundò: nam si obiectum primarium cognitionis divinæ abstraheret à creato, & increato, creatura ingrederetur, saltim inadæquatè, constitutionem beatitudinis obiectivæ Dei: consequens est falsum; ergo illud ex quo sequitur. Falsitas consequentis inde constat; quia Deus sibi sufficiens est, neque aliquo extra se indiget. Maior, seù sequela probatur: nam obiectum beatitudinis formalis primarium est beatitudo obiectiva; sed creatura ingrederetur constitutionem obiecti primarij cognitionis divinæ, quæ est beatitudo formalis; ergo ingrederetur constitutionem beatitudinis obiectivæ.

68 Dices, cognitionem divinam solum habere rationem beatitudinis formalis ea ratione, qua terminatur ad Deum, non verò secundum terminationem ad creaturas. Sed contra est; quia cognitio Dei adæquatè sumpta est eius beatitudo; ergo adæquatum obiectum est adæquata beatitudo obiectiva. Antecedens probatur: nam cognitio divina adæquatè sumpta est vltima, & adæquata perfectio Dei in linea intellectuali; ergo est adæquatè beatitudo. Secundo, cognitio Dei proùt terminatur ad ipsum non intelligitur adæquatè perfecta; cum proùt sic non intelligatur terminata ab obiectum primarium adæquatum; ergo non intelligitur adæquatè beatitudo; hæc enim intelligi adæquatè non potest non intellecta adæquatè perfectissima intellectione.

69 Quæ probationes optimæ sunt, si cognitio Dei non multiplicetur virtualiter; si autem virtualiter multiplicetur; responderi potest primam cognitionem esse beatitudinem, quæ adæquatè ad Deum terminatur; secundam autem beatitudinem non esse, sed quid consequutum ad essentiam beatitudinis. Sed adhùc non solvuntur; nam si Deus, vt volunt plures ex Aduersarijs, cum creaturis non connectitur, vtraque cognitio æquè immediatè suum obiectum attingit, & neutra ex alia oritur, sed immediatè conuenit intellectui diuino; & consequenter vtraque æquè primo est perfectio, & actualitas illius; atque adeò æquè debet esse beatitudo formalis.

70 Deinde, cognitio, qua Deus seipsum tanquam obiectum primarium attingit, est comprehensiva Dei, & consequenter in ipso attingit creaturas, vt probatum est, quæ cognitio iuxta hanc doctrinam est beatitudo formalis satians intellectum diuinum; ergo in Deo non datur alia cognitio immediatè terminata ad creaturas. Consequentia probatur; quia præter cognitionem, qua capacitas infinita Dei in linea intellectiva satiatur, alia immediatè terminata ad creaturas sine fundamento conceditur, imò implicatoria est; alias prima non satiaret, neque Deus in linea intelligibili passiva, adæquaret vim intellectiuam ipsius; ergo dato, quod prima cognitio sit beatitudo formalis, alia concedenda non est immediatè terminata ad creaturas. Quod vlteriùs explicatur. Quia Deus est infinite bonus, & sibi omninò sufficiens, nulla bonitas creata potest eius voluntatem mouere, aut eius amorem terminare, nisi secundario, per hoc, quod Deus propriam bonitatem, quam amat, velit creaturis communicare, vt cum Diu. Thoma infra quæst. 19. docent communiter Thomistæ; ergo quia infinite intelligibilis est, nihil extra seipsum potest immediatè cognoscere, sed solum in seipso, in quo creatura intelligibilis est. Propter hoc, ni fallor, Aristoteles 12. metaphisicæ apud D. Thomam vbi supra, docuit, quod vilesceret intellectus diuinus, si aliquid extra se intelligeret, scilicèt, tanquam obiectum primarium.

71 Et ex his alia deducitur ratio ad probandum assumptum: nam omnis diuina intellectio est infinita, & actualissima; ergo eius obiectum debet esse actualissimum; obiectum enim, & cognitio debent proportionari, & consequenter obiectum adæquatum omnis intellectionis diuinæ est aliquid increatum. Sed dices: ex his sequi Deum non cognoscere creaturas, etiam tanquam obiectum secundarium, si enim Deus cognitus satiat, & adæquat vim intellectiuam ipsius, non poterit extendi eius cognitio ad aliud extra Deum. Secundo, etiam Deus satiat intellectu beati, cui sit eius adæquata beatitudo obiectiua: & tamè relin-

quitur locus, vt beatus alijs cognitionibus attingat immediatè creaturas; ergo etiam ſi Deus ſatiet per modum beatitudinis obiectivę eius intellectum, adeſt locus, vt alijs cognitionibus immediatè cognoſcat creaturas.

72 Reſpondetur negando ſequelam: nam cognitio divina non poteſt adæquare cognoſcibilitatem paſsivam Dei, niſi in ſeipſo creaturas attingat; & conſequenter ipſum tanquam obiectum primarium reſpicere, quin ſecundario ad creaturas extendatur, à quibus perfectionem non accipit; quod docuit D. Thomas 1. contra Gentes, cap. 55. illis verbis: *Intendit enim Deus ſuam eſſentiam perfectè videre, quod eſt videre, ipſam ſecundum totam virtutem ſuam, ſub qua omnia concluduntur; Deus igitur videndo eſſentiam ſuam ſimul omnia intuetur.* Ad ſecundum reſpondetur negando conſequentiam; & ratio diſcriminis eſt; quia beatitudo obiectiva non ſatiat adæquatè formaliter appetitum beati, ſed ſolum quoad primarium conceptum, & radicaliter quoad alia; atque adeò adeſt locus, vt beatus alia immediatè poſsit cognoſcere; ſicut etiam ſi amet Deum, quem poſsidet, moveri poteſt ex bonitate creata ad alia amanda: cuius contrarium contingit in Deo, cuius appetitus in linea intellectuali ſatiatur adæquatè ſeipſo, qua etiam ratione eius voluntas moveri non poteſt à bonitate creata. Radix autem huius differentiæ eſt duplex: prima, quod Deus ſeipſum perfectiſsimè poſsidet, & amat; ſecus autem creatura, quantumvis beata: Secunda eſt, quod creatura propter ſui limitationem perfici poteſt ab aliquo extra ſe, & infra Deum; quapropter etiamſi Deum videat, & amet, eſt capax aliarum perfectionum in linea intellectuali, & volitiva, quę licèt debeantur ex vi beatitudinis, ab ea tamen formaliter non præſtantur, ſed ſolum radicantur.

73 Ex quibus aliam deducunt rationem noſtri Thomiſtæ in hunc modum: obiectum primarium voluntatis divinæ non eſt bonum in communi abſtrahens à creato, & increato, ſed adæquatè eſt bonum increatum; ergo pariter obiectum primarium intellectus divini non eſt verum abſtrahens à creato, & increato, ſed adæquatè increatum. Conſequentia conſtat à paritate rationis, & antecedens eſt D. Thomæ infra quęſt. 19. art 1 ad 3. art. 2. ad 1. & 2. & etiá in corpore, quæſt. 23. de Veritate, art. 1. ad 3. & ad 6. 1. contra Gentes, cap. 74. 75. & 76. in 1. diſtinct. 45. quęſt. vnica, artic. 2. in ſolutione ad 1. & 2. & etiam in corpore, 1. etiam ad Annibaldum, artic. 1. & 2. quibus in locis expreſsè docet principale volitum à Deo eſſe ſolum bonitatem divinam.

74 Neque dici poteſt eſſe quidem bonitatem divinam obiectum principale; per hoc tamen non excludi ab obiecto ſpecificativo creaturam; licèt minus principali. Non, inquam, dici poteſt, propter ea, quibus ſupra ſimilem ſolutionem reijcimus; & inſuper quia D. Thomas aſſerit comparativè ad voluntatem divinam creaturam eſſe purum medium, in qua nihil bonitatis potens Deum movere reperitur; quapropter eam aſsimilat potioni amaræ, quæ nihil intrinſecum habet ratione cuius poſsit appetitum movere; imò nullam habet vtilitatem ſtrictam in ordine ad bonum divinum ratione ſui amatum, non enim conducit ad illud conſequendum, aut perficiendum. Et relictis alijs rationibus, quibus ex D. Thoma probatur aſſumptum, placuit adducere elegantem doctrinam D. Thomæ infra, quæſt. 59. artic. 2. vbi probat in Angelis, & idem eſt de qualibet alia creatura, diſtingui voluntatem à natura, & ſolum Deum vtrumque ſecum identificare, quia intra ſe habet totam rationem bonitatis moventem, & terminantem; quælibet autem creatura habet extra ſe obiectum ſpecificativum, nimirum, Deum, & creaturas, quod primo, & per ſe reſpicit, & ad quod ordinatur; ac proindè voluntas à ſubſtantia diſtinguitur, quæ ad aliud extra ſe ordinari non poteſt: quæ ratio æquè militat in intellectu divino, & habet fundamentum in quinta ratione, quam 1. contra Gentes, cap. 48. affert Div. Thomas pro concluſionis probatione, quæ talis eſt: *Primo, & per ſe intellectum eſt perfectio intelligentis, ſecundum hoc enim intellectus perfectus eſt, quod actu intelligit* (ſcilicèt vltima perfectione) *quod quidem eſt per hoc, quod eſt vnum cum eo, quod intelligitur; ſi igitur aliquid aliud ſit intellectum à Deo primo, & per ſe, erit aliquid aliud perfectio ipſius, & eo nobilius, quod eſt impoſsibile.*

75 Tandem probatur concluſio ratione D. Thomæ vbi proximè; illud eſt obiectum primo, & per ſe ab intellectu cognitum, cuius ſpecie informatur, & qua intelligit: ſed ſpecies qua informatur, & qua intelligit eſt ſola eſſentia divina; ergo id

quod

quod primo,& per se intelligitur à Deo est ipsa essentia Divina. Minor præterquam quod docetur à D. Thoma ibi,& in præsenti artic. 5. facilè probatur ; quia species est comprincipium ad intelligendum : sed nihil extra Deum potest esse comprincipium intellectionis divinæ;ergo nihil à Deo distinctum potest esse species, qua Deus intelligit. Maior etiam probatur ; quia operatio proportionatur formæ , quæ est operationis principium; ergo cum species sit forma operationis, quæ est intellectio , cum specie debet proportionari. Tunc sic; at non servaretur proportio, si cognitio primo , & per se attingeret aliquid , quod à specie primo , & per se non repræsentatur; ergo primo,& per se intellectum debet esse id, quod primo, & per se repræsentatur per speciem : & cum sic repræsentatum sit id , cuius est species, rectè infertur illud esse primo , & per se ab intellectu cognitum , cuius specie fœcundatur,& qua tanquam principio operationis intelligit.

76 Respondebis, quod licèt essentia Divina sit species, & licèt primo , & per se cognitum sit id,cuius est species, non infertur creaturam non esse per se cognitam: nam cum primo,& per se cognitum *vt quod* non sit species, sed id,cuius est species, & essentia Divina sit species non solum Dei , sed creaturarum, sit,vt primo & per se Deus, & creaturæ cognoscantur. Contra tamen est primo : nam id,quod primo,& per se repræsentatur per essentiam Divinam , vt species est, est solus Deus;ergo solus ipse est primo, & per se cognitus. Consequentia tenet iuxta traditam solutionem,& quia cum intellectus non aliter tendat in obiectum , nisi fœcundatus per speciem, quæ illum fœcundat ratione repræsentationis , non potest non tendere primo,& per se in id, quod primò, & per se repræsentatur , in ordine ad quod primo,& per se fœcundat. Antecedens verò probatur; quia species est virtus obiecti primo,& per se repræsentati:sed essentia Divina non potest esse virtus creaturæ; ergo nequit illi primo,& per se repræsentare. Maior cõmuniter docetur supra quæst. 12. art. 2. Et probatur : nam ab obiecto, & potentia paritur notitia,quod ideò verum est, quia obiectum ad intellectionem concurrit media specie, quæ virtus illius est, & eius vicaria. Minor etiam probatur ; quia virtus alicuius illi subordinatur.Tùm etiam,quia intellectio est obiecti,cuius virtus est species , quæ ad illam concurrit ; sed intellectio divina non potest esse ab aliquo creato ; ergo species ad illam concurrens nequit esse virtus alicuius creati.

77 Secundo,essentia Angeli vt species est,solum seipsam primo, & per se repræsentat,proprietates autem, & alia quæ in eius essentia continentur,solum secundario; ergo similiter essentia Divina vt species est, primo,& per se Deum repræsentat, & secũdario,quæ in ipso continentur. Tertiò: nam species, non repræsentat aliud à se distinctũ, nisi ratione similitudinis : at Divina essentia hanc similitudinem cum creatura non habet; ergo illam primo , & per se non potest repræsentare,sed solum secundario , quatenus ratione identitatis repræsentat essentiam Divinam, in qua omnia continentur,& advnantur.

§. V.

Solvuntur argumenta.

78 ARGVITVR Primo ex D. Thoma in 1. dist. 35. quæst. 1 art. 2. in corpore,illis verbis: *Similiter intellectum primum est ipsa rei similitudo,quæ est in intellecta, & est intellectum secundum,quod est ipsa res,quæ per similitudinem illam intelligitur ; si ergo consideretur intellectum primum , nihil aliud intelligit Deus,nisi se,quæ est similitudo omnium rerum ,sed si accipiatur secundum, sic non tantum se intelligit , sed etiam alia.* Ex quibus verbis constat primo, essentiam Dei esse similitudinem omnium rerum ; quod nos supra negavimus. Secundo,quod etiam si essentia Divina sit species,qua Deus intelligit,solum sequitur solam ipsam esse *vt quo* primo intellectam,non *vt quod* ; sed potiùs ipsam creaturam, cuius est similitudo, esse primo,& per se cognitam *vt quod*. Tertiò, quod D.Thom. solum excludit creaturas à ratione primi cogniti,ea ratione,qua species est primum cognitum : sed hæc solũ est primum cognitum *vt quo* , iuxta ipsum ; ergo non excludit creaturas à ratione primi cõgniti *vt quod*. Et confirmatur ex solutione

ad 1. illis verbis: *Quod enim obijcitur primo, quod intellectum eſt perfectio intelligentis, verum eſt de intellecto primo, & non de intellecto ſecundo, non enim lapis, qui eſt extra animam eſt perfectio intellectus, ſed ſimilitudo lapidis, quæ eſt in anima*: ergo falſum eſt, quod obiectum *vt quod* cognitum ſit perfectio intelligentis; & conſequenter ex eo, quod Deus alia à ſe immediatè intelligat, non infertur perficiendum ab aliquo extra ſe.

79 Reſpondetur D. Thomam ſolum voluiſſe oſtendere creaturas *vt quod* à Deo cognoſci, vt patet ex titulo articuli, ad quod demonſtrandum diſtinxit duplicem modum intellecti, ſicut & viſi, nimirum, *vt quo*, & *vt quod*: primum docuit ſoli Deo convenire, in quo ſpecies eſt eius eſſentia, & non aliquid extra ſe; ſecundum autem convenire creaturæ: ex quo ſolum infertur creaturam eſſe *vt quod* cognitam; non verò, quod vt obiectum primarium terminet cognitionem, quod nos negamus; inter obiecta enim *vt quod* cognita datur primarium, & ſecundarium. Et ad primam ponderationem dicendum: eſſentiam Divinam eſſe ſimilitudinem omnium rerum, non formalem, ſed eminentialem, quatenus ſeipſam repræſentat, in qua eminenter omnia continentur, & propterea agnoſcendo ſuam eſſentiam, alia cognoſcit, vt docet D. Thomas ibi ad 3. & hanc eſſe eius mentem, conſtat etiam ex ſolutione ad 2. vbi concedit intellectum divinum poſſe viliſicari, ſi intelligeret vilia informatus ſimilitudine illius vilis. Vndè quando docet eſſentiam Divinam, qua informatur ad intelligendum creaturas, eſſe ſimilitudinem illarum, debet intelligi non de ſimilitudine formali, primo, & per ſe illarum repræſentativa, ſed modo à nobis explicato.

80 Ad ſecundam reſpondetur Div. Thomam non expreſsè diſtinxiſſe inter obiectum primarium, & ſecundarium *vt quod* cognitum, ſed ſolum inter obiectum *quo*, & *quod*. Primo modo Deus ſolus eſt cognitus; ſecundo modo, etiam creatura. Neque nobis nocet, quod D. Thomas in præſenti expreſsè non excluſerit creaturam ab obiecto *quod* primario: tùm quia in locis à nobis adductis illam excluſit: tùm etiam, quia in præſenti implicitè hoc docuit; ex eo enim, quod ſola eſſentia ſit ſpecies in cognitione divina, rectè infertur ſolū illam eſſe *vt quod*, primo, & per ſe cognitam, vt ex D. Thoma, & probationibus adductis conſtat. Per quod patet ad tertiam ponderationem: nam vel totus ſyllogiſmus concedus eſt, quod nobis, vt diximus, non opponitur: vel neganda eſt minor; ex eo enim, quod ſpecies ſit eſſentia Divina, rectè infertur, id cuius primo, & per ſe eſt ſpecies, eſſe primo, & per ſe cognitum *vt quod*; hoc autem ſolum eſt ipſa eſſentia Divina.

81 Ad confirmationem reſpondetur D. Thomam locis ſupra adductis apertè docere obiectum primo, & per ſe cognitum *vt quod* eſſe intellectus perfectionem; quæ propter à creatura excluſit huiuſmodi obiecti rationem: vndè quando in præſenti docet lapidem, qui eſt extra animam, non eſſe perfectionem intellectus, ſed eius ſimilitudinem exiſtentem in anima, intelligendus eſt de perfectione intrinſeca, quæ eſt ſolum ſpecies, quæ ſi primo, & per ſe repræſentat lapidem, ſpeciem, & nobilitatem, tanquam à cauſa extrinſeca accipit à lapide.

82 Sed dices; ſi obiectum ad extra eſt perfectio extrinſeca dans per modum cauſæ extrinſecè perfectionem, non ſolvit argumentum D. Thomas: ergo interpretatio adducta ad eius mentem non eſt. Antecedens probatur: non ſolum eſt inconveniens creaturam eſſe perfectionem intrinſecam Dei, ſed etiam eſt abſurdum eſſe perfectionem extrinſecam in ſenſu explicato; ſed licèt ſolutione D. Thomæ, vt à nobis explicatur, vitetur eſſe perfectionem intrinſecam, non tamen vitatur eſſe extrinſecam: ergo non vitatur inconveniens adductum in argumento ad probandum Deum non cognoſcere creaturas. Reſpondetur negando minorem: nam eo ipſo, quod non ſit perfectio intrinſeca creatura, ſed ſpecies, qua cognoſcitur; cum hæc in Deo primo, & per ſe non repræſentet creaturam, ſed ſolum eſſentiam Divinam, rectè infertur intellectum nullo modo perfici à creatura, etiam extrinſecè.

83 Secundo arguitur: quo potentia perfectior eſt, vniverſalius habet obiectum, vt conſtat in omnibus potentijs cognoſcitivis, inter quas exceſſus penſatur penes maiorem amplitudinem obiecti; ſed intellectus divinus eſt perfectiſsimus: ergo illi debet aſsignari vniverſaliſsimum obiectum: at ens abſtrahens à creato, & increato vniverſalius eſt ente increato: ergo illud debet eſſe obiectum intellectus divini, & non ens increatum. Et confirmatur, illud eſt obiectum adæquatum alicuius potentiæ, ſub quo continentur omnia, quæ ab illa po-

potentia attingi possunt : sed sub ente abstrahente à creato, & increato continentur omnia, quæ Deus potest cognoscere, nimirum Deus ; & creatura; non verò sub ente increato : ergo illud est obiectum primo, & per se inspectum ab intellectu divino.

84 Respondetur distinguendo maiorem : obiectum vniversalius in causando, concedo maiorem, in prædicando, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris. Ad confirmationem distinguendum de obiecto specificativo : sub secundo contineri debet tanquam pars subiectiva, & de quo obiectum extensivum dicatur, quidquid cognoscibile est à potentia ; sub primo autem hoc non requiritur, sed sufficit, si sub illo contineatur continentia eminentiali, quomodo creatura sub Deo continetur.

85 Sed dices ; ex hac solutione sequitur, quo obiectum vniversalius est in prædicando, imperfectius esse, & consequenter ea potentia inferior sit, quo eius obiectum est vniversalius, quod manifestè falsum est : ergo solutio falsum continet. Sequela probatur : nam quo obiectum vniversalius est, est magis potentiale, & consequenter minus perfectum ; sicut enim quo vniversalius est in causando, est magis actuale, & perfectius, ita magis vniversale in prædicando est magis potentiale, & consequenter imperfectius.

86 Respondetur negando sequelam, ad probationem distinguo antecedens, quo vniversalius est, si consideretur vt abstractum abstractione totali, concedendum est antecedens, abstractione formali, negandum antecedens : ens ergo potest dupliciter considerari, scilicèt, vt abstrahit abstractione totali ab inferioribus, & proùt sic est potentiale, eiusque conceptus confusus, & imperfectus, & propterea proùt sic est primum cognitum ab intellectu, vt dicitur 1. Phisicorum. Secundo potest considerari, vt abstrahit ab inferioribus abstractione formali, in qua consideratione perfectius est in ratione obiecti, quia proùt sic solum consideratur, vt ratio formalis, qua quodlibet ens terminat cognitionem, in quo denotatur, quamlibet entitatem, & formalitatem, & omnium collectionem ingredi *vt quod* saltim inadæquatè rationem obiecti terminantis, licèt in omnibus ratio formalis sit ratio entis, in qua conveniunt ; atqueadeò ens sic abstractum abstractione formali perfectius obiectum est. Quod explicatur in potentia visiva, cuius obiectum specificativum est color vt sic, qui tamen abstractione totali ab inferioribus videri nó potest; quia tamen est ratio formalis, in qua omnes colores conveniunt, & ratione cuius quilibet videri potest, dicitur obiectum specificativum, in quo denotatur, omnem colorem posse primo, & per se terminare visionem ratione coloris, vt ratione sub qua.

87 Tertio arguitur : esto Deus in seipso tanquam in causa cognoscat creaturas, non est ratio quare immediatè in seipsis illas non cognoscat : ergo illas in seipsis immediatè cognoscit. Antecedens probatur; tùm, quia perfectiori modo cognoscitur obiectum in seipso sine medio priùs cognito, quam in medio, vt constat in speculo, in quo non tàm perfectè videtur homo, sicut in seipso. Tùm etiam; quia esto non sit perfectior modus cognoscendi, nullam tamen involuit imperfectionem : ergo etiam admisso Deum in seipso cognoscere creaturas, negandum non est illas immediatè cognoscere. Confirmatur; quia creatura est cognoscibilis in Deo, & in seipsa ; sed Deus cognoscit creaturas omni modo, quo cognoscibiles sunt : ergo non solum in seipso, sed immediatè illas cognoscit.

88 Respondetur negando antecedens; ad primam probationem distinguendum est duplex medium, in quo priùs cognito *vt quod* aliud cognoscitur : aliud enim est medium ratione perfectissimè continentiæ, & hoc perfectè cognitum sufficiens est, vt in illo perfectè cognoscatur aliud in ipso contentum; aliud est medium, in quo solum imperfectè aliud continetur ; & quia Deus perfectissimè continet creaturas, in ipso perfectissimè cognoscuntur. In secundo autem medio opposita de causa non potest aliud perfectè cognosci, & tale est exemplum in probatione adductum : neque perfectius cognoscitur res in se, quam in medio perfectissimè illam continente ; quod iam ex Augustino vidimus. Ad secundam nego antecedens; non enim Deus cognoscit creaturas, omnimodo, quo cognoscibiles sunt, si modus involvat imperfectionem ex parte cognoscentis, quam involuere cognitionem immediatam iam probavimus. Per quod constat ad confirmationem.

89 Tandem arguitur; non potest Deus intelligere creaturas, enim in esse intelligibili sit creatura : sed nequit in esse intelligibili esse creatura, nisi per speciem, quæ

in eſſe intelligibili ſit creatura: ergo in Deo datur ſpecies, quæ in eſſe intelligibili ſit creatura. Maior probatur; quia intelligere eſt fieri in eſſe intelligibili rem intellectam. Minor verò etiam probatur: nam fieri in eſſe intelligibili rem intellectam, non poteſt eſſe, niſi per formam, quæ in eſſe intelligibili ſit res intellecta, quæ alia eſſe non poteſt, niſi ſpecies: tunc ſic; ſed ſpecies, quæ in eſſe intelligibili eſt creatura, non poteſt non in illo eſſe ſimilis creaturæ, & primo, & per ſe illam repræſentare: ergo in Deo concedenda eſt huiuſmodi ſpecies. Minor hæc ſubſumpta probatur; ideò ſpecies creata eſt ſimilis formaliter in eſſe intelligibili creaturæ, illamque primo, & per ſe repræſentat, quia in eſſe intelligibili eſt creatura: ergo vera eſt minor.

90 Confirmatur primo: ſicut in Deo datur ſpecies intelligibilis, datur verbum eſſentiale, quod in actu ſecundo eſt expreſsio obiecti cogniti; ſed verbum in actu ſecundo non exprimens intentionaliter creaturam non poteſt deſervire intellectui divino ad illam cognoſcendam: ergo verbum eſſentiale, quo Deus cognoſcit creaturas, exprimit illas in actu ſecundo in eſſe intelligibili; & conſequenter illas primo, & per ſe repræſentat. Confirmatur ſecundo; ſi verbum eſſentiale in eſſe intelligibili formaliter eſt ſolum eſſentia Divina, ſeù Deus, & ſolum eminenter creatura, ſequitur, quod Deus medio illo ſolum cognoſcat ſe formaliter, & eminenter creaturas; eo enim modo cognoſcitur obiectum, quo per verbum repræſentatur in eſſe intelligibili: ergo ſi Deus creaturas formaliter cognoſcit, illas debet repræſentare per identitatem cum illis in eſſe intelligibili, quod ſtare non poteſt, ſi in hoc genere non eſt illarum ſimilitudo primo, & per ſe illas repræſentans.

91 Confirmatur tertio: in Deo non ſunt formaliter creaturæ, ſed ſolum eminenter in eſſe naturali, & phiſicè: ergo ſi Deus in eſſe intelligibili non eſt formaliter, niſi quod in ipſo formaliter eſt in eſſe naturali, non erit in eſſe intelligibili formaliter creatura; & conſequenter non cognoſcet formaliter creaturam. Tandem; quod eſt Deus in eſſe entis, eſt ſpecies Divina in eſſe intelligibili, & intentionali: ſed Deus in eſſe entis ſolum eſt formaliter Deus, & eminenter creatura: ergo ſpecies in eſſe intelligibili ſolum eſt Deus formaliter, & eminenter creatura; atque adeò ſolum Deus formaliter cognoſcitur, & eminenter creatura.

92 Pro ſolutione ſupponendum eſt, in Deo dari ſpeciem impreſſam; quæ eſt ipſa eſſentia Divina, Deum in eſſe intelligibili repræſentans, fœcundanſque abſque diſtinctione intellectum Divinum ad intelligendum. Datur inſuper ſpecies expreſſa, ſeù verbum eſſentiale, non quidem quantum ad conceptum egreſsionis, ſeù termini producti per actionem vitalem; ſed quantum ad repræſentationem, cuius munus eſt exprimere in actu ſecundo obiectum, & complere intelligendum per modum formæ, & repræſentationis, in qua intellectus percipit obiectum. Et licèt tàm ſpecies, quam verbum *vt quod* cognoſcantur à Deo abſque aliqua reflexione, vtpotè prædicata divina, de quorum ratione eſt primo, & per ſe, & directè terminare divinam cognitionem; munus tamen illorum proprium non eſt terminare, ſed eſſe formam fœcundantem, & rationem; in qua obiectum cognoſcitur, & ſecundum hanc rationem etiam cognoſcuntur *vt quo*: & in probabili ſententia omnia hæc præſtat ipſa eſſentia Divina abſque virtuali diſtinctione; quia in Deo ſpecies intelligibilis, intellectus, intellectio, verbum, & id quod intelligitur ſunt omninò idem, vt ex Div. Thoma ſupra vidimus.

93 Deindè ſupponendum eſt ex D. Thoma quæſt. 2. de Veritate, artic. 3. ad 9. inter cognoſcentem, & obiectum non requiri ſimilitudinem in eſſe; imò multoties perfectior eſt cognitio, quando minor eſt ſimilitudo, vt conſtat in intellectu reſpectu lapidis, inter quæ minor adeſt ſimilitudo, quam inter ſenſum, & lapidem; & tamen perfectior eſt in intellectu cognitio lapidis. Licèt autem hæc ſimilitudo non requiratur, requiritur ſimilitudo repræſentationis, quæ reperitur in ſpecie, & verbo Divino reſpectu creaturarum, & vocatur ſimilitudo in eſſe intelligibili, & quia hæc ſpecies, & verbum primo, & per ſe ſolùm repræſentat Deum, & ſecundario creaturas, vocabimus hanc ſimilitudinem, etiam in eſſe intentionali eminentialem reſpectu creaturarum; non quia formaliter non conveniat verbo illas repræſentare, ſed quia hæc repræſentatio primo, & per ſe eſt ſolum eſſentia, & cum hæc ſit cauſa creaturarum, & diverſimodè ab illis participabilis, illaſque continens, tranſit ſecundario ad creaturas; qua etiam ratione diximus hanc repræſentationem à creaturis non perfici, neque etiam mediatè; de quo videndus eſt D. Thomas vbi proximè ad 1.

94 Ex quibus ad argumentum diſtin-

linguo maiorem, quin in esse intelligibili sit creatura per repræsentationem primo, & per se terminatam ad illam, nego maiorem, primario, vel secundario, concedo maiorem, & distinguo minorem eodem modo, per speciem, quæ in esse intelligibili sit creatura ex vi repræsentationis primario ad illam terminatæ, nego minorem, secundario, concedo minorem, & distinguatur consequens eodem modo. Per quod constat ad maioris, & minoris probationem, & negatur minor subsumpta pro secunda parte; ad cuius probationem, nego antecedens, sed quia species creata ad hoc primo, & per se data est à natura, vt repræsentet obiectum, qua ratione ab illo specificatur. Per quod constat ad primam confirmationem, & secundam; verbum enim essentiale exprimit, & repræsentat in actu secundo creaturas, licèt secundario, quod sufficit ad formalem cognitionem. Ad vltimam dicendum: speciem divinam in esse intelligibili esse quidquid Deus est formaliter, & eminenter, non per repræsentationem primo, & per se ad omnia terminatam, sed primario ad prædicata divina, & secundario ad creaturas.

§. Vltimus.

Aliqua inferuntur ex dictis.

95 EX His deducitur primo, cognitionem Dei non esse discursivam, etiam si per essentiam suam cognoscat effectum; quia vt ait D. Thomas quæst. 2. de Veritate, art. 3. tunc contingit intellectum discurrere, quando diverso actu, ex vno ad alterum transit: quando verò non alio actu fertur in mediũ, & in rem in ipso cognitam, eodem actu, & sine discursu vtrumque attingit: sicut intellectus noster in verbo cognoscit obiectũ in ipso repræsentatum absque aliquo discursu. Quod confirmat ex Dionisio cap. 7. de Divinis Nominibus. Et quidquid sit an distinguantur virtualiter cognitio essentiæ, & cognitio attributorum, propter quod inconveniens non sit concedere in Deo virtualem discursum, quatenus cognitio attributorum ex cognitione essentiæ virtualiter oritur; respectu tamen creaturarum hoc esse negandum existimo; & ratio est, quia eadem omninò cognitio primario ad Deum terminata transit secundario ad creaturas: quod exemplo adducto convincitur; quia enim eadem omninò cognitione cognoscitur verbum vt medium, & obiectum repræsentatum in ipso, talis cognitio, neque etiam virtualiter est discursiva ex verbo in obiectum, ad hoc enim erat necessarium, vt esset transitus vnius cognitionis in alteram, seù ex vna ad alteram saltim virtualiter distinctam.

96 Secundo colligitur, tàm malum pœnæ, quam culpæ cognoscere Deum in seipso, tanquam in obiecto priùs cognito; cum hac tamen differentia, quod malum pœnæ, cuius Deus est causa, in ipso tanquã in causa cognoscit; secus autem malum culpæ. Prima pars constat ex dictis, & traditur passim in Sacris litteris. Proverbiorum 5. *Infernus, & perditio coram Deo.* Et Job 14. *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Secunda pars, scilicèt, quod cognoscantur in ipso tanquam in obiecto priùs cognito, probatur; quia omnis cognitio divina primario terminatur ad Deum, à quo specificatur, & secundario ad id, quod extra Deum est. Tertia pars etiam constat; quia Deus in seipso tanquam in causa solum cognoscit illa, quorum est causa: ergo sic cognoscit malum pœnæ, cuius est causa, non autem malum culpæ.

97 Est tamen obseruandum, quod mala pœnæ, & culpæ, quorum Deus non habet ideam, vt docet D. Thomas quæstione sequenti, artic. 3. cognoscuntur ab ipso in bono creato, cui opponuntur, & per ideam boni: per quod non intenditur, quod bonum creatum, per quod malum cognoscitur, sit obiectum primarium alicuius cognitionis diuinæ, sed solum quod per bonum creatum, seù in bono creato secundario cognito, cognoscitur malum; quia cum hoc Deus cognoscat per bonum, cui opponitur, & nullum malum sit immediatè Deo oppositum, fit, vt per bonum creatum, cui immediatè opponitur, cognoscatur. Sed dices; in Deo nequit cognosci, nisi illud, cuius est causa: ergo si non est causa peccati, non potest in seipso peccatum cognoscere. Respondetur Deum in seipso cognoscere non solum illud, cuius est causa, sed etiam quod immediatè opponitur bono, quod causat. Vadè in Deo tanquam in causa boni cog-

nos-

noſcitur malum tali bono oppoſitum.

98 Tertio colligitur, Deum cognoſcere omnia figmenta, & entia rationis, quorum non eſt cauſa: quod traditur à D. Thoma in præſenti art. 9. vbi docet, Deũ cognoſcere omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ, ſivè activa, ſivè paſsiva, ſivè in potentia opinandi, vel imaginandi; & ratio eſt evidens: nam cum Deus omnes cogitationes hominum neceſſario cognoſcat, debet neceſſario cognoſcere illarum obiecta; at multoties earum obiecta eſt ens rationis, & fictum, nullumque poteſt dari figmentum impotens cognoſci à creatura: ergo Deus omnia illa cognoſcit.

99 Quarto infertur, Deum cognoſcere ſcientia ſimplicis intelligentiæ infinitum ſecundum multitudinem; quod docet D. Thomas, art. 12. & quæſt. 2. de Veritate, art. 9. & probatur; quia Deus cognoſcit omnia, quę nata ſunt eius bonitatem participare; ſed hæc infinita ſunt, cum eius bonitas ſit infinita: ergo cognoſcit infinita. Eſt tamen diſsidium in modo loquendi apud Theologos, etiam Thomiſtas: an, ſcilicèt, dicendum ſit, Deum cognoſcere infinitum in actu per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vel non? Et vtraque pars ſuos habet patronos; qui tamen facilè conciliari poſſunt: veritas enim eſt, Deum actu cognoſcere infinitam multitudinem, quæ tamen non eſt infinita in actu, cum infinitum in actu implicatorium ſit, & multitudo cognita non poſsit ſimul exiſtere, quod erat neceſſarium ad hoc, quod infinitum cognitum eſſet infinitum in actu; eſt tamen actu in Deo cognitio infiniti in potentia. Et addi poteſt, quod huiuſmodi infinitum, quod quidem eſt infinitum in potentia infinitate intrinſeca, quatenus infinita illa multitudo non poteſt ſimul ad actum reduci, eſt infinitum aliquomodo in actu ineſſe cognito, & infinitate extrinſeca, quatenus licèt ſimul non poſsit exiſtere, ſimul tamen eſt actu cognitum; quo ſenſu verum eſt, Deum cognoſcere infinitum in actu, ideſt, infinitam multitudinem ſimul exiſtentem in eſſe cognito.

100 Contra quod eſt argumentum; quidquid Deus extra ſe cognoſcit, eſt in aliqua ſpecie determinata, & proùt ſic à Deo cognoſcitur, qui res ſecundum vltimam differentiam attingit; at multitudo infinita poſsibilium non eſt in aliqua ſpecie determinata, neque à Deo in aliqua ſpecie determinata cognoſcitur: ergo nullo modo cognoſcitur. Maior eſt certa, & minor probatur: nam multitudo accipit vnitatem ſpecificam à vltima vnitate: quapropter ſi multitudo infinita actu exiſteret, non eſſet in aliqua ſpecie determinata, qua ratione implicat exiſtere; ſed in multitudine infinita poſsibilium vltima vnitas, ſeù creatura non datur: ergo non eſt in ſpecie determinata; & conſequenter vt ſic determinata non cognoſcitur.

101 Reſpondetur multitudinem infinitam poſsibilium non habere vnitatem ſpecificam, genericam, aut numericam; ſicut collectio infinitarum ſubſtantiarum non habet vnitatem aliquam ex dictis, ſed potiùs continet plures vnitates genericas, ſpecificas, & numericas; neque eſt vnica ſubſtantia, ſed plures, & quælibet continet ſuum conceptum genericum, & differentialem, qui multiplicatur ad multiplicationem ſubſtantiarum; ſic ergo collectio poſsibilium non habet vnam ſpeciem, vnum genus, & vnicam ſingularitatem, etiam in ratione multitudinis, ſed continet plures, & infinitos numeros, quorum quilibet ſuum genus, & differentiam habet; atqueadeò Deus non cognoſcit multitudinem, ſeù collectionem poſsibilium eſſe vnam ſpeciem, ſicut neque eſſe vnum ens, quia verè vnum non eſt, ſed plurium collectio; cum quò componitur Deum illam multitudinem perfectè cognoſcere. Neque eſt neceſſarium, quod quidquid Deus cognoſcit, ſit in aliqua ſpecie determinata, ſed ſufficit ſi ſit collectio plurium exiſtentium in ſpecie determinata: neque neceſſarium eſt, vt illa collectio ſit poſsibilis, quod tota poſsit ſimul exiſtere; ſed ſufficit ſi quodlibet ens reale in illa contentum poſsit exiſtere; imò ſi concipiatur, vt dicens habitudinem ad ſimul exiſtendum, non eſt ens reale, ſed fictum.

102 Difficiliùs aliquibus viſſum eſt, qualiter per ſcientiam viſionis Deus non cognoſcat infinitum in actu: nam infinitæ cogitationes, quæ futuræ ſunt, coexiſtunt phiſicè in æternitate, & conſequenter ſunt infinitum in actu: ſed Deus omnes illas cognoſcit; ergo cognoſcit infinitum in actu. Sed nihilominus eodem modo diſcurrẽdum eſt, atque de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & aſſerendum, neque ſcientia viſionis Deum cognoſcere infinitum in actu: & ratio eſt, quia in æternitate non exiſtit infinitum in actu; & conſequenter Deus illud nõ cognoſcit ſcientia viſionis. Aſſumptum probatur; nihil exiſtit in æternitate, niſi quod aliquando in propria menſura exiſtit: ſed

in

in tempore nunquam datur infinitum in actu : cum nunquam existant simul infinitæ cogitationes : ergo neque in æternitate; atqueadeò Deus scientia visionis non cognoscit infinitum in actu. Itaque sicut supra dicebamus de collectione possibilium, multitudo existens in æternitate dicit repugnantiam ad simul, & adæquatè existendum in propria mensura ; neque est aliquid vnum ; sed plura complectitur, etiam contradictoria ; constatque infinitis numeris, quorum quilibet suum habet genus, & vltimam vnitatem, à qua accipit speciem, & differentiam.

103. Neque obstat simul in æternitate existere : hæc enim est mensura extrinseca, & superior, quæ plura, quæ alias essent contradictoria involuit ; & sicut simul sunt in cognitione illa, quæ essentialiter sunt successiva, & vnum post aliud in propria mensura ; ita simul existit in æternitate infinitum in potentia ; quin sequatur existere infinitum in actu. Item istæ propositiones *Petrus est*, *Petrus non est*, quæ in eodem tempore verificari non possunt, in æternitate tamen veræ sunt, & simul ex parte cognitionis cognoscuntur à Deo vt veræ, licèt pro diversis temporibus. Quod vlterius explicari potest in causa, quæ simul ex parte sui continet effectus, qui tamen in propria mensura simul esse non possunt ; pariter in æternitate, quæ est mensura extrinseca, simul sunt, quæ in propria mensura simul esse non possunt. Vndè fasu n est absolutè dari in æternitate infinitum in actu : potestque aliquomodo susteneri in sensu supra explicato, de simultate extrinseca, quę absolutè non constituit infinitum in actu, sicut neque simultas in esse cogniti.

DVBIVM IV.

Quænam scientia Dei sit causa rerum?

1. SVPPONIMVS Deum causare creaturas per scientiam, & voluntatem : quod ex Sacris litteris manifestum est; dicitur enim Psalmo 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Et Proverbiorum 3. *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia, sapientia illius eruperunt abissi.* Et de voluntate dicitur Apocalypsis 4. *Propter voluntatem tuam erant, & creata sunt* ; quod docet D. Thomas in præsenti art. 8. & alibi sæpè : & ratione convincitur ; quia Deus vt suprèmus Dominus, & perfectissime liber omnia operatur ; sed agens liberum agit per intellectum, & voluntatem ; ergo Deus scientia, & voluntate omnia operatur. Quod expressit Apostolus ad Ephesios 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Sed quia in Deo respectu creaturarum, duplex est scientia, quam distinguit D. Thomas art. 9. altera, scilicèt, simplicis intelligentiæ, qua Deus cognoscit possibilia; altera visionis, qua futura, & existentia cognoscit, quæ distinguitur à scientia approbationis, quia hæc solum extenditur ad bona, quæ Deus approbat, illa autem etiam ad mala, quæ reprobat, respectu quorum vocatur ab aliquibus, reprobationis; quę etiam distinguitur à scientia libera per hoc, quod scientia libera extenditur etiam ad futura conditionata nunquam exitura, scientia autem visionis solum extenditur ad existentia ; merito dubitatur quænam harum scientiarum sit causa rerum?

§. I.

§. I.

Aperitur ſtatus controverſiæ, & referuntur ſententiæ.

2 PRIMO Certum debet eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ creaturarum ad illarum productionem concurrere remotè, & directivè; & ratio eſt: nam ſcientia, per quam Deus ante omne decretum conſtituitur potens creaturas decernere, ad illarum productionem concurrit, ſaltim remotè dirigendo voluntatem Divinam, vt ſe ad illarum productionem determinet: talis eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ creaturarum; ergo hæc ſaltim remotè, & directivè ad illarum productionem concurrit. Minor probatur; quia Deus non eſt potens proximè producere creaturas ante omne decretum, niſi ante illud habeat aliquam ſcientiam illarum: ſed ſcientia antevertens omne decretum eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & non viſionis, aut aliqua ſcientia contingens, cum hæc innitatur decreto, illudque ſupponat; ergo eſt ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Qua ratione inefficacitèr vtuntur quidam Recentiores ad hanc veritatem probandam; cum Deus per ſcientiam mediam, iuxta ipſos conſtituatur proximè potès decernere actum liberum creaturæ, quæ tamen contingens eſt, nullum præſupponens decretum.

3 Hæc autem directio non ſolum convenit in actu primo ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, ſed etiam in actu ſecundo: quod videtur docere D. Thomas in præſenti artic. 16. ad 1. illis verbis: *Scientia Dei eſt cauſa, non quidem ſui, ſed aliorum; quorundam quidem actu, ſcilicèt, eorum, quæ ſecundum aliquod tempus fiunt; quorundam virtute, ſcilicèt, illorum, quæ poſſunt fieri, & tamen nunquam fiunt.* Et quæſt. 15. ſequenti art. 3. ad 2. ibi: *Eorum, quæ neque ſunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, niſi virtute tantum;* quæ de eadem ſcientia ſimplicis intelligentiæ affirmare videtur, de qua ſine inconvenienti vtrumque verificari poteſt; cum ante terminationem liberam conſtituentem ſcientiam viſionis intelligatur decretum aliquod productivum creaturarum directum, & regulatum in actu ſecundo per ſcientiam antecedentem, quæ, vt diximus, eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

4 Difficultas ergo eſt: an vltra huiuſmodi remotam directionem conuenientem ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, conveniat ſcientiæ viſionis alius influxus in creaturas, imperando, vel exequendo illarum productionem. Partem negativam tenent communiter Recentiores extra Scholam D. Thomæ aſſerentes ſcientiam viſionis eſſe purè ſpeculativam, & ſupponere creaturarum exiſtentiam, non cauſare; pro qua referuntur ab ipſis Alenſis, Richardus, Abulenſis, & alij ex antiquis, illam defendunt Molina in præſenti art. 13. diſp. 17. Ualentia in præſenti puncto 4. Suarez lib. 1. de abſoluta ſcientia contingentium cap. 5. & lib. 1. de Concurſu Dei, cap. 13. à numero 25. Uazquez, tomo 1. in 1. partem, diſp. 68. cap. 6. quos alij Recentiores ſequuntur affirmantes eſſe manifeſtam, & expreſsè traditam à PP. Eccleſiæ aſſerentibus non ideò creaturas eſſe, quia illas Deus novit, ſed potiùs Deum illas cognoſcere, quia creaturæ ſunt.

5 Oppoſita tamen ſententia eſt communis inter Thomiſtas; illam traddit M. Alvarez de Auxiliis, diſp. 16. & in Reſponſionibus, lib. 1. cap. 7. M. S. Thoma, diſp. 18. PP. Salmanticenſes, tract. 3. diſp. 5. dub. 2. Albelda artic. 8. Cornejo, etiam art. 8. diſp. 2. dubio vltimo; pro qua Vazquez vbi ſupra refert Albertum, Bonaventuram, & Gregorium. Pro cuius explicatione

ſit.

§. II.

Statuitur concluſio.

SCIENTIA, qua Deus cauſat creaturas in actu ſecundo effectivè, & applicativè eſt ſcientia viſionis, non ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Concluſio pro ſecunda parte non negatur ab Authoribus primæ ſententiæ: & facilè ſuadetur: nam ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſolum concurrit dirigendo, & proponendo voluntati Dei obiecta ab ipſo proſequenda, quæ indifferens eſt, vt producantur, & non producantur creaturæ; ergo illa non concurrit effectivè, aut applicativè ad creaturarum productionem. Pro prima parte, quam negant aſſerentes, vt vidimus, ſcientiam viſionis eſſe purè ſpeculativam, & nullomodo practicam, probata manet, ſi oſtendamus aliquam ſcientiam eſſe effectivam creaturarum; cum enim hoc ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ non competat, dicendum eſt convenire ſcientiæ viſionis. Probatur ergo ex Proverbiorum 3. vbi ſupra: *Dominus ſapientia fundavit terram, ſtabilivit cœlos prudentia.* Et de Sapientia increata cap. 8. dicitur: *Quando præparabam cœlos aderam, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Ex quibus ſic colligitur concluſio; ſapientiæ Dei attribuitur facere, fundare, componere, ſtabilire: ſed hæc impropriè conveniunt ſcientiæ dirigenti, & indifferenti, vt ſit, vel non creatura, qualis, vt diximus, eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ; ergo debet verificari de ſcientia viſionis. Quod etiam non obſcurè traditur Geneſis 1. *Fiat lux, & facta eſt lux.* Et Pſalmo 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt*: vbi exiſtentia creaturarum imperio Dei, ſicut actui dicendi tribuitur: ſed hic actus eſt intellectus, non voluntatis; nec eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ indifferens ad eſſe, & non eſſe creaturarum; ergo eſt ſcientia viſionis.

7 His accedit Patrum authoritas, & primo Tertulianus in Apologetico cap. 17. ſic habet: *Quod colimus, vnus Deus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, & ſpirituum, verbo, quo iuſſit, qua ratione diſpoſuit, virtute, qua potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum maieſtatis ſuæ.* Ex quibus primo habetur verbo Deum iubere; & conſequenter dicere, & iubere ad intellectum pertinere; cui actui attribuit Scriptura vbi proximè efficientiam creaturarum. Deindè habetur, rationis diſpoſitione, Deum fuiſſe creatorem; quod ſcientiæ indifferenti convenire non poteſt, vt iam ponderavimus.

8 Deindè Auguſtinus lib. 15. de Trinitate relatus à D. Thoma artic. 8. ſic habet: *Univerſas creaturas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideò novit Deus, ſed ideò ſunt, quia novit*; quod denotat in ſcientia divina prioritatem, & connexionem cum creaturarum exiſtentia; quod de ſcientia ſimplicis intelligentiæ non verificatur. Et lib. 11. de Civitate Dei, cap. 10. hoc ipſum tanquam mirabilè, vt verum tamen proponit his verbis: *Occurrit animo quidam mirum, ſed tamen verum, quod iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet: Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet.* Idem habet lib. 13. Confeſsionum, cap. 38. *Nos itaque, quæ fecisti videmus, quia ſunt: tu autem, quia vides ea ſunt, & nos foris videmus, quia ſunt, & intus, quia bona ſunt: tu autem vbi vidiſti facta, ibi vidiſti facienda.* Accedit Gregorius lib. 20. Moralium, cap. 23. ibi: *Quæcumque ſunt non ideò ab æternitate eius videntur, quia ſunt, ſed ideò ſunt quia videntur.* Et lib. 32. cap. 6. *non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continet: Quidquid ergo creator non videt, eſſentia ſubſiſtendi caret.*

9 Hanc eandem eſſe mentem Div. Thomæ, quidquid Adverſarij dicant, manifeſtè colligitur ex artic. 8. præſenti. Et ex quæſtione, art. 14. in quibus ſolvit, & explicat authoritates SS. Patrum, in quibus aſſerere videntur ideò Deum ſcire creaturas, quia ſunt, non autem eſſe, quia præſciuntur, quibus præcipuè nituntur Adverſarij. Conſtat etiam ex 1. diſt. 39. quæſt. 1. art. 1. vbi ad 5. ſic habet: *Licèt eſſe, & ſcire Dei ſint idem ſecundum rem; tamen ſcire ſequitur voluntatem, vt imperantem, eſſe autem non, & ideò eſſe ſuum non ſubiacet libertati voluntatis, ſicut ſcire operativum creaturæ voluntati*; vbi ſcire operativum creaturæ ſubiacere affirmat libertati voluntatis: at ſolum ſcientia viſionis ſubiacet voluntati; ergo ſolum illa eſt operativa creaturæ.

10 Sed quia ex teſtimonijs adductis ma-

manifeſtè infertur ante exiſtentiam, & futuritionem creaturarum præcedere in Deo ſcientiam aliquam cauſantem, & inferentem earum exiſtam, quam denotat cauſalis illa, *ideò futuræ ſunt, quia novit*; quod eorum principijs circa libertatem creatam ex diametro opponitur: reſpondent primo ſermonem PP. verificari erga creaturas neceſſarias; non verò erga actus liberos.

11 Sed hæc ſolutio inſufficiens eſt; quia ſaltim reſpectu aliarum rerum debent admittere, ſcientiam viſionis eſſe cauſam illarum, cui ſolum illa attributa poſſunt convenire. Secundo; quia ſequitur etiam eſſe falſum, actus liberos exiſtere, quia Deus vult, & ſimiliter quod voluntas divina ſit illorum cauſa; quorum vtrumque eſt abſurdum. Sequela autem probatur; quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ indifferens eſt, vt res ſit, & non ſit, falſum eſt ideò creaturam exiſtere, quia Deus illam cognoſcit per ſciẽtiam ſimplicis intelligentiæ: ſed omnis actus voluntatis divinæ poteſt componi cum non exiſtentia actus liberi; ergo falſum erit illum exiſtere, quia Deus vult. Similiter ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quia ratione ſui indifferens eſt, non eſt cauſa effectiva rerum: ſed omnis actus voluntatis divinæ eſt indifferens; ergo voluntas divina non eſt effectiva rerum. Tertiò; creaturas eſſe futuras, quia Deus illas novit, inferunt PP. ex ſubordinatione, & dependentia creaturarum à Deo, & Dei ab illis ſumma independentia, & dominio: quod totum oritur ex conceptu creatoris, & creaturæ; ergo verum debet eſſe, etiam reſpectu actuum liberorum. Quarto; quia, vt ex verbis SS. conſtat, eorum loquutio eſt vniverſalis comprehendens vniverſas creaturas; atque adeò actus liberos, niſi velint actum liberum à conceptu creaturæ abſtrahere.

12 Secundo reſpondent, SS. Patres non loqui de ſcientia viſionis, ſed de ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Sed nec etiam hæc interpretatio ſufficiens eſt: primo; quia SS. PP. nomine viſionis vtuntur, vt conſtat ex Auguſtino, & Gregorio; ergo ſine fundamento de alia ſcientia interpretantur. Secundo, quia Gregorius ſic loquitur; quidquid ergo creator non videt, eſſentia ſubſiſtendi caret, quod de purè poſsibilibus verificatur; ergo purè poſsibilium negat viſionem, quam concedit exiſtentium, quæ alia eſſe non poteſt, niſi propria ſcientia viſionis. Tertio; quia cauſare, & inferre creaturarum exiſtentiam, quod denotat cauſalis Patrum, ſoli ſcientiæ viſionis convenire poteſt.

13 Secundo probatur ratione communi Thomiſtarum; ſcientia Dei eſt cauſa rerum: at non ſcientia ſimplicis intelligentiæ; ergo ſcientia viſionis. Maior conſtat ex dictis, minor verò probatur: ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt indifferens ad eſſe, & non eſſe creaturarum; ergo illa ratione ſui non eſt in actu ſecundò illarum cauſa, non enim effectus dependet à ſcientia vt indifferenti, ſed vt applicata, & determinata; & conſequenter ſi ex ſe indifferens eſt, ab illa prout ſic non poteſt creatura dependere.

14 Dices, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſecundum ſe eſſe indifferentem; determinari tamen per actum voluntatis, quæ regulat. Sed contra eſt primo; quia vt cauſet actus liberos, neceſſarium eſt vt determinetur per actum voluntatis ad illorum exiſtentiam, & non ſufficit decretum indifferẽs; ſed neceſſarium eſt efficax; quia decretum indifferens non poteſt ſcientiam indifferentem determinare: hoc autem licèt verum ſit, ab ipſis non conceditur. Secundo reijcitur ſolutio: nam voluntatis determinatio eſt extrinſeca ſcientiæ, & formaliter ſolum eſt in voluntate, ante cuius determinationem non datur determinatio intrinſeca in ſcientia, ratione cuius imperet exequutionem: vel poſt determinationem voluntatis, & ex illa, intrinſeca determinatio in ſcientia reſultat, ratione cuius poteſt electionem imperet electionem: ſi dicatur primum; ſequitur totum influxum proprium ſcientiæ ſiſtere in propoſitione obiecti eligendi per voluntatem: quod tamen falſum eſt; cum concurſus iſte directivus, & remotus indifferens ſit, vt diximus, & impotens applicare, aut determinare potentiam exequutivam; & conſequenter inſufficiens ad afferendum ſcientiam Dei eſſe cauſativam, & effectivam creaturarum.

15 Secundo; quia vt conſtat ex ſcriptura, ſcientia, qua Deus operatur creaturas, eſt qua dixit, & facta ſunt, qui eſt proprius actus ſcientiæ operativus creaturæ: at ſcientia ſimplicis intelligentiæ, etiam determinata extrinſicè per voluntatem non dicit determinatè creaturas fieri, ſed ſolum cognoſcit poſſe fieri; ergo etiam determinata per voluntatem non eſt cauſa factiva creaturarum. Et huius ratio eſt; quia hæc determinatio eſt extrinſeca ſcientiæ, & propria voluntati: at dicere, qui eſt actus adæquatè intellectus, non poteſt inadæquatè per vo-

lun-

tantatem constituí; ergo hæc determinatio non sufficit, vt scientia simplicis intelligentiæ sit causa operativa rerum.

16 Si autem dicatur secundum, necessario fatendum est scientiam visionis esse causam creaturarum; scientia enim, supponens decretum liberum absolutum, est scientia libera, & visionis, quæ ex efficacia derivata ab actu electionis scientiæ intrinsecæ applicat, & imperat exequutionem. Et quod ita asserendum sit, apertè constat ex Div. Thoma 1. 2. quæst. 16. & 17. iuxta quem actus imperij requisitus ad existentiam creaturæ est actus intellectus subsequens electionem, & regulans exequutionem, & vsum: & ratio est communis agenti creato, & increato: nam præter actum intellectus dirigentem electionem, & proponentem obiectum eligendum, moventemque ad effectum illius in linea intentiva, alius debet dari imperans exequutionem; vt enim ibi dicitur, post electionem est specialis difficultas in exequutione, & distincta ratio formalis in obiecto, vt vlterius per actum vsus attingatur; atqueadeò necessarius est alius actus intellectus imperans, & movens ad exequendum id, quod per electionem in linea intentionis amatur: sed huiusmodi actus est scientia visionis, vtpotè supponens electionem efficacem, dicens ratione sui, & determinatè exequutionem faciendam; ergo non scientia simplicis intelligentiæ, sed scientia visionis secundum terminationem sibi intrinsecam illam distinguentem à prima est scientia operativa creaturæ.

17 Ex quibus constat, quod supra asserebamus, scilicèt, scientiam simplicis intelligentiæ dirigere, & regulare primum actum efficacem: cui non obest eius indifferentia: nam cum prima determinatio debeat fieri per actum voluntatis, quæ est primum determinans quoad exercitium, non debet huiusmodi determinatio præsupponi in scientia dirigente, sed satis est si proponat actum indifferenter, relinquendo determinationem ipsi voluntati, à qua imperium subsequutum habet efficaciam ad movendum, & applicandum potentiam ad exequutionem; quapropter ista, & non illa, est scientia operativa creaturarum.

18 Tertiò probanda est conclusio: nam Deo debet concedi perfectissimus modus operandi: sed perfectior modus operandi est per scientiam visionis, quam per scientiam simplicis intelligentiæ; ergo Deus per scientiam visionis operatur creaturas. Minor probatur: nam scientia simplicis intelligentiæ solum directivè, & remotè; scientia autem visionis, vt à nobis explicatur, concurrit dirigendo vsum, & exequutionem, & illam efficaciter operando: sed iste est perfectior modus operandi; ergo vera est minor. Secundo: in Deo debet concedi scientia visionis perfectissima: at perfectior est scientia visionis, quæ simul sit operativa, & intuitiva sui obiecti, quàm scientia visionis purè speculativa; ergo scientia visionis in Deo est operativa creaturarum. Maior constat, & minor probatur; quia perfectior est scientia speculativa simul, & practica, quam purè speculativa.

19 Respondent Adversarij implicare scientiam visionis, vt à nobis explicatur; ac proindè non posse perfectiorem esse. Sed contra est; quia actus imperij, qui supponit electionem, & antecedit vsum, necessario est concedendus, vt diximus, qui est operativus obiecti, & intuitio illius. Neque obstat ad hoc, quod influat in creaturam, supponere actum efficacem voluntatis; quia licèt iste, vtpotè efficax inferat infallibiliter existentiam creaturæ, est tamen medijs alijs actibus intellectus, & voluntatis; quapropter se solo non sufficit ad productionem creaturarum, sed alij actus requiruntur, inter quos præcipuus est actus imperij.

Secundò; quia de ratione scientiæ visionis non est suum obiectum supponere, sed sufficit, si ad illud à se productum pro eadem duratione terminetur; vt constat in cognitione, qua Pater Æternus producit Filium, quæ est illius intuitiva, illumque producendo intuetur, & intuendo producit; & in scientia, qua intellectus format ens rationis, quæ tamen est illius intuitio; ergo non implicat, quod visio sit operativa sui obiecti.

20 Tertio: nam vt visio sit operativa creaturarum, sufficit, quod illas præcedat: sed stat esse visionem, & illas præcedere; ergo & esse operativam. Probatur minor; vt sit illarum visio, sufficit, quod præsupponat decretum efficax illarum: sed stat supponere illarum decretum efficax, & illas præcedere; ergo stat, quod sit visio, & illas præcedat. Minor probatur; tùm quia decretum præcedit existentiam creaturarum; ergo stat subsequi ad decretum, & præcedere creaturarum existentiam. Tùm etiam; quia quamvis decretum efficax sit, potest

non ſufficere, niſi medijs alijs actibus ad exiſtentiam creaturarum, vt diximus; & quod ita aſſerendum ſit, convincitur ex paritate voluntatis; amor enim Dei non ſupponit bonitatem in creatura, ſed illam communicat; neque vllus datur amor erga creaturas non communicativus bonitatis, vt Tractatu de Voluntate dicemus; ergo ſcientia veritatis contingentis non ſupponit veritatem creatam, ſed illam operatur.

21 Tandem hæc doctrina vlteriùs explicatur; ſcientia ſimplicis intelligentiæ in Omnipotentia attingit poſsibilia; quam tamen complet, vt Omnipotentia Deum conſtituat potentem illa producere; quamvis enim Omnipotentia ſit virtus productiva, & exequutiva, cum Deus ſit agens intellectuale, indiget obiecti cognitione, vt conſtituatur, & ſit complete potens; ergo ſimiliter dicendum eſt, quod licèt ſcientia viſionis in decreto attingat futura, complet tamen in ordine ad vſum, & exequutionem, illam regulando, & proponendo obiectum, vt exequutioni mandandum.

22 Tandem probatur concluſio; quia ſcientia Dei eſt prior veritate creata, & eius menſura, non è contra: at ſi ſcientia viſionis non eſſet cauſa rerum, hoc non verificaretur de illa, ſed potiùs à rebus acciperet certitudinem, & perfectionem; ergo eſt cauſa rerum. Maior probatur ex Div. Thoma, hoc artic. 8. ad 3. ibi: *Sicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quam ſcientia noſtra, & menſura eius, ita ſcientia Dei eſt prior, quam res naturales, & menſura ipſarum.* Et 1. 2. quæſt. 93. artic. 1. ad 3. ſic habet: *Ratio intellectus divini aliter ſe habet ad res, quam ratio humani intellectus; intellectus enim humanus eſt menſuratus à rebus, vt ſcilicèt conceptus hominis non ſit verus propter ſeipſum, ſed dicitur verus ex hoc, quod conſonat rebus: intellectus verò divinus eſt menſura rerum, quia vnaquæque res in tantum habet de veritate, in quantum imitatur intellectum divinum.* Deindè probatur; quia ſcientia Dei nec accipitur à rebus, ſicut noſtra; neque à creaturis ſpecificatur, vtpotè quæ ſolum ſunt obiectum ſecundarium illius; ergo ab illis menſurari non poteſt. Minor autem principalis probatur: nam ſcientia, quæ ſuum obiectum non facit, ſed ſupponit, ab illo accipit ſuam perfectionem, ſcilicèt, veritatem, & certitudinem; ideò enim eſt vera, quia obiectum ita eſt, & quia cum illo commenſuratur, & adæquatur, non verò è contra; ſed ſcientia merè ſpeculativa non facit, ſed ſupponit ſuum obiectum; ergo ab illo menſuratur, & ab illo accipit perfectionem.

23 Fateor huiuſmodi rationem non multum vrgere in ſcientia viſionis ſupponente decretum efficax, qualis eſt ſcientia rerum naturalium, ſcilicèt, illarum, quæ à liberis actibus diſtinguuntur; namque huiuſmodi ſcientia non ſupponit obiectum in ſe, ſed in decreto, illudque cognoſcit in eſſentia Dei per tale decretum determinata: quapropter ſicut ſcientia poſsibilium ab illis non accipit certitudinem, & veritatem, ſed ab eſſentia Divina, in qua cognoſcuntur; pariter ſcientia viſionis, non à rebus, ſed ab eſſentia Divina per decretum determinata, accipit perfectionem, & certitudinem.

24 Poteſt tamen inſtari exemplo adducto: nam licèt hoc verum ſit; ſcientia tamen ſimplicis intelligentiæ complet Deum in ratione potentis; ergo pariter ſcientia viſionis in ratione operantis. Inſuper potentia contentiva in actu primo creaturarum dicit duo, ſcilicèt, Omnipotentiam, & cognitionem dirigentem, quæ vt ait D. Thomas, eſt in virtute operativa creaturarum; ergo ſicut Omnipotentia determinata per voluntatem operatur influxu ſibi proprio, pariter, & cognitio; at niſi operetur ratione terminationis conſtituentis ipſam in ratione ſcientiæ viſionis, proprius eius influxus non datur, ſed intra propriam lineam ſemper remanet in actu primo; ergo aſſerendum eſt ratione terminationis conſtituentis ſcientiam viſionis proprium habere influxum, qui alius non eſt, niſi influxus imperij, vt dictum eſt. Deindè, licèt ſcientia viſionis ſupponat decretum, non tamen creaturam in ſe; ergo poterit ipſam præcedere per modum cauſæ: ſicut ſcientia ſimplicis intelligentiæ etiam ſi ſupponat creaturas poſsibiles in eſſentia Divina, vt ab illis imitabili, quia illas non ſupponit in ſe, complet Deum in ratione potentis.

25 Sed his relictis; argumentum factum ſaltim convincit reſpectu ſcientiæ actuum liberorum, quæ decretum efficax non ſupponit, & in ſententia frequenti apud Adverſarios, iuxta quam

quam scientia visionis terminatur ad futura, non in essentia divina, vt determinata per decretum, sed in seipsis; & saltim asserunt Deum cognoscere futura in signo, licèt non antecedente decretum, præscindenti tamen à decreto; contra quos argumentum factum vrget. Et confirmatur primo sic; ipsi docent, quod quia res sunt futuræ, cognoscuntur à Deo, *ly quia* dicente non solum illationem, sed prioritatem, & aliqualem causalitatem: sed res, præcipuè actus liberi non constituuntur futuræ per decretum, iuxta ipsos, sed quia ita res eveniunt; ergo aliquid distinctum à Deo influxum aliquem habet in scientia Dei. Confirmatur secundo: iuxta Adversarios priùs est rem esse futuram, quam Deum præscire esse futuram: sed hæc prioritas absque causalitate futurorum in præscientiam intelligi non potest; ergo hanc tenentur fateri. Minor probatur; inter illa, quæ simul sunt, non datur prioritas, nisi causalitatis: sed futuritio, & scientia simul sunt, cum sint ab æterno; ergo in illis intelligi non potest prioritas absque causalitate. Quod argumentum, vt diximus, in actibus liberis efficax est: in rebus autem necessarijs etiam habet vim suppositò, quod plures asserunt, nimirum, huiusmodi res esse futuras ab æterno præcisivè à decreto, & in signo præscindente ab illo.

26 Respondent hanc non esse propriam causalitatem, sed solum determinationem obiectivam, quatenus, scilicèt, scientia Dei, quæ ex se est indifferens ad cognoscendum futura determinatur ad illa cognoscenda ex determinatione obiecti, nempè, quia res ita se habent. Contra quod stat, quia hoc est dependere in genere causæ obiectivæ; neque enim obiectum vt tale aliter influit in cognitionem, nisi movendo, & determinando ad illam, in quo etiam consistit obiectum causare certitudinem, & veritatem, non illam accipere à scientia: cuius oppositum in divina scientia asserendum esse, iam vidimus. Insuper, scientia Angelorum non aliter à rebus mensuratur, nisi quia in illis supponit veritatem, & certitudinem, à quibus proindè illam accipit; Angeli enim non accipiunt species à rebus, sicut nos; ergo si scientia Dei non est causa rerum, sed in illis veritatem, & existentiam supponit, à qua cognitio divina determinatur, quamvis Deus à rebus speciem non accipiat, eius tamen scientia specificabitur, & mensurabitur à rebus. Tandem, voluntatem divinam moveri obiectivè à bonitate creata imperfectio est; quapropter, vt supra diximus, nullus in Deo datur amor, nisi communicativus bonitatis; ergo scientiam Dei moveri, & determinari ab obiecto creato imperfectio est; & consequenter nulla debet in Deo concedi scientia, quæ rebus contingentibus veritatem non tribuat.

§. III.

Solvuntur argumenta.

27 CONTRA Resolutionem nostram arguitur primo ex Div. Thoma hoc artic. 8. vbi tria docet: primum, quod scientia, quæ est causa rerum, est illa, quæ ex se habet ad oppositum, indiget tamen determinari per voluntatem: sed hæc est scientia simplicis intelligentiæ; scientia enim visionis, vt talis determinata est, attingens determinatè futurum; ergo iuxta Div. Thomam scientia Dei, quæ est causa rerum est scientia simplicis intelligentiæ. Secundo docet scientiam Dei esse causam rerum, secundum quod habet voluntatem adiunctam; ergo scientia simplicis intelligentiæ posita præcisè determinatione voluntatis est effectiva rerum. Tertio docet scientiam Dei erga creaturas se habere, sicut se habet scientia artificis ad artificialia; sed scientia artificis, quæ est visio artefacti, non est causa illius, sed illud supponit factum; ergo iuxta Div. Thomam scientia visionis rerum, non est illarum causa. Deindè, quæst. 10. de Veritate articulo 3. in corpore, vbi sic habet; præscientiam Dei non importare vniversaliter habitudinem causæ respectu eorum, quorum est, sicut importat prædestinatio;

ergo præſcientia non eſt cauſa rerum.

28 Secundo arguitur ratione, quæ ex his locis videtur deduci; ſcientia viſionis ſupponit exiſtentiam creaturarum; ergo non poteſt eſſe illarum cauſa. Antecedens probatur primo ex Scriptura. Geneſis 1. vbi dicit: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*: vbi ſatis clarè inſinuatur ſcientiam viſionis ſupponere res factas, & exiſtentes; poſtquam enim fecerat vidit. Secundo, in viſione artefacti reſpectu artificis creati. Tertio, ex ipſa natura ſcientiæ viſionis, de cuius conceptu eſt res exiſtentes contemplari; ergo ſupponit ſuum obiectum exiſtens. Quarto: nam quælibet ſcientia ſuum obiectum ſupponit. Sed ſcientia viſionis terminatur ad futura, & exiſtentia; ergo illa ſupponit futura, & exiſtentia. Probatur maior: tùm; quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſuum obiectum ſupponit, nimirum, poſsibilitatem creaturarum: at non alia ratione, niſi quia eſt eius obiectum; ergo omnis ſcientia ſuum obiectum ſupponit. Tum etiã; quia ideò cognitio eſt vera, quia ita eſt obiectum, ſicut per illam ſignificatur; ergo omnis cognitio, præcipuè, quæ eſt eſſentialiter vera ſuum obiectum ſupponit. Tùm denique; quia eſt expreſſa ſententia Auguſtini lib. 4. ſuper Geneſim ad litteram, ibi: *Nec enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda præcedant.*

29 Quinto: nam per decretum efficax res conſtituuntur futuræ: ſed ſcientia viſionis ſupponit decretum; ergo ſupponit earum futuritionem. Sexto; quia in Deo debet conſtitui ſcientia viſionis, qua cognoſcat res exiſtentes complete, & extra omnes cauſas, & adæquatam earum futuritionem: ſed ſcientia viſionis, vt à nobis ponitur, non cognoſcit Deus res exiſtentes complete, neque adæquatam earum futuritionem; ergo vltra illam alia debet concedi, quæ cauſa rerum non ſit, ſed ſupponens rerum adæquatam futuritionem. Maior eſt certa; cum enim res exiſtentes complete, & extra omnes cauſas, & rerum adæquata futuritio videantur à Deo, aſsignari debet ſcientia, per quam cognoſcantur. Minor autem probatur; tùm, quia ſcientia viſionis ſolum attingit eſſentiam Dei vt determinatam per decretum electivum, ſeù pertinens ad lineam intentivam, quod ſupponit: ſed huiuſmodi decretum non conſtituit rem adæquatè futuram, neque eſt adæquata cauſa exiſtentiæ creaturæ; ergo Deus hac ſcientia viſionis non cognoſcit adæquatam futuritionem creaturæ, neque ipſam extra omnes cauſas. Tùm etiam; quia licèt iſta ſcientia viſionis attingat etiam decretum exequutivum, adhùc non attingit adæquatam futuritionem, neque rem extra omnes cauſas; cum ipſa ſcientia viſionis à nobis poſita ſit cauſa rerum, & inadæquata forma futuritionis. Tùm denique; quia licèt ſcientia viſionis ſeipſam reflexè attingere poſsit, non tamen directè; ergo alia ſcientia aſsignari debet, quę directè attingat adæquatam rerum futuritionem, & res extra omnes cauſas, quæ alia eſſe non poteſt, niſi ſcientia, quæ ſupponat adæquatam futuritionem, & res adæquatè exiſtentes; quod contingere non poteſt, niſi aſsignetur ſcientia viſionis, quæ non ſit cauſa rerum.

30 Reſpondetur mentem D. Thomæ conſtare ex dictis, & in articulo citato, præcipuè reſponſione ad primum, vbi expreſsè docet res eſſe futuras, quia ſciuntur à Deo; quod de ſcientia viſionis intelligendum conſtat; quia ſola hac ſcit Deus creaturas eſſe futuras. Ad primam ergo ponderationem conceſſa maiori, diſtinguenda eſt minor, ſcientia ſimplicis intelligentiæ, iam determinata per determinationem liberam ortam ex determinatione voluntatis, concedo minorem, ſcientia ſimplicis intelligentiæ in ſua indifferentia relicta, nego minorem, & neganda eſt conſequentia, vel diſtinguendum conſequens eodem modo: vt enim iam diximus, eadem ſcientia, quæ pro ſigno antecedenti determinationem voluntatis eſt indifferens, ex determinatione voluntatis accipit intrinſecam determinationem, qua Deus cognoſcit res eſſe futuras determinatè, & illa ſic determinata eſt cauſa futurorum: cæterum proùt ſic non eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſed viſionis, quæ à prima diſtinguitur per terminationem ad futura, & exiſtentia: quod docuit D. Thomas quæſt. 3. de Veritate, artic. 3. ad 8. ibi: *Scientia Dei ſimplex notitia dicitur ad excludendum admixtionem eius, quod eſt extra genus notitiæ, ſicut eſt exiſtentia rerum, quam addit ſcientia viſionis, vel ordo voluntatis ad res ſcitas producendas, quæ addit ſcientia approbationis.*

31 Vt hoc tamen pleniùs explicetur advertendũ eſt, quod ſcientia duplicẽ habet terminationem, alteram neceſſariam ad poſſibi-

sibilia, & alteram liberam ad existentia, quarum prima per secundam non destruitur; cum enim sit necessaria, semper perseverat. Undè si scientia simplicis intelligentiæ constituatur præcisè per primam terminationem, & non addat exclusionem secundæ, eadem scientia simul, & semel est simplicis intelligentiæ, & visionis, cum eidem scientiæ vtraque terminatio conveniat: dicitur autem scientia visionis causare res, & non scientia simplicis intelligentiæ, quia scientia Dei indiget terminatione libera constituente illam in ratione visionis, vt in actu secundo sit causa creaturarum imperando illarum productionem; ad eum modum, quo amor liber est causa creaturarum, quia amor necessarius ratione terminationis liberæ ad creaturas applicat Omnipotentiam ad illarum productionem: si verò scientia simplicis intelligentiæ non solum dicat terminationem ad possibilia, sed exclusionem terminationis liberæ, & existentiæ creaturæ, vt videtur insinuare D. Thomas vbi proximè, clarè conspicitur, qualiter scientia visionis, & non scientia simplicis intelligentiæ est causa rerum; semper enim est verum scientiam Dei illas causare ratione terminationis liberæ: per quod constat ad secundam ponderationem.

32 Ad tertiam respondetur distinguendo maiorem, quantum ad omnia, nego maiorem, quantum ad aliqua, concedo maiorem, & concessa minori, neganda est consequentia: scientia ergo, & cognitio artificis creata concurrit ad artefactum, non solum directive, sed etiam effective imperando, & applicando potentias exequutivas ad opus, in quo cum scientia divina convenit: differt tamen ab illa in eo, quod scientia artificis creati non operatur in instanti, neque nudo imperio, sed in tempore, & applicando activa passivis; quapropter dum actu fit, non videtur, neque scientia concurrens ad fieri, potest esse visio artefacti, quia fieri præcedit factum esse illius: Deus autem res producit in instanti, & per solum actum imperij, ipsumque factum esse rei presupponit in eodem instanti priori naturæ imperium divinum; vndè potest scientia Dei operativa creaturę illam intueri, cum ad hoc non obstet prioritas naturæ in scientia, si adsit simultas in duratione. Addunt alij aliam differentiam, scilicèt, quod scientia artificis creati non concurrit ad conservationem artefacti, quapropter remanet visio illius purè speculativa: Scientia autem Dei ad vtrumque concurrit, ad productionem, & conservationem; quapropter nunquam potest esse purè speculativa: quam differentiam sumpsere ex Magno Gregorio vbi suprà: *Non existentia videndo creat, & existentia videndo continet.*

33 Ad illud, quod additur ex quæst. 10. de Veritate, dicendum est doctrinam illam verificari in scientia peccatorum, quorum Deus neque per scientiam, neque per voluntatem est causa: vndè eius præscientia non dicit vniversaliter habitudinem causæ. Imò ex hoc loco argumentum pro nobis desummitur; nam si non vniversaliter, aliquando tamen præscientia futurorum, quæ est scientia visionis, dicit habitudinem causæ; sicut illam importare prædestinationem expressè ibi docet D. Thomas: & cum eadem sit ratio in præscientia omnium creaturarum, sequitur, præscientiam omnium dicere habitudinem causæ, illaque solum carere respectu peccatorum.

34 Ad secundum ex ratione petitum, negandum est antecedens, ad primam probationem ex Scriptura dicendum est: verba illa intelligenda esse de scientia visionis quatenus est conservativa creaturum, sub quæ ratione illas supponit factas à seipsa, vt primo productiva; semper tamen influit, & præcedit; vt primo productiva in primum esse, vt conservativa in creaturæ conservationem: alia interpretatio ex dicendis colligi potest. Ad secundam iam diximus non in omnibus æquiparari, & differentiam assignavimus; ex exemplis enim adductis constat non esse contra conceptum scientiæ visionis præcedere natura suum obiectum. Ex quibus constat ad tertiam.

35 Ad quartam neganda est maior, ad cuius primam probationem docti Thomistæ respondent, concessa maiori, negando minorem, reddunteque disparitatem inter vtramque scientiam, quia simplicis intelligentiæ non est causa possibilitatis creaturarum; atque adeò illarum possibilitatem supponit: scientia autem visionis est causa rerum; quas proindè non supponit.

36 Hæc tamen doctrina non placet; quia si loquatur de intrinseca possibilitate indistincta à creatura, de qua argu-

mentum procedit, falſum eſt talem poſsibilitatem præcedere ſcientiam, cum nihil ſit, niſi ſolum poſsibiliter, & conſequenter illarum ſolum datur Omnipotentia. Secundo, quia dato, quod creaturæ poſsibiles habeant entitatem eſſentiæ eo modo, quo communiter intelligitur, etiam eſt falſum talem poſsibilitatem præcedere ſcientiam; omnia enim prædicata divina præcedunt creaturam, etiam in ſtatu poſsibilitatis; præcipuè illa, à quibus creaturæ exiſtentes dependent; quia enim creatura exiſtens ab Omnipotentia dependet, etiam in ſtatu poſsibilitatis Omnipotentiam ſupponit: ſed ſcientia eſt cauſa rei exiſtentis; ergo creatura in ſtatu poſsibilitatis ſcientiam ſupponit. Tertio; quia ipſa ſcientia, vel eſt natura Dei, quæ proculdubiò præcedit creaturas poſsibiles; vel eſt ipſa Omnipotentia, quæ etiam præcedit, vel ſaltim complet Deum in ratione potentis; & ſic licèt ſupponat poſsibilitatem extrinſecam creaturarum deſumptam ab eſtia Dei, non tamen deſumptam ab Omnipotentia, cum ſcientia Omnipotentiam præcedat: neque ſupponit adæquatam poſsibilitatem; cum enim poſsibilitas extrinſeca deſummatur à cauſa, & non ſolum Omnipotentia ſit à cauſa, ſed etiam ſcientia; ſit conſequens, vt adæquatam poſsibilitatem non ſupponat. Ex quo infertur, nullam eſſe diſparitatem quantum ad hoc inter vtramque ſcientiam: nam ſcientia viſionis ſupponit decretum intentivum, vi cuius creatura eſt futura radicaliter, ſeù incomplete; ſi ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſolum ſupponit poſsibilitatem inadæquatam, nulla eſt diſparitas inter vtramque ſcientiam.

37 Undè aliter reſpondetur, negando maiorem, loquendo de obiecto creato; quod ſi de illo vt poſsibili extrinſecè ſit ſermo, vel neganda eſt maior; quia prima eius poſsibilitas, deſummitur ab eſſentia Dei, quę eſt eius ſcientia, vel ad ſcientiam ſupponitur: vel diſtinguenda eſt maior, ſupponit obiectum creatum, vt poſsibile extrinſecè adæquatè, nego maiorem, inadæquatè, concedo maiorem, & omiſſa minori, diſtinguendum eſt conſequens eodem modo: non enim eſt inconveniens, ſed neceſſarium ſcientiam viſionis ſupponere ſuum obiectum vt inadęquatè futurum. Ad ſecundam, vel neganda eſt maior, vel diſtinguenda; aliqua enim ſcientia ab obiecto accipit certitudinem, & veritatem, vt creata ab illo dependens, & ſic verum eſt, quod in maiori ſupponitur; de ſcientia autem increata, quæ eſt rerum cauſa oppoſitum eſt verum; ideò enim res ſunt, quia videntur à Deo. Ad tertiam ex Auguſtino deſumptam, aliorum relictis ſolutionibus reſponderur, loqui de præcedentia illarum in ſtatu apto ad terminandam cognitionem, non de præcedentia abſoluta; non enim eſt neceſſarium vt res cognoſcatur, quod exiſtat; neque eſt neceſſarium vt aliquid ſit in ſe, ſed ſolum in potentia cauſæ: vt autem res videatur, debet præcedere eius poſsibilitas, & inadæquata futuritio, quam habet ex vi decreti intentivi, dummodo ex vi viſionis compleatur eius futuritio.

38 Ad quintam diſtinguenda eſt maior, conſtituuntur futuræ adæquatè, nego maiorem, inadæquatè, concedo maiorem, & conceſſa minori, diſtinguendum eſt conſequens diſtinctione maioris: cum enim futuritio conſiſtat in determinatione cauſæ addandum effectui exiſtentiam, vt tractatu ſequenti oſtendemus, & hæc determinatio in Deo coaleſcat ex duplici decreto, intentivo, & exequutivo, & imperio rationis, quod eſt ſcientia viſionis inter vtrumque medians; fit, vt ſcientia viſionis, quæ eſt Dei inadæquata determinatio, & ſupponit decretum intentivum, ſupponat inadæquatam futuritionem.

39 Ad ſextam, quæ eſt replica præcedentis ſolutionis, conceſſa maiori, neganda eſt minor: ad primam probationem, neganda eſt maior: nam licèt ſubiective ſolum ſupponat decretum intentivum, attingit obiective exequutivum; ſicut enim ſcientia neceſſaria, licèt ſolum ſupponat eſſentiam, quaſi ſubiective, & non Omnipotentiam, & alia attributa, illa tamen obiective attingit; ſic ſimiliter ſcientia viſionis, quæ ſolum ſupponit decretum intentivum, attingit etiam exequutivum, quod ad illam conſequitur. Ad ſecundam, & tertiam dicendum eſt, ſciẽtiam viſionis ſeipſam habere pro obiecto, ad quod neceſſaria nõ eſt aliqua reflexio propter divinam infinitatem; attingit ergo eſſentiam, vt determinatam per decretum intentivum, & exequutivum, & per ipſam ſcientiam viſionis abſque aliqua reflexione. Habemus exemplum in ſcientia neceſſaria, quæ directè attingit totum Deum, & attributa, etiam ſeipſam, & in illis creaturas poſsibiles.

40 Et ex his colligitur alia interpretatio ad illud Geneſis ſupra adductum, *fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem. Quod eſſet bona, & illud, vidit Deus cuncta,*

quæ

quæ fecerat, & erant valdè bona: quod iuxtà dicta optimè verificatur, absque eo, quod scientia visionis supponat res adæquatè extra causas; sicut verificatur Deum scientia visionis cognoscere adæquatam eius determinationem ad producendum creaturam, quin illam adæquatè supponat; quamvis ex imperfectione nostra non possimus concipere Deum videre se videre, quin ex modo concipiendi visio seipsam præcedat, cum tamen cum fundamento in re nulla sit præcedentia visionis ad seipsam; & sicut scientia simplicis intelligētiæ Deus cognoscit omnia, quæ potest, quin posse adæquatum scientiā præcedat, sic videt, quæ fecit, quin visio adæquatā causam illorum, quæ fiunt supponat. Nisi malvis cum Beda tertiam addere interpretationem, sic dicente; non quasi incognitam lucem laudavit, sed iam factam dignam laude declaravit; quasi post res factas dicat se videre, quia illas declaravit laude dignas, non quia visio illas non præcedat.

41 Tertio arguitur: illa scientia est causa rerum, quæ Deum dirigit ad decernēdum creaturas: sed hoc non præstat scientia visionis, sed scientia simplicis intelligentiæ; ergo hæc, & non illa est causa rerum. Maior probatur; quia non aliter potest sciētia concurrere, nisi dirigendo; sicut neque voluntas aliter potest causare, quam decernendo. Minor verò probatur; illa scientia dirigit Deum, quæ ipsi proponit rationem aptam ad decernendum existentiam creaturæ: sed scientia visionis hoc non præstat; ergo non dirigit Deum ad decernendum creaturas. Minor probatur; scientia visionis repræsentat Deo creaturam iam existere; sed creaturam iam existere non est ratio apta ad movendum Deum, vt illam decernat; id enim, quod movet agens intellectuale, vt decernat rem exequi, non est rem iam esse factam, sed convenientiæ, quæ simul cum possibilitate rei apparent, vt exequutioni mandetur: ergo scientia visionis non proponit Deo rationem aptam ad decernendum existentiam creaturæ.

42 Respondetur distinguendo maiorem, quæ dirigit ad decernendum intentive, nego maiorem, exequutive, concedo maiorem, & nego minorem: ad cuius probationem concessa maiori, vel distincta vt supra, distinguenda est minor, iam existere in linea intentionis, nego minorem, in linea exequutionis, transeat minor, & neganda est consequentia: sicut enim datur duplex decretum, intentivum, & exequutivum, duplex datur scientia dirigens; primum decretum dirigit scientia simplicis intelligentiæ, proponens convenientias, & creaturæ possibilitatem: secundum verò scientia visionis ostendens propositum efficax, & in vi illius imperans exequutionem, vt operi mandetur, quod in linea intentionis præsupponit determinatum, & hęc non solum ostendit convenientias, vt intendatur, sed vt exequutioni mandetur, quod efficacitèr intentum est.

43 Contra hanc tamen solutionem plura congerunt Adversarij. Primo obijciunt; non est cur Deus primo decreto, quo statuit efficacitèr creare Angelum, non decernat existentiam ipsius secundum omnes circunstantias, & ex omnibus rationibus, propter quas decernit eius existentiam per decretum exequutivum, quod dicitur activus vsus: at in hoc casu tale decretum immediatè determinaret potentiam exequutivam ad creationem, non succedente imperio rationis, ex quo vsus activus; ergo vniversaliter loquendo non requiritur ad productionem creaturæ illud imperium, in quo stat scientia visionis.

44 Secundo; vel primo decreto pertinente ad ordinem intentionis definita est efficacitèr existentia creaturæ quantum ad omnes circunstantias, nimirum vt producenda in hoc instanti per hanc numero actionem, vel non: si primum; ergo imperium subsequutum non vrget voluntatem ad novum decretum, quod dicitur vsus activus; non enim significatio, seù intimatio decreti, exerciti à superiori, vrget ad efficacitèr decernendum, quod iam statutum est, sed quod nondum statutum est; debet ergo statui, vt superioris voluntas ad exitum perducatur: si secundum; ergo per tale imperium non videtur ex vi prioris decreti futura circunstantia illa, ad quam decernendam vrget illud imperium; & consequenter iam scientia visionis vnius obiecti non causat illud idem obiectum, sed aliud nondum terminans scientiam visionis; quod proindè non causatur à scientia visionis sui, sed à scientia simplicis intelligentiæ.

45 Tertio: scientia visionis non movet ad exequutionem, quatenus videt intentivum decretum, vt infallibiliter connexum cum opere: sed solum prout sic est scientia visionis; ergo non movet vt scientia visionis operis faciendi. Minor probatur; quia solum potest esse scientia visionis, quatenus videt in decreto intentivo infallibiliter con-

connexo cum opere, ipſam exiſtentiam operis. Maior etiam probatur: nam inſinuatio voluntatis, quam habet ſuperior, facta potentiæ inferiori, vel ſubditæ, non movet ex vi videndi voluntatem ſuperioris, vt infallibiliter connexam cum opere ſtatuto, ſed in vi cognoſcendi voluntatem ſuperioris, vt determinatam affectivè quantum eſt ex ſe ad exequutionem operis, ſivè talis determinatio connectatur cum illo, ſivè non; quapropter inferior non eſt perfectè ſubditus ſuperiori, ſi non ſufficiat ad obediendum, cognoſcere voluntatem ſuperioris, vt affectivè determinatam ad opus, ſed requiratur cognoſcere illam, vt infallibiliter connexam cum opere; ergo imperium intellectuale ex ſuo munere imperij non movet ad exercendum opus, quatenus per ſe, & formaliter, eſt ſcientia viſionis operis exercendi.

46 Huius argumenti ſolutio dependet ex doctrina, quæ à noſtris Thomiſtis cũ D. Thoma traditur 1. 2. quæſt. 17. Nunc autem breviter reſpondetur conceſſa maiori negando minorem: non enim duplex illud decretum diſtinguitur, quia aliud per vnum, & aliud per alterum decernatur, ſed ex diverſo modo tendendi; qualiter communiter diſtinguitur decretum intentivum gloriæ per modum coronæ, & eiuſdem decretum exequutivum: primum ergo tendit in rem affectivè, licèt efficacitèr, quod per imperium ſubſequutum intimatur potentijs inferioribus, vt exequutioni mandetur, ad quod vltimatè determinat decretum exequutivum, quidquid ſit an potentia exequutiva diſtinguatur ab intellectu, & voluntate, ſivè ſit ipſa voluntas, quæ per activum vſum exequitur, ſivè intellectus per actum imperij, vt communius docent Thomiſtæ. Per quod conſtat ad ſecundum; imperium enim non vrget ad aliquid novum decernendum, ſed vt hoc exequutioni mandetur, quod ſtatutum, & determinatum eſt per decretum intentivum.

47 Ad tertium, nego maiorem, ad cuius probationem iterum nego maiorem loquendo de imperio efficaci, quale eſt, quod præcedere debet rerum exiſtentiam; ſi enim decretum divinum intentivum ſit efficax, infert imperium efficax, cuius efficaciam ab intentione participat: ſi autem decretum intentivum inefficax ſit, non poteſt imperium ſubſequutum eſſe efficax; neque in vi horum actuum poteſt exiſtere creatura; neque eſt idem de imperio vnius ad alterum hominem, quod eſt mere præcativum, atque de imperio vnius ad alteram potentiam eiuſdem ſuppoſiti, quod eſt imperium monaſticum, quod in colligatione, & ordine naturali potentiarum ad invicem fundatur.

48 Sed dices; per ſcientiam viſionis, vt diximus, non ſolum cognoſcitur rem eſſe futuram incomplete ex vi decreti intentivi, ſed eſſe abſolutè, & complete futuram; ergo illa non poteſt movere ad decretum exequutivum. Conſequentia probatur; quia per illam cognoſcitur rem eſſe futuram inadæquatè ex vi decreti intentivi, nequit movere ad decretum intentivum; ergo ſi per ipſam cognoſcitur rem eſſe futuram complete ex vi decreti exequutivi, nequit movere ad decretum exequutivum.

49 Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, ad cuius probationem diſtinguendum eſt antecedens, quia per illam cognoſcitur rem eſſe futuram inadæquatè ex vi decreti intentivi præſuppoſiti ad ipſam, concedo antecedens, præciſè, quia per illam cognoſcitur, nego antecedens, & conſequentiam: nam ex vi decreti intentivi, in quo ipſa, & decretum exequutivum, vt in radice continentur, accipit viſio efficaciam ad movendum, & regulandum decretum exequutivum ad ipſam conſequutum. Neque obſtat per illam videre decretum exequutivum; quia illud videt vt ab ipſa derivatum; eo modo quo viſio neceſſaria Dei regulat amorem neceſſarium, quem reſpicit tanquam obiectum: & ſicut hæc viſio ab eſſentia tanquam à radice accipit videre eſſentiam, ſeipſam, & alia attributa, regularque amorem conſequutum ad ipſam; pariter ſcientia viſionis libera à decreto intentivo tanquam à radice accipit ipſum videre, ſe, & decretum exequutivum, quod regulat. Inſuper, quia decretum exequutivum eſt perfecta volitio ſui ipſius, Deus enim per illud non ſolum vult creaturas, ſed vult velle creaturas, ſcientia viſionis, etiam vt ad ipſum terminatur, eſt eiuſdem regula; ſicut contingit in ſcientia neceſſaria, quæ vt determinata ad amorem neceſſarium eſt regula illius, vtpotè, quia amor neceſſarius non ſolum eſt amor Dei, & aliorum attributorum, ſed etiam ſui ipſius; & conſequenter ſcientia, ipſum intelligens, eius bonitatem, & amabilitatem debet præcedere vt regula, ad hoc vt amor ad ſeipſum terminetur.

50 Cum quo rectè componitur doctrina Thomiſtarum diſtinguentium ſcien-

ſcientiam liberam in ſcientiam viſionis, & approbationis, quæ ſunt duo munera eiuſdem ſcientiæ, & docent ſcientiam liberam vt approbationis eſt, quod habet, quatenus ſupponit actum voluntatis, eſſe cauſam rerum, quæ ſecundum munus viſionis ſolum habet contemplari: Hoc, inquam, rectè cõponitur cum dictis; quia iſta duo munia, nõ denotant formalitates virtualiter diſtinctas cum fundamento in re in eadem ſcientia, ſed ſolum denotant ſcientiam viſionis ſic eſſe cauſam, ac ſi non contemplaretur, ſicque contemplari, ac ſi non cauſaret exiſtentiam; quod tamen ab eadem formaliter præſtatur.

51 Tandem arguitur: nam ſcientia viſionis peccati non eſt cauſa illius, quin ex hoc inferatur huiuſmodi ſcientiam à peccato cauſari, vel ab illo aliquam perfectionem habere; ergo etſi ſcientia creaturarum non ſit illarum cauſa, non infertur ab illis accipere perfectionem; ac proindè malè ex hoc principio intulimus ſcientiam viſionis eſſe cauſam rerum.

52 Reſpondetur, ſcientia peccati non eſſe cauſam illius, quia nititur decreto ſolum permiſsivo, à quo accipere non poteſt vim influxivam; cuius oppoſitum in ſcientia viſionis creaturarum, oppoſita de cauſa contingit: quo ſuppoſito fatemur, quod ſi ſcientia viſionis ab Adverſarijs conſtituatur innixa decreto efficaci, quod neceſſariò ſupponit, habeatque pro obiecto primario Deum vt determinatum per tale decretum, ex eo, quod non ſit cauſa rerum, non infertur ab illis accipere perfectionem; quod argumento facto videtur convinci; quia enim ſcientia viſionis peccati reſpicit tanquam obiectum primarium Deum per ſuum decretum permittentem, ex quo Logicè infertur, quãvis ſcientia non cauſet peccatum, non infertur ab illo cauſari: cæterum quia reſpectu actus liberi, Adverſarij docent ſcientiam viſionis non ſupponere decretum efficax, nec in Deo per illud determinato actum liberum cognoſcere, & reſpectu aliarum rerum aſſerunt præciſivè à decreto per ſcientiam viſionis illas cognoſcere; in illorum ſententia efficax eſt argumentum noſtrum; etenim ſcientia viſionis primario terminatur ad res creatas, & vt pleno ore fatentur, quia illæ ſunt futuræ, cognoſcuntur à Deo, quarum futuritio non conſiſtit in decreto efficaci iuxta ipſos. Inſuper rem ita eſſe eſt ratio à priori cognitionis divinæ, quæ in Deo exiſtit erga actus liberos ex determinatione voluntatis creatæ, & erga alia veritatẽ obiectiva (vt aiunt) atqueadeò alia eſt ratio in ſententia noſtra reſpectu cognitionis peccati, atque in Adverſariorum doctrina reſpectu viſionis creaturarum. Deindè, cum viſio creaturarum ſupponat decretum efficax affectivum, non poteſt non habere efficaciam effectivam, quod reſpectu peccati non contingit, vt diximus.

§. Vltimus.

Solvitur vltimum argumentum.

53 VLTIMVM, & precipuum argumentum deſumunt ex PP. authoritate, Origenis, Chriſoſtomi, Auguſtini, Damaſceni, Cyrilli, Leonis, Juſtini, Bedæ, Boetij, & Euſebij; ex quibus duæ propoſitiones in ipſis expreſſæ contra noſtram videntur eſſe ſententiam: prima eſt, non ideò creaturas exiſtere, quia videntur à Deo: ſecunda eſt, ideò Deum videre exiſtentiam creaturæ, quia creatura exiſtit; in quibus oppoſitum noſtræ ſententiæ videtur expreſſum.

54 Primo reſpondent aliqui Thomiſtæ primam propoſitionem intelligendam eſſe, quaſi ſolum velint PP. ſcientiam ex præciſſa ratione ſcientiæ non eſſe cauſam ſui obiecti, quia alias omnis ſcientia ſuum obiectum cauſaret. Contra quam explicationem obijciunt primo; de illa ſcientia de qua negant eſſe rationem exiſtentiæ creaturarum, affirmant exiſtentiam creaturarum eſſe rationem ipſius: at exiſtentia creaturarum non eſt ratio ſcientiæ vt ſic, & ex conceptu ſcientiæ; cum exiſtentia creaturarum non ſit ratio ſcientiæ neceſſariæ, qua Deus ſeipſum cognoſcit; ergo non de iſta vt ſic aſſerunt non eſſe rationem exiſtentiæ creaturarum.

55 Secundo; quia doctrina illa traditur à PP. vt ſatisfaciant Gentilibus, & Hæreticis inferentibus ex præſcientia infallibili Dei everti noſtram libertatem; ergo PP. de illa ſcientia negant eſſe rerum, cauſam, de qua illi affirmabant noſtram libertatem ever-

evertere: tùnc ſic; at hoc non putabant de ſcientia vt ſic, & ex conceptu ſcientiæ, ſed determinatè de ſcientia infallibili noſtrorum actuum; ergo de hac negant eſſe cauſam creaturarum. Tertio; quia Origenis ait, quod ſi fingamus eam ſcientiam non exiſtere, non ideò conſequens eſſe creaturas non exiſtere; ſed deficiente ſcientia vt ſic, conſequens eſt omnes creaturas deficere; ergo non de ſcientia vt ſic, ſed determinatè de ſcientia viſionis loquitur.

56 Secundo alij reſpondent; PP. aſſerentes non ideò creaturas exiſtere, quia Deus creaturas exiſtere videt, ſolum velle ſcientiam viſionis non eſſe cauſam rerum per ſe ſeorſim ſumptam, ſed adiuncta determinatione divinæ voluntatis. Contra quam explicationem etiam objciunt primo; ad rationem cauſæ illativæ effectus ſufficit, quod cauſet effectum, & ſit inconiungibilis cum eius carentiam; quidquid ſit an per ſe ſolum, an conſortio alterius poſsit illius cauſare; ergo vt PP. negent eſſe cauſam rerum, non eſt ſufficiens ratio, quod ſe ſola non cauſet, ſed requiritur nullomodo cauſare. Et confirmatur; quia gratia intrinſecè efficax eſt cauſa illativa conſenſus, quamvis non ſe ſola cauſet, ſed requirat conſortium voluntatis, falſo de illa negatur eſſe cauſam conſenſus. Similiter decretum efficax conſenſus eſt cauſa illativa illius, de quo oppoſitum falſo affirmatur, quamvis decretum efficax requirat conſortium ſcientiæ; ergo quamvis ſcientia viſionis requirat conſortium decreti, & voluntatis, falſo de illa negatur eſſe cauſam rerum.

57 Secundo; nam PP. negant ſcientiam viſionis cauſare, vt occurrant difficultati, quæ ex illius infallibilitate, & connexione cum noſtrorum actuum exiſtentia oritur contra eorum libertatem: ſed hæc non evacuatur, ſed augetur, ſi cauſet in cõſortio voluntatis; ergo hæc ſolutio ad mentem Patrum non eſt. Minor probatur: nam cauſare in conſortio voluntatis, ſeù decreti, non tollit quominus ipſa ſcientia antecedat actus noſtros, illoſque infallibiliter inferat, in quo conſiſtit tota difficultatis componendi illam cum noſtrorum actuum libertate, ſolumque additur ex conſortio decreti alia cauſa illos antecedens, & infallibiliter inferens; ergo ex eo, quod cauſet in conſortio voluntatis, non evacuatur, ſed augetur difficultas, quam PP. vincere nituntur.

58 Ad ſecundam propoſitionem ex Patribus deſumptam, nimirum ideò Deum videre creaturas, quia ipſæ exiſtunt, communis reſponſio eſt, *& quia* non importare cauſalitatem quoad eſſe, ſed bonitatem illationis, ſumique in ſenſu illativo, non cauſali. Contra quam interpretationem inſtant primo argumento facto: nam exiſtentiam conſenſus inferrè viſionem Dei non vincit difficultatem ex libertate deſumptam, ſi ſcientia ſit cauſa exiſtentiæ conſenſus cum ipſa infallibiliter connexa. Secundo; quia ſicut à conſenſu ad ſcientiam eſt bona conſequentia, pariter à ſcientia ad conſenſum; ergo eodem modo verum eſt, quia Deum videt conſenſum, datur conſenſus, ſicut, quia datur conſenſus Deus illum videt: at hoc eſt manifeſtè contra PP. ergo hæc illorum interpretatio ipſis non congruit. Tertio, vel PP. aſſerentes non eſſe verum ideò eſſe creaturam, quia videtur à Deo, negant viſionem eſſe antecedens inferens Logicè exiſtentiam creaturarum, vel negant eam viſionem eſſe cauſam influxivam in creaturam; non enim videtur poſsibilis alius ſenſus illius propoſitionis: at non negant eſſe antecedens Logicè illativum creaturarum; quippè hoc eſt falſum, cum ab exiſtentia viſionis ad exiſtentiam creaturæ viſæ ſit infallibilis conſequentia; ergo negant eſſe cauſam phiſicè influxivam in creaturam.

59 Hæc adeò clara ipſis videntur, vt oppoſitum contentionis potiùs, quam veritatis ſtudio defendi aſſerant cum Vazquez vbi ſupra: ſed falluntur; eſt enim noſtra ſententia in Patribus expreſſa, quam tradit Auguſtinus vbi ſupra, & videndus lib. 5. de Civitate Dei, cap. 9. & lib. 11. cap. 10. lib. 7. Confeſsionum, cap. 4. lib. vltimo, lib. 6. de Trinitate, cap. 10. lib. 13. cap. 13. lib. 3. de Libero arbitrio, cap. 3. lib. 5. ſuper Geneſim ad litteram, cap. 18. & ſuper Pſalmum 49. cuius doctrinam adducit, & ſequitur Magiſter Sententiarum in 1. diſt. 38. eamque tradidit D. Thomas, vt ex Auguſtino deſumptam vbi ſupra. Neque nobis adverſatur Auguſtinus lib. 5. de Civitate Dei, vt contendit Vazquez volens ex Auguſtino propoſitiones nobis oppoſitas deducere: vbi enim ſolum docet præſcientiam Dei non tollere noſtram libertatem; quod cum Auguſtino Catholicè fatemur, & ex eodem cum M. Sententiarum confirmamus, qui vbi proximè ex Auguſtino ſuper Ioannem ſic refert: *Deus futurorum præſcius per Prophetam prædixit infidelitatem Iudæorum, ſed non fecit* neque præſciſſet mala eorum, niſi ea haberent, non enim ideò quicquam ad peccandum

dum cogit, quia futura hominum peccata prænovit; illorum enim præscivit peccata non sua: *Ideòque si ea, quæ ille præscivit, ipsorum non sunt, non vera ille præscivit. Sed quia illius præscientia falli non potest, sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccatores esse præscivit.* Quo argumento frequenter vtuntur Thomistæ ad probandum præscientiam Dei, & decretum eius efficax non tollere libertatem; nimirum, quia Deus prescivit, & præordinavit hominem libere operaturum; ex quo potiùs infertur, quam destruatur eius libertas: & respectu peccatorum solum præscivit, non præordinavit hominem peccaturum: quapropter vt sit vera eius scientia, necessarium est vt Deus peccatum non faciat; in quo etiam innuitur, quod respectu bonorum operum Deus sit præscius, & prœordinans, quia illa ipse Deus facturus est.

60 Sed necessarium non est ad hæc loca recurrere; in capite enim 9. citato contra Ciceronem invehitur, qui præscientiam futurorum negavit, vt humanum arbitrium illæsum servaret; quem falsitatis evidenter convincit: tùm; *quia id facturos nos esse præscivit, cuius præscientia falli non potest*; atque adeò ex eo, quod præsciat nos libere operaturos, non destruitur, sed infertur libertas. Tùm etiam, quia novit ordinem rerum, in quo ingreditur voluntas nostra, licèt præcipuum locum teneat voluntas Dei: *Cui etiam voluntates omnes*, iuxta Augustinum, *subijciuntur; quia non habent potestatem, nisi quam ille concedit; causa itaque rerum, quæ facit, nec fit, Deus est. Aliæ verò causæ, & faciunt, & fiunt, sicut sunt omnes creati spiritus.* Et paulò infrà: *Quomodo igitur ordo causarum, qui præscienti certus est Deo, id efficit, vt nihil sit in nostra voluntate, cum in ipso causarum ordine, magnum habeant locum nostræ voluntates?* vbi Augustinus præscientiam Dei, ideò asserit non tollere, nec lædere libertatem, quia in causarum ordine omnia prænoscit; in quo primatum tenet divina voluntas, & dispositio Dei, à qua aliæ causæ determinationem accipiunt, inter quas voluntas, & libertas magnum habet locum.

61 Videamus iam, an Augustinus illis faveat cap. 10. sequenti propè finem, illis verbis: *Neque enim ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit: imò ideò non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit.* Ex quibus colligit Uazquez, & benè, præscientiam Dei non esse causam peccati: sed doctrinam hanc perperam ad creaturas extendit, quarum Deus causa est; neque in Augustino ad hanc extensionem aliquod reperitur fundamentum; sicut enim ista consequentia non valet; non ideò peccat homo, quia Deus vult ipsum peccare; ergo non ideò elicit actum bonum, quia Deus sic eliciturum ab æterno præordinavit: est enim antecedens verum, & consequens falsum; cum Deus in sua prædestinatione, vt docet Augustinus, cognoverit, quæ fuerat ipse facturus, inter quæ præcipuum obtinet locum actus bonus: pariter ex eo, quod præscientia Dei non sit causa peccati, perperam infertur non esse causam actus boni.

62 Anselmus, quem pro se adducunt Recentiores de Concordia gratiæ, & liberi arbitrij eandem Augustini, & nostram expressè tradit sententiam: imò doctrinam Augustini de præscientia extendit ad prædestinationem, quam cum libertate componit, sicut & præscientiam, qua Deus præordinavit, seù prædestinavit nos libere operaturos; quod potiùs infert, quam destruit libertatem. Neque ibi reperitur verbum aliquod, etiam apparenter Adversarijs quoad præsentem quæstionem favens: nostram autem tradit sententiam cap. 1. non longè à fine, ibi: *Restat nunc, vt consideremus, cum Deus omnia præscire, seù scire credatur; vtrum eius scientia sit à rebus, aut res habeant esse ab eius scientia: nam si Deus à rebus habeo scientiam, sequitur quod illæ prius sint, quam eius scientia, & sic à Deo non sint, à quo nequeunt esse nisi per eius scientiam: si verò quæcumque sunt à scientia Dei sumunt essentiam, Deus factor, & actor malorum operum est, & ideò non iustè punit malos; quod non suscipimus.* Hanc quæstionem resolvit distinguendo inter opera bona, & mala; quorum prima à scientia Dei causari affirmat; peccata autem minimè, quia nihil sunt: ipsum autem loqui de scientia visionis constat; quia loquitur de præscientia, qua Deus cognoscit futura. Ex quo iterùm liquet, quàm ineptè doctrinam Augustini de præscientia peccati absque causalitate in illud, ad præscientiam creaturarum extendat Vazquez, de quibus esse eandem rationem affirmat; cùm oppositum constet ex Anselmo. Beda, & Chrysostomus eandem accipiunt interpretationem, atque Augustinus; loquuntur enim de peccatis, ex quibus ad creaturas non esse bonam consequentiam didicimus:

imò

ſimò Chriſoſtomus non de præſcientia Dei, ſed de prædictione loquitur, de qua alia eſt ratio; eſt enim actus exterior, ſeù revelatio, quæ ſupponit præſcientiam, & actus internos Dei, à quibus conſtituuntur futuræ, vt ad actum exiſtentiæ reducantur.

63 Verba Damaſceni, quæ Uazquez non adducit, difficiliora ſunt, qui Dialogo Adverſus Manichæos non longè ſic habet: *At quidem vis Dei præſciens à nobis cauſam non habet, quamquam habet: at verò ea, quæ facturi ſumus præſciat, à nobis profiſciſcitur: nam ſi facturi non eſſemus, nec ipſe quidem, quod futurum non eſſet prænoſceret; & quidem Dei præſcientia vera, atque vniverſalis eſt, verum ipſa haud quaquam cauſa eſt, cùr omninò id fiat, quod futurum eſt, quin potiùs quia hoc, vel illud facturi ſumus, idcircò prænoſcit Deus*: in quibus oppoſita ſententia traddi videtur.

64 Docti Thomiſtæ reſpondent ſermonem eſſe de peccatis; quod conſtare aſſerunt ex exemplo adducto de medico, qui prænovit morbum, cuius cauſa ipſe non eſt. Sed doctrina Damaſceni videtur generalis; quapropter hac interpretatione in ſua probabilitate relicta, reſpondetur, quod quando docet, quod à nobis profiſciſcitur, vt Deus præſciat eà, quæ facturi ſumus, non ſic eſt intelligendus, quaſi præcedat operatio noſtra Dei præſcientiam, ſed quia neceſſarium eſt, quod ſit, & à nobis fiat, vt Deum illam præſciat: Quod conſtat ex verbis antecedentibus: *Vis Dei præſciens à nobis cauſam non habet*; quod non eſt verum, ſi operatio noſtra præſcientiam antecederet, conſtat etiam ex ratione ſubiuncta, quæ hæc eſt: *Nam ſi facturi non eſſemus, nec ipſe quidem quod futurum non eſſet prænoſceret*; quod tantum convincit neceſſariam eſſe operationem humanam, vt Deus illam præſciat; non verò arguit antecedentiam illius ad præſcientiam.

65 Alia verba, in quibus negat præſcientiam eſſe cauſam noſtrorum actuũ futurorum, interpretanda ſunt de cauſa excludente influxum, & determinationem noſtram; non verò de cauſalitate illam inferente: quod colligitur, tùm ex eius verbis ibi: *Verum ipſa haud quaquam cauſa eſt, cur omninò fiat, quod futurum eſt*: vbi *ly omninò aliam cauſalitatem, & influxum, ſeù determinationem voluntatis excludit, neque ab alio poni poteſt.* Colligitur ex verbis eiuſdem paulò infrà: *Ad eundem modum, id quoque quod à nobis futurum eſt, à Deo cauſam non habet, ſed à libera voluntate noſtra*; quod vniverſaliter intellectum verum eſſe non poteſt, neque à Damaſceno intentum, niſi de cauſa excludente influxum, & determinationem creatam: quamvis enim ſcientia futurorum non ſit illorum cauſa, Catholicè fatendum eſt Deum eſſe illorum cauſam. Denique, & principaliter colligitur ex eo, quod eodem ſenſu negat Damaſcenus præſcientiam Dei eſſe cauſam futurorum, quæ in noſtra ſunt voluntate, quo negat eorum eadem prædefinitionem, ſeu prædeſtinationem, lib. 2. de fide Orthodoxa, cap. 3. & in præſenti paulò ante verba relata: at ſolùm negat prædefinitionem inducentem neceſſitatem, & excludentem influxum liberum voluntatis creatæ, non verò prædefinitionem illum inferentem, vt docet D. Thomas infra quæſt. 23. art. 1. ad 1. ergo ſolum negat præſcientiæ Dei cauſalitatem inducentem neceſſitatem.

66 Ex quo conſtat qualiter ſint intelligenda vltima verba, nimirum, *quia hoc, vel illud facturi ſumus, idcircò prænoſcit*; non enim denotant cauſalitatem in ſcientiam, vt ſuprà probavimus, ſed ſolum ſtatuit, & intendit cauſalitatem, & liberum influxum voluntatis noſtræ in actus, tanquam quid omninò neceſſarium, vt Deus illos præſciat nam per cauſalem illam tantum attribuit voluntati noſtræ, quod per cauſalitatem præſcientiæ, quam negat, excluderetur: at per illam excluderetur libertas, vt expoſuimus; ergo hanc ſtatuit, ex qua licèt inferatur præſcientia, non tamen à priori.

67 Adducitur etiam Hieronymus ſuper Ezequielem, cap. 20. ſed ibi ſolum intendit præſcientiam Dei libertatem non tollere; neque ſequi ex eo, quod Deus præſciat facienda à nobis, neceſſe eſſe nos illa facere; ad quod denotandum ait Hieronymus Deum deſcribi in Prophęta quaſi ambigentem. Eandem doctrinam traddiderat ſuper Hieremiam cap. 20. ad illa verba: *Si fortè audient*. Poſteà tamen hæc addit verba difficiliora: *Non enim ex eo, quod ſcit futurum aliquid, idcircò futurum eſt, ſed quia futurum eſt, Deus novit quaſi præſciens futurorum*: ſed interpretanda ſunt iuxta dicta; prima enim cauſalis negativa eſt vera, cauſalitate excludente influxum, & determinationem voluntatis; ſecus illam inferente; ſicque, vt vidimus, diſtinxit Div. Thomas duplicem prædeſtinationem: ſecunda verò cauſalis ſolum adſtruit vim illativam ſcientiæ, & influxum, ſeù determinationem liberam noſtram

tiæ voluntatis, quam causalis negativa destrueretur.

68 Vel secundo dici potest primam causalem negativam solum negare præscientiam esse primam determinationem ex parte Dei ad futuritionem, quod verum est; quia præscientia supponit determinationem voluntatis divinæ: secunda autem causalis etiam est vera loquendo de radicali futuritione; hæc enim non à præscientia, sed ab actu voluntatis præsupposito habetur. Ratio huius interpretationis est duplex: prima est, quia sic sine violentia vtraque causalis verificatur in sensu causali: secunda est, quia Hieronymus illam rationem reddit, vt probet præscientiam non tollere libertatem; ad quod sufficit, & necessarium est, quod ipsa non sit radix futuritionis: sufficit, quia ex eo, quod præsupponat decretum divinum causans, & inferens libertatem nostram, rectè infertur iuxta doctrinam ex Augustino, & Anselmo relatam, libertatem non tollere: est autem necessarium; quia si scientia esset prima radix, non oriretur ex libera Dei determinatione; & consequenter esset scientia necessaria; ac proindè actus noster ex illa illatus esset omnibus modis necessarius; quidquid enim ex necessario infertur, est necessarium.

69 Cyrillus ab Adversarijs adductus in Ioannem, lib. 9. cap. 10. loquitur de peccatis; quapropter interpretandus est, vt Augustinus. Deindè loquitur expressè de causa cogente, propter quod interpretari potest vt Damascenus, & Chrysostomus. Tandem loquitur de prædictione Scripturarum, quam supponere futura, & præscientiam Dei non est inconveniens, sed verum.

70 Boetius abs re adducitur lib. 5. de Consolatione, prosa 3. ibi enim refert concordiam præscientiæ cum libertate ex doctrina, quam reprobat, & de qua hæc dicit Div. Thomas ibi; notandum, quod responsio ista, quam innuit in littera videtur fuisse ipsius Origenis, qui super epistolam ad Romanos sic dicit; non propterea aliquid est, quia illud Deus scit esse futurum, sed quia futurum est, ideò scitur à Deo antequam fiat: quod tamen potest intelligi dupliciter; vno modo, quod eventus rei sit causa præscientiæ secundum rationem consequentiæ, & sic responsio est vera: alio modo potest intelligi, quod eventus sit causa præscientiæ secundum existentiam, & sic est falsa; & hoc modo improbatur hic à Boetio: primo verò modo ostendit, quod ista responsio non est ad propositum. Secundo ostendit, quod non includit veritatem, ibi; iam verò quod præposterum est: hic philosophia ostendit, quod ista responsio includit falsitatem; quia ponit, quod aliquid temporale sit causa æterni; dicunt enim quod res futuræ sint causa præ visionis æternæ: vndè dicit, iam verò præposterum est, vt eventus rerum temporalium dicatur esse causa æternæ præscientiæ, quod dicitur in ista responsione: vndè subdit, quod est aliud arbitrari Deum ideò prævidere futura, quoniam sunt eventura, quam putare, quæ olim acciderunt, ideò ipsa futura esse causam summæ providentiæ; quasi diceret, nihil est aliud dicere. Hæc D. Thomas; ex quibus tàm longè abest, vt impugnetur nostra sententia, quod potiùs constat doctrinam Boetij, & D. Thomæ esse nostram sententiam. Pro qua ex eodem Boetio ibi alia ratio alibi ponderanda deducitur; scilicèt, sequi ex opposita sententia scientiam futurorum in Deo esse ipsi necessariam, non liberam: cum enim sequatur infallibiliter ex actibus nostris, qui ex determinatione Dei non procedunt in sententia Adversariorum; sequitur primam determinationem, vt existat scientia divina, esse à voluntate nostra, quæ Deum indifferens ad sciendum determinat ad scientiam; scientia autem conveniens Deo, & non ex libera eius determinatione est necessaria, & non libera: expressius nostram tradidit doctrinam ipse Boetius lib. 5. de Consolatione, prosa 6.

71 Ex his constat solutio ad obiecta: alij enim PP. de scientia peccatorum loquuntur: alij quorum doctrina vniversalior est, vel solum facit mentionem prædictionis divinæ, non præscientiæ: vel interpretandi sunt de causalitate cogente; qualiter intelleximus Damascenum, & Hieronymum, & interpretatus est Div. Thomas Originem, quæst. 2. de Veritate, articulo 14. vel interpretandi sunt de futuritione radicali, quam scientia non tribuit, sed decretum præsuppositum, ratione cuius est verum, futuritionem, quę est formaliter à decreto intentivo esse rationem à priori

ſcientiæ divinæ, & è contra huius primæ & radicalis futuritionis non eſt radix ipſa præſcientia: vel tandem interpretandi ſunt cum D. Thoma in præſenti art. 8. ad 1. de ſcientia ex præciſo conceptu ſcientiæ, de qua vt ſic non eſt verum eſſe cauſam obiecti, niſi adiuncta determinatione voluntatis; quæ interpretatio parum diſtat à præcedenti.

72 Vtraque ſolutio eſt vera, & Div. Thomæ vbi proximè, & ad primam obiectionem contra primam, diſtinguenda eſt maior, de eadem, & ſecundum rationem, nego maiorem, ſecundum diverſam, concedo maiorem, & conceſſa minori, neganda eſt conſequentia, vel diſtinguendum conſequens, non de illa vt ſic ſolum, concedo conſequentiam, de illa vt ſic, & de ſcientia viſionis ex conceptu ſcientiæ; nego conſequentiam: obſervandum eſt itaque iuxta hanc ſolutionem Div. Thomæ PP. negare ſcientiæ viſionis cauſalitatem in ſcita ex conceptu intellectionis, quia conveniret ipſi, non ex ſuppoſito actu voluntatis, ſed ex ſe; & conſequenter inferret neceſsitatem: vel etiam, quia conveniret ſcientiæ peccati; quia PP. negarunt cauſalitatem, quæ officeret libertati, vel quæ inferret cauſalitatem in peccatum: affirmant tamen futura eſſe rationem ſcientiæ, non à priori, ſed tantum ſecundum conſequentiæ rationem, quam futuris conceſſerunt neceſſariam, vt eſſent libera: ad libertatem autem futurorum neceſſarium non eſt, quod ſint ratio à priori ſcientiæ, ſed ſufficit, quod ipſa vt libera inferant ſcientiam.

73 Ad ſecundam conceſſo antecedenti, & omiſſo primo conſequenti, & antecedenti ſubiuncto, diſtinguendum eſt conſequens, de hac ex conceptu ſcientiæ, & non præſuppoſito actu voluntatis, concedo conſequentiam, de hac ex peculiari conceptu, ſecundum quem actum voluntatis ſupponit, nego conſequentiam. Ad vltimam dicatur in illis verbis Origenem loquutum fuiſſe de præſcientia peccatorum, quæ quia non eſt cauſa peccati, etiam ſi deficeret, non deficeret à priori peccatum; quod pro Origene ſufficit, quem D. Thomas explicat potiùs ad oſtendendum in quo ſenſu poteſt eſſe vera eius ſententia, quam ad hoc vt omnia eius dicta approbentur; vt conſtat ſuper Boetium vbi ſupra.

74 Ad impugnationem ſecundæ ſolutionis, quæ etiam eſt D. Thomæ, & indiſtincta à prima reſpondendum eſt; & ad primam conceſſo antecedenti, diſtinguendum eſt conſequens: non eſt ſufficiens vt PP. negent eſſe cauſam rerum ex conceptu ſcientiæ in ſenſu explicato, nego conſequentiam, vt abſolutè, & omnibus modis negent eſſe cauſam, concedo conſequentiam: ſed negandum eſt ſuppoſitum, nimirum, PP. hoc negare; etenim ſolum negarunt cauſalitatem non ſupponentem determinationem voluntatis, quæ ſola libertatem auferret. Per quod conſtat ad confirmationem.

75 Ad ſecundam conceſſa maiori, neganda eſt minor. Ad probationem omiſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia; etenim ex eo, quod addatur actus voluntatis divinę præſuppoſitus ad ſcientiam, tollitur quod detur prædicatum neceſſarium Dei connexum cum exiſtentia actuum liberorum, nimirum, ſcientia non prę ſupponens decretum. Explicatur inſuper, quia ex libertate divina oritur actus, & eius libertas, ex quo deducitur, quod cauſalitas tàm voluntatis, quàm ſcientiæ non ſolum non auferat, ſed inferat, & cauſet libertatem, vt cum Auguſtino, & Anſelmo vidimus, quod ſcientia non præſtaret, ſi non ſupponeret actum voluntatis, ratione nuper data. Neque PP. præſumpſerunt ſe evacuare difficultatem, vt eorum doctrina quiſque facilè perciperet huiuſmodi concordiam, ſed ſemper remanſit ad intelligendum difficilis, vt ipſi paſsim fatentur: vndè ad infallibilitatem ſcientiæ, & voluntatis divinæ ſemper recurrunt; ex quibus tanquam ex primo fonte actus, & libertas noſtra derivatur.

76 Imò ex hac doctrina veritatem noſtræ interpretationis colligimus; ſuppoſita enim doctrina Patrum adhùc difficilè intelligitur libertas noſtrorum actuum: ſed poſito decreto indifferenti, & præſuppoſitione actus liberi ad ſcientiam Dei, quantumvis infallibilem, ablataque cauſalitate in actus noſtros, nulla remanet difficultas, neque principium aliquod, ex quo etiam apparenter inferatur auferri libertatem noſtris actibus; ergo Patrum concordia non aufert à ſcientia Dei præcedentiam, & cauſalitatem, neque efficaciam decreti. Inſuper, vt ipſi Adverſarij aſſerunt, doctrina Patrum eo tendit, vt componat cum præſcientia Dei libertatem:

ſic

ſit ergo debet intelligi, vt cum libertate cohæreat: et vt à Div. Thoma, & à nobis intelligitur, rectè componitur, vt monſtratum eſt; ſic ergo eſt intelligenda. Præcipuè; quia ex intelligentia Adverſariorum eſto ſalvetur creata libertas; providentia tamen Dei imperfecta relinquitur ſine perfectione, & independentia, quibus à PP. conſtituitur.

77 Ad argumenta, quæ contra interpretationem ſecundæ propoſitionis, quæ eſt Div. Thomæ vbi ſupra aſſerentis ſolum habere conſequentiæ rationem, reſpondendum eſt; & ad primum negandum eſt antecedens; ſi enim rectè inſpiciatur, ex eo, quod actus futuri liberi proùt ſic inferunt ſcientiam, rectè colligitur vtrumque poſſe componi, & videtur argumentum ab Auguſtino, & Anſelmo efformatum: ſi enim quodlibet aliud futurum ex eo, quod ſciatur à Deo, & inferat eius ſcientiam, non deſtruitur, ſed potiùs firmatur eius futuritio; ſic ex eo, quod actus liber vt talis futurus ſciatur à Deo, inferatque eius ſcientiam, eius futuritio etiam in ratione liberi non aufertur, ſed firmatur. Ad ſecundum conſtat, quod diverſo modo ſunt intelligendæ propoſitiones illæ, & huius rationem iam dedimus. Ad tertium etiam conſtat PP. non negare omnem influxum viſionis in futura, ſed ſolum docuiſſe non eſſe cauſam illorum ex conceptu ſcientiæ, & non præſuppoſito actu voluntatis. Aliæ interpretationes facilè poſſunt adaptari argumentis factis; quo etiam modo explicandus eſt Iuſtinus lib. 5. quæſtionum, quæſt. 58. ſi eius doctrina vniverſaliter intelligatur; qui tamen de præſcientia peccatorum ſolum loquitur. Et hæc de iſto Dubio applicanda literæ Magiſtri in 1. diſt. 38.

Dubium Vltimum.

Vtrùm ſcientia futurorum ſit neceſſaria, an contingens?

1 DIXIMUS Dubio antecedenti ſcientiam futurorum in Deo non eſſe neceſſariam, ſed liberam; quia ſupponit determinationem voluntatis divinæ; quod videtur adverſari Div. Thomæ articulo 13. ſequenti, præcipuè ad 1. vbi docet ſcientiam futurorum in Deo, quæ eſt illorum cauſa, eſſe neceſſariam: quod rectè cum illorum contingentia componi docet ibi Angelicus Magiſter; quia ſtante prima cauſa neceſſaria, effectus poteſt eſſe contingens propter cauſas proximas: vtrumque tamen Div. Thomæ aſſertum videtur difficilè. Primum, quia potuit Deus non ſcire futura, nimirum, caſu in quo illa non decreviſſet; tunc enim nec eſſent futura, neque Deus illa ſciret: ſecundum autem etiam eſt difficilè, quod argumento facto oſtenditur; quod enim ex neceſſario infallibiliter infertur, non poteſt non eſſe neceſſarium, vt dicitur 1. Poſteriorum, & ratio id efficacitèr probat; falſitas enim conſequentis non poteſt componi cum veritate antecedentis, vt patet, aliàs conſequens non inferretur ex antecedenti infallibiliter: neque componi cum falſitate antecedentis, quod ſupponitur neceſſarium, & conſequenter eius falſitas impoſsibilis; ergo ſtante antecedenti neceſſario nequit vllo modo, aut in aliquo eventu conſequens non eſſe verum; quod eſt eſſe ſimpliciter neceſſariú.

2 Duo ergo breviter examinanda ſunt: primum eſt an ſi ſcientia Dei eſſet neceſſaria, poſſet cum ipſa libertas noſtrorum actuum componi. Secundum eſt in quo ſenſu ſcientia iſta in Deo ſit neceſſaria. Circa primum ſentit Caietanus in præſenti, quod ſi ſcientia Dei eſſet neceſſaria, poſſet ſalvari libertas, & contingentia actuum, quę ſequuntur plures ex Thomiſtis aſſerentes, quod etiam ſi Deus operaretur ex neceſsitate naturæ, libertas noſtra ſubſiſteret. Oppoſitum tenet Scotus in 1. diſtinct. 1. quæſt. 5.

quam sententiam sequutus est Illustrissimus Herrera in manuscriptis ad istum articulum, cui alij ex nostris adhærent.

3 Vt clariùs procedamus supponendum est, quod si Deus non esset liber in operando, sed operaretur ex necessitate naturæ, libertas non esset perfectio simpliciter simplex, propterea que Deum fore omninò perfectum, quin esset formaliter liber: quamvis enim ex negatione libertatis divinæ inferatur absolutè negatio Dei, cum libertas sit eius attributum, & prædicatum necessarium ipsius; hypothesis vtrumque complectitur, scilicèt, Deum non fore formaliter liberum, & quod libertas deficiat formaliter Deo, quia esset perfectio admixta imperfectione; & consequenter absque imperfectione Dei deficeret. Deindè supponendum est Deum in illa hypothesi posse easdem creaturas producere, atque modo, eandem, scilicèt, voluntatem, eandem indifferentiam iudicij, & eadem auxilia, cum hac sola differentia, quod modo illa potest producere libere; tunc autem produceret necessario: vndè difficultas in hoc solum debet consistere, an per hoc præcisè, quod Deo libertas in producendo deficeret, esset que causa necessaria, actus nostri liberi manerent.

4 Deindè advertendum est, quod dupliciter potest fingi, quod Deus operetur ex necessitate naturæ: primo per hoc, quod decretum, & scientia, per quam causat, sit necessaria, non solum necessitate oppositæ libertati, sed necessitate oppositæ cõtingentiæ; ita vt Deus vellet, & sciret futura, non solum sine libertate, sed etiam absque contingentia, & ita necessariò, sicut ipsi convenit Omnipotentia: alio modo, ita vt licèt non esset ipsi liberum velle, & scire, esset tamen contingens, quatenus posset deficere, sicut modo volitio, & scientia huiusmodi, saltim quoad denominationem; qualiter à Recentioribus adstruitur scientia media, qui imaginantur Deum scire futura conditionata, & illam non esse liberam; non tamen ita necessariam, vt non possit Deus non scire futurum, quod de facto scit: quod igitur de facto, in scientia media concedunt, in hypothesi impossibili fingimus Deo accidere erga decreta, & scientiam, quibus causat creaturas. His positis.

5 Dicendum est primo. Ex hypothesi, quod Deus operaretur ex necessitate naturæ primo modo, vtrumque sequeretur, scilicèt, actus nostros esse liberos, & non esse liberos. Prima pars est sententia Caietani, & probatur: nam, Deus conferret eandem voluntatem, idem iudicium indifferens, eadem auxilia, eandemque physicam prædeterminationem ad existentiam actus; ergo eandem haberet, atque modo. Antecedens supponitur, & esse supponendum in hypothesi facta constat; quia solum supponitur Deum non esse formaliter liberum, & quod libertas non sit perfectio simpliciter simplex, neque impossibilis; maneret ergo Deus continens vt causa necessaria quidquid modo continet vt causa libera. Consequentia verò probatur; quia voluntas instructa iudicio indifferenti, & efficacitèr auxiliata ad actum, illum eliceret indifferenter, secundum quod ab ipsa egreditur, & consequenter liberum; Deus enim prædeterminaret voluntatem iuxta naturam suam, & media prædeterminatione faceret, vt indifferentia, quæ est in ipsa in actu primo, ad actum secundum reduceretur.

6 Confirmatur primo: Deus vellet, licèt necessariò, prædeterminare voluntatem ad actum liberum, ipsaque prædeterminatio vtpotè ad eadem quæ de facto datur, applicaret ad actum, & ad libertatem illius; est enim de conceptu prædeterminationis voluntatis instructæ iudicio indifferenti prædeterminare ad actum liberum, vt talem, & reducere indifferentiam ipsius ad actum secundum, in quo consistit actum esse liberum; ergo esset liber. Confirmatur, seù explicatur secundo; eo est possibilis actus liber de facto, quia Deus potest velle prædeterminare voluntatem indifferentem, eiusque indifferentiam ad actum secundum reducere; & de facto actus noster est liber, quia à voluntate indifferenti à prima causa prædeterminata procedit; sed in hypothesi facta Deus posset velle omnia hæc, licèt necessario, & de facto actus noster à voluntate indifferenti procederet; ergo libere. Confirmatur tertiò; ideò actus voluntatis esset in hypothesi illa, & voluntarius esset, quia Deus, licèt necessario, omnia principia actus, à quibus voluntariè procederet, vellet producere; sed etiam vellet omnia principia, à quibus libere procedit; ergo posset producere actum liberum.

7 Insuper; quia actus est vitalis, ex eo, quod est à principio intrinseco pro-

proximo, & voluntarius, quia est cum cognitione finis, licèt Deus non vivat per actum creatum, neque ipsi sit voluntarius per modum actus secundi, quia tamen Deus totum hoc potest producere, potest actum vitalem, & voluntarium producere; ergo, quia actus est liber ex eo, quod est à principio proximo indifferenti, si Deus potest principium, & actum producere, potest actum liberum producere: at etiam deficiente libertate in Deo totum hoc posset; ergo & producere actum liberum.

8 Ex quibus constat qualiter libertas nostra reducenda sit inefficaciam voluntatis divinæ, tanquam in primam radicem, & causam, sicut quilibet alius effectus; quia, scilicèt, principium formale, quod respicit actus liber, & respectu cuius liber denominatur, non est libertas divina, respectu cuius liber non est per modum actus, sed potentia indifferens creata; ergo remanente efficacia in voluntate divina, manebit vis ad producendum actum liberum, quamvis Deus liber non sit; maneat ergo fixum, quod sicut quilibet alius effectus reducitur ad efficaciam voluntatis divinæ, pariter & libertas nostrorum actuum.

9 Secunda pars conclusionis etiam probatur: nam ex hypothesi facta infertur infallibili er defecturum aliquid necessarium ad libertatem actus; ergo sequitur actum non fore liberum. Consequentia est bona, & antecedens probatur; sequitur in voluntate non fore potentiam ad carentiam actus: sed vnum ex prædicatis necessarijs ad libertatem actus est potentia in voluntate ad non esse illius; ergo deficeret aliquod requisitum ad libertatem actus. Minor est certa: nam sine potentia ad non esse actus non est indifferentia ad actum; & consequenter neque libertas. Maior verò probatur: carentia actus esset impossibilis ex terminis, & essentialiter; sed implicatoria est potentia ad aliquid ex terminis impossibile; ergo deficeret potentia ad non esse actus. Maior probatur; id, quod conectitur essentialiter cum aliquo ex terminis impossibili est ex terminis impossibile: sed carentia actus connecteretur cum aliquo ex terminis impossibili; ergo esset impossibilis ex terminis. Minor constat; quia connecteretur cum carentia decreti, & scientiæ, quæ supponuntur ex terminis necessaria; & consequenter connecteretur cum carentia decreti ex terminis impossibili. Maior verò probatur; quia quod essentialiter connectitur cum alio, non potest esse sine existentia termini connexionis; atqueadeò, quod connectitur cum impossibili, non potest esse sine impossibili. Vndè fit, quod cum impossibile essentialiter nullomodo possit esse, neque id quod cum ipso essentialiter connectitur.

10 Confirmatur; id quod in nullo eventu possibili potest esse, est impossibile ex terminis, & essentialiter; quod enim ex terminis non implicat, potest fieri à Deo, vel permitti in aliquo casu, alias omnipotens non esset: sed carentia actus in nullo eventu possibili potest esse; ergo esset impossibilis ex terminis, & essentialiter. Minor probatur; non posset coniungi cum decreto actus, quod essentialiter connectitur cum actu: non cum carentia decreti, quæ est impossibilis ex terminis, sicut decretum ex terminis necessarium; ergo in nullo eventu potest esse.

11 Dicendum est secundo; quod si Deus operaretur ex necessitate naturæ opposita libertati, non contingentiæ in sensu explicato, non esset principium, ex quo probaretur actus nostros non fore liberos. Et probatur: nam in hypothesi illa non esset principium ad probandum carentiam actus esse ex terminis impossibilem, sed solum ex suppositione contingenti, nimirum, ex suppositione decreti actus; ergo non esset principium ad probandum non fore liberos. Antecedens probatur: nam carentia decreti non esset ex terminis impossibilis, sed solum ex suppositione decreti contingenti, sicut modo ex suppositione libera decreti est impossibilis carentia actus; quæ tamen solum est impossibilis ex suppositione libera Deo.

§. II.

Solvuntur argumenta.

12 CONTRA Primam partem primæ concluſionis arguit Scotus in 1. diſt. 2. quæſt. 2. & diſt. 18. quæſt. 4. cauſa, quæ movet in quantum mota, ſi neceſſariò movetur, neceſſario movet: ſed omnis cauſa ſecunda movet, ſeù agit in quantum mota à prima; ergo ſi neceſſario movetur à prima, neceſſario movet, & agit; ergo ſi Deus neceſſario movet voluntatem creatam, ipſa non libere, ſed neceſſario movet, & agit. Secundo; cauſa prior prius naturaliter, & ſimpliciter reſpicit effectum, quam cauſa poſterior; ergo in illo priori cauſa prima dabit effectui neceſsitatem; ergo in ſecundo inſtanti naturæ cauſa proxima non poteſt eidem dare contingentiam. Tertiò; quod diximus de actibus liberis, dicendum eſt de omni effectu contingenti; ſed hic eſt contingens, ſi à ſolo Deo producatur; ergo tàm contingentia, quàm libertas non ſumitur à principio proximo.

13 Ad primum diſtinguenda eſt maior, ſi movetur, vt moveat, & agat liberè, nego maiorem, ſi movetur, vt agat neceſſario, concedo maiorem, & omiſſa minori, neganda eſt conſequentia, vel diſtinguendum conſequens, ſi movetur, vt libere ſe moveat, nego conſequentiam, ſi vt neceſſario ſe moveat, concedo conſequentiam: in hypotheſi autem facta Deus neceſſario moveret, vt voluntas libere ageret; quia, vt diximus, moveret illam iuxta ſuam naturam.

14 Ad ſecundum diſtinguendum eſt antecedens, prius prioritate vniverſalitatis, & independentiæ, concedo antecedens, prius prioritate naturę, nego antecedens, & conſequentiam: quæ ſolutio eſt Cajetani in præſenti, & vera, ſi intelligatur de attingentia paſsiva effectus, qui non prius paſsive prioritate naturæ accipit eſſe ab vna cauſa, quam ab alia, & hoc ſufficit ad ſolutionem argumenti: ſi autem intelligatur de prioritate ſe habente ex cauſæ, & actionis, non videtur omninò vera; Deus enim prius prioritate naturæ intelligitur activè cauſans, quam creatura; cum etiam ipſa actio creaturæ ſit poſterior Deo in actu ſecundo cauſante, & influente. Quapropter facilius reſpondetur omiſſo antecedenti, negando cõſequentiam: pro illo enim priori cauſa prima dat contingentiam, vel neceſsitatem proùt vult; & in noſtro caſu velle dare contingentiam, & libertatem, & ſua actione, & influxu faceret, vt voluntas creata indifferẽs ad actum reduceretur ad illum; & conſequenter faceret, vt libere operaretur.

15 Ad tertium omiſſo antecedenti, & primo conſequenti, diſtinguendum eſt ſecundum, non ſummitur à principio proximo, tanquam à prima cauſa, concedo conſequentiam; tanquam à ſecunda efficienti, & inſuper tanquam à principio formali, neganda eſt conſequentia: Deus igitur eſt prima cauſa contingentiæ, & libertatis, & ſicut de facto ſine contingentia, quæ imperfectionem dicit, cauſat contingentiam, in hypotheſi facta cauſaret libertatem noſtram, ſine libertate.

16 Secundo argui poteſt, & inſtatur contra dicta; eo ipſo, quod Deus moveat neceſſario voluntatem, nequit movere ad actum liberum; ergo ſolutio eſt nulla. Antecedens probatur; ſi movet neceſſario, eſt im poſsibilis ex terminis carentia actus, vt liquet ex dictis; ergo ſi movet neceſſario, nequit movere ad actum liberum. Conſequentia conſtat; quia actus liber, vt talis eſſentialiter connectitur cum poſsibilitate carentiæ ſui.

17 Confirmatur primo: motio divina, ſeù phiſica prædeterminatio non eſſet eadem, quæ de facto datur; ergo non inferret actum, & libertatem actus. Antecedens probatur: phiſica prędeterminatio connecteretur eſſentialiter cum impoſsibilitate carentiæ actus; cum enim eſſet eſſentialiter neceſſaria, & ex terminis, connecteretur cum impoſsibilitate carentiæ ſui; & ex conſequenti cum impoſsibilitate carentiæ actus; ſed iſta, quæ de facto datur, hanc connexionem non habet; ergo non eſſet eadem cum illa, quæ de facto datur. Secundo probatur idem antecedens; illa, quæ de facto datur, conotat ex intrinſecis potentiam in Deo ad non eſſe actus; cum ſit influ-

fluxus Dei indifferentis ex se ad esse,& non esse actus: at ista esset influxus Dei determinati essentialiter ad actum ; ergo distinguerentur.

18 Confirmatur secundo : si Deus necessario movet ad actum, implicat potentia in voluntate ad carentiam actus ; ergo implicat Deum movere ad actum liberum. Consequentia constat ; quia eo ipso, quod implicet in voluntate potentia ad actum liberum, motio, seù prædeterminatio non reducit indifferentiam voluntatis ad actum, quæ sine potentia ad carentiam actus non datur. Antecedens etiam facilè probatur : tùm; quia in Deo non esset potentia ad non esse actus ; ergo neque in voluntate ; implicat enim potentia in creatura ad id,quod Deus nequit facere, aut permittere. Tùm; quia, vt diximus, carentia actus implicaret ex terminis; ergo implicaret potentia ad illam.

19 Respondetur argumentum convincere secundam partem nostræ conclusionis : neque inconveniens reputamus,sed necessarium ex illa impossibili suppositione vtrumque contradictorium sequi; quod nos asserimus. Sed dices, ergo libertas nostra non solùm debet reduci in efficaciam voluntatis divinæ tanquam in primam causam, sed etiam in eius libertatem ; quod videtur Adversari communi sententiæ Thomistarum in hac parte sequentium Caietanum, qui asserit reduci libertatem nostram inefficaciam voluntatis divinæ, tanquam in primam causam.Sequela verò probatur : in id debet reduci tanquam in primam, quo deficiente deficeret : sed deficiente libertate divina, deficeret libertas nostra, vt concedimus,& probant argumenta facta ; ergo in libertatem divinam debet actus tanquam in primam causam reduci.

20 Respondetur negando sequelam : ad probationem distinguenda est maior,quo deficiente deficeret ex defectu causæ primæ efficientis,concedo maiorem, quo deficiente deficeret ex defecto primi dominij, nego maiorem,& distincta minori eodem modo neganda est consequentia, vel distinguendum consequens, tanquam in primam causam efficientem, nego consequentiam, tanquam in primum dominium, concedo consequentiam; itaque si deficeret libertas divina, ita vt nihil aliud in Deo deficeret, salvaretur adhùc prima causa efficacis nostræ libertatis; & consequenter ex hoc capite infertur extituram libertatem nostram,& reduci ad efficaciam voluntatis divinæ, tanquam ad primam causam efficientem ; quia tamen libertas nostra dependet à Deo tanquam à primo domino, deficiente in Deo libertate,& consequenter dominio, etiam deficeret. Ex quo solum infertur nostram libertatem ex intrinsecis subordinari Deo, non solùm vt primæ causæ efficienti, sed vt supremo domino ; quod neque à D. Thoma negatur, neque ab aliquo videtur posse negari : idemque contingit in alijs creaturis ; quæ in efficaciam voluntatis divinæ reducuntur; & tamen quia à Deo vt primo domino dependent, si deficeret libertas in Deo maneret causa efficiens illarum, ex quo manerent vtcumque possibiles : ex defectu tamen dominij infertur esse impossibiles, quod convincitur argumento facto ; lapis enim ex essentialibus prædicatis habet posse non esse,& transire in nihil; quod tamen non haberet ; nam non esse lapidis esset ex terminis impossibile, cum lapis esset ex terminis necessarius. Eo ergo modo, quo alia entia inefficaciam voluntatis divinæ reducuntur sic,& libertas nostra; fatemur tamen absolutè potiùs dicendum esse, quod si Deus operaretur ex necessitate naturæ, deficeret libertas nostra, potiùs quã oppositum; quia ad absolutam loquutionem sufficit deficere in Deo attributum, à quo libertas nostra dependet, quamvis fingatur aliud remanere,à quo efficienter causetur.

21 Sed ex his contra secundam conclusionem insurgit argumentum : nam si libertas nostra dependet essentialiter à Deo vt à primo domino, deficiente libertate in Deo deficeret : at in casu secundæ conclusionis deficeret in Deo libertas, & dominium; ergo etiam deficeret libertas nostra. Respondetur ex hypothesi illa immediatè inferri,debere dari alterum supremum, ex cuius determinatione,actus Dei tunc contingentes existerent; atqueadeò tunc casus, quamvis in Deo non esset dominium, esset apud alterum,à quo actus Dei,& nostri dependerent, vt à primo domino, & determinante: si autem supponatur non esse aliud supremum dominium,quod implicatorium esset ; dicendum est conclusionem nostram veram esse, quatenus ex terminis, quibus secundam partem conclusionis probavimus, non infertur defecturam libertatem nostrã; licèt ex defectu supremi dominij,à quo essentialiter dependet, inferretur.

22 Ex quibus infertur rectè docuisse Scotum vbi supra,Philosophos asserentes

Deum

Deum operari ex neceſsitate naturæ, & aliquid contingenter fieri, latentem implicationem admiſiſſe; primò enim admiſſo non eſſet in rebus potentia ad non eſſe; quod ad contingentiam requiritur. Infertur ſecundo, quid dicendum ſit circa id, quod ſecundo examinandum propoſuimus; de qua, ſcilicèt, neceſsitate loquatur D. Thomas, quando docuit ſcientiam Dei, quæ eſt cauſa rerum, eſſe neceſſariam: cum enim ex cauſa neceſſaria ex terminis, & eſſentialiter, quantumvis remota, inferatur deſtructio contingentiæ, & libertatis, neceſſario aſſerendum eſt, de hac neceſsitate non fuiſſe loquutum D. Thomam. Inſuper evidens eſt ſcientiam futurorum in Deo non eſſe ſic neceſſariam, cum potuerit à Deo deficere, vt ex dictis conſtat; reſtat ergo vt loquatur de neceſsitate immutabilitatis, & infallibilitatis, qua gaudet ſcientiæ viſionis; quia enim menſuratur æternitate, ſemel exiſtens non poteſt aliquando non eſſe; in quo neceſsitas immutabiliratis conſiſtit, & quia eſſentialiter eſt vera, & infallibilis: ex qua neceſsitate rectè intulit D. Thomas libertatem, & contingentiam non auferri; cum enim cauſæ proximæ poſsint impediri, & voluntas noſtra oppoſitum facere, quamvis ex ſcientia Dei immutabili, & infallibili inferatur quidquid ſit, ſimul infertur eius contingentia, & libertas.

23 Adhàc videtur difficilè, quod in reſponſione ad ſecundum docuit D. Thom. ſcilicèt, hoc antecedens: *Deus ſcivit hominem eſſe futurum, eſſe neceſſarium abſolutè*; quod ſi ſcientia viſionis eſſet ſolum neceſſaria neceſsitate immutabilitatis, verum non eſſet; ſicut neque verum eſt hanc propoſitionem eſſe neceſſariam, *Deus ſcit Anti-Chriſtum futurum*. Sed reſpondetur illud antecedens non eſſe ex terminis neceſſarium; & conſtat, quia caſu, quo Deus non decreviſſet exiſtentiam Anti-Chriſti, eſſe falſum: vocatur autem neceſſarium abſolutè à D. Thoma, quia eius ſignificatum eſt neceſſarium neceſsitate immutabilitatis, & non ſolum per ordinem ad aliud. Antecedens, ex quo inferatur; vt contingit in hac propoſitione *Petrus movetur*, quæ eſt neceſſaria ſolum ex ſuppoſitione veritatis huius antecedentis, *Petrus currit*, ex quo infertur, non tamen eſt neceſſaria vllo modo ſecundum ſuum ſignificatum, quod eſt omninò contingens: propoſitio autem adducta eſt neceſſaria ſecundum proprium ſignificatum, non ex terminis, qualiter iſta, *homo eſt animal*, ſed neceſsitate immutabilitatis. Neque eſt idem de propoſitione, in qua præteritio ipſa ſignatè importatur, vt in iſta Adam præteritus fuit, quæ abſolutè eſt neceſſaria, & in ſenſu compoſito infallibilis: ex quo infertur, non aliter eſſe neceſſariam hanc propoſitionem de præterito: *Deus ſcivit Anti-Chriſtum futurum*, atque iſta de præſenti: *Deus ſcit Anti-Chriſtum futurum*; licèt oppoſitum doceat Caietanus in præſenti; ſed doctrina noſtra eſt Ferrarienſis 1. contra Gentes, cap. 67. Et hæc de iſto dubio.

TRAC-

TRACTATVS III:

DE SCIENTIA LIBERA DEI.

PROOEMIUM.

INTER Defensores liberi arbitrij, & Prædicatores gratiæ Dei magna, & difficilis iam dudum vertitur quæstio; ait Prosper libro 1. de Vocatione Gentium, cap. 1. Et quamvis eius resolutionem iam olim ab ipso ex doctrina communis Magistri accepimus, in qua licèt pugnatum sit pro libero arbitrio, vicit tamen gratia Dei, vt testatur Augustinus, & meritò, quia gratia consequimur libertatem, non libertate consequimur gratiam, vt docet de Correctione, & Gratia, cap. 8. *Nihilominus ista quæstio, vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*: (verba sunt Augustini libro 4. contra Iulianum, cap. 8. Quapropter vt ipse docet lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 84. *Intellecta hoc*, (scilicèt divinæ gratiæ cum libertate Concordiam) *penetrare pauci.* Hinc nostris temporibus iterùm excitata controversia, cuius maximam difficultatem aliqui Theologi superare tentarunt adstruentes in Deo scientiam quandam mediam inter liberam, & necessariam, quam Deo convenire existimant, non ex prædicatis necessarijs ipsius, quia scientia hæc est contingens; neque ex propria libertate; etenim non ex dispositione Dei, sed aliundè ipsi contingenter advenire affirmant. Quare omnes difficultates de divinæ gratiæ auxilijs, & prædestinatione Dei, quæ penè insuperabiles sunt, facilè componere præsumunt: imò ferè nulla nova, aut antiqua ab ipsis resolvitur in Theologia, quæstio sine dependentia à scientia media, quam nos vt omninò impossibilem, attributis Dei contrariam, & ad

fi-

finem ab ipsis intentum prorsus inutilèm, in præsentiarum reijciendam suscipimus nullam in Deo scientiam contingentium admittentes nisi ipsi perfectissimè liberam, & huius oppositum arbitrium creatum non formare, sed impellere, vt per inania feratur, vt verbis vtamur Augustini epistola 105. Tractatum istum in tres disputationes dividemus. In prima de Obiecto Scientiæ liberæ Dei. In secunda de Modo, & Medijs, quibus Deus futura conditionata cognoscit. In tertia de Scientiæ Mediæ inutilitate, & impossibilitate agendum est.



DV-

DUBIUM PRIMUM.

PER QVID CONSTITVATVR FVTVRVM *in ratione futuri?*

PARAGRAPHVS PRIMVS.

ALIQVA SVPPONVNTVR, ET REFERVNTVR *ſententiæ.*

FUTURUM Dicitur, id, quod cum de præſenti, non exiſtat exiſtet poſteà, qua ratione Anti-Chriſtum dicimus futurum. Quod quidem aliud eſt abſolutum, aliud conditionatum; abſolutum eſt, quod nondum exiſtit, erit tamen poſteà, conditionatum eſt illud, quod eſſet ſi poneretur conditio: exemplum primi eſt Anti-Chriſtus; ſecundi eſt pœnitentia Tiriorum ſi Chriſtus illis Evangelium prædicaſſet.

1 Futurum ergo abſolutum eſt duplex; alterum omninò infallibile, & omnibus modis tale, de quo abæterno fuit verum eſſe futurum, & de quo aliquo tempore verificatur exiſtere; alterum futurum eſt tale præciſè per hoc, quod cauſæ ſint determinatæ ad dandũ illi exiſtentiã: cum quo componitur, quod illam poſteà non habeat, quia à poſteriori cauſa inferiorum cauſarum detractatio impediri poteſt; cuius futuri meminit Ariſtoteles lib. 2. de Generatione cap. 11. texto 60. adductus à D. Thoma locis infra referendis. Dubium ergo procedit de futuro abſoluto contingenti omninò infallibili, & omnibus modis tali; licèt de ſecundo aliqua expedienda ſint.

2 Sed antequam reſolvamus quid ſit futurum, & per quid conſtituatur in ratione futuri, ſupponendum eſt primo, rem non conſtitui infallibiliter per non repugnantiam ad eſſendum, nec per Omnipotentiam divinam, nec per vtrumque ſimul; Quod facilè ſuadetur; tùm, quia hæc non repugnantia ad eſſendum convenit omnibus poſsibilibus, quorum plura non ſunt futura: ſimiliter Omnipotentia divina eſt omninò neceſſaria, à qua perindè creatura non repugnans ſolum poteſt accipere denominationem neceſſariam, qualis eſt eſſe extrinſecè poſsibilem; non autem denominationem contingentem, qualis eſt eſſe futuram. Tùm etiam; quia per ſigno prædicatorum eſſentialium creaturæ, & Omnipotentiæ Dei ſolum intelligitur creatura poſſibilis, non verò futura: oppoſitum autem contingeret, ſi ab aliquo illorum, vel ab vtroque ſimul conſtitueretur futura.

3 Secundo ſupponendum eſt, rem non conſtitui futuram ſaltem adæquatè per carentiam exiſtentiæ, tempore, quo denominatur futura; in quo etiam nobiſcum conveniunt Recentiores, & facilè conſtat; quia huiuſmodi carentia etiam purè poſsibilibus convenit: id autem, quo res conſtituitur adæquatè futura, illam à purè poſsibilibus debet diſtinguere. Tertio ſupponendum eſt, non conſtitui futuram per ſcientiam divinam, qua Deus cognoſcit illam eſſe futuram, ſi huiuſmodi ſcientia ſit purè ſpeculativa, qualiter adſtruitur à defenſoribus ſcientiæ mediæ, de quo iterùm redibit ſermo, & modo breviter ſuadetur; quia huiuſmodi ſcientia, vtpotè ſpeculativa, ſuum obiectum adæquatè ſupponit; ergo cum obiectum ſit vt futura, illam vt futuram debet ſupponere; atqueadeò non poteſt illam in ratione futuræ conſtituere: de ſcientia

autem

autem visionis, quæ in vera sententia est practica, oppositum esse dicendum infra constabit.

4 His suppositis duplex in hac parte versatur principalis sententia. Prima docet: futurum constitui formaliter in ratione talis per carentiam existentiæ, quæ datur dum futurum est, & existentiam, quam tempore sequenti habebit, quin de præsenti, quando res est, & dicitur futura, aliquid ex constituentibus futurum existat præter carentiam existentiæ rei futuræ: futurum ergo duplici inadæquata forma adæquatè constituitur; scilicèt carentia existentiæ tempore futuritionis, & existentia, quam posteà habebit futurum. Sic Annatus disp. 4. cap. 2. & Recentiores quidam Complutenses tract. de Scientia Dei, disp. 10. cap. 2. Mathias Borrul, de Scientia Media, disp. 1. sect. 2. in quam sententiam connantur trahere omnes defensores Scientiæ Mediæ quamvis in re obscurissima, & quæ vix intelligi potest, varijs modis, & loquutionibus illam explicare contendant.

2 Secunda sententia docet, futurum in ratione talis constitui per determinationem, & præparationem causæ ad dandum illi existentiam, quæ respectu futuri omninò infallibilis, & quod abæterno est tale, est decretum divinum, quo Deus statuit abæterno rem non existere tempore futuritionis, & existere tempore posteriori. Sic Caietan. 1. 2. quæst. 40. artic. 3. Capreolus in 1. distinct. 23. quæst. 1. artic. 2. conclusione 8. Ferrara 1. contra Gentes, cap. 67. Cornejo de Scientia Dei, disp. 2. dub. 1. Salmanticenses tract. 3. disp. 7. dub. 3. Magister à Sancto Thoma, tomo 3. in 1. partem, quæst. 14. disp. 19. artic. 4. quam præ cæteris illustravit Illustriss. Godoy tomo 2. in 1. part. tract. 4. disp. 33. Mag. Vives de Primatu divinæ libertatis contra Scientiam Mediam, disp. 1. 10. & 18. per illa referens alios, & Magister Gonet, tomo 2. tract. de Scientia Dei, disp. 4. articulo 1.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

6 FORMA Constituens rem infallibiliter futuram est præparatio, & determinatio causæ ad dandum illi existentiam, quæ respectu futuri infallibilis, & quod abæterno est tale, est decretum divinum, quo Deus decrevit abæterno illam creaturam in tempore producere. Probatur 1. conclusio ex Div. Thoma 1. part. quæst. 16. art. 7. illis verbis: *Ad tertium dicendum, quod illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causa sua erat, vt fieret; vnde sublata causa non esset futurum illud fieri: sola autem causa prima est æterna; vnde ex hoc non sequitur, quod ea, quæ sunt, semper fuerit verum esse futurum, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, vt essent futura, quæ quidem causa solum est Deus.* Argumentum quod solvit D. Thomas, intendebat probare dari veritatem aliquam creatam abæterno ex eo, quod de re in tempore existenti verum fuit abæterno esse futuram, quæ veritas aliquid creatum est. Cui verbis adductis concedit D. Thomas de re in tempore existente verum fuisse abæterno esse futuram; hoc tamen non habere esse ab æterno ab aliquo creato, sed ex eo, quod in causa sempiterna, scilicèt Deo, erat vt fieret; ergo sentit rem abæterno esse infallibiliter futuram, non ab aliquo creato, sed ab aliquo increato, nimirum ex eo, quod in causa sempiterna erat, vt fieret ex vi decreti efficacis, & præordinationis divinæ.

7 Nec loquitur D. Thomas de futuritione radicaliter sumpta, vt voluit Recentior Complutensis supra adductus, sed de forma, qua res abæterno constituitur, & est formaliter, & infallibiliter futura; aliàs argumentum non solveret: nam cum res in tempore existens fuerit abæterno formaliter, & infallibiliter futura, si de forma constituente rem sic futuram non doceret esse aliquid increatum, argumentum maneret insolutum; cum veritas illa sit abæterno, &

non

non aliquid increatum ; & consequenter creatum, & à forma creata.

8 Confirmatur ; quia res in tempore existens est abæterno radicaliter futura, intulit D. Thomas iuxta intelligentiam Adversarij, formam sic rem futuram constituentem fuisse abæterno ; & consequenter aliquid increatum, nimirùm, decretum Dei: sed est abæterno formaliter, & infallibiliter futura ; res enim in tempore existens toto tempore antecedenti ad eius existentiam fuit formaliter futura : ergo si bona est illatio Divi Thomæ, abæterno debet esse, & consequenter aliquid increatum forma, quâ constituitur formaliter futura.

9 Secundò; alijs verbis eandem interpretationem traddit Avendaño, disp. 5. cap. 1. §. 3. concedendo totum, scilicèt, rem esse futuram abæterno ratione decreti, & prædeterminationis divinæ, quatenus in causa sempiterna erat, vt fieret res, quæ abæterno est futura: ex quo nõ infertur nõ dari aliam futuritionem simpliciter talem ; nam præter futuritionem sempitetnam secundum quid talem consistentem in eo solum, quod in causa sempiterna fuerit abæterno, vt res esset in tẽpore, est insuper alia futuritio simpliciter talis, quæ nec sempiterna est, nec cõsistit in ea præparatione causę sempiternæ. Rẽ sic explicat; quia apparet, futuritionẽ rerum creatarũ esse veritatem sempiternam, docet D. Thomas nullam aliam esse futuritionem sempiternam, præter consistentẽ in ea dispositione, seú præparatione causæ, quæ est aliquid increatum, quod verũ est; non quia nõ sit alia futuritio, sed quia nõ est alia sempiterna: ad modũ quo licèt abæterno non detur, nisi possibilitas extrinseca creaturæ, quæ est Omnipotentia, non ideò neganda est intrinseca possibilitas, quæ tamen abæterno non existit.

10 Sed hæc solutio insufficiens est, nam ex illa constat, rẽ esse futuram abęterno, esse veritatem sempiternam consistentem in præparatione, & ordinatione causæ sempiternę, quę est Deus. Tunc sic; sed illo cõstituitur formaliter res futura abęterno, quo verũ est esse futuram abæterno ; ergo constituitur abæterno futura sola præparatione causæ sempiternæ : si autem alio, quam præparatione causæ, constitueretur abæterno futura, dabitur alia veritas abæterno, præter veritatem increatam. Quod iterùm explicatur ; si alio præter præparationem causæ sempiternæ res constituitur abæterno futura, aliud dabitur abæterno distinctum à Deo, quo sit futura, & alia veritas à Deo distincta dabitur abæterno ; quod vitare intendit Div. Thomas, & merito; quia omninò certum est, solum Deum esse æternum. Quod autem, si alio, quam præparatione causæ, res constituatur abæterno futura, dandum sit abæterno aliquid distinctum à Deo, quo res sit futura, & veritas aliqua distincta à Deo, patet ; nam, quia abæterno res est futura, necessarium putavit Div. Thomas constituere abæterno aliquid, quo esset futura, nimirùm decretum, & ordinatio Dei, & veritas abęterno existens increata ; ergo id, quo abæterno res est futura, debet dari abæterno ; & consequenter, si alio quam præparatione causæ sempiternæ, constituitur abæterno futura, aliud præter præparationem causæ debet dari abęterno, quo sit futura, & consequenter veritas alia distincta à præparatione causæ.

11 Deindè ; quia res abæterno est futura, asserunt Recentiores, futuritionem rerum esse veritatem sempiternam à futuritione indistinctam; ergo si ab alio, quam præparatione causæ res est abæterno futura, aliam debent constituere futuritionem abæterno, quæ sit veritas sempiterna, quæ non potest esse aliquid creatum. Si autem dicatur, dari aliam futuritionem; non tamen denominari rem abæterno futuram tali futuritione. Contra est primo; quia in præsentì solum disputamus de futuritione, qua res abæterno est, & dicitur futura ; quod si hæc in præparatione causæ sempiternæ consistit, vt concedunt, futuritio, de qua in præsenti, in præparatione causæ consistit, quod est nostrum intentum, & Thomistarum.

12 Secundo; quia si hæc alia futuritio, quam asignant, non denominat abæterno rẽ futuram, nũquam potest illam constituere, aut denominare futuram ; & consequenter non est futuritio : non enim potest esse futuritio, quæ non potest rem constituere futuram ; sicut non potest esse albedo, quæ non potest constituere album, aut veritas, aut bonitas, quæ non potest constituere verum, aut bonum. Antecedens autem patet ; nam si abæterno non denominat, & constituit rem futuram, quia abæterno non est talis futuritio, nunquam potest denominare, aut constituere rem futuram, nisi talis futuritio sit : at quando est, non potest rem futuram constituere ; ergo nunquam. Minor patet ; quia hæc futuritio est entitas rei futuræ, vt asserunt, sed quando existit entitas rei, non est futura ; ergo

quando est huiusmodi futuritio, non potest denominare rem futuram; & consequenter nunquã potest illam futurã constituere; ergo hæc, quam futuritionẽ vocant, futuritio non est, sed subiectum, quod futurum est, & denominatur abæterno à præparatione causæ sempiternæ, & illius ordinatione tanquam à forma.

13 Ex his satis constat sentire D. Thomam rem esse futuram ab æterno, esse veritatem sempiternam, & increatam consistentem in præparatione causæ primæ ad dandum rei existentiam in tempore: placet tamẽ ex testimonio adducto, & intelligentia Recentiorum, aliqua deducere. Primò deducitur, quod cum necessarium omninò sit, rem in tempore incipientem, fuisse ab æterno futuram, necessarium etiam est dari abæterno futuritionem sempiternam, & veritatem increatam, qua verum ab æterno fuit esse in tempore futuram; quidquid sit, an hæc sit futuritio simpliciter, vel secundum quid; & consequenter necessarium est, fuisse in Deo ab æterno præparationem, & ordinationem divinam, qua res sic futura constituatur, vel radicaliter, vel secundum quid, vt ipsi asserunt; aliàs vel non fuisset abæterno verum, rem esse futuram vel daretur abæterno veritas aliqua creata, quod absurdum omninò est. Tunc sic; sed hæc præparatio est ordinatio divina, & decretum efficax de dando rei existentiam; ergo omninò necessarium est, si res in tempore existat, dari abæterno præparationem, & ordinationem efficacem de dando rei existentiam in tempore.

14 Ex quo rursus infertur, quod non potest existere consensus liber in tempore, quin ab æterno fuerit futurus, & quin ab æterno sit veritas, qua verum est ab æterno esse futurum, & consequenter non dabitur consensus in tempore, quin ab æterno sit præparatio, & decretum efficax in causa sempiterna, de dando tali consensui existentiam; quod licèt verissimum sit, est tamen contra communem sententiam Authorum Scientiæ Mediæ, inter quos, licèt aliqui concedant ab æterno decretum efficax consensus liberi; docent tamen communiter non esse necessarium ad illius existentiam, cuius oppositum ex doctrina Divi Thomæ, & interpretatione Recentiorum, evidenter, ni fallor, colligitur: quidquid sit, an hæc necessitas oriatur ex indigentia consensus, an verò adstruatur, vt perfecta sit divina providentia.

15 Neque sufficit dicere, quod hæc præparatio, & decretum divinum, quo res ab æterno constituitur futura, non necessario est efficax, sed sufficit si inefficax sit: ex quo solum infertur non posse in tempore existere consensum liberum, quin ab æterno fuerit decretum inefficax illius; non verò infertur non posse existere, quin fuerit ab æterno decretum efficax. Non, inquam, sufficit; quia eo ipso, quod res in tempore existat, necessarium est fuisse ab æterno infallibiter futuram: sed decreto inefficaci non constituitur res infallibiliter futura; ergo decretum necessario existens ab æterno, si res in tempore existat, non inefficax debet esse, sed efficax, quo res constituatur infallibiliter futura, sivè sit consensus liber, sivè quodlibet aliud. Minor probatur; decretũ inefficax componi potest cũ hoc, quod res non sit infallibiliter futura, & cũ hoc, quod cõsensus non existat in tẽpore, vt notũ est; ergo illo non constituitur res infallibiliter futura.

16 Secundò præparatio causæ sempiternæ ad quã recurrit D. Thomas, est futuritio sẽpiterna, & veritas, quæ ab æterno est, & qua verũ est rem esse infallibiliter futurã: sed præparatio, & decretũ inefficax non est veritas, qua abæterno verũ est rem esse futuram; ergo. Minor probatur; nam cum veritate, qua verum est rem esse futuram, non potest componi non esse futuram, aut non existere in tempore: sed cum decreto inefficaci potest componi rem non esse futuram, & nunquam existere; ergo decretum inefficax non est præparatio, ad quam recurrit D. Thomas, & quam fatentur Recentiores isti esse veritatem sempiternam.

17 Secundo deducitur ex doctrina D. Thomæ, & Recentiorum intelligentia; quod si per impossibile res in tempore existeret, quin in Deo abæterno fuisset præparatio, & decretum efficax de dando illi existentiam in tempore, sed in tempore inciperet decretum Dei, non fuisset abæterno verum, rem esse futuram in tempore: quod expressit D. Thom. illis verbis: *Undè sublata causa non esset futurum illud fieri*; atqueadeò non existente abęterno decreto, & ordinatione efficaci Dei, quę est causa existentiæ rei in tempore, non esset futura res abęterno: quod Recentiores isti negare non possunt; nam non existente abęterno præparatione, & decreto efficaci, non esset abęterno futuritio, quam sempiternam appellant, qua res defacto dicitur infallibiliter futura abęterno; ergo non esset abęterno infallibiliter futura.

In-

18 Insuper ; quia res est futura abæterno, datur abæterno veritas , qua verum est abæterno rem esse futuram; nec oppositum intelligi potest iuxta doctrinam D. Thomæ,& interpretationem Recentiorum; quia enim,vt diximus, res est futura abæterno, concedunt cum Div. Thoma veritatem sempiternam, qua verum est esse abæterno futuram; hac ergo veritate non existente abæterno,non esset res abæterno futura;at hæc æterna veritas consistit in præparatione , & ordinatione efficaci Dei,vt vidimus, & nobis concedunt; ergo si non esset præparatio, & decretum efficax Dei abęterno, non esset res futura abæterno.

19 Hoc idem in principijs D. Thomæ certum est,& constat ex testimonio adducto,& ex tota quæst. 16.& in re omninò verum est;est tamen contra cõmunem sententiam Authorum Scientiæ Mediæ, qui ex eo inferunt rem esse futuram præcisivè à decreto efficaci,seù independenter ab illo,quia si per impossibile non esset decretũ abæterno,sed in tempore inciperet, consensus liber in tempore existens,esset abæterno futurus; cuius oppositum docetur àD.Thoma,& Recentiores isti amplectuntur. Neque possunt recurrere ad scientiam Dei , qua cognoscit abæterno rem esse futuram, in qua consistit veritas illa increata,& sempiterna. Non,inquam,possunt;quia hæc scientia apud ipsos est purè speculativa,quæ supponit rem esse futuram ; & consequenter præparationem causæ,qua constituitur futura,& qua ablata, scientia non potest consistere. Quod si hæc scientia præparatio sit,& imperium Dei efficax, hæc ipsa est præparatio causæ , & sempiterna futuritio.

20 Deindè ex hoc testimonio Div. Thomæ,& interpretatione admissa, infertur non dari extra Deum abæterno veritatem aliquam formalem, qua verum sit rem esse futuram abæterno ; arqueadeò , si abæterno verum est rem esse futuram , hoc habet à veritate increata.Ex quo rursus infertur,non dari ex parte obiecti creati verificativum abæterno,vt ipsi loquuntur; nam hoc verificativum est obiectiva veritas extra Deum , & quidem contingens,quæ abæterno non datur; vt docet Div.Thom.artic.citato,& alibi sæpè.

21 De exemplo adducto de rerum possibilitate, altera intrinseca , & altera extrinseca desumpta ex Omnipotentia , infrà dicendum;pro nunc sufficiat,obiectum creatum,quod abæterno verum est esse veritate solum increatâ, habereque æternitatem in mente divina; nec aliud verificativum assignatur à D.Thoma extra Deum,vt constat ex solutione ad 1. illis verbis : *Dicendum , quod ratio circuli,& duo , & tria esse quinque habent æternitatem in mente divina* ; neque in possibilibus agnoscit D.Tho.conformitatem intrinsecam cum intellectu divino , in quo veritas obiectiva illorum debet consistere: non,inquam, hanc conformitatem cognoscit de facto, sed solum possibiliter , & hoc vi Omnipotentiæ, & scientiæ divinæ , quod sufficit,vt à Deo cognoscantur , vt infra explicabimus.

22 Hoc ipsum colligitur exD.Thoma,quæst.12.de Veritate, art.10. ad 2. vbi in futuro distinguit eventum , qui futurus est,& ordinem ad eventum, qui, vt constat ex isto articulo,est præparatio , & determinatio causæ ad dandum futuro existentiam: inter quæ hoc statuit discrimen,quod eventus præsens non est futuritionis tempore; ordo tamen ad illum est præsens: ex quo satis efficacitèr infertur nostra conclusio; tùm, quia cum res sit,& denominetur futura futuritionis tempore,non potest in ratione talis constitui per eventum , qui tunc non est, sed per ordinem ad illum tunc existentem. Tùm,quia cum eventus ex se futurus non sit,restat vt sit formaliter futurus ab ordine existente futuritionis tempore.

23 Idem colligitur ex solutione ad 7. vbi ex Philosopho lib.1. de Generatione docet, rem posse esse,& dici futuram à determinatione causæ,etiam si posteà res non existat,quia determinatio causæ inferioris à superiori impeditur:ex quo sic arguitur;iuxta D.Thomã res est,& dicitur formaliter futura à determinatione, & præparatione causæ ad dandum illi existentiã in impedibili ab alia superiori; ergo à determinatione causæ omninò in impedibili,&infallibiliter connexa cũ illius existentia erit,& denominabitur infallibiliter futura: talem autem esse determinationem primę causę docet D. Thomas in solutione ad 12. illis verbis : *Dicendum, quod causæ superiores,quæ sunt rerum rationes in divina præscientia , nunquam deficiunt ab implectione suorum effectuum , sicut deficiunt causæ inferiores;& ideò in causis superioribus cognoscuntur rerum eventus absolutè , sed in causis inferioribus,non nisi sub conditione.* Idẽ etiam colligitur ex quæstione 1.de Veritate, art.12.ad 7.ibi ; cum dicitur hoc futurum, designatur ordo, qui est in causis illius rei ad productionem eius , quia futurum hunc

ordinem, & determinationem cauſæ ſignificat, & illa conſtituitur. Videatur D. Thomas in 1. diſt. 38. quæſtione 1. artic. 5. & 1. contra Gentes, cap. 66. & 1. Peryhermenias, cap. 8. lectione 13. 2. 2. quæſt. 176. art. 1.

24 Eſt tamen advertendum; quod licèt creatura in tempore exiſtens conſtituatur abæterno futura præparatione cauſæ ſempiternæ; quia tamen æternitas Dei omnes durationes creatas complectitur, & comprehendit, & Deus cognoſcit creaturas cognitione, quæ eius æternitate menſuratur, non cognoſcit illas vt ſibi futuras, ſed vt præſentes; vt locis adductis docet D. Thomas, & infra iterùm attingemus.

25 Prædictam doctrinam deſumpſit Angelicus Magiſter ex D. Auguſtino lib. 26. contra Fauſtum, cap. 4. illis verbis: *Quod autem voluntas Dei non habet, fieri de quoquam non poteſt; proindè ſi mihi dicatur, poſſe fieri, vt caro, v. g. huius, vel illius hominis in corpus cœleſte mutetur, concedo fieri poſſe, ſed vtrum futurum ſit, neſcio, & ideò neſcio, quia quid habeat de hac re Dei voluntas, me latet; illud me tamen non latet, ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet*: vbi ex voluntate Dei deſummendam eſſe rei futuritionem apertè docet.

26 Idem etiam colligitur ex lib. 11. Confeſsionum, cap. 20. illis verbis: *Nec futura ſunt, nec præterita, nec propriè dicitur tempora ſunt tria, præteritum, præſens, & futurum: ſed fortaſsè propriè diceretur, tempora ſunt tria, præſens de præteritis, præſens de præſentibus, præſens de futuris. Præſens de præteritis, memoria, præſens de præſentibus intuitus, præſens de futuris expectatio*: vbi ſatis indicat, præteritum non eſſe, neque futurum; conſtitui tamen in ratione præteriti, & futuri per aliquid præſens, quod infert exiſtentiam rei in tempore antecedenti, vel exiſtentiam in tempore ſequenti, ratione cuius res, quæ non eſt de præſenti, conſtituitur præterita, & res, quæ nondum eſt de præſenti, conſtituitur futura. Ex quo infertur, quod cum abæterno nihil detur connexum cum exiſtentia futuri, niſi præparatio primæ cauſę, hęc debet conſtituere rem infallibiliter futuram. Idem docuerat cap. 18. antecedenti, illis verbis: *Cum ergo videri dicuntur futura, non ipſa, quæ nondum ſunt, ideſt, quæ futura ſunt. ſed eorum cauſæ, vel ſigna forſitan videntur, quæ iam ſunt, ideò non futura, ſed præſentia ſunt iam videntibus, ex quibus futura prædicantur*; & paulò infrà: intueor auroram, orituram Solem pronuntio: *Quod intueor, præſens eſt, quod pronuntio futurum. Non ſol futurus, qui iam eſt, ſed ortus eius, qui nondum eſt*: vbi ſatis demonſtrat rem, quę non eſt, dici, & eſſe futuram ab aliquo preſenti, inferente eius exiſtentiam tempore ſequenti.

27 Idem traddit de Correctione, & Gratia, cap. 9. & Tractatu 68. in Ioannem, vbi illa verba Prophetę *fecit, quæ futura ſunt*; ſic intelligit: *Vt fecerit futura illa prædeſtinando, & facturus ſit illa operando*. Item lib. 6. de Geneſi ad litteram, cap. 16. & 17. vbi ſic habet; hoc autem neceſſariò futurum eſt, quod ille vult, & ea verè futura ſunt, quæ ille præſcivit; nam multa ſecundum inferiores cauſas futura ſunt, ſicut ibi ſunt, ſed ſi ita ſunt, & in præſcientia Dei vera futura ſunt: vbi diſtinguit duo genera futurorum, alterum, per ordinem ad cauſas creatas, quod eſt tale ex vi determinationis illarum, quod non eſt omninò infallibile, niſi Deus ipſe velit, ex cuius efficacia, accipit omnimodam infallibilitatem.

§. III.

Ratione probatur noſtra concluſio.

28 SECUNDO Probatur concluſio hac ratione. Rem eſſe futuram eſt realis denominatio præſtita à forma reali: non ab alia, niſi à præparatione cauſæ ad dandum illi exiſtentiam; ergo hæc eſt forma conſtitutiva futuri. Conſequentia eſt legitima. Maior certa, etenim rem eſſe futuram non eſt aliquid fictum, ſed reale. Minor autem probatur; forma, qua res eſt, & dicitur futura, debet dari tempore futuritionis: ſed tempore futuritionis nihil datur, à quo denominetur futura, niſi præparatio, & determinatio cauſæ; ergo nulla alia forma rem poteſt futuram conſtituere. Conſequentia eſt legitima, & præmiſſæ indigent probatione. Maior probatur; implicat dari effectum formalem ſine forma; ſed tempore futuritionis datur effectus formalis, nimirum, rem eſſe futuram; ergo datur forma illius conſtitutiva.

Mi-

29 Minor autem etiam facilè probatur; forma continens rem futuram, debet illam à purè possibili distinguere: sed tempore futuritionis nihil datur distingues rem futuram à purè possibili, nisi determinatio causæ; ergo hæc, & non alia est forma constituens futurum. Minor probatur; nam futuritionis tempore solum datur possibilitas obiectiva creaturæ, possibiliter, potentia activa causæ ad dandum illi existentiam, illius determinatio ad conferendū existentiam rei possibili, & tandem carentia existentię, rei futuræ: sed nihil horum præter causæ determinationem, neque omnia simul extrahunt rem à pura possibilitate, cum purè possibilibus conveniant; ergo solum determinatio causæ futuritionis tempore existens rem futuram à purè possibili distinguit. Omisimus divinam scientiam, qua Deus cognoscit rem futuram, quæ scientia existit tempore futuritionis, quia hæc scientia apud Adversarios est purè speculativa, quæ supponit futurum, non constituit; in nostra autem sententia est practica, & includitur in præparatione causæ.

30 Dices primò, ex doctrina Recentioris Valentini, loco citato futuritionis tẽpore non dari adæquatum constitutivum futuri, & consequenter, nec adæquatum distinctivum illius à purè possibili, sed solum inadęquatum, nimirū carentia existentiæ rei futuræ; neque hoc esse mirum; cum futurum sit complexum ex duplici contradictorio, nimirum ex carẽtia existentiæ, & ipsa existẽtia; quapropter nequit simul adæquatè dari, sed partim tempore futuritionis, partim posteà: iuxta quam doctrinam necessariò fatendum videtur, vel quod vt res sit, & dicatur simpliciter futura tẽpore futuritionis, non requiritur quod tũc detur forma adæquata futuri, vel quod tẽpore futuritionis res non est, nec dicitur simpliciter, & absolutè futura.

31 Sed hęc doctrina substinenda non est: & in primis falsū est carentiam existẽtię esse inadęquatū cõstitutivū futuri, & distinctivū à purè possibili, primò; quia per prædicatū cõmune duobus nequit vnum etiã inaquatè ab altero distingui: quapropter per prędicatum genericum *animal*, v.g. cõmune homini, & equo, nequeunt inter se etiã inadæquatè distingui: sed carentia existentiæ est prędicatum genericū, seù commune futuro, & purè possibili; ergo neque inadæquatè potest futurū ab alio distinguere. Secũdò prędicatū relinquẽs rẽ indifferẽtẽ, vt sit; & nõ sit futura, vt extrahatur à pura possibilitate, vel nõ extrahatur, nequit rem futuram à purè possibili distinguere: quapropter, quia quantitas relinquit corpus indifferens, vt sit album, vel nigrum, nequit etiam inadæquatè album à nigro distinguere: sed carentia existentiæ relinquit rẽ indifferentem, vt sit, & non sit futura; potest enim vtrique coniungi; ergo nequit esse inadæquatum constitutivum, & distinctivum futuri à purè possibili; quod etiam Adversarius non satis sibi constans fatetur, & sæpè docet tota disputatione 1. citata, præcipuè sectione 4. num. 44.

32 Secundo falsum etiam est, existentiam inadæquatè constituere, & distinguere futurum; quod constat primo ratione facta; etenim existẽtia convenit rei non futuræ, scilicèt existenti; ergo nequit futurum inadæquatè constituere, seù distinguere. Dices, existentiam vt habendam soli futuro convenire, ipsi enim convenit habiturum esse existentiæ, & proùt sic illud constituere. Sed contra est; nam existentia, vt habenda, vel addit aliquid supra existentiam, vel non: si secundum dicatur, argumentum non solvitur; nam cum idem sit existentia, ac existentia vt habenda, cui convenit existentia, convenit existentia vt habenda, & è contra: si primum dicatur, id, quod addit existentia vt habenda supra existentiam, constituet, & distinguet futurum, non verò existentia.

33 Secundo constat; quia per id, quod futuro non convenit, nequit futurum etiam inadæquatè constitui, aut distingui: sed existentia futuro non cõvenit; per illam enim solvitur futuritio: ergo per illam nequit distingui. Si autem iterùm dicas existentiam vt habendam convenire futuro. Contra est argumentum factum; nam existentia vt habenda, vel addit aliquid supra existentiam, vel non? Si secundum dicatur, nequit convenire futuro existentia, cum futurum non sit existens: si primum, illud sic ab existentia distinctum constituet futurum, non verò existentia. Tertio, rem esse futuram est esse in via ad existendum: sed via ad terminum, nõ per terminum, sed per aliquid illum præcedens adæquatè cõstituitur; ergo idẽ, ac prius.

34 Quarto idem constat; quia rem esse futuram est quid medium inter possibilitatem, & existentiam; ergo forma constituens adæquatè futurum debet inter vtrumque mediare, & ab vtroque distingui. Quinto, etenim, quia rem esse futuram supponit illius possibilitatem, nequit futurũ etiam inadæquatè per possibilitatẽ cõstitui; ergo quia esse futurum præcedit existentiã, nequit per

existentiam etiam inadæquatè constitui. Consequentia probatur non minus, imò magis repugnat esse, aut intelligi effectum formalem pro priori ad formam, quam esse, aut intelligi formam pro priori ad effectum formalem: sed quia possibilitas rei præcedit effectum formalem futuritionis, seù esse rem futuram, nequit res, etiam inadæquatè constitui futura per possibilitatem; ergo quia esse rem futuram præcedit existentiam, nequit per illam constitui futura, etiam inadæquatè.

35 Deindè: tertio impugnatur solutio; quia iuxta illam, vt videbimus, necessariò dicendum est, vel quod vt sit, & dicatur, simplicitèr futura tempore futuritionis non requiritur dari formam adæquatam futuritionis, sed inadæquatam, nimirùm, carentiam existentiæ; vel quod tempore futuritionis res non est, nec dicitur futura absolutè, & simplicitèr: sed vtrumque, est falsum; ergo solutio. Minor probatur pro prima parte, probatur primo; quia D. Thomas testimonio ex 1. parte adducto, vt componat creaturam esse abæterno futuram, & quod nihil creatum sit abæterno, recurrit ad causam sempiternam, in qua abæterno erat, vt esset absolutè, & simplicitèr futura: ex quo duo inferuntur; primum, sensisse, quod vt effectus formalis futuritionis, seù concretum futuritionis detur abæterno, necesse est quod detur abæterno forma, qua à purè possibili distinguatur: secundum quod infertur est, quod ad hoc, vt effectus formalis futuritionis detur abæterno, non sufficit abæterno dari carentiam rei futuræ, aliàs frustra ad determinationem primæ causæ recurret.

36 Secundò probatur eadem minor argumento facto; effectus enim formalis nequit præcedere formam etiam inadæquatam, cum illam essentialitèr includat, quod per se evidens videtur, & hac ratione effectus futuritionis nequit præcedere carentiam existentiæ, in sententiam Recentiorum, quia scilicèt, hæc est forma saltim inadæquata, & cõsequenter clausa in cõceptu futuri. Tertiò probatur minor, quia Deus abæterno per liberũ decretum est volens liberè creaturam, nequit per creaturam, aut actionẽ transeuntem in tempore existentem, etiam inadæquatè liberè volens constitui, vt docebimus tractu de Voluntate Dei, super articulum 3. dub. 1. qua etiam ratione inter alias ad id suadendum vtuntur Recentiores, quos impugnamus; ergo effectus formalis nequit præcedere formam, etiam inadæquatam.

37 Quartò probatur eadem minor, de re existenti non verificatur esse futuram, etiam si ei conveniat forma inadæquata futuritionis; ergo non sufficit, vt de subiecto verè affirmetur effectus formalis, seù concretum, formam inadæquatam subiecto convenire; ergo si tempore futuritionis non convenit futuro, nisi inadæquata forma, de illo non verificatur esse futurum: & ratio est quia, in propositione affirmativa denotatur formale, & adæquatum significatum prædicati convenire subiecto iuxta differentiam temporis importatam per copulam: quapropter de obiecto circa quod de præsente non est cognitio, falsò dicitur esse cognitum; ergo vt verè de præsenti affirmetur Petrum esse futurum, formale, & adæquatum prædicati significatum debet de præsenti Petro convenire: sed adæquatum significatum est adæquatum constitutivum futuri; ergo necessarium est ipsi defacto convenire adæquatum constitutivum futuri.

38 Tandem probatur: tempore futuritionis non posse de futuro verè affirmari, esse futurum, si solum ipsi conveniat pro tunc carentia existentiæ; quod sic ostenditur; nam de re, cui solum conveniunt prædicata indifferentia, vt sit, aut non sit futura, nequit verè affirmari esse futuram: quapropter de corpore, cui solum convenit quantitas, nequit de præsenti affirmari esse album, quia ipsi solum conveniunt prædicata indifferentia, vt sit aut non sit album: sed rei, cui solum de præsenti convenit carentia existentiæ, solum conveniunt prædicata indifferentia, vt sit, aut non sit futura; ergo de illa nequit de præsenti verè affirmari esse futuram. Confirmatur; quia pro signo possibilitatis solum conveniunt rei prædicata indifferentia, vt sit, aut non sit futura, nequit de illa pro illo signo verificari, quod sit futura: sed si tempore futuritionis solum cõvenit carentia existentiæ, solum conveniunt rei prædicata indifferentia ad futuritionem, & eius carentiam; carentia enim existentiæ potest cum vtrumque componi; nequit de illa verificari esse futuram.

39 Sed quid in hoc immoramur; cum ipsi fateantur, binarium ex duratione hodierna, & crastina non dari hodie, quia non datur hodie vtraque duratio inclusa in conceptu illius binarij, & in vniversum docet, Sectione 5. nullum complexum dari, cuius partes non existunt. Ex quo evidenter in-

infertur, tempore futuritionis rem non esse futuram; cum non dentur omnes partes constituentes futurum: imò infertur, nunquam dari futurum, aut nunquam rem esse futuram; cum eius partes nunquam simul existant, nec existere possint.

40 Hoc autem esse falsum constabit probando secundam partem minoris, nimirum falsum esse tempore futuritionis non verificari de re esse futuram. Quod constat primo ex D. Thoma testimonio adducto ex 1. parte; vbi fatetur de re in tempore existenti esse abæterno futuram. Secundo ex ipso Adversario, qui sæpè in solutione argumentorum præcipuè, sect. 3. numero 52. ingenuè, & libenter fatetur, licèt non sibi satis constans tempore futuritionis rem esse certo, & infallibiliter futuram, licèt hoc non habeat ex determinatione causæ præsentis tempore futuritionis.

Tertio; quia à nemine negari potest, esse verum de præsenti, Anti-Christum v.g. esse futurum; tempore ergo futuritionis res est, & dicitur futura. Quartò; nam si tempore futuritionis, hoc non verificaretur, nũquam esset verum, rem esse futuram, cum nec tempore futuritionis sit futura, nec tempore existentiæ; imò impossibile esset creaturę convenire esse futuram; complexum enim ex duplici contradictorio nulli convenire potest, futurum autem esse huiusmodi, in doctrina supra adducta Recentiorum continetur.

41 Sed licèt ita clara videantur, iterùm conantur respondere sect. 6. assert. 3. quod hæc propositio Anti-Christus est futurus, duplicem potest sensum habere. Primus est Anti-Christus nunc pro instanti præsenti est futurus præcisis, vel exclusis alijs instantibus, & in hoc sensu falsam esse propositionem illam, quia non existit adæquatè futuritio pro isto instanti, sed solum inadęquatè, scilicèt, carentia existentiæ. Secundus sensus est, Anti-Christus est futurus partim nunc, & partim posteà, & in hoc sensu vera est propositio, & ab his Authoribus in hoc sensu conceditur.

42 Sed contra est primo; quia præfata propositio solum potest facere primum sensum; ergo in nullo est vera iuxta contrariam sententiam. Antecedens satis clarè colligitur ex Augustino vbi supra, & probatur, in propositione contingenti temporis præsentis denotatur adæquatum significatum prædicati convenire subiecto, & pro tempore præsenti: sed hæc propositio, Anti-Christus est futurus est contingens de tempore præsenti; ergo denotatur adæquatum significatur prædicati de facto, & pro tempore præsenti convenire subiecto.

43 Nec obest, quod prædicatum sit quid complexum ex duplici contradictorio, non potens simul quoad omnes suas partes convenire subiecto: ex hoc enim solum infertur propositionem non posse esse veram; non verò quod non denotetur, & enuntietur adæquatum significatum prædicati de facto convenire subiecto, & pro tempore præsenti, vt patet in hac propositione, Petrus est existens, & non existens; vbi prædicatum est complexum ex duplici contradictorio, & tamen alium sensum non habet, nisi quod adæquatum significatum illius de præsenti, & simul conveniat Petro proindèquè non est vera.

44 Neque etiam obstat, quod futurum sit complexum ex duplici forma, aut quasi forma, quarum vna alteri succedit, propter eandem rationem; hæc enim propositio, *hoc existens*, designata hodierna duratione, *est binarium ex duratione hodierna, & crastina, est falsa*, neque admittit sensum futurum; quia cum prædicatum vtramque durationem significet, propositio denotat vtramque convenire subiecto iuxta differentiam temporis importatam per copulam. Similiter ista propositio, *Petrus durat duratione hodierna, & crastina*, verificari non potest, nisi de præsenti vtraque duret; & tamen prędicatum est complexum ex duplici forma, quarum vna alteri succedit; ergo hoc non sufficit, ad hoc vt propositio non denotet adæquatum significatum prædicati convenire subiecto iuxta differentiam temporis importatam per copulam.

45 Dices ex doctrina Recentiorum esse maximam differentiam in exemplo adducto, & propositionem, de qua est quæstio, in eo, *quod ly Futurum*, ampliat ad id, quod est, vel erit, & ideò vt sit vera propositio, in qua enuntiatur rem esse futuram non requiritur, quod de facto, & de præsenti conveniat subiecto adæquatum significatum prædicati, sed sufficit, si partim conveniat modo, & partim posteà: in exemplis autem adductis oppositum oppositi de causa contingit.

46 Sed contra est primo; ex eo, quod prædicatum ampliet subiectum ad id, quod est, vel erit, solum infertur non requiri existentiam prędentem subiecti, vt de facto illi conveniat prædicatum; non verò, quod non

sit

ſit neceſſarium ad hoc, vt propoſitio contingens de præſenti ſit vera, quod de præſenti conveniat ſubiecto adæquatum ſignificatum prædicati: Quod ſic patet; nam etiam in hac, *Petrus eſt cognitus*, ſubiectum ex vi prædicati ampliatur, vt aſſerunt, vſque ad Petrum poſsibilem; vndè de Petro poſsibili verificatur, & per illo ſupponit: & tamen vt ſit de præſenti vera, neceſſarium eſt, quod cognitio, quæ eſt adæquatum ſignificatum prædicati de facto, & de præſenti exiſtat, & ad Petrum terminetur; ergo etiam ſi, vt de præſenti verificetur de Petro eſſe futurum, non requiratur ex vi ampliationis Petrum exiſtere, requiſitum tamen eſt, quod de præſenti ei conveniat adæquatum ſignificatum prædicati.

47 Imò ex ampliatione argumentum deſumimus; tunc enim prædicatum ampliat ſubiectum, etiam ſi de illo contingenter, & per copulam de præſenti dicatur, quando tale eſt, quod adæquatum ſignificatum illius potens eſt convenire de præſenti ſubiecto non exiſtenti de præſenti, vt conſtat in hac, Petrus eſt futurus; ergo *ly futurum*, non ampliat, vt neque ampliant prædicata in exemplis adductis, vel ſi ampliat, eo eſt, quia adæquatum illius conſtitutivum, ſeù ſignificatum poteſt de præſenti convenire ſubiecto non exiſtenti de præſenti; atque adeò ſignificatum illius non erit exiſtentia, ſed ordo, & determinatio ad illam habēdam, quæ ſubiecto nondum exiſtenti de facto, & de præſenti convenire poteſt, ſicut & eſſe cognitum.

48 Secundo impugnatur principalis ſolutio; in hac propoſitione, *Anti-Chriſtus eſt futurus*, denotatur convenire de præſenti Anti-Chriſto aliquid præter carentiam exiſtentiæ; ſed hoc ipſo prædicta propoſitio non admittit ſenſum verum in ſententia oppoſita; ergo minor probatur; ſi enim aliquid præter carentiam exiſtentiæ denotatur convenire Anti-Chriſto de præſenti, non poteſt aliud eſſe in contraria ſententia, niſi exiſtentia ipſa; ſed hæc de præſenti non convenit; ergo hoc ipſo prædicta propoſitio non admittit ſenſum verum iuxta oppoſitam ſententiam. Maior autem etiam probatur primo; in prædicta propoſitione denotatur convenire de præſenti Anti-Chriſto aliquid, quod purè poſsibilibus non convenit; nec aliud ex vi illius propoſitionis concipi poteſt, niſi quod de facto convenit Anti-Chriſto eſſe extra puram poſsibilitatem, & eſſe futurum, quod purè poſsibilibus non convenit; ergo denotatur aliquid convenire Anti-Chriſto, præter carentiam exiſtentiæ. Secundo probatur eadem maior; ex vi illius propoſitionis non ſolum concipimus Anti-Chriſtum de præſenti carere exiſtentiæ, ſed de præſenti illi convenire hoc, quod eſt habiturum eſſe exiſtentiam: ſed modo illi hoc convenire quid diſtinctum eſt à carentia exiſtentiæ; cum huiuſmodi carentia purè poſsibilibus conveniat, quibus non convenit habitura eſſe exiſtentiam; ergo.

49 Tertio impugnatur ſolutio; prædicta propoſitio in prædicto ſecundo ſenſu, ſcilicèt, quod futuritio partim conveniat modo Anti-Chriſto, & partim poſteà, etiam eſt falſa; ergo non admittit ſenſum verum. Antecedens probatur; ſenſus ille non eſt intelligibilis, niſi ſic exponatur; Anti-Chriſto nunc convenit carentia exiſtentiæ, & poſteà convenit exiſtentia: ſed in iſto ſenſu eſt falſa; ergo etiam in ſecundo ſenſu eſt falſa. Maior conſtans videtur, & minor probatur, propoſitio expoſita per copulativam, cuius aliqua pars eſt falſa, tota eſt falſa, ſicut & copulativa: ſed ſecunda pars copulativæ exponentis eſt falſa, nimirum exiſtentia poſteà conveniet Anti-Chriſto; ergo tota copulativa eſt falſa, & conſequenter exponibilis. Minor probatur primo; quod poſteà conveniet exiſtentia Anti-Chriſto modo enuntiatur de illo, & modo non convenit; cum ſolum conveniat carentia exiſtentiæ; ergo falſo de præſenti enuntiatur de Anti-Chriſto, quod ipſi conveniat exiſtentia.

50 Secundo probatur eadem minor; nam hæc propoſitio, *Anti-Chriſto poſteà conveniet exiſtentia* æquivalet huic *Anti-Chriſtus poſteà habiturus eſt exiſtentiam*; ſed hæc eſt falſa; ergo, & prima. Minor probatur, argumento ſupra facto; de illo, cui de præſenti non conveniunt, niſi prædicata indifferentia, vt ſit, aut non ſit habiturus exiſtentiam, falſo de præſenti affirmatur habiturum eſſe exiſtentiam: ſed tempore futuritionis ſolum conveniunt Anti-Chriſto prædicata indifferentia, vt ſit aut non ſit habiturus exiſtentiam; ergo de illo falſo affirmatur habiturum eſſe exiſtentiam.

51 Dices, quod ex ſuppoſitione, quod poſteà habeat exiſtentiam, verum eſt modo habiturum eſſe exiſtentiam. Sed contra eſt, quod propoſitio, quæ non poteſt eſſe vera, niſi ex aliqua ſuppoſitione, vt de facto ſit vera, neceſſe eſt, quod de facto detur talis ſuppoſitio, vt de ſe evidens eſt: ſed de facto, & de præſenti non datur talis ſuppo-

ſi-

ſitio, cum ſolum defacto carentia exiſtentiæ ; ergo de facto vera non eſt.

52 Quarto; vt propoſitio de futuro contingenti ſit vera in aliquo ſenſu, neceſſarium eſt, quod exiſtat adæquata futuritio: ſed tempore futuritionis non exiſtit adęquata futuritio ; ergo in nullo ſenſu eſt vera. Minor probatur;vt ſit vera, neceſſarium eſt, quod detur illius veritas: ſed hęc non datur, niſi detur adęquata futuritio ; ergo nec ipſa erit vera, adęquata futuritione non exiſtente. Minor probatur ; veritas propoſitionis de futuro eſt conflatum ex actu intellectus, & obiecto adęquato illius, iuxta Adverſarios: ſed non exiſtente adęquata futuritione, hoc conflatum non datur ; ergo nec veritas illius propoſitionis.

53 Huic argumento reſpondent Recentiores loco citato,propoſitiones de futuro, ſi formentur actibus ſupernaturalibus, quibus non poteſt ſubeſſe falſum, eſſe veras, eo quod veritas eſt illis intrinſeca , & eſſentialis, non compoſita ex actu, & obiecto : ſi autem formentur ex actibus naturalibus non eſſentialiter veris, eſſe veras ea parte, qua enuntiant carentiam exiſtentię ; ex alia tamen parte, ex parte exiſtentię non eſſe veras : & ratio eſt , quia cum veritas illarum ſit complexum ex actu , & obiecto , & hoc complexum non detur,non poſſunt eſſe verę, ſed indifferentes ex illa parte ad veritatem,& falſitatem.

54 Hęc tamen ſolutio ,& doctrina inſufficiens eſt; primo , quia vel intelligitur de propoſitione de futuro in primo ſenſu, vel in ſecundo ? Si in primo, nequit eſſe vera propoſitio mentalis; atqueadeò , vel non poterit formari propoſitio actibus ſupernaturalibus,vel non repugnabit falſitas propoſitioni ſupernaturali. Quod ſic patet ; nam in primo ſenſu affirmatur per illam exiſtere de preſenti totam futuritionem , quod falſum eſt iuxta Adverſarios ; ergo propoſitio hoc enuntians nequit ex actibus ſupernaturalibus formari,vel his falſitas non repugnabit. Si autem intelligatur in ſecundo ſenſu, vt videtur intelligenda iuxta ipſos , propoſitio ſupernaturalis nequit eſſe vera,quin propoſitio naturalis contingens ſit etiam de facto vera; eſt enim in intelligibile, quod ex duabus propoſitionibus idem affirmantibus vna ſit vera,& altera nõ ſit vera : ſed vtraq; propoſitio idem affirmat, & eundem reddit ſenſum; ergo implicat propoſitionẽ ſupernaturalem eſſe veram, & alterã naturalem non eſſe veram.Quod ſic vlterius explicatur;nam vel ita eſt,ſicut per propoſitionem contingenter naturalem affirmatur , vel non ? Si primum,erit vera; ſi ſecundum , nulla propoſitio idem affirmans erit vera ; cum ab eo quod res eſt, vel non eſt , propoſitio dicatur vera,vel falſa.

55 Et ex his colligitur falſum eſſe,prędictam propoſitionem,quoad ſecundam partẽ eſſe indifferentem ad veritatẽ, vel falſitatẽ vel enim ita eſt , ſicut per illam ſignificatur, vel non?Si primum,eſt vera;ſi ſecundum, eſt falſa ; ergo non eſt indifferens ad veritatem , & falſitatem : licèt enim propoſitio contingens pro priori, pro quo ſolum intelliguntur prædicata indifferentia , vt ſit , aut non ſit obiectum per illam ſignificatum; aut enuntiatum , ſit indifferens ad veritatem , & falſitatem;qualiter pro priori ad amorem, & eius omiſsionem , in quo ſolum intelligitur voluntas indifferens ad amorem , & omiſſionem ; pro illo , inquam , ſigno propoſitio,affirmans amorem,eſt indifferens ad veritatẽ, & falſitatem ; in inſtanti tamẽ reali repugnat non eſſe determinatè veram , vel determinatè falſam , eo quod inter eſſe , aut nõ eſſe in inſtanti reali non datur medium: &quidẽ mirum eſt,quãtum diſtetRecentiorũ iſtorum doctrina , ab aliorum Authorum mente , qui,vt poſteà videbimus, ex duabus contradictorijs de futuro contingenti contendunt vnam eſſe determinatè veram , & alteram determinatè falſam , non ſolum in inſtanti reali, ſed in ſigno antecedenti decretum , vel præſcindenti ab illo : hi autem in inſtanti reali admittunt propoſitionem indifferentem ad veritatem , & falſitatem.

56 Secundò impugnatur ſolutio; quia ex illa ſequitur propoſitionẽ de futuro contingenti formatam actibus naturalibus, nedum non eſſe indifferentem ad veritatem, & falſitatem , ſed eſſe impoſsibilem : quod ſic patet ſuppoſita communi , & vera doctrina, nimirum, quod,vt propoſitio ſit vera, neceſsè eſt, quod ex omni parte ſit vera: vndè hæc propoſitio *Petrus eſt corpus album*, non eſt vera abſolutè non exiſtente albedine , licèt pro ea parte, qua affirmatur corpus de Petro , ſit vera: hac ſuppoſita doctrina, facilè conſtat prædictam propoſitionem eſſe impoſsibilem; nam illi repugnat eſſe veram; ergo eſt impoſsibilis. Antecedens conſtat;nam repugnat eſſe ex omni parte veram; nam ea parte , qua affirmat exiſtentiam,repugnat eſſe veram tempore futuritionis ; ea autem parte,qua affirmat carentiam exiſtentiæ,

tiæ, repugnat esse veram tempore, quo existit res futura.

57 Ex his clarè constat inconstantia Recentiorum in propria doctrina; iam enim affirmant propositionem de futuro esse veram tempore futuritionis, ad quod non requiritur, quod defacto detur existentia, sed sufficit carentia rei futuræ, & posteà illius existentia: iam concedunt illam in quodam sensu, & in altero negant; & tandem in quo docent esse veram, posteà docent esse indifferentem ad veritatem, & falsitatem: imò tenentur affirmare, vt vidimus, esse impossibilem: iuxta quam sententiam affirmandum est hanc propositionem, *Dies iudicij est futurus*, formatam à Catholico actibus supernaturalibus esse essentialiter veram, formatam ab hæretico actibus naturalibus, esse impossibilem; quod impossibile est ad credendum, & evidenti rationi adversatur, vt vidimus. Nobis modo sufficiat, ita esse certum, futurum non constitui per carentiam existentiæ tempore futuritionis, & existentiam pro tempore sequenti, sicut est certum hanc propositionem, *Dies iudicij est futurus*, esse veram determinate, à quocumque proferatur, fideli, vel infideli.

§. IV.

Aliorum doctrina, & solutio reijcitur.

58 SECUNDO Responderi potest ex doctrina Recentiorum Complutensium vbi supra, quos meo videri non est sequutus Borrul, quamvis videatur illos sequi. Respondent ergo duplex distinguendo futurum, sivè futuri duplicem considerationem; potest enim considerari, vel in esse formaliter, vel in esse entitativo: in esse entitativo constituitur per carentiam existentiæ tempore futuritionis, & existentiam, quam posteà habebit futurum. In esse veri potest adhùc dupliciter summi, vel formaliter, vel fundamentaliter: in esse veri formaliter constituitur per iudicium verum, quo affirmatur esse futurum; in esse autem veri fundamentaliter constituitur per aliquod prædicatum præsens tempore futuritionis, infallibiliter connexum cum existentia posteà habenda: hoc autem prædicatum non est necessariò decretum divinum de dando rei futuræ existentiam; sed vel hoc est decretum, vel scientia divina essentialiter vera existens tempore futuritionis, & abæterno, & connexa cum existentia posteà habenda, vel si quod datur aliquod prædicatum tempore futuritionis connexum cum existentia futuri.

59 Ex qua doctrina, ad argumentum factum respondetur convincere tempore futuritionis dari totam, & adæquatam futuritionem, & constitutivum futuri in esse veri formaliter, aut fundamentaliter: non verò convinci dari futuritionis tempore adæquatam futuritionem constitutivam futuri in esse entitativo. Insuper huiusmodi futuritionem constituentem futurum in esse veri, non convincit argumentum, esse necessariò decretum divinum, sed vel decretum, vel quodlibet aliud prędicatum connexum cum existentia futuri; quodlibet enim huiusmodi prędicatum sufficiens est ad constituendum futurum in esse veri fundamentaliter: in esse autem veri formaliter solum potest constitui per iudicium verum.

60 In hac solutione, & doctrina licèt aliqua displiceant; placet tamen, quod vt sit verum iudicium, quo affirmatur rem esse futuram, pro tempore futuritionis debet existere prædicatum connexum cum existẽtia posteà habenda per eodem tempore. Placet insuper, prædicatum aliquod sic existens esse necessarium, & sufficiens fundamentum, vt res verè iudicetur futura. Ex his etiam, ni fallor, evidenter colligitur aliquod prædicatum existens tempore futuritionis connexum cum existentia futuri constituere futurum formaliter in ratione talis, non verò existentiam, quam posteà habebit: Quod sic probo; id, quo res constituitur futura, præstat fundamentum sufficiens, vt verè iudicetur futura: sed id, quod præstat fundamentum sufficiens, vt iudicetur, futura solum est prædicatum præsens connexum cũ existentia futuri, vt ipsi asserunt; ergo solum prædicato præsenti connexo cum existentia futuri formaliter constituitur futurũ. Consequentia est legitima, minor est doctrina solutionis; & maior est nota; nam rem esse futuram est verè præstare fundamentũ, vt iudicetur futura; ergo id, quo constituitur futura, præstat huiusmodi fundamentum; sicut, quia Petrum esse album præstat fundamentum sufficiens, & necessarium, vt

ve-

verè iudicetur albus, eo præstat hoc fundamentum, quo constituitur albus. Secundo; futuritio, cuius constitutionem indagamus, est quę verè prędicatur de re futura, futuritionis tempore: sed hæc non est existentia, sed prædicatum existens tempore futuritionis cum existentia connexum, vt asserit solutio; ergo in hoc, & non in illa adęquatè sita est futuritionis essentia.

61 Tertiò futuritio entitativa non est vera futuritio; ergo omnis vera futuritio constituitur per prædicatum præsens cum existentia connexum. Consequentia est legitima; omnis enim futuritio, præter entitativam constituitur per huiusmodi prædicatum. Antecedens autem probatur; illa est veta futuritio, qua constituitur res verè futura; sed futuritione entitativa, non constituitur res verè futura; ergo non est vera futuritio. Consequentia est bona; maior ex terminis nota,& minor probatur; illud, quo res constituitur verè futura, præbet fundamentum sufficiens, vt per iudicium verum affirmetur futura; sed futuritio entitativa hoc fundamentum non præbet; tùm, quia aliàs non esset necessarium prædicatum præsens cum existentia connexum, vt hoc præberet fundamentum. Tùm etiam, quia futuritio entitativa non præbet fundamentum tempore futuritionis, neque tempore existentiæ; ergo nunquam illud præbet, vt per iudicium verum res sit,& dicatur futura.

62 Displicet in solutione, quod ibi subiungitur, scilicèt, quodlibet prædicatum connexum cum existentia postcà habenda constituere in rigore rem futuram; quapropter Antonius Perez vbi supra fatetur futuritionem adæquatam esse prædicatum existens tempore futuritionis,& connexum cum existentia futuri: hoc tamen non esse decretum, sed respectu futuri absoluti scientiam visionis, respectu verò conditionati Scientiam Mediam: à quo solutionem acceperunt Complutenses relati, eamque viderunt Valentini, quam non ita clarè traddiderunt, nè viderentur suorum deserere sententiam, vel fortè vt dissimulerent ab alio priùs traditam accepisse, doctrinam ex se satis difficilem obscurare studuerunt.

63 Displicet, inquam; solum enim rem futuram constituit determinatio, & præparatio causæ ad dandum illi existentiam: Quod docuit D. Thomas locis citatis,& argumentum nostrum illud convincit: res enim abæterno habet, quod sit infalliliter futura: abæterno autem solum potest dari connexum cum existentia rei in tempore, vel decretum divinum, vel divina scientia, qua Deus cognoscit rem esse futuram, quæ apud Adversarios est speculativa, & consequenter rem futuram supponit non constituit; solum ergo decretum divinum potest illam constituere abæterno futuram.

64 Explicatur,& vrgetur supponendo doctrinam Adversarijs communem, assentibus scientiam visionis non esse causam rerum, sed purè speculativam: si enim, vt docuimus ex D. Thoma, & SS.PP. Tractatu præcedenti de Scientia necessaria, dub. 4. Scientia visionis est causa rerum, fatendum est esse formam saltim inadæquatam constitutivam futuri, vt posteà explicabimus. Hoc supposito sic reijcitur; scientia visionis supponit constitutum futurum; ergo non constituit. Consequentia constat, & antecedens probatur; scientia visionis supponit adæquatè determinatum Deum ad dandum esse futuro: sed ex vi huius determinationis constituitur res futura; ergo supponit futurum constitutum. Maior,& minor sunt probandæ. Maior probatur omnibus rationibus, quas Tractatu de Prædiffinitionibus adducemus ad probandum, quamlibet creaturam, & etiam actum liberum supponere essentialiter decretum efficax Dei, ad quod subsequitur scientia visionis, non vt determinatio causæ requisita ad dandum esse effectui, in sententia Adversariorum, sed vt purè speculativa. Deindè probatur: nam cum scientia visionis potuerit non esse in Deo quoad terminationem, seù denominationẽ, existit in ipso ex alicuius determinatione; non alterius à Deo, aut eius voluntate decernente existentiam creaturæ; ergo ex determinatione voluntatis divinæ. Hæc minor probatur; tùm, quia si scientia visionis ex alterius determinatione existeret, alterius providentiæ,& dispositioni subderetur: tùm etiam, quia ipsa determinatio, ex qua scientia visionis existeret, alterius providentiæ subderetur, cum esset,& non ex dispositione Dei: tùm denique; quia cum abæterno existat scientia visionis, abæterno debet dari determinatio, vi cuius existat: sed abæterno non datur alterius extra Deum determinatio; ergo non existit extra Deum determinatione. Deindè; non potest existere ex determinatione intellectus divini; nam cum ex se sit indifferens ad videndum,& non videndum,& non sit formaliter liber, non potest seipsum determinare, sed indiget voluntatis libera determinatione.

Mi-

65 Minor autem principalis probatur; nam res ab eo habet esse futuram, à quo habet esse, & consequenter à causa habet esse futuram: sed non ab ipsa, vt præcisè potente illi dare esse, nec ab illa vt actualiter influente; ergo vt determinata ad dandum illi esse. Quapropter docuit D. Thom. vbi supra, quod si fieri rei non esset abæterno in causa sempiterna, vt fieret, non esset futurum illud fieri, & licèt quodlibet prædicatum connexum cum existentia futuri proùt sic cognitum sufficiens sit fundamentum ad verè, & propriè iudicandum rem esse futuram; inde tamen non colligitur illam futuram constituere, sed solum cum futuritione connecti; sicut licèt effectus cognitus, vt existens sit sufficiens fundamentum ad eliciendum assensum de existentia causæ; inde tamen non colligitur constituere causam existentem, sed solum cum existentia connecti.

66 Confirmatur primo; quia res est futura, videtur à Deo, iuxta Aduersarios; ergo visio supponit futuritionem. Confirmatur, & explicatur secundo; præcisivè à scientia visionis iuxta Aduersarios, nullum datur in Deo prædicatum non indifferens ad visionem actus liberi, & eius carentiam: sed actus liber in illa præcisione est indifferens, vt sit, aut non sit futurus; cum per scientiam constituatur futurus; ergo præcisivè à scientia visionis nihil est, vi cuius inferatur in Deo scientia huius actus determinatè præ alio; neque ratio quare Deus videat vnum futurum, & non aliud; cum neque ex parte Dei, & eius summa actualitate, neque ex parte actus detur aliquid amplius comparative ad alium actum liberum, qui non erit. Neque possunt confugere ad existentiam ipsius actus in tempore; quia hæc nondum datur, neque est futura in illa præcisione; neque amplius habet, quam actus merè possibilis; aliàs si amplius haberet, illo constitueretur futurus, non scientia visionis.

67 Idem argumentum conficitur ad probandum Scientiam Mediam non posse constituere futurum conditionatum; cum enim potuerit non esse, existit ex alicuius determinatione de facto existente; & consequenter ex determinatione voluntatis diuinæ, qua supponitur constitutum futurum, & qua ipsa scientia, non media, sed libera euadit. Insuper ex parte futuri nihil datur non indifferens ad scientiam illam, quod ipsi cõcedunt; aliàs illo constitueretur futurum cõditionatum; non scientia Media; cum ex parte Dei omnia sint indifferentia, vt diximus; ergo non est ratio, quare Deus cognoscat Petrum sub hac conditione conuertendum potiùs, quam non conuertendum; & quare hoc futurum conditionatum sit verum potiùs, quam alterum. Hæc insinuasse sufficiat; nam in discursu tractatus iterùm hæc doctrina est ad examen vocanda. Videantur dicenda disp. sequenti dub. 4. præcipuè §. 3. & 4.

68 Sed dices; scientia visionis supponit determinationem Dei: & tamen constituit inadæquatè futurum in nostra sententia; ergo licèt in sententia Aduersariorum determinationẽ Dei supponat, potest futurum saltim inadæquatè constituere. Secundo; licèt scientia Dei speculativa, qua Deus cognoscit rem esse futuram, illam futuram supponat; scientia tamen, qua Deus cognoscit Anti-Christum existere in sua differentia temporis, futuritionem non supponit, cum illam non respiciat tanquam obiectum; ergo saltim hæc abæterno existens connexa cum existentia Anti-Christi, poterit illum abæterno futurum constituere.

69 Ad primum constat ex dictis, & est neganda consequentia; in sententia enim contraria scientia visionis non determinat Deum ad producendum creaturam; cum sit purè speculativa; quod in nostra sententia non contingit: vnde sicut scientia simplicis intelligentiæ constituit Deum potentem producere creaturam, saltim inadæquatè; quapropter ab ipsa denominatur formaliter possibilis, saltim tanquam à forma inadæquata; pariter scientia Visionis est inadæquata determinatio Dei ad dandum esse creaturę; quapropter est inadæquata futuritio supponens inadæquatam futuritionem præstitam formaliter à decreto, quod est prima determinatio, & radix aliorum prædicatorum, quæ in Deo sunt, & potuerunt non esse; omnis enim determinatio libera in Deo, vel est actus voluntatis diuinæ, in qua formaliter residet libertas, vel illum supponit, à quo etiam libertatem habet. Ad secundum respondetur negando antecedẽs: scientia enim illa supponit existentiam Anti-Christi, quam non causat in sententia Aduersariorum: existentia autem in propria differentia temporis eius futuritionem supponit toto tempore antecedenti, & abæterno; supponit enim influxum Dei, & determinationem ipsius ad influendum, quę existit abæterno, & à qua res in tempore existens denominatur futura; & consequenter scien-

scientia illa speculativa supponit futuritionem, non constituit.



§. V.

Alijs rationibus probatur conclusio, & magis impugnantur prædictæ solutiones.

70 VT Ex omni parte destruamus fundamenta, quæ fiunt ad Scientiam Mediam, & omnia alia, quę ex illa sequuntur absurda omnibus modis scindamus, placet aliquantulum in nostræ sententię probationibus immorari. Undè secundò probatur conclusio ratione; res dicũtur futuræ abæterno, vel cõditionatè, vel absolutè, adæquatè, vel saltim inadęquatè: sed huiusmodi determinatio cõditionata, vel absoluta, etiam si solùm esset inadęquata (quod falsum est) non potest rei convenire, nisi ratione decreti, vel determinationis causæ sempiternæ; ergo decretũ divinum, vel determinatio causæ sempiternæ est causa futuritionis tam cõditionatæ, quàm absolutę, tã adęquatę, quàm inadęquatę. Cõsequentia est ligitima; maior certa, & ex dictis patet, alias nunquã dicerentur res futuræ, nec adęquatè, nec inadęquatè. Minor in qua est difficultas, probatur; futuritio huiusmodi cõvenire debet rei futurę, vel ex se, vel ex causalitate Dei, vel ex causalitate alterius causæ: sed semota omni Dei determinatione, nullo ex his capitibus potest illi cõvenire talis futuritio, nec adęquata, nec inadęquata; ergo solũ debet illi convenire ratione determinationis causę divinę, & sempiternę. Consequentia est bona; maior constat à sufficienti partiũ enumeratione: minor autem probatur quoad omnes partes, & quoad primam partem sic probatur; tùm quia rem esse futurã est prędicatum contingens: sed prędicatum contingens non convenit rei ex se, & ex natura sua; tùm quia si conveniret rei ex natura sua, omnibus possibilibus cõveniret; quod falsum est: tũ quia si futuritio conveniret rei ex se, Deus nõ posset facere, quod res non essent futurę; quod enim alicui convenit ex se, & ex sua natura, convenit necessario, quod nõ potest á Deo impediri; sicut quia rei possibili convenit ex se esse possibilem id est non repugnantę, non potest á Deo fieri, vt non sit possibilis; ergo si ex se res esset futura, nõ posset Deus facere, quod non esset futura.

71 Nec valet dicere, quod hoc solum probat defuturitione adæquata, non de inadæquata: nam contra est; quod etiam futuritio inadęquata est prędicatũ contingens; & consequenter nõ potest Deus facere, quod rei non conveniat. Denique probatur minor quoad eandem partem; quia ab eodem principio res habent futuritionem abæterno, vel futuritionis tempore, à quo habent existentiã in tempore, quo existunt: sed in tempore, quo existunt, non habent res existentiam ex se, nec ex natura sua; ergo nec abęterno habent ex se, & ex sua natura futuritionem. Confirmatur hoc; quia existentia est prædicatum contingens, contingenter conveniens rei, nequit illi convenire ex se, & ex natura sua; ergo si futuritio est prædicatum contingens, vt constat, nequit rei ex se convenire.

72 Minor quoad secundam partem probatur; Deus præcisa sua libera determinatione est indifferens ad dandum existentiam Petro, & ad non dandum; ergo vt determinetur ad dandum potius illi existentiam, quam ad non dandum, requiritur aliqua determinatio: tùm sic; sed hæc determinatio non potest esse, nisi decretum divinum de dando Petro existentiam; ergo decretum divinum erit constituens Deum in ratione causę determinatę futuritionis. Tùm etiam probatur minor quoad eandem partem; etenim Deus non est agens necessarium, sed liberum respectu creaturarum, tam futurarum, quàm existentium. Sed pro priori ad decretum divinum, & determinationem suę divinę voluntatis non intelligitur vt agens liberũ; cum propriori illo solùm intelligatur vt potens producere, & connexus cum mere possibilibus; ergo pro priori ad determinationẽ divinę voluntatis non intelligitur aliqua causalitas erga res futuras.

73 Denique eadem minor probatur, quoad vltimam partem, nempè quod res non cõstituatur futura ex vi determinationis, seu causalitatis alterius à causalitate, & determinatione Dei; etenim omnis causalitas, & determinatio causarum secundarum dependet ex determinatione, & causalitate Dei: sed ante decretum, & determinationẽ causæ sempiternę nulla intelligitur causalitas, seu determinatio causę sempiternę, erga

creaturas, per quam extrahantur ab ſtatu meræ poſsibilitatis, & trahantur ad ſtatum futuritionis; ergo nulla poteſt dari determinatio, ſeù cauſalitas cauſarum ſecundarum, à qua futura contingentia habeant determinatam futuritionem.

74 Confirmatur primo; ſi futura contingentia eſſent futura, & non per determinationem cauſæ ſempiternæ, vel ratione decreti, pro priori ad determinationem voluntatis divinæ, ſeù decreti eſſent futura: ſed hoc eſt falſum; ergo illud, ex quo ſequitur. Conſequentia eſt legitima; minor conſtat, quia hoc ipſo, quod non eſſent futura ratione decreti divini, vel determinationis cauſæ ſempiternæ, eadem prædicata haberent pro priori ad decretum, ac pro poſteriori ad illud; ergo ſi aliquando ſunt futura, pro priori ad decretum ſunt futura. Minor autem probatur; ſi pro priori ad decretum eſſent futura, pro priori ad decretum haberent veritatem determinatam; ſed pro priori ad decretum determinatam veritatem non habent, nec poſſunt habere; ergo pro priori ad decretum non ſunt futura. Conſequentia eſt bona, maior certa, & minor probatur; ſi pro priori ad decretum, & determinationem cauſæ ſempiternæ haberent determinatam veritatem, veritas illorum non eſſet contingens, ſed neceſſaria, quod falſum eſt; ergo & illud, ex quo ſequitur. Minor conſtat, aliàs omnia neceſſariò, & non contingenter evenirent. Sequela autem probatur; ſi pro priori ad determinationem cauſæ haberent determinatam veritatem, pro nullo ſigno contingentia eſſent in differentia ad falſitatem, & veritatem: ſed propoſitiones, quæ pro nullo ſigno intelliguntur indifferentes ad falſitatem, & veritatem, pro omni ſigno ſunt neceſſariæ; ergo veritas futurorum contingentium non eſſet contingens; ſed neceſſaria. Probandæ ſunt præmiſſæ, & primo probatur maior; ſi ſunt verę pro ſigno antecedenti decretum, ſunt etiam veræ pro ſigno prædicatorum eſſentialium Dei, & pro ſigno Scientiæ Mediæ; ſed nullum aliud ſignum poteſt dari, in quo non ſint veræ, ſi in iſtis ſunt veræ; ergo in nullo ſigno ſunt indifferentes ad veritatem, & falſitatem. Minor etiam probatur; quia illæ propoſitiones ſunt neceſſariæ, quæ pro omni ſigno ſunt veræ; ergo ſi pro omni priori ſunt veræ, ſunt etiam neceſſariæ.

75 Dices; non eſſe veras propoſitiones, in quibus prædicatur futuritio de ſubiecto pro ſigno poſsibilitatis. Sed contra eſt; ideò pro ſigno poſsibilitatis rerum iſta propoſitio; verbi gratia, *Anti-Chriſtus eſt futurus*, non eſſet vera, quia pro illo ſigno nihil datur non indifferens ad veritatem, & falſitatem, & ad hoc ſcilicèt, quod Anti-Chriſtus ſit, vel non ſit determinatè futurus; ſed hoc non obſtat ad hoc, quod prædicta propoſitio ſit determinatè vera; ergo etiam pro priori, vel ſigno poſsibilitatis Anti-Chriſti erit determinatè vera. Probatur minor modo; ſi præſcindamus à determinatione cauſæ, & decreto divino de dando exiſtentiam Anti-Chriſto, nihil datur non indifferens ad hoc, quod Anti-Chriſtus ſit, vel non ſit futurus: & tamen iuxta contrarios prædicta propoſitio etiam cum præciſione determinationis divinæ voluntatis eſt vera; ergo etiam pro ſigno poſsibilitatis Anti-Chriſti erit vera, & conſequenter pro omni ſigno erit vera; ac proindè neceſſaria.

76 Et ex hoc confirmatur ſecundo; res futura diſtinguitur â purè poſsibili per hoc, quod res poſsibilis eſt indifferens ad eſſe, vel non eſſe, nullumque ordinem dicit ad exiſtentiam, res autem futura determinata eſt ad habendum exiſtentiam in aliqua differentia temporis, & dicit ordinem ad exiſtentiam, aliàs à purè poſsibili non diſtingueretur: tunc ſic; ſed talis ordo ad exiſtentiam non poteſt convenire rei pro priori ad decretum, vel ad determinationem cauſæ ſempiternæ; cum non poſsit illi convenire, nec ex natura ſua, nec ex determinatione Dei; cum hæc à contrarijs negetur: nec ex determinatione cauſæ ſecundæ; cum hæc reddatur impoſsibilis, negata determinatione Dei; ergo neceſſario fatendum eſt, vel determinationem cauſæ divinæ eſſe conſtitutivum futuri, vel futurum non diſtingui à re poſsibili; quod falſum eſſe conſtat.

77 Reſpondent Recentiores, quod res non dicitur, nec conſtituitur futura antecedenter ad decretum divinum, ex natura ſua, nec ex determinatione cauſæ primæ, nec ſecundæ, ſed dici futuram ex ſuppoſitione eventus futuri; ex ſuppoſitione enim, quod aliquando verum erit Anti-Chriſtum exiſtere, fuit verum obæterno pro ſigno antecedenti decretum, & pro quocumque alio imaginabili, quod Anti-Chriſtus eſt futurus.

78 Sed quot implicationibus ſit involuta ſolutio iſta, quis non videat? Contra illam tamen arguitur primo ex dictis;

dictis; pro priori antecedenti decretum, res contingentes sunt omninò indifferentes, vt sint, vel non sint futuræ; ergo pro illo priori non potest supponi magis, quod erit eventus futuritionis existentiæ, quam non existentiæ, vel non futuritionis. Antecedens probatur; pro signo antecedenti decretum, intelliguntur prædicata essentialia possibilitatis; ergo nihil intelligitur non indifferens ad existentiam, & futuritionem, vel ad non existentiam, & non futuritionem.

78 Confirmatur; vel suppositio pro illo priori antecedenti decretum divinum habet fundamentum, vel non? Si primum, inquirimus de illo, ex quo capite proveniat; vel ex natura rei futuræ, vel ex determinatione causæ primæ, vel secundæ; quod non posse esse, constat ex dictis: si secundum; ergo suppositio illa fictitia est. Probo consequentiam; si res diceretur futura, præcisa suppositione eventus futuri, & præcisa determinatione causæ tàm primæ, quàm secundæ, res chimericè diceretur futura: non alia ratione, nisi quia omnibus his præcisis nihil est non indifferens ad futuritionem, vel non futuritionem; sed præcisa determinatione causæ primæ, nihil datur non indifferens ad suppositionem eventus futuri, vel ad suppositionem carentiæ eventus; ergo suppositio illa chimerica, & fictitia est: vel si aliquid datur inferens potiùs eventū, quam non eventum, illud erit constitutivum futuri.

79 Secundo arguitur contra solutionem; suppositio illa eventus futuri, qua, iuxta Adversarios, res constituitur futura, vel est necessaria, vel libera independenter à decreto, & determinatione causæ sempiternæ: sed neutro modo potest intelligi talis suppositio; ergo falsa est solutio. Probatur minor quoad primum partem; quia si suppositio illa necessaria esset, sequeretur, quod res necessario esset futura, & quod necessario illi conveniret; atqueadeò Deus non posset facere, quod non esset futura; ergo suppositio necessaria non potest constituere rem futuram. Quod autem suppositio illa non sit libera pro signo antecedenti decretum, vel determinationem causæ sempiternæ, & consequenter quod suppositio prout sic non posset constituere futurum; probatur; tùm, quia pro signo antecedenti decretum, nullum intelligitur prædicatum liberum; cum ipsum decretum sit prima radix libertatis: tùm, quia pro signo antecedenti decretum, nullum est principium, vel fundamentum, quare suppositio illa sit libera; cum pro illo signo solum intelligantur prædicata essentialia Dei, & Omnipotentia, qua produceret creaturas, quod necessariò Deo convenit, & consequenter nihil reperitur pro illo signo antecedenti decretum, non indifferens ad eventum, vel carentiam eventus; ergo pro priori ad decretum divinum non potest dari suppositio libera, quæ rem futuram constituat.

80 Confirmatur; si suppositio eventus futuri esset libera, deberet supponere determinationem voluntatis divinæ; ergo non potest esse libera pro priori ad decretum divinum. Probatur antecedens; omnis suppositio libera debet subdi divinæ providentiæ; sed suppositio divinæ providentiæ subiecta supponit necessario decretum divinum; ergo suppositio libera supponit decretum divinum. Maior constat; quia illa suppositio est necessaria, vt Deus posit in tempore producere illam rem futuram, in ratione talis per illam suppositionem constitutam; ergo debet providentiæ divinæ subiacere. Probatur consequentia; nam providentia, cui non subiacent omnia necessario requisita ad existentiam rei, non est perfecta providentia; sicut causa, cui non subiacent omnes causæ alicuius effectus, perfecta, & suprema causa non est; sed providentia divina est perfectissima, & suprema providentia erga omnes res futuras; ergo prædicta suppositio, quæ iuxta contrarios est necessaria ad existentiam futuri, debet subiacere providentiæ divinæ.

81 Minor autem principalis probatur; providentia divina supponit essentialiter decretum divinum; ergo etiam suppositio illi subiecta. Probatur antecedens; providentia divina est actus intellectus divini efficax, & liber: sed libertatem, & efficaciam participat ex efficacia, & libertate divini decreti; ergo supponit essentialiter decretum divinum. Tùm etiam; quia providentia est pars prudentiæ; sed prudentia, cum sit actus practicus intellectus divini, supponit essentialiter decretum divinum, seù actum liberum divinæ voluntatis, vt docet Div. Thomas in hac 1. part. quæst. 22. artic. 1. & alibi; ergo providentia divina supponit essentialiter actum liberum, seù decretum divinum divinæ voluntatis.

82 Tertio probatur conclusio ra-

tione; decretum divinum, seù determinatio voluntatis divinæ est prima causa determinatæ futuritionis rei; ergo res non potest intelligi futura, nisi ratione decreti, seù determinationis voluntatis divinæ. Probatur antecedens; prima causa possibilis est Omnipotentia Dei; ergo prima causa determinatæ futuritionis est decretum divinum. Antecedens ab omnibus conceditur; consequentia autem probatur; illud est prima causa, aut primum principium determinatæ futuritionis, quod determinat primum principium possibilitatis: sed hoc est decretum divinum; ergo illud erit prima causa, primumque fundamentum determinatæ futuritionis rei. Maior constat; nam possibile est quid superius ad futurum, & non futurum, eo ferè modo, quo animal est superius ad hominem, & leonem: vndè, quia animal est superius, differentia, quæ determinat animal ad speciem hominis, talem speciem constituit; ergo pari modo, illud, quod determinat primum principium possibilitatis rei, erit principium primum determinatę futuritionis illius.

83 Minor autem probatur; quia vt patet, prima radix possibilitatis rerum est Omnipotentia divina: sed decretum divinum est, quod determinat divinam Omnipotentiam ad productionem rerum in aliqua differentia temporis; ergo decretum divinum est primum determinativum primi principij possibilitatis rerum. Probatur minor; Omnipotentia divina non operatur res ad extra præcisa determinatione suæ divinæ voluntatis; cum non agat ad extra vt agens necessarium, sed liberum. Quod patet, nam divina Omnipotentia pro priori ad decretum, & determinationem divinæ voluntatis est indifferens, & indeterminata ex se ad productionem rerum in tempore; ergo ad hoc vt determinetur ad illa producenda potiùs, quam ad illa non producenda, requiritur aliqua determinatio ex parte ipsius Dei; sed hæc non potest esse nisi decretum, seù determinatio voluntatis divinæ; ergo illud erit prima radix, primumque principium determinatę futuritionis.

84 Confirmatur, & magis explicatur hæc ratio; res in statu futuritionis distinguitur à seipsa in statu possibilitatis, & in statu existentiæ; ergo debet habere causam aliquomodo distinctam à causis, causantibus res in statu possibilitatis, & in statu existentiæ; sed non habet causam aliquomodo distinctam, si causa ipsius non sit decretum, seù determinatio voluntatis divinæ; ergo decretum, seù determinatio voluntatis divinæ est primum principium, primaque radix determinatæ futuritionis. Maior, & consequentia constat, quia res distinguuntur secundum triplicem statum prædictum: minor autem subsumpta probatur; quia præciso decreto divino, seù determinatione causæ sempiternæ de dando rei existentiam in differentia temporis subsequentis, solum potest considerari Deus, vt potens producere res, vel vt actu influens: sed Deus potens producere solum intelligitur vt causa possibilium, & vt actu influens consideratur solum, vt causa existentium; ergo ad hoc, quod sit causa rei in statu futuritionis, requiritur, quod detur determinatio, vel decretum de dando rei futuræ existentiam.

85 Confirmatur amplius: implicat concipere rem possibilem independenter à divina Omnipotentia, sicut rem existentem ab Omnipotentia, independenter ab influxu, & causalitate Dei actu influentis; ergo implicat intelligi rem futuram independenter à determinatione causæ sempiternæ: sicut enim ponimus distinctionem ex parte dependentis secundum diversos status; ita debet dari aliqua distinctio ex parte causæ; ergo si Omnipotentia est causa possibilis, & Deus actu influens est causa existentis, Deus, vt determinatus per decretum, est causa determinatæ futuritionis.

§. VI.

§. VI.

Solvuntur argumentum.

86 ARGVITVR Primo ; eo præcisè res est formaliter futura in instanti *A* præsenti, quo formaliter in rerum natura est posterior in existendo comparativè ad instans *A* ; sic autem est posterior formaliter inclusis præcisè carentia existentiæ in instanti *A*, & existentia in instanti *B* ; ergo his præcisè inclusis est formaliter futura. Consequentia est nota ; & minor probatur primo ; nam formaliter loquendo nihil aliud est in rerum natura Anti Christum esse posteriorem respective ad hoc tempus, quā nunc non existere, & existere, posteà ; ergo inclusis precisè carentia existentiæ in instanti *A*, & existentia in instanti *B* est, & intelligitur res posterior in existendo comparative ad instans *A*. Secundo; nam instans *B* esse posterius in existendo comparative ad instans *A*, aliud non est formaliter, quam instans *B*, non esse nunc, quando est instans *A*, & esse posteà; ergo esse posterius in existendo respectivè ad instans *A*, aliud non est formaliter, quam non esse nunc, quando est instans *A*, & esse posteà; id autem est formaliter esse futurum. Quæ omnia ex ipsis apprehensionibus terminorum videntur Adversarijs nota.

87 Respondetur negando maiorem in sensu arguentium, quam neque ipsi quantumvis notam admittere possunt ; nam iuxta Recentiorem Valentinum, quæ in maiori adducuntur, non sufficiunt, vt in instanti *A* sit vera propositio, qua res affirmatur futura ; propositio enim formata ex actibus naturalibus affirmans rem esse futuram, non est vera iuxta ipsos ; & consequenter nulla propositio idem affirmans, vt supra inferebamus ; ergo nec sufficiunt, vt in instanti *A* res sit futura ; & eadem ratione debent illam Complutentes negare; quia omnia illa, quæ in maiori adducuntur, non præstant sufficiens fundamentum, vt res verè affirmetur futura; cum ad hoc sit omninò requisitum prædicatum præsens connexum cum existentia posteà habenda; non ergo illa sufficiunt, vt res sit, & dicatur futura. Et quidem tam longè abest, quod maior in sensu illorum sit ex terminis nota, quod potiùs apparet ex terminis impossibilis ; est enim impossibile ex apprehensionibus terminorum rem esse futuram in instanti *A*, si omnia, quæ in illo instanti dantur, sint coniungibilia cum carentia futuritionis : at positis, quæ in maiori continentur, omnia, quæ in instanti *A* dantur, sunt coniungibilia cum carentia futuritionis ; ergo ex terminis implicat rem in instanti *A* esse futuram per formam non existentem in illo instanti, sed futuram ; sicut implicat existere in instanti *A*, per existentiam futuram : sed existentia in instanti *B*, potest esse futura in instanti *A*; ergo per illam nequit res constitui in instanti *A* formaliter futura, sicut nec existens.

88 Sed ad æquivocationem vitandam, quæ ex obscuritate terminorum oriri potest, explicandæ sunt propositiones in argumento assumptæ : maior est huiusmodi, eo præcisè res est formaliter futura in instanti *A* præsenti, quo formaliter est in rerum natura posterior in existendo ad instans *A*; quæ propositio multiplicem sensum reddere potest : primum est, rem esse formaliter futuram in instanti *A* per id, quo in illo instanti est posterior in rerum natura ad instans *A*, & hic sensus manifestè est falsus ; res enim non existens in instanti *A*, sed in instanti *B* sequenti, nequit esse posterior in instanti *A*, respective ad instans *A* ; id enim quod in aliquo instanti non est, in illo posterius non est. Insuper rem esse posteriorem alia in aliquo instanti, est existere in illo, alia iam transacta, in quo sensu manifestè implicat aliquid in instanti *A* non existens esse posterius in illo instanti *A*. Si autem per esse posterius in instanti *A*, intelligatur solum, in illo instanti *A* esse verum, habiturum esse existentiam, maior est vera ; cæterum nego minorem, iuxta dicta, nam vt aliquid in instanti *A* sit posterius in hoc sensu, necessaria est in illo instanti determinatio causę.

89 Secundus sensus prædictæ propositionis, & qui videtur ab Adversarijs

intentus est, quod res constituatur futura in instanti *A*, per id, quo existens in instanti *B* constituitur posterior respective ad instans *A*; & hic sensus etiam apparet falsus; res enim existens in instanti *B* constituitur posterior respective ad instans *A* præteritum per aliquid existens in instanti *B*. supponens existentiam præcedentem in instanti *A* cum illa connexum, vt posteà videbimus: futura autem constituitur per aliquid præsens in instanti *A* inferens existentiam illius pro instanti *B* sequenti. Minor autem in argumento assumpta, etiam videtur posse admittere hunc duplicem sensum, & in vtroque esse falsam constat ex dictis.

90 Sed instabis; posita carentia existentiæ in instanti *A*, & existentia in instanti *B*, implicat, quod res in instanti *A* non sit futura; ergo his præcisè inclusis, scilicèt, carentia existentiæ in instanti *A*, & existentia in instanti *B*, res est futura in instanti *A*. Antecedens probatur primo; quia posita carentia existentiæ hodie, & existentia crastina, quolibet alio secluso, iam hodie est infallibiliter futura existentia crastina; ergo ad constitutionem futuri, quodlibet aliud superfluit. Secundo probatur antecedens: licèt existentia crastina futuri contingentis sit antecedèter contingens in causis, & indifferens vt sit, aut non sit; non tamen ex suppositione, quod sit; ergo ex suppositione, quod cras existat, iam hodie est certum, & infallibile, quod cras existet.

91 Tertio quamvis existentia Petri, v.g. sit hodie antecedenter absolutè contingens in causis ita illam ponentibus, vt potuerint non ponere; tamen ex suppositione, quod sit, est certa, & infallibilis, & vt talis in seipsa certo, & infallibiliter abæterno cognita à Deo; ergo quamvis existentia crastina Petri sit absolutè, & antecedenter contingens in causis, ex suppositione tamen quod existat cras, erit hodie, & abæterno infallibiliter extitura: sicut enim implicat rem non esse, dum est, ita non esse extituram, dum extitura est; ergo sicut ex suppositione, quod res est, infallibiliter est, ex suppositione, quod est extitura, infallibiliter extitura est.

92 Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam; posito enim effectu, implicat causam non existere; inde tamen non licèt colligere causam constitui existentem per effectum; sic similiter implicat, quod posita carentia existentiæ in instanti *A*, & existentia in instanti *B* res non sit futura in instanti *A*, scilicèt, quia implicat, quod hæc in tempore dentur, quin detur abæterno determinatio, & decretum in Deo ad ponendum illa in tempore, à qua determinatione denominatur, & est res abæterno futura; non verò ab existentia, quæ abæterno non datur.

93 Ad primam probationem eodem modo respondendum est negando antecedens, vel claritatis gratia, distinguo antecedens, si hodie ponatur, & sit hoc, quod est dandam esse, & ponendam cras existentiam, concedo antecedens, si hodie solum detur carentia existentiæ, detur, & non detur aliquid, ratione cuius hodie sit verum dandam esse existentiam cras, nego antecedens, & consequentiam. Ad secundam probationem prætermisso antecedenti, distinguo antecedens, si hodie detur aliquid ratione cuius supponatur, quod existet cras, concedo consequentiam, si hodie solum detur carentia existentiæ, nego consequentiã: itaque vt hodie sit certa, & infallibilis existia crastina, hoc est, quod cras dabitur existentia, hodie debet dari certitudo, & infallibilitas; atqueadeò aliquid connexum cum existentia crastina; hæc enim certitudo cum existentia crastina connectitur. Ad tertiam admittimus antecedens, & fatemur consequens esse verum, sed nihil contra nos; concedimus enim, quod si hodie res est extitura, hac facta suppositione est infallibiliter futura; veruntamen hodie esse extituram, aliquid est hodie præter carentiam existentiæ: imò exinde nos argumentum desumimus; nam si hodie supponitur extitura, aliquid datur, & supponitur hodie præter carentiam existentiæ.

94 Nec satis esset argumentum non convincere, si Recentiores illo vtentes sibi apertè non contradicerent, qui sæpè repetunt non dari tempore futuritionis certitudinem, & infallibilitatem futuri, sed partim tempore futuritionis, & partim posteà; ex quo evidenter colligitur, tempore futuritionis, & ante existentiam, rem non habere esse infallibiliter futuram, cuius oppositum videtur argumentum intendere. Ex quo pluries, & præcipuè, sectione 6. numero 66. concedunt, quod abæterno non fuit certa, & infallibilis Anti-Christi futuritio, & consequenter neque hodie; quomodo ergo potest esse Anti-Christus; v.g. hodie certo, & infallibiliter futurus, si hodie non est certo, & infallibiliter eius futuritio? Ex quo vlteriùs infertur non potuisse Deum cognoscere abæterno Anti-Christum esse abæterno certo,

&

& infallibiliter futurum ; qua etiam ratione Deus abæterno non cognoscit esse hodie infallibiliter futurum. Et ex alia parte etiam deducitur, quod Anti-Christus est hodie infallibiliter futurus, quod intendit argumentum, & videtur fatendum : quod nullatenus componitur cum eo, quod Deus abæterno non cognoscat esse hodie infallibiliter futurum; aliàs Deus abæterno non cognosceret ea, quæ in tempore dantur.

95 Secundò arguitur. Determinatio præsens ad existendum posteà, constituens futurum, nequit esse aliquid creatum, aut increatum ; ergo hac determinatione nequit constitui futurum. Antecedens pro prima parte probatur, determinatio constituens futurum debet abæterno existere ; cum res sit abæterno futura : sed nihil creatum est abæterno ; ergo prædicta determinatio nequit esse aliquid creatum. Pro secunda verò parte probatur; nam si esset aliquid increatum, esset decretum divinum efficax de dando rei futuræ existentiam : hoc autem non posse constituere futurum, probatur primò; in sententia Thomistarum futuritio est obiectum volitum pro tale decretum: at obiectum volitum per decretum ab illo distinguitur ; ergo futuritio non constituitur per tale decretum, & consequenter nec futurum. Secundò probatur; determinatio, qua Deus determinat ad amorem nunc existentem non est decretum, quo Deus vult existere amorem, sed physica prædeterminatio, medians inter amorem, & decretum ; ergo determinatio, qua Deus determinat ad amorem extiturum non est decretum, quo Deus vult amorem extiturum, sed quid medians inter amorem extiturum, & decretum.

96 Tertio ; determinatio formalis ad existendum infallibiliter amorem non est decretum volens existere amorem, sed illius existentia ; ergo nec determinatio formalis ad amorem extiturum, seù futurum erit decretum volens amorem extiturum, sed aliquid ab ipso, & amoris futuritione distinctum. Quartò ; rem esse futuram est effectus formalis à Deo efficienter causatus: sed si illius forma esset decretum, non posset à Deo efficienter causari ; ergo decretum non est forma constituens futurum. Minor probatur; nam causans efficienter effectum formalem, debet efficienter causare formam, vel saltim vnionem illius ad subiectum : sed si forma futuri esset decretum, nec forma, nec vnio à Deo efficeretur; non forma, quia decretum à Deo non distinguitur : non vnio; quia vnio decreti cum obiecto ab ipso decreto non distinguitur ; ergo Deus non causaret efficienter effectum formalem futuritionis. Maior autem certa videtur, & probatur; quia omnis effectus formalis, sicut habet causam formalem, sic habet causam efficientem : tùm quia effectus iste est creatus, & contingens ; ergo est efficienter à Deo. Quintò; res non solùm denominatur posibilis à causa potente illi dare esse, tanquàm à forma, sed ab intrinsecis prædicatis ; ergo quidquid sit, an res possit denominari futura à decreto, quando decretum adest, poterit etiam ab aliquo intrinseco prædicato denominari futura.

97 Ad argumentum respondetur negando antecedens pro secunda parte ; est enim decretum divinum forma futuri infallibilis. Ad primam huius impugnationem distinguo maiorem ; est obiectum volitum signatè per decretum, vt volitio directa est nostro modo intelligendi, nego maiorem, volitum exercitè prout sic, & signatè, secundum quod actus voluntatis divinæ supra seipsum est reflexivus, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam : nec oppositum docuerunt Thomistæ. Decreto igitur divino Deus directè vult creaturam in tempore existere, & eodē actu exercite vult ipsum decretum ; atque adeò rerum futuritionem : cæterum, quia volitio Dei est perfectè supra seipsam reflexa, non solùm illa vult Deus signatè creaturam existere, & exercitè ipsam volitionē, sed vult signatè se velle talem creaturam; quod enim nos præstamus actu directo, quo volumus obiectum, & alio reflexo, quo signatè volumus nos velle, hoc Deus vnico præstat actu propter suam perfectionem, & infinitatem ; & ex oppositō processus in infinitum in actibus divinæ voluntatis sequeretur. De quo videantur dicenda Tractatu de Voluntate Dei circa art. 3. dub. 3. in fine

98 Ad secundam, distinguo antecedens, determinatio, qua Deus creaturam determinat ad productionem amoris, concedo antecedens, qua se ipsum determinat, nego antecedens, & consequentiam : Deus enim prædeterminat creaturam ad operationem, per aliquid intrinsecum in ipsa receptum ; cæterum seipsum determinat ad eiusdem operationis productionē per decretum, quo actio creaturæ constituitur futura, seù extitura cumq; actionem esse extituram sit à decreto tāquàm à forma, inter ipsam vt extituram, & decretum nihil mediare potest.

Ad

Ad tertiam, distinguo antecedens; determinatio formalis, qua redditur formaliter existens, concedo antecedens, qua constituitur extitura, nego antecedens, & consequentiam.

99 Ad quartam, nego maiorem, ad cuius primam probationem dicatur, quod effectus formalis simpliciter talis debet habere causam efficientem: secus autē ille, qui solum est talis grammaticaliter; qua ratione creaturam esse à Deo volitam nō habet causam efficientem. Ad secundam, distinguo antecedens, est creatum quoad formam, seù vnionem illius ad subiectum, nego antecedens, quoad subiectum à forma denominatum, sub distinguo, illud est creatum signatè, & posibiliter, concedo antecedens, exercite, nego antecedens, & consequentiam; vel distinguo consequens eodem modo: itaque futurum de materiali dicit prædicata posibilia rei; de formali verò decretum, quorum neutrum tempore futuritionis terminat actualem operationem Dei: neque obest futuritionem contingenter prædicari de creatura; ad hoc enim sufficit esse decretum liberum Dei.

100 Ad quintam, concesso antecedenti, nego consequentiam: ratio discriminis est; quia res ante propriam existentiam, ab ipsius prædicatis essentialibus essentialem denominationem accipere potest; quapropter de homine non existente verificatur esse animal, quæ est intrinseca, & essentialis denominatio, vtpotè à prædicato incluso in conceptu subiecti; à quibus prædicatis etiam habet non repugnantiam intrinsecam, quæ est intrinseca, & essentialis posibilitas: denominationes autem contingentes ante propriam existentiam convenientes nequeunt esse à prædicatis essentialibus; aliàs contingentes non essent; nec ab existentia, quæ nondum est; nec ab aliqua forma intrinseca accidentali, hæc enim existentiam supponit; atqueadeò solum potest esse ab extrinseca forma: rem autem esse futuram est denominatio contingens præcedens propriam existentiam rei.

101 Sed dices; quia creatura pro priori ad existentiam est obiectum Omnipotentiæ, pro priori ad illam est posibilis formaliter non solùm ab Omnipotentia, sed à prædicatis intrinsecis terminantibus habitudinem Omnipotentiæ, sed pro priori ad existentiam creatura terminat decretum Dei: ergo pro priori ad illam, non solùm à decreto, sed etiam à prædicatis intrinsecis terminantibus decretum denominabitur futura. Secundo; nam terminare decretum, est intrinseca denominatio in creatura contingens, & illi conveniens in tempore futuritionis; ergo ab illo prædicato, quo tempore futuritionis constituitur terminans decretum divinum, poterit denominari futura. Antecedens pro prima parte in qua potest esse difficultas, probatur; tùm, quia creaturam terminare decretum, seù volitionem Dei, non est idem formaliter, ac esse volitam, aut decretatam: sed hæc sunt denominationes extrinsecę à decreto; ergo altera est intrinseca; tùm etiam; quia creatura non terminat decretum ratione decreti, sed ratione sui; sicut lucidum non terminat visionem ratione visionis, sed ratione lucis; ergo forma, qua constituitur terminans non est decretum, sed prædicatum intrinsecum.

102 Respondetur ad primum, concessa maiori, & minori, negando consequentiam, cuius disparitas constat ex dictis; nam terminare decretum non est prædicatum essentiale, sed contingens conveniens rei ante existentiam, atqueadeò extrinsecum, & indistinctum à decreto: terminare autem habitudinem Omnipotentię est prædicatum essentiale in creatura, & propterea potest esse intrinsecum, & ipsam denominare pro priori ad existentiam, sicut alia prædicata essentialia: & vt alijs verbis vtamur eadem prædicata essentialia omninò indistincta duplicem habent statum ipsis extrinsecum ante existentiam, alterum posibilitatis ab Omnipotentia, qui est necessarius, sicut ipsa Omnipotentia; alium futuritionis ab ipsa providẽtia, & dispositione Dei, qui est contingens, non quidem quoad entitatem constituentem statum, quæ est providentia Dei, sed quoad denominationem. Undè pro priori ad existentiam, eadem prædicata essentialia, quæ sunt posibilia ab Omnipotentia, sunt futura superaddita providentia Dei, quin aliquid superaddatur ex parte prædicatorum essentialium. Diximus, terminare Omnipotentiam esse prædicatum intrinsecum in creatura, non subiective, & posibiliter, vt alibi.

103 Ad secundum nego antecedens pro prima parte, ad primam probationem nego antecedens; terminare enim volitionem; & esse volitum solum ex modo significandi distinguuntur. Ad secundam probationem dicatur, aliud esse id, ratione cuius potest creatura terminare decretum, & hoc est ipsa essentia creaturæ; aliud, quo in actu secundo constituitur terminans, & hoc est de-

decretum, & idem in exemplis adductis est dicendum.



§. VII.

Cætera argumenta soluuntur, & explicatur futuritio peccati.

104 TERTIO Arguitur; peccatum in tempore existens fuit abæterno certo, & infallibiliter futurum, non solùm quoad entitatem, sed etiam quoad formalem malitiam: at non constituitur futurum per decretum, sed præcisè per carentiam existentiæ tempore futuritionis, & existentiam, quam habet in tempore; ergo quodlibet aliud futurum sufficienter intelligitur certo, & infallibiliter tale per carentiam existentiæ, & existentiam posteá. Consequentia constat; tùm quia nulla potest assignari disparitas: tum quia argumentum à nobis supra factum siquid probat, de omnibus futuris convincit. Maior est certa; abæterno enim est verum peccaturum esse Anti-Christum, atque illius peccatum esse futurum. Minor autem non minus certa videtur; nam Deus non habet abæterno decretum efficax determinans ad malitiam peccati, aut quo sit ipse Deus determinatus ad dandum esse formali deformitati; quamvis enim à Thomistis adstruatur decretum efficax prædeterminativum ad materiale peccati; à nullo tamen admittitur decretum efficax ad malitiam formalem; restat ergo, vt peccatum constituatur futurum per carentiam existentiæ tempore futuritionis, & existentiam posteà.

105 Respondetur distinguendo maiorem, peccatum in tempore existens est futurum abæterno physicè, nego maiorem; logicè, concedo maiorem, & distinguendo minorem eodem modo, concedum est non constitui physicè futurum per decretum, sed logicè; negandum autem aliquo modo constitui futurum per carentiam existentiæ, & existentiam posteà, negandaque est consequentia: itaque Deus titulo primæ causæ, & primi Domini, erga omnes creaturas in tempore existententes habuit abæterno decretum, quo voluit illis in tempore dare esse, in quo decreto physicam futuritionem consistere asseruimus, & quod non solum per illationem Logicam cum existentia creaturæ connectitur, sed per physicum influxum; hoc enim decreto determinatur Deus ad influendum in creaturas: cæterùm, quia malitia peccati, creatura Dei, aut illius effectus non est, huiusmodi decretum erga peccatum in tempore existens quoad formalem malitiam, non habuit abæterno; quapropter peccatum non est abeterno physicè futurum. Tamen titulo primi prouisoris habuit decretum permissivum, quo Deus non determinatur ad influendum in malitiam peccati, aut ad prædeterminandum creaturam ad illam ponendam, sed solum ad negandam gratiam efficacem requisitam ad vitandum peccatum; quod absque alicuius iniuria præstat; cum sit illius perfectissimus Dominus. Habuit insuper erga entitatem actus peccati, quæ illius effectus est, & eius creatura, decretũ influxivum; ex quibus decretis infallibiliter per Logicam illationem infertur, creaturam in tempore influxuram in formalem malitiam; à quibus proindè constituitur abæterno futura, non physicè, sed Logicè.

106 Neque aliter abæterno est futurum peccatum; nam cum abæterno non detur causa influxiva in ipsum, sed solùm permissivam, quæ proindè determinari non potest ad influendum, sed ad permittendum, solum decreto permissivo est futurum: & sicut abæterno aliter est possibile peccatum, & aliter creatura; hæc enim est possibilis vi Omnipotentiæ ipsam per modum virtutis, & causæ perfectissimæ continentis; illud autem ratione Omnipotentiæ non continentis, sed potentis ipsum permittere; sic similiter aliter est futura creatura, & aliter peccatum.

107 Contra hanc doctrinam plura obijci possunt, quorum aliqua inferius attingemus; modo verò contra illam sic arguitur ex adductis Recentioribus: vel hoc decretum est connexum cum peccato, vel non? Si non est connexum, non potest constituere peccatum infallibiliter futurum, etiam Logicè: si est connexum, est determinatio ad formalem malitiam, quam Deo tribuere nefas est; ergo solutio est nulla. Consequentia constat, & etiam antecedens pro prima parte; pro secunda probatur; non alia ratione decretum efficax erga existentiam amotis, v.g. est determinatio ad illam, nisi quia cõ-

nec-

nectitur infallibiliter cùm existentia amoris ; ergo si prædictum decretum connectitur infallibiliter cum malitia peccati, est determinatio ad illam. Confirmatur ; nam determinatio ad existentiam posteà, nihil aliud est, quàm securitas, aut connexio cum existentia posteà exercenda, vt docent Thomistæ : sed decretum permissivum formalis malitiæ, & prædiffinitivum materialis, est connexio, seù securitas de existentia malitiæ formalis posteà exercenda; ergo est determinatio ad illam.

108 Respondetur, negando minorem pro secunda parte, ad cuius probationem, nego antecedens ; decretum enim amoris est detetminatio ad illum, non præcisè, quia connexum cum amore, sed quia physicè connexum ; illo enim determinatur Deus ad dandum esse amori. Ad confirmationem, nego maiorem; determinatio enim ad existentiam alicuius, vltra connexionem, & securitatem, quæ in connexione fundatur, superaddit influxum, qui in decreto permissivo malitiæ, prædiffinitivo materialis non invenitur respectu malitiæ formalis.

109 Et quidèm argumentum, plures patitur instantias : tùm in sententia valdè communi, quàm plures ex Adversarijs sequuntur, iuxta quàm Deus intendit efficaciter pœnitentiam ante absolutam prævisionem peccati : quod decretum præcedit existentiam absolutam formalis deformitatis, illamque infallibiliter infert, quin per hoc fit determinatio ad malitiam formalem. Tùm etiam nam complexum ex decreto purificandi conditionem, sub qua prævisa est voluntas peccatura, & Scientia Media, qua Deus hoc prævidit præcedit existentiã absolutã deformitatis, cum illaque infallibiliter cõnectitur. Scio aliquos ex adversarijs negareScientiam Mediam præcedere existentiam absolutam peccati, non tamen omnes; illud tamen omnes debere fateri, ex discursu disputationis constabit.

110 Tùm etiam; iuxta plures exAdversarijs, quos refert, & sequitur Recentior Cumplutensis de Scientia Dei disp. 12. cap. 1. &2. peccatum Anti-Christi esse futurum abæterno est formaliter verum ab aliquo prædicato abęterno existente, & consequenter divino, connexo infallibiliter cum tali peccato ; à quo proindè constituitur futurum ; nam esse verum peccatum Anti-Christi esse futurum, & esse verè futurum idem sunt ; quin exinde inferatur illud prædicatum esse determinationem ad peccatum iuxta eosdem Authores; pariter ergo quamvis nos asseramus à decreto permissivo constitui peccatum logicè futurum, non tenemur assere tale decretum esse determinationem ad peccatum.

111 Denique hoc asserendum esse, alijs relictis, constat ; nam certum est decretũ permissivum peccati, vt permissivum est, connecti logicè cum peccato : deindè, quod vt permissivum præcedat existentiam malitiæ formalis, quod negant Adversarij, eisdem rationibus convincitur, quibus probatur decretum prædefinitivum efficax necessario præcedere existentiam creaturæ : ex cuius opposito sequitur Deum non esse liberum in permittendo peccatum ; constituique in ratione permittentis, vel per ipsum peccatum, vel per aliquid subsequutum ad illud, quæ & alia inconvenientia infra prosequemur. Nè ergo in illa incidamus, huiusmodi decretum existere inDeo abæterno, necessario fatendum est : ex cuius positione nulla in Deo arguitur imperfectio ; solùm enim sequitur creaturam rationalem sibi relictam infallibiliter ex propria defectibilitate in peccatum influere; summa eius dependentia à Deo in bene operando, perfectissima Dei providentia, & supremum eius dominium, ratione cuius sicut non indiget aliquo, cuius existentia in eius potestate non sit ad ponendam creaturem in eiusOmnipotentia contẽtam ; ita nec ad permittendum peccatum: & sicut inferri ex divina Omnipotentia posibilitatem malitiæ formalis, tanquam ex virtute contentiva illius, maxima esset imperfectio inDeo; inferri autem ex illa, non vt contentiva, sed vt permissiva illius, & vt potente influere in entitatem peccati, imperfectio non est, sed summa Dei perfectio ; ta existentiam malitiæ formalis inferri ex decreto, vt influxivo in illa, indecens omnino est; inferri autem ex decreto, non vt influxivo, sed vt permissivo, non imperfectio, sed perfectio est necessaria ad salvandam perfectam providentiam Dei.

112 Et quidèm in sententia aliorum ex Adversarijs difficile salvatur Deum non determinare ad malitiam peccati; iuxta quos volitio libera nihil aliud est, quàm volitio necessaria connexa cum existentia futuri; quapropter volitio, qua Deus amat amorem liberum creatum, non est aliud, quàm complexum ex volitione necessaria, & scientia visionis ipsius, vel ex decreto dandi auxilium indifferens, & scientia visionis actus: ex quo faci-

facilè deduci videtur dari in Deo volitionem peccati; cum detur amor neceſſarius connexus ratione ſcientiæ viſionis cum exiſtentia peccati, & eius formali malitia. Deindè in ſententia Recentiorum Complutenſium concede ndũ eſt Deum decernere decreto efficaci concomitanti entitatem peccati, niſi negent concurſum ſimultaneum ad illam; quod tamen non videtur omninò tutum, in quorum ſententia decretum præſcindere à malitia impoſsibile eſt, ſicut neque concurſum.

113 Quarto arguitur; præteritum conſtituitur per carentiam exiſtentiæ modo, & exiſtentiam, quæ fuit; ergo futurum ſufficienter conſtituitur per carentiam exiſtentiæ modo, & exiſtentiam poſteà. Antecedens ſupponitur, & conſequentia probatur primo; nam ſicut eſſe futurum eſt denominatio realis contingenter conveniens rei futuræ tempore futuritionis; pariter & eſſe præteritum eſt realis denominatio contingenter conveniens rei præteritæ tempore præteritionis; ergo ſi eſſe præteritum conſtituitur per carentiam exiſtentiæ conveniẽtem tempore præteritionis, & per exiſtentiam, quæ tunc non eſt, ſed anteà fuit, pariter, & futurum, poterit conſtitui per carentiam exiſtentiæ tempore futuritionis, & exiſtentiam poſteà. Secundo; res tempore præteritionis eſt præterita, etiam ſi tunc ſolum illi conveniat carentia exiſtentiæ, in qua à purè poſsibili, aut futura non diſtinguitur; ergo ſimiliter poterit res tempore futuritionis dici futura, etiam ſi tunc ſolum illi conveniat carentia exiſtentiæ, per quam à purè poſsibili, aut præterita non diſtinguitur. Tertio; etiam ſi præteritum ſignificet exiſtentiam inadæquatè de re, cui de facto non convenit, verificatur de facto eſſe præteritum; ergo pariter, etiam ſi futurum inadæquatè ſignificet exiſtentiam, poterit verificari de re tempore futuritionis eſſe futuram.

114 Reſpondetur negando antecedens; argumentum enim pro concluſione adductum, vtrumque nobis videtur convincere: vndè ſicut tempore futuritionis tota exiſtit fututitio; pariter tempore præteritionis tota præteritio: Quod mihi deduci videtur ex Parente Auguſtino lib. 11. Cõfeſsionum, à capite 17. vſque ad 20. cuius aliqua verba adduximus ſupra §. 2. num. 26. vbi eodem modo loquitur de præteritis, atque de futuris, docens rem, quæ denominatur futura, non eſſe tempore futuritionis, ſicut neque præteritum tempore præteritionis, eſſe tamen præſentem futuritionem, & præteritionem; item cap. 18. ſic habet: *Si enim ſunt futura, & præterita, volo ſcire vbi ſint, quod ſi nondum valeo ſcio tamen vbicumque ſint; non ibi futura eſſe, aut præterita, ſed præſentia; nam ſi & ibi futura ſunt, nondum ibi ſunt, & ſi præterita ſunt, iam non ibi ſunt; vbicumque ergo ſunt, quæcumque ſunt, non ſunt niſi præſentia*: vbi manifeſtè docet rem, quæ iam non eſt in ſe, eſſe in aliquo præſenti, quod eſt eius præteritio, quę quidem non eſt præterita, licèt res tranſierit; & cap. 19. de futuris ſic habet: *Quiſnam ille modus eſt, quo docet futura, cui futurum quidquam non eſt, vel potiùs de futuris docet præſentia, nam quod non eſt, neque doceri vtique poteſt*: vbi aſſerit Deum docere de futuris, quod prẽſens eſt, nimirum eſſe futura. Et capite 20. ſic habet: *Sed fortaſsè propriè dicerẽtur præſens de præteritis, præſens de præſentibus, præſens de futuris; præſens de præteritis memoria, præſens de præſentibus conſtitutus, præſens de futuris expectatio*; vbi memoria non conſtituit præteritum, ſed aliquid præſens, cui innititur memoria, vt recordetur; ſic nec conſtitutus conſtituit præſens, ſed præſentia, quæ eſt illius obiectum; & ſimiliter expectatio conſtituit futurum obiectivè ſumpta; hoc eſt, præſens fundamentum ad expectandum.

115 Sicut ergo res tempore futuritionis denominatur infallibiliter futura à decreto efficaci Dei de dando rei futuræ exiſtentiam; pariter tempore præteritionis denominatur infallibiliter præterita à decreto divino, quo Deus vult vltra non influere in creaturam, ſeù ſuſpendere concurſum conſervativum illius. Peccatum autem conſequenter ad dicta dicitur infallibiliter præteritum à decreto, quo vult non ampliùs permittere conſervationem peccati, nec influere in illius entitatem: quæ decreta exiſtunt tempore præteritionis, inferuntque in illo carentiam exiſtentiæ, & ſupponunt eſſentialiter exiſtentiam rei præteritæ pro tẽpore antecedenti; ſicut decretum conſtituẽs rem futuram, infert exiſtentiam rei futuræ pro tempore ſequenti. Conveniunt ergo præteritio, & futuritio in eo, quod vtraque eſt accidens reale conveniens rei non exiſtenti; accidens, inquam, prædicabiliter, non prædicamentaliter. Prima connectitur cum exiſtentia, quæ fuit, illamque quaſi à poſteriori infert; ſecunda connectitur cum exiſtentia, quæ erit, illam inferens à priori.

116 Ex quo duplex naſcitur notanda differentia inter præteritum,& futurum. Prima eſt,quod cum præteritio ſit accidens ſupponens exiſtentiam rei præteritæ tempore antecedenti, non ſolum reſpicit tanquam ſubiectum denominabile ab ipſa prædicata eſſèntiali a vt poſsibilia, ſed ipſa vt exiſtentia tempore antecedenti : futuritio autem cum ſolum ſupponat poſsibilitatem rei , & ſit via ad exiſtentiam, reſpicit vt ſubiectum denominabile prædicata poſsibilia ; exiſtentiam autem exercitam tempore ſequenti ſolum importat in obliquo,& de connotato : vndè aliter præteritum importat exiſtentiam , & aliter futurum. Secunda differentia ex iſta naſcitur,& conſiſtit in eo , quod cum res præterita aliquando habuerit exiſtentiam in ſe,& extra cauſas , poteſt ratione ſui relinquere ſui veſtigium, ſeù effectum perſeverantem tempore præteritionis,vi cuius,quāvis contingenter extiterit , aut à cauſa libera,& indifferenti, poteſt tempore præteritionis cognoſci. Futurum autem,cum tempore futuritionis non extiterit , nec habuerit eſſe determinatum extra cauſas , non poteſt ratione ſui, aut ratione alicuius à ſe derivati, aut à ſe relicti tempore futuritionis determinatè cognoſci ; atqueadeò niſi ex, vel in vi determinationis cauſæ, aut in aliquo ex cauſa,& eius determinatione derivato tempore futuritionis , cognoſcibile non eſt. Hanc,& non aliam differentiam intendunt Thomiſtæ reddentes diſparitatem inter præteritum,& futurum.

117 Ex quibus deducitur de præteritis,& futuris ſolum poſſe cognoſci , quod ex ipſis præſens eſt , nimirum futuritio , & præteritio; quod enim non eſt , non ſcitur, ſeù vt docet Auguſtinus , quod non eſt , nec doceri vtiq;poteſt de re;ergo de re præterita quantumvis contingenti poteſt cognoſci eſſe præteritam ex effectibus relictis, ſeù ex determinatione relicta in ſpecie ex eius cognitione, quando erat præſens : de re futura etiam poteſt cognoſci eſſe futuram; vel quia cognoſcitur cauſa creata determinata ad dandum illi eſſe,vel ſi nulla ſit determinata cauſa creata, cognoſci poteſt , ſi Deus ſuam determinationem revelavit , aut ſi infundat ſpeciem,& lumen participans eius determinationem. Sicut enim res , quando exiſtit, media ſui cognitione relinquit determinationem in ſpecie ad eius memoriam, pariter Deus poteſt infundere ſpeciem, quæ ex eius participatione, hanc habeat ſigillationem,& determinationem : non tamen poteſt cognoſci res, quæ eſt præterita , aut futura in ſe, cum nihil ſit,niſi fortè per viſionem beatam,quæ æternitate participata menſuratur, aut æternitatem Dei intuetur , in qua non præterita, aut futura, ſed præſens eſt : vndè Deus non poteſt infundere ſpeciem repræſentantem futurum in ſe,& qua poſsit intueri dum futurum eſt,niſi hæc ſpecies æternitate participata menſuretur , ratione cuius ipſa,& cognitio coexiſtant futuro : quod an ſit poſsibile,alterius eſt loci,& negativa pars mihi verior videtur.

118 Sed contra dicta obijcies primo ; ſicut res , quæ fuit, denominatur præterita, ita res,quæ erit denominatur futura,& ſicut ipſum exercitium exiſtentiæ, quod res habuit denominatur præteritum,ita exercitium exiſtentiæ, quod res habebit,denominatur futurum; ergo nulla eſt differentia quantum ad ſubiectum denominabile à præteritione,& futuritione. Secundo obijcies , probando antecedens in argumento aſſumptum,& à nobis negatum; nam ſecluſo, aut præciſo quolibet de facto exiſtenti connexo cum exiſtentia Adami præterita, per hoc præciſè,quod intelligatur Adamus exiſtens in ſua differentia temporis, & modo non exiſtere, intelligitur præteritus;ergo ad hoc neceſſarium non eſt prædicatum præſens; & idem argumentum de futuro confici poteſt. Antecedens probatur ; quia implicat exiſtere in ſua differentia temporis,& modo non exiſtere , quin modo ſit præteritus. Tertio, ſi res,v.g.Adamus conſtitueretur infallibiliter præteritus à decreto divino modo explicato, eſſet abæterno præteritus : conſequens eſt falſum;ergo & quod decreto divino res conſtituatur præterita. Sequela probatur; nam quia decreto divino res conſtituitur futura,& hoc abæterno exiſtit, abæterno eſt,& denominatur futura;ergo ſi decreto divino conſtituitur præterita, & hoc abæterno eſt , dicenda eſt abæterno præterita. Quod argumentum etiam in futuris vrgetur ; nam decretum divinum de exiſtentia Anti-Chriſti nunquam deficit; ergo ſi hoc conſtituitur futurum, ſemper erit futurus Anti-Chriſtus ; quod manifeſtè eſt falſum.

119 Ad primum nego conſequentiam ; licèt enim eadem entitas , & ipſum exercitium exiſtendi ſit poſsibile , futurum, exiſtens, & præteritum;denominatio tamen futuri, conveniens exercitio exiſtendi , illud ſupponit ſolum per modum quidditatis , & ſignatè ; atqueadeò ſolum vt præſtans denomi-

minationẽ eſſentialem: neque enim ſupponitur denominans creaturã exiſtentem, nec ſecundum quod ſe ipſum denominat exiſtens; & ideò ſubiectum denominatum à futuritione ſolum eſt quidditas, ſeù exiſtentia per modũ quidditatis: cuius oppoſitum in præteritione oppoſita de cauſa contingit.

120 Ad ſecundum, nego antecedens; ſi enim modò nihil eſſet connexum cum exiſtentia Adami præterita, modó nihil amplius haberet, quam ſi nunquam fuiſſet: vndè non magis fuiſſet præteritus, quam ſi nunquam fuiſſet: implicat tamen quod intelligatur exiſtens in ſua differentia temporis, & modò non exiſtat, quin ſit præteritus; quia implicat modò non exiſtere decretum, vi cuius modò eſt præteritus; & idem dicendum de futuro, quod ſcilicèt ſi modò non exiſteret prædicatum connexum cum exiſtentia in tempore habenda, modò non eſſet futurum; quod ex Divo Thoma ſupra oſtendimus. Et quidẽ argumentum factũ eſt ſimile huic: per hoc quod intelligatur Petrum exiſtere, qui eſt aliquid limitatũ, non poteſt non eſſe productus, ergo per exiſtentiam conſtituitur productus. Cui neganda eſt conſequentia; nã licèt exiſtere Petrum inferat eſſet productũ, non tamen per exiſtentiã conſtituitur productus; & ſi per impoſsibile intelligatur exiſtẽs, quin eſſet actio productiva, eſſet exiſtens, nõ tamen productus: neque eſſet inconveniens in hypotheſi impoſsibili exiſtere Petrum limitatum, & non productum.

121 Pro ſolutione tertij ſciendum eſt, quod quamvis decretum cõſtituat præteritũ Adamum, & futurũ Anti-Chriſtum; non tamen conſtituit præteritũ, aut futurum comparitivè ad omnem durationẽ, nam comparativè ad æternitatem nihil eſt prẽteritũ, aut futurum; conſtituit ergo futurũ, & prẽteritũ cõparativè ad durationes creatas, nõ tamen ad omnes; decretum enim, quo Deus ſtatuit exiſtere Adamũ in ſua differentia temporis, & modó nõ exiſtere, conſtituit Adamũ prẽteritũ comparativè ad hanc durationem poſterioreilli, in qua fuit productus, nõ cõparativè ad durationem, quę ãteceſsit eius exiſtentiã: & hoc ipſum decretũ, quatenùs Deus illo determinativit nõ exiſtere durationi antecedẽti ad illam, in qua fuit productus, cõſtituit Adamũ futurum comporativè ad illam durationem. Similiter decretũ conſtituens futurũ Anti-Chriſtum, ſolum conſtituit illum futurum comparativè ad durationem antecedentem exiſtentiam ipſius, & hoc eodem decreto, quatenùs illo ſtatuit nón exiſtere durationi ſubſequenti, conſtituit illum prẽteritum comparativè ad illam; quod eſt noſtra ſententia, & ſemper verum in æternitate, & prout ſic à Deo cognitum.

122 Eſt inſuper notandum ex Ferrarienſi, 1. contra Gent. cap. 67. quod quando quis iudicat ſortem ſedere, v. g. intelligitur ſeſsionem ſortis eſſe in præſenti tempore, in quo eſt cognitio: cum quis aſſerit ſortem ſediſſe, intelligitur ſeſsionẽ ſortis eſſe præteritã reſpectu temporis, in quo cognitio eſt: & ſimiliter cum quis iudicat ſortẽ eſſe ſeſſurum, intelligitur eius ſeſsionem reſpectu talis cognitionis eſſe futuram: vndè quando iudico Adamum eſſe præteritum, intellgitur eſſe præteritum, comparative ad meam cognitionem; quapropter vera eſt propoſitio: eadem tamen pro lata, ſeù concepta ante exiſtentiam Adami eſſet falſa; quia per illam tunc intelligeretur eſſe præteritum comparitivè ad tempus, in quo exiſteret cognitio. Et ſimiliter iſta, Anti-Chriſtus eſt futurus, modò, prolata eſt vera, quia intelligitur Anti-Chriſtum eſſe futurum reſpectu cognitionis modò exiſtentis; prolata tamen poſt eius obitum erit falſa, quia intelligitur Anti-Chriſtum eſſe futurum comparativè ad cognitionem exiſtentem poſt eius obitum. Hoc tamen comparativè ad divinam cognitionem non ſic contingit; divina enim cognitio eſt ſupra omnem durationem creatam, & æternitate menſuratur, quę omni durationi creatæ ſemper adeſt; atqueadeò quantumvis res in ſe ipſa varietur, comparativè ad divinam cognitionem non variatur; ſi enim hodiè Petrus ſedet, ſemper Deus videt Petrum hodiè ſedere, & ſi cras non non ſedet, ſemper videt cras non ſedere, & ſic nihil ipſi eſt aliquãdo præſens, & aliquando futurũ, ſed ſemper præſens; licèt cognoſcat, nobis rem eſſe aliqua ndo præteritam, & aliquando futuram.

123 Hinc oritur; quod licèt modo exiſtat futuritio Adami comparativè ad tempus ipſum antecedens, quę in decreto, vt diximus conſiſtit; nihilominùs abſolutè non eſt verum Adamum eſſe futurum, quia in hoc modo prolata intelligitur eſſe futurum comparativè ad durationem hodiernam, quæ futuritio non datur. Et ſimiliter de præteritione Anti-Chriſti comparativè ad tempus poſt eius obitum, quæ licèt de facto detur, non eſt de facto verum

esse præteritum: ad eum modum, quo licèt Anti-Christus existat physicè in æternitate, non est modo absolutè verum existere, quia intelligitur existere in propria mensura, essèque præsentem cognitioni illud affirmanti. Simili modo Tractatu de Voluntate Dei, dub. vltimo §. 3. à num. 31. discurremus de amore amicabili Dei erga prædestinatum existentem in peccato mortali, qui licèt semper existat in Deo, non tamen verificatur tempore, quo prædestinatus est in peccato mortali, esse amicum Dei, seù Deum ipsum amicabiliter diligere.

124 Ex quibus ad argumentum, nego maiorem, neque obstat, quod abæterno detur decretum, quo modo constituitur præteritum; quia hoc decretum non constituit ipsum præteritum comparative ad totam æternitatem à parte anteà, sed solum comparative ad durationes posteriores ipso: ad hoc autem vt abæterno esset præteritus, necessarium erat, quod ipsum constitueret præteritum comparativè ad totam æternitatem à parte anteà; erat enim necessarium quod hæc propositio Adamus est præteritus esset vera prolata in quacumque differentia temporis antecedentis, & consequenter, quod decretum constitueret Adamum præteritum comparative ad quamlibet differentiam temporis antecedentem. Vel secundo eadem solutione aliter explicata respondetur etiam negando maiorem, & probationes antecedentis; non enim ideò præcisè res est abæterno futura, quia decretum abæterno est, sed insuper, quia abæterno est tempus imaginarium antevertens existentiam futuri, quod á determinatione futuri connotatur: & quia abæterno non existit tempus connotatum à præteritione, ideò res non denominatur abæterno præterita. Itaque decretum de dando rei existentiam hoc tempore determinato, & non anteà, infert infallibiliter existentiam in hoc tempore, & carentiam illius toto tempore antecedenti: denominatio autem futuri dicit tanquam formam decretum, & de connotato tempus antecedens existentiam futuri, ex cuius defectu deficere potest denominatio futuri; quapropter licèt modò perseveret decretum de producendo mundum; non tamen est futurus: eademque ratione existente Anti-Christo, & post eius obitum, licèt perseverabit decretum, non tamen erit, nec denominabitur futurus, & idem proportionaliter dicendum est de denominatione præteriti.

125 Nec exinde sequitur decretum non esse formam adæquatam futuri; sicut ex eo, quod in hac propositione, *Petrus existit*, connotetur tempus præsens, non infertur adæquatam formam constituentem Petrum existentem non esse existentiam. Et similiter Petrus modo peccator non diligitur amicabiliter à Deo; si autem iustificetur, diligitur, non per adventum formæ, qua Deus denominatur diligens, sed per adventum temporis, in quo Deus abæterno decrevit gratiam Petro conferre, quod à denominatione diligentis connotatur.

§. Vltimus.

Quædam corolaria inferuntur.

126 EX dictis colligitur primo quod determinatio causæ creatæ nequit abæterno effectum futurum constituere, nec ex vi illius potest esse infallibiliter futurus, sed vtrumque præstatur à decreto divino. Primum constat; nam causa creata, aut eius determinatio abæterno non est; ergo nequit constituere effectum abæterno futurum. Quod colligitur ex D. Thoma loco ex 1. parte adducto; vbi quia causa creata abæterno non est, ad causæ increatæ determinationem recurrit, vt effectus sit abæterno futurus. Secundum etiam constat; nam determinatio causæ creatę non est seipsa infallibiliter cum effectu connexa; ergo nequit illum infallibiliter cum effectu constituere. Probatur antecedens; nam causæ secundæ quantumvis inclinatæ, & determinatæ ad producendum effectum, potest Deus illi suum concursum denegare, quo deficiente, effectus non erit; sicut de facto illum negavit igni Babylonico, quantumvis ex se determinato ad comburendum; ergo determinatio causæ secundæ non est infallibiliter connexa cum effectus existentia.

127 Tertium denique constat; nam decretū divinum abæterno est, & infallibiliter infert effectum, loquimur de decreto efficaci; ergo per decretum divinum constituitur effectus infallibiliter futurus. Quod docuit D. Thom. q. 12. de Veritate, art. 10. ibi: *Ad duodecimum dicendum, quod causæ superiores, quæ sunt rerum rationes in divina præscientia, nunquam deficiunt ab impletione suorū effectuum; sicut deficiunt causæ inferiores, & ideò in causis superioribus cognoscuntur re-*

rerum eventus absolutè, sed inferioribus non nisi sub conditione. Rerum autem rationes iuxta phrasim D. Thomæ sunt ideæ, vt per decretum determinatæ.

128 Colligitur secundò; quod si decretum divinum per impossibile inciperet in tempore effectus non esset abæterno infallibiliter futurus. Quod expressit D. Thomas loco ex 1. parte citato, illis verbis: *Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causa sempiterna erat, vt fieret*; vnde *sublata causa non esset futurum illud fieri*: si autem quamvis inciperet in tempore decretum deponenda creatura, esset tamen abæterno aliud decretum reflexum, quo Deus vellet determinare in tempore effectum, tunc esset abæterno futurus non formaliter, sed radicaliter; esset enim Deus abæterno determinatus ad decernendum in tempore, & consequenter radicaliter determinatus; ad producendam creaturam; ergo esset futura radicaliter, non formaliter. An autem effectus in tempore existens, eo quod talis exigat decretum Dei abæterno existens, à quo sit futurus, infra attingemus; & pro nunc omninò tenendum, quod sicut effectus exigit ex conceptu suo causam necessariam infinitam, & æternam, sic exigit decretum liberū ab omni imperfectione; & consequenter exigit decretum à Deo indistinctum semper existens, vtpotè æternitate Dei mensuratum.

129 Colligitur tertiò, effectum ex vi decreti intentivi esse formaliter, & infallibiliter futurum, non adæquatè, sed inadæquatè. Quod constat; nam decretum Dei intentivum est determinatio Dei infallibilis ad ponendum effectus; non tamen adæquata: cum vltrà illud necessariū sit exequutivum, & imperium Dei, quod est scientia visionis, inter vtrumque medians; ergo decreto intētivo effectus est formaliter futurus, non adæquatè, sed inadæquatè.

130 Colligitur quartò ex dictis, quod ex vi causæ secundæ omninò indifferentis, nullatenus est effectus futurus: ex vi tamen causæ contingentis ita determinatæ, vt ex illa pro maiori parte sequatur effectus, & pro minori ab eius productione deficiat, dicitur effectus futurus secundum quid: ex vi tamen causæ secundæ, ex qua necessario sequitur effectus, & quæ ab illius productione impediri non potest, nisi per miraculū, dicitur effectus absolutè futurus. Primum constat; nàm esse futurum est habere esse in causa determinata ad dandum illi existentiam; quod de effectu in causa omninò indifferenti, nullatenus verificatur. Secundum probatur; nam effectus in causa illa habet esse aliquod determinatū; cum ad illius productionem sit propensa, licèt non omninò determinata, quia potest ab alijs causis naturaliter impediri; ergo ex vi talis causæ, effectus est secundum quid futurus. Secundò probatur; nàm ex vi illius causæ potest accipi scientia coniecturalis de futuris, quæ tanto erit certior, quanto causa est magis determinata; ergo ex illa habet effectus aliqualem futuritionem.

131 Tertium probatur; nàm ex vi causæ sic determinatæ, cognoscitur certitudine scientifica effectus futurus; sic enim ex determinatione causarum naturalium demōstratur eclypsis futura, Solem cras oriturum, & alia huiusmodi; ergo ex vi talis causæ, effectus est absolutè futurus. Secūdò probatur; nā id, quod taliter futurū est, quod absq; miraculo eius existentia impediri non potest, est absolutè futurū: sed effectus ex vi determinationis causarū naturalium taliter est futurus, quod eius existentia impediri nō potest absq; miraculo; ergo est absolutè futurus ex vi illarū. Maior probatur; id cuius oppositum sine miraculo contingere non potest, absolutè est necessarium; sicut aliquando hominem mori, & oppositum est absolutè impossibile; & quod naturaliter corrumpi non potest, est absolutè incorruptibile; ergo id, quod taliter futurum est, quod ab existendo impediri non potest, nisi per miraculum, absolutè est futurum. Quæ omnia complexus est Divus Thomas in 1. distinct. 38. quæst. 1. artic. 5. in corpore.

132 Tandem infertur; posse effectum esse futurum in tēpore, quin fuerit abæterno formaliter futurus, non tamen quin fuerit abæterno radicaliter futurus. Primum probatur; nam causa secunda potest esse in tempore determinata ad dandum esse effectui, quin Deus abæterno decreverit talem effectum; ergo potest ex determinatione causæ secundæ effectus esse in tempore futurus, qui abæterno futurus non fuit. Secundum probatur; implicat causam secundam esse in tempore determinatam ad producendum effectum, quin abæterno sit in Deo decretum deponenda in tempore tali causa, & eius determinatione: sed ab hoc decreto licèt non constituatur effectus formaliter futurus, est tamen radicaliter futurus; ergo.

133 Contra doctrinam tamen quarti Corolarij opponunt aliqui primo. Div. Auguſtinum lib. 26. contra Fauſtum, cap. 4. Anſelmum, lib. de Concordia Gratiæ cum libero arbitrio,& Fulgentium de Certitudine Prædeſtinationis, cap. 4. qui apertè docere videntur, impoſsibile omninò eſſe futurum non fieri: at futurum per ordinem ad cauſam ſecundam, & quod futurum eſt ex eius determinatione, poteſt non fieri de potentia abſoluta, vt vidimus; ergo per ordinem ad cauſam ſecundam, & ex eius determinatione nihil eſt futurum. Secundo; id, cum quo componitur verificari de effectu, quod non erit, nequit conſtituere effectum abſolutè futurum; aliàs ſimul eſſet futurus,& non futurus: at cum determinatione cauſæ ſecundæ componitur verificari de effectu, quod non erit; nam cum illa componitur Deum determinare effectum non exiſtere; ergo hæc determinatio cauſæ ſecundæ nequit conſtituere effectum abſolutè futurum. Confirmatur; id, quod verè non fuit, quantumvis exiſtant ſigna demonſtrantia extitiſſe, præteritum non eſt; ergo id, quod abſolutè, & omnibus penſatis non erit, non eſt futurum, quantumvis cauſæ ſecundæ ſint determinatæ ad dandum illi exiſtentiam.

134 Ad primum reſpondetur SS. Patres loquutos fuiſſe de futuro omninò infallibili,& quod eſt tale ex vi voluntatis efficacis Dei, non de futuro per ordinem ad cauſas ſecundas. Ad ſecundum diſtinguo maiorem, id, cum quo componitur verificari de effectu, quod non erit ex vi cauſarum naturalium, concedo maiorem, ex vi providentiæ extraordinariæ Dei decernentis talem effectum non exiſtere, nego maiorem; vel illam ſubdiſtinguo, nequit conſtituere futurum infallibile, & omnibus modis tale, concedo maiorem, futurum abſolutè tale, nego maiorem; & diſtincta minori eodem modo, diſtinguo ſimiliter conſequens. Nec eſt inconveniens, aliquid eſſe futurum abſolutè, comparativè ad cauſas creatas; quod tamen infallibiliter non erit ex vi decreti divini; ſicut non eſt inconveniens aliquid abſolutè impoſsibile ex vi cauſarum naturalium exiſtere per miraculum.

135 Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens; ſi enim de præſenti exiſtat effectus inferens evidentia phiſica à poſteriori cauſam extitiſſe, ex vi illius cõſtitueretur præterita. Nec eſt maius inconveniens, de aliquo præterito verificari, quod non extitit omnibus penſatis, quam de aliquo futuro, quod non erit. Uel conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; cuius diſparitas ex dictis colligitur; nam pro priori ad præteritionem, non ſolùm debent præſupponi prædicata poſsibilia, ſed exiſtentia; eſt enim præteritio accidens ex exiſtentia relictum; vndè res, quæ non extitit, non eſt capax denominationis præteritæ: futuritio autem ſolum ſupponit poſsibilitatem, & eſt via ad exiſtendum; vndè his poſitis, nimirùm poſsibilitate,& determinatione cauſæ, quæ eſt via ad exiſtentiam effectus, res eſt futura, etiam ſi poſtea per miraculum non exiſtat. Et hæc de iſto dubio. Reſtabat modo traditam doctrinam futuris conditionatis applicare: quia tamen hoc non eſt difficilè ex dictis,& à nobis alijs in locis præſtandum: ideò ſit.

DVBIVM II.

Vtrùm cum huiuſmodi futuritione abſoluta componatur noſtrorum actuum libertas?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi.

1 IVXTA Conſtitutionem futuri à nobis ſtabilitam homo in tempore eliciens amorem, v.g. non poteſt illum omittere; ergo cum illa non componitur libertas. Antecedens probatur, non poteſt componere cum futuritione infallibili actus, quæ abæterno exiſtit,& in decreto divino conſiſtit, omiſsionem actus, aliàs fruſtraretur decretum efficax; & aliundè non exiſtente actu in tempore, implicatorium eſt, quod ſit abæterno futurus, vt ſupponitur: nec poteſt omiſsionem á futuritione, ſeù decreto actus dividere; vtpotè non poteſt facere, quod non exiſtat, aut extiterit decretum; ergo nullomodo poteſt omittere actum amoris; atque adeò ad illum eſt neceſsitatus.

Con-

2 Confirmatur, qui potest facere, quod non existat actus, potest facere, quod non fuerit futurus; vt ex se videtur evidens; si enim non existeret, non fuisset futurus; atqueadeò potens facere, quod non existat, potest facere similiter, quod non fuerit futurus: at homo in tempore non potest vllomodo facere, quod non fuerit futurus; ergo non potest vllomodo facere, quod non existat. Consequentia est bona, minor ex dictis constat; homo enim non potest facere, quod non existat, aut non extiterit decretum actus; cum ergo futuritio in decreto consistat, non potest facere, quod non existat futuritio; & consequenter, nec quod actus non fuerit futurus. Insuper nihil clariùs, quam quod homo in tempore non potest facere, quod non fuerit, quod abæterno extitit independenter ab exercitio libertatis illius, quod non abæterno, sed in tempore est: quod præcipuè verum est de futuritione, quæ non solum duratione præcedit existentiam actus, seù exercitium libertatis, sed etiam causalitate. Maior ex terminis videtur nota, & convincitur probatione ibi subiuncta; & insuper probatur, si aliquis posset facere, quod non daretur possibilitas obiectiva hominis, proculdubiò posset facere, quod non existeret Omnipotentia; maximè in sententia Thomistarum, & apud alios etiam communi constituente Omnipotentiam connexam cum possibilibus; ergo similiter, qui potest facere, quod non existat actus, potest facere, quod non fuerit futurus. Consequentia probatur à paritate rationis; sic enim comparatur Omnipotentia ad possibile, sicut decretum ad futurum: etenim sicut aliquid est futurum ex determinatione causæ, pariter aliquid est possibile ex continentia causæ, & sicut determinatio causæ est ratio à priori existentiæ effectus, ita continentia est ratio à priori possibilitatis illius, qui obiective, & possibiliter sumptus supponit essentialiter existentiam causæ primæ. Quod autem, si quis posset facere, quod non daretur possibilitas obiectiva hominis, posset facere, quod non existeret Omnipotentia, etiam videtur evidens ex vi mutuæ vtriusque connexionis, & quia vtrumque est impossibile impossibilitate ad invicem connexa.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

3 CVM Futuritione à nobis stabilita rectè cohæret nostrorum actuum libertas. Probatur breviter ratione à priori; determinatio causæ primæ ad dandam existentiam actui libero, cum ipso, & eius libertate rectè componitur: sed futuritio actus liberi abæterno existens est determinatio Dei, qui abæterno voluit dare existentiam actui libero, & eius libertati; ergo rectè cum actu libero componitur. Consequentia est evidens. Minor ex dictis constat: maior autem videtur evidens, nam Deus volens actum existere, & eius libertatem, non potest aliquid illorum destruere, cum ex eius voluntate omnis creatura, & omnis modus illius habeat esse; nec aliter potest de non esse in esse transire, nisi ex dispositione, & voluntate divina: sicut nihil datur possibile non contentum in Omnipotentia divina, & in communiori, & vera sententia, nisi ex vi continentiæ in Omnipotentia.

4 Deindè Deus est agens per intellectum, & voluntatem, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ; & consequenter nihil operatur, nisi volens, & ex propria voluntate, non ex alterius dispositione, vtpotè omnia disponens, etiam aliorum dispositiones; ergo cum operatio, qua Deus in tempore operatur actum liberum, rectè cum illo, & eius libertate componatur, pariter, & determinatio, seù voluntas illum operandi, & causandi; quæ, vtpotè actus voluntatis divinæ, non potest non esse abæterno. Et quidem ex eo, quod Deus nostra bona opera operatur, rectè inferri illa prædestinare, ex Augustino, & Prospero, aliisque Augustini discipulis, alibi ostendimus; nec aliundè frequentius, aut efficaciùs probaverunt prædestinationem actus boni, seù decretū efficax illius; quod frequenter concedunt Recentiores, licèt non vt necessariū ad existentiā actus liberi, nisi quia illū operatur,

quod ex Scripturis, quas latissimè afferunt post Augustinum eius discipuli, probari cõsequentiam istam legitimè putaverunt, vt pro comperto haberent à nemine esse negandam. Ex quo non pauci extra Scholam D. Thomæ existimarunt Pelagium concursum immediatum in actum bonum negasse; nempè, quia illo concesso, etiam ipse putavit consequentiam esse legitimam; cuius non leve argumentum est, Augustinum, & Prosperum ferè totam vim contra Pelagium facere in probando concursum immediatum Dei in actum bonum: ex quo rectè deducitur etiam contra Recentiores nuper memoratos non solum dari decretum, sed esse omninò necessarium ad existentiam actus liberi, quia illud intulit Div. Augustinus ex antecedenti necessariò ad eius existentiam; nimirum, quia Deus illum operatur, quod necessarium est, vt existat.

5 Quibus accedit, quod Deus omnia opera bona, nobis donavit, nec in nobis, aut à nobis esse possunt, nisi ex dono Dei: si autem donavit, profecto prædestinavit, vt ex Patribus, quos adduximus Tractatu de Providentia Dei, didicimus; & ratio est, quia Deus non donat, nisi sciens, & volens; nec amplius donat, quam vult donare: & oppositum intelligi non potest; sicut nec quod detur donum non descendens à voluntate divina. Hæc modo sufficiant.

6 Respondent Adversarij; esse impossibile Deum abæterno velle omninò efficacitèr existentiam actus liberi, præcipuè si tale decretum, aut determinatio necessaria sit ad existentiam actus liberi; esset enim velle actum liberum non liberum, quia ex vi voluntatis, & determinationis Dei esset determinatus, & consequenter non liber. Sed contra est argumentum factum; nam id, quod necessarium est ex parte causæ ad productionem effectus, illum destruere non potest: sed vt Deus producat actum liberum, necessarium est velle illum producere; ergo id non potest actum liberum destruere. Similiter, quod est necessarium exigentia, & indigentia effectus, non potest illum destruere, vt est per se notum; sed actus liber vt talis, vtpotè creatura, quæ ex se nihil est, vt transeat de non esse ad esse, de possibilitate ad existentiam, exigit, seù indiget, quod Deus vt illius supremus Dominus velit illi dare existentiam; ergo hoc eius naturam destruere non potest.

7 Dicere autem, quod datur creatura, quæ non indigeat, vt sit, quod Deus velit illi dare existentiam, est omninò chimericum; quidquid enim existit sine huiusmodi indigentia, Deus est, non creatura, quæ sine hac indigentia intelligi non valet. Per quod etiam excluditur id, quod apud Recentiores iam invaluit, nimirum, actum liberum constitui in ratione talis per carentiam decreti efficacis Thomistici: vndè vt actus sit liber, non debet à Deo prædefiniri decreto non supponente Scientiam Mediam; quod decretum Thomisticum appellant. Excluditur, inquam, quia huiusmodi actus liberi constitutio est omninò implicatoria; actus enim accipiens denominationem liberi à carentia decreti efficacis implicatorius est, vtpotè qui existeret sine indigentia imbibita in conceptu creaturæ, nimirum quod Deus vellet illum existere. Ex quo vlterius sequitur; fieri, quod cum apud Adversarios idem actus omninò invariatus transeat de libero in necessarium, & è contra, hic actus, quando necessariò existit, non indigeret determinatione divina ad sui esse, sed sufficeret voluntas creata præventa iudicio determinato: quod Adversarij non cõcedunt, nisi velint causas naturales, & necessarias non indigere decreto ad operandum, sed de his plura in discursu disputationis.

8 Modo, vt clariùs appareat, quod infallibilitas actus liberi, quam haberet abæterno ex vi futuritionis, seù decreti divini, eius libertatem non auferat, sed solum inferre, & causare, semper præ oculis habendum est, quod Deus sua voluntate, non solum causat effectum, sed omnem modum illius; non solum facit actum existere à causa secunda, sed quod existat eo modo, quo in causa secunda continetur: vndè cum voluntas creata præventa iudicio indifferente sit in actu primo domina ipsius actus, illumque vt domina contineat, Deus suo decreto efficaci facit infallibiliter, quod actus exeat ab illa, tanquam à domina actus; & consequenter facit infallibiliter, quod libere exeat; nasci enim à voluntate, vt domina est esse actum liberum, nec eius dominium per hoc aufertur: sed solum infertur tale dominium esse subordinatum Deo, qui sicut dedit voluntati dominium in actu primo, facit tale dominium exerceri: sicut Deus conferens potentiæ visivæ, v. g. vitalem continentiam actus visionis (& idem est in alijs causis naturalibus) facit, quod actus visionis ab illa vitaliter procedat; nec per hoc, quod Deus habeat decretum efficax, ex quo nascitur actus visionis, tollitur, quo-

mi-

minus potentia visiva vitaliter influat, sed potiùs suo decreto facit, quod ab illa eliciatur eo modo, quo in illa continetur, scilicèt vitaliter: sic similiter decretum liberum de actu libero voluntatis, solum facit, quod à voluntate infallibiliter oriatur eo modo, quo in illa continetur: & quia in illa vt præventa iudicio indifferenti, continetur tanquam in causa libera habente dominium illius, solum facit, quod ab illa liberè oriatur.

9 Deindè, combustio procedit ab igne tanquam à causa necessaria naturali; à quo proindè oritur necessariò necesitate naturali solum: Deus tamen suo decreto efficaci, & infrustrabili facit infallibiliter metaphisicè, quod oriatur ab igne solum infallibiliter infallibilitate naturali, quia suo decreto facit infallibiliter, quod oriatur ab illo eo modo, quo in illo continetur; & quia in illo continetur tanquam in causa necessaria naturali, quæ metaphisicè deficere potest, decreto indefectibili, etiam metaphisicè facit, quod oriatur necesitate solum naturaliter infrustrabili, defectibili tamen metaphisicè; sicut ergo rectè componitur, quod Deus decreto indefectibili metaphisicè facit, quod combustio oriatur ab igne defectibiliter metaphisicè; pariter decreto infallibili facit, quod actus à voluntate contingenter oriatur, & ita vt posit non oriri.

§. III.

Solvuntur argumenta.

10 AD Primum, negandum est antecedens, ad probationem asserendum est, posse dividere omisionem à decreto quantum ad id, quod importat in recto hæc divisio; non autem quantum ad id, quod importat in obliquo: probatio autem ibi subiuncta solum convincit non posse dividere omisionem à decreto adæquatè quantum ad rectum, & obliquum. Pro cuius intelligentia advertendum est, esse divisam omisionem à decreto, dicere duo; nimirum in recto dicit omisionem dari, & in obliquo non dari decretum: dividere ergo omisionem á decreto, dicit pro recto facere, quod sit omisio, & in obliquo, quod non sit decretum: sicut coniungi actum cum prædeterminatione, dicit in recto existentiam actus, & in obliquo existentiam prędeterminationis; & componere actum cum prædeterminatione dicit in recto facere, quod existat actus, & in obliquo facere, quod existat prædeterminatio: sicut ergo voluntas in actu primo constituta pro signo præscindente ab actu, & eius prædeterminatione intelligitur potès componere actum cum prędeterminatione quantum ad rectum, non quantum ad obliquum, nimirum, quia potest ponere actum, qui in recto ibi importatur, non tamen existentiam prædeterminationis, quæ importatur in obliquo: sic similiter existente futuritione actus abæterno, potest homo in tempore dividere omisionem à futuritione quantum ad rectum, scilicèt, quantum ad omisionem, & sic potest omittere, non quantum ad obliquum: quapropter non potest ad non esse futuritionis ex vi decreti.

11 Dices; non posse intelligi posse ad omisionem actus, si non potest auferre futuritionem, seù decretum actus incompossibile cum illa. Respondetur nō posse potentia infinita, & independenti; bene tamen potentia limitata, & subordinata Deo, tàm in omittendo, quàm in operando: sicut enim voluntas præventa iudicio indifferenti pro signo præscindente ab actu, & eius prædeterminatione, est potens ad actum, quamvis in sua potestate non habeat prædeterminationem, seù decretum; quia scilicèt est potens ad actum, eliciendum cum subordinatione ad Deum, ad quam potentiam non requiritur in sua habere potestate id, quo Deo subordinatur in ponendo actum, quod est phisica prædeterminatio, quæ potentia per carentiam prædeterminationis pro signo posteriori non destruitur, quia quæ conveniunt voluntati pro signo præscindenti ab actu, & eius prædeterminatione, per nihil eorum superveniens auferetur: sic similiter homo, in tempore est potens ad omisionem actus, quamvis non habeat in sua potestate non esse futuritionis, seù de-

decreti; nimirum, quia potens est omittere actum cum subordinatione ad Deum, quæ potentia non reducitur ad actum, nisi media carentia decreti, qua Deo in omittendo subordinatur.

12 Dices, nos explicare potentiam ad omissionem per æquè difficilè, nimirum per actum in homine carente physica prædeterminatione ad illum: quod est æquè difficilè. Fatemur eandem esse difficultatem; sed quia Adversarij vnam, & eandem difficultatem nobis diversam videri volunt, aut putant, si illam non involvant terminis negativis, & carentijs; vt clarius appareat doctrina, & solutio, illam ad terminos positivos reducere placet, in quibus tota difficultas stat in eo, quod homo impredeterminatus sit potens ad actum, sine potentia ad prædeterminationem requisitam ad actum, & alijs terminis, in eo quod homo cum decreto, cuius carentia requisita est ad omissionem, & quæ ab ipso poni non potest, sit potens ad omissionem: & vtrumque dicimus esse verum, loquendo de potentia creata; & redimus rationem, & quidem solidam, quæ non facile ab ipsis impugnari valet, nisi multiplicando carentias, quibus tamen licèt veritas obscuretur, non tamen infringitur. Ratio enim est; quia virtus creata est potentia ad effectum, seù actum eliciendum cum subordinatione ad Deum; ac proindè indigens, quod à Deo ponatur, non à se, illud, quo ipsi subordinatur in ponẽdo actum, seú effectum; & quia voluntas creata v.g. in ponendo actũ Deo subordinatur medio decreto, seù physica prędeterminatione, quę est executio decreti, ideò potentia eius ad actũ manet, etiam si deficiat physica prędeterminatio, & solùm infertur deficere subordinationem actualem ad Deum in ponendo actum, qui etiam deficit; non verò deficere potentiam creatam.

13 Homo ergo impredeterminatus ad actum est potens ad illum eliciendum cum subordinatione ad Deum: in qua elicientia duo sunt, scilicèt actus, & subordinatio ad Deum, in illum ponendo; ad actum est potentia, non ad subordinationem activè sumptam: aliàs Deo non subordinaretur, sed Deum sibi in ponendo actum subordinaret: & propterea fortasis in Conlio Tridentino docetur, quod Deus monet, & facere, quod possumus, & petere, quod non possumus; possumus actũ, non physicam prędeterminationẽ. Quod si omnia essent in nostra potestate, etiam in actu primo constituti nihil à Deo petere deberemus; de quo aliás. Similiter homo prædestinatus ad actum, ex vi decreti abæterno existentis est potens in tempore ad omissionem ponendam cum subordinatione ad Deum, quę sit media carentia decreti; & quia hæc non datur, infallibile est, quod non ponitur omissio, ex defectu, qui sit ex duplici causa; nimirùm, quia Deus non ponit carentiam decreti, & quia ipse homo elicit actum libere, licèt infallibiliter ex vi decreti; atqueadeò non vult libere ponere omissionem. Quod satis conforme est naturis rerum, & rationi; nàm actus voluntatis duplicem habet causam, primam scilicèt, & secundam, & sub vtriusque dominio est, & sicut in ratione causæ secunda primæ subordinatur, & ab illa dependet; similiter eius dominium à dominio Dei dependet. Quod optimè intelligitur, si Deus primo exerceat in actum suum dominium volendo eius existentiam, & ex hac voluntate divina derivatur ad voluntatem creatam, etiã ipsam velle eius existentiã. Asserere autem, quod eo ipso, quod subordinatũ sit dominiũ, non esse liberũ, est negare Deum esse Dominum dominantiũ, & voluntatem creatam sic dominam facere, vt nulli subdatur; quod contra dominium creatum est; imò est asserere voluntatem creatam sibi subordinare divinam, & vti Omnipotentia vt eius domina; quod est à Deo auferre dominium immediatum actus, & ipsum subijcere creaturæ: in nostra autem sententia omnia consonant; damus enim Deo, vt decet, primum dominium actus, deindè creaturæ secundum, cuius exercitium à primo dependere, solùm arguit dominium creatum esse à primo derivatum: quo nihil est conformius rationi.

14 Quod in causis naturalibus proportionaliter invenitur: ignis v. g. potens est per modum causæ naturalis, & determinatæ comburere; quia tamen potest ad combustionem cum subordinatione ad Deum, necessarium non est, quod ponsit ad decretum divinum, quo in comburendo ad Deum subordinatur: quod licet tollat ignem esse causam primam combustionis, nõ tamen esse veram causam secundam illius: nec eius determinatio ad comburendũ aufertur per hoc, quod illa non obstante dependeat à libero decreto Dei, vt comburat; solùm enim arguitur determinationem eius, & necessitatem ad comburendum dependere in ipso reduci ad actum à de-

decreto divino libere à Deo ponendo; quod est esse determinatam vt causam limitatam, & secundam : sic similiter indifferentiam voluntatis dependere à Deo in reduci ad actum secundum à decreto, non tollit eius indifferentiam,& dominium, sed solum arguit esse indifferentem per modum causæ limitate,& habere dominium secundum.

15 Scio Recentiores, contra quos disputamus, asserere, quod quia ignis indiget decreto, vt comburat, præcisive à decreto, aut miraculosè deficiente, non habet potentiam ad comburendum, sed falluntur decretum enim, non dat potentiam,aut virtutem igni, nec determinationem naturalem,& phisicam, quam habet ad comburendum (loquimur de decreto efficaci combustionis, non de decreto dante esse, & virtutem igni) sed virtutem,& potentiam, quã determinatã phisicè, aut naturaliter supponit,reducit ad actum secundum:ex quo solũ arguitur potentiam,& virtutem ignis esse ad combustionem dependentem à Deo, & eius dominio immediato. Ex quo nos argumentum desummimus ; si enim ignis quamvis indigeat decreto, habet præcisive ab illo potentiam ad comburendum naturalem,& determinatam, seù necessariam, cui non obest indigere decreto, quare voluntas præcisivè à decreto non habebit potentiam indifferentem creatam, & limitatam, quamvis indigeat decreto reducente potentiam indifferentem ad actum : reducente (inquam) per modum causæ primæ, quæ non tollit, sed infert,& facit,quod ipsa voluntas reducatur, cum subordinatione tamen ad Deum. Aliud ergo est, quod ignis præcisivè à decreto non habeat potentiam ad combustionem independentem á Deo, seù ponendam sine subordinatione ad Deũ; aliud autem, quod præcisivè à decreto non habeat potentiam ad combustionem depẽdentem,& ponendam cum subordinatione ad Deum: primum verum est, secundum falsum ; omnis enim causa creata hanc potentiam accipit à Deo,quæ quia limitata est, in ipso exercitio debet etiam dependere.

16 Ex quo vlteriùs etiam deducimus; quod sicut ignis habet potentiam determinatam ad combustionem, quamvis nõ habeat potentiam ad decretum, pariter voluntas habet potentiam indifferentem ad actum, sivè potentia ad decretum : & sicut ignis habet potentiam ad combustionem dependentem essentialiter à decreto, & ad dependentiam ipsam quoad rectum, sine potentia ad decretum,à quo dependet ; pariter voluntas habet potentiam ad actum,& ad dependentiam quoad rectum, quæ est ipse actus, sine potentia ad decretum.

17 Iam ad confirmationem facilis est solutio; est enim negandum antecedens, & ad probationem subiunctam fatemur esse verum, quod si non existat actus in tempore, non fuisset futuræ abæterno : negamus tamen inde inferri hominem potentem ad non esse actus, posse ad non esse futuritionis; & ratio est, quia homo, potens in tempore omittere, habet potentiam limitatam ad omissionem, cuius exercitium in omittendo supponit carentiam decreti, seù futuritionis actus à Deo positam ; quapropter licèt possit omittere, sua omissione facere non potest, quod non extiterit decretũ; implicat enim, quod per exercitium omissionis supponens non esse decreti, faciat, quod non sit decretum : est tamen verum, quod si omitteret, non fuisset decretum propter vtriusque essentialem connexionem; non tamen esset carentia decreti, seù futuritionis, ex vi omissionis ratione iam dicta,quia omissio supponit essentialiter carentiam decreti à Deo positam ; quod autem præsupponitur essentialiter, ex vi posterioris non existit.

18 Ad secundam probationem distinguendum est antecedens, si possit facere potentia subordinata, cuius exercitium supponeret essentialiter non esse Omnipotentię ab alio positæ,& medio quo in destruendo possibilitatem obiectivam subordinaretur auferenti Omnipotentiam,nego antecedens, aliàs transeat antecedens, & neganda est consequentia, vel distinguendum est consequens; si posset facere, quod non existat actus potentia infinita,& omissione independenti,& alteri non subordinata modo dicto, transeat consequens, potentia limitata, & finita, nego consequentiã : & in terminis positivis, idem est argumentum sic formatum : potens facere, quod existat actus, potest facere, quod existat, vel extiterit decretum, aut futuritio propter vtriusque connexionem;ergo.Ad quod negandũ est antecedens ; quia potentia ad actum in homine talis est naturæ, vt in eius exercitio in tempore Deo subordinetur medio decreto prævio ad actum ; atqueadeò per actum non potest facere,quod existat, vel extiterit decretum, aut futuritio actus ; licèt rectè inferatur; quod si existat actus in tempore,abæterno fuerit futurus ; duplex ergo stat potẽ-

tẽs

tentia ad destruendum extremum cum alio connexum ; vel enim hæc potentia talis est naturæ, quod eius exercitium destruendi supponit essentialiter destructum extremum connexionis, vel non : si primum, potens destruere extremum, non ideò potest alterum extremum connexionis destruere; exercitium enim supponens essentialiter destructum extremum connexionis, illud destruere non potest : si autem potentia talis sit naturæ, quod exercitium destruendi in tali potentia non supponat alterum extremum destructum, potentia ad destruendum vnum est potentia ad destruendum alterum; sic Petrus potens interficere Franciscum, & eius filiationem destruere, potest pariter relativam Paternitatem destruere, quia scilicèt potentia ad interficiendum illum non supponit in sui exercitio in Patre paternitatem destructam.

19 Sed dices : Petrus sola potentia limitata, & finita potest interficere Franciscum, eiusque filiationem destruere : & tamen eadem potentia potest extremum connexionis destruere ; ergo qui posset etiam potentia finita, & limitata destruere possibilitatem creaturarum, eadem potentia limitata, & finita posset Omnipotentiam destruere ; maleque nos in solutione ad limitationem potentiæ recurrimus. Respondetur nos doctrinam generalem tradidisse ; quia tamen in nostro casu, quod exercitium omissionis supponat essentialiter carentiam decreti, & futuritionis actus, nascitur ex limitatione, ratione cuius in omittendo Deo subordinatur media carentia decreti, ideò vsi fuimus termino *limitationis, & finitatis*: cæterùm quamvis potentia sit limitata ; si carentia extremi connexionis ad eius exercitium non supponatur, potens vnum extremum destruere, eadem potentia potest, & alterum. Hinc etiam deducitur, qualiter homo potens destruere partem complexi ex prædeterminatione, & actu, nimirùm ipsum actum, non potest destruere complexum, vt à pluribus ex nostris docetur; & ratio est; quia destructio partis, nimirum actus, supponit essentialiter alterum destructum, nimirum physicam prædeterminationem ; & consequenter supponit non esse complexi, quod per non esse vnius partis sufficienter destruitur : licèt etiam dici possit, hominem potentem destruere actum posse destruere complexum, seù posse ad non esse complexi, vt constitutum per non esse actus, licèt non vt constitutum per non esse prædeterminationis ; quia non esse cõplexi sufficienter intelligitur per non esse vnius partis, quæcumque illa sit, habetque duplex sufficiens constitutivum; ac proindè per potentiam ad non esse vnius partis est potens ad non esse complexi, vt constitutum per non esse vnius partis.

20 Sed dices; non esse actus supponit essentialiter non esse prædeterminationis; ergo nunquam per omissionem actus facit homo, quod non existat complexum, quod supponitur non esse prędeterminationis. Respondetur supponere non esse complexi constitutum per non esse prædeterminationis, & proùt sic constitutum non posse ad non esse illius ; quia tamen habet aliud non esse sufficienter ipsum constituens, nimirùm, non esse actus, seù omissio illius, potest ad non esse complexi, vt per non esse actus constitutum.

21 Ex quo etiam constat, quod homo carens prædeterminatione ad actum adimpletivum præcepti habet sufficientiam ad illum, potestque illud adimplere ; habet enim potentiam ad actum eliciendum cum subordinatione ad Deum, quæ & non alia est potestas creata : ad hanc autem potentiam non requiritur prædeterminatio ; seù quod homo habeat illam in sua potestate; aliàs esset potens ad actum eliciendum sine subordinatione ad Deum : & ratio est, quia potentia non indigens vt de facto operetur alio à se; imò omnia alia comprincipia ad operandum determinans, non elicit actum cum subordinatione ad talia principia, sed sibi illa subordinat : sic in sententia Adversariorum voluntas libera, & domina in actu primo non indigens determinatione aliorum principiorum creatorum ad elicientiam actus, non elicit illum cum subordinatione ad talia principia, sed potiùs illa principia sibi subordinat : imò, quia ipsam Omnipotentiam determinat ad concurrendum, non recusant dicere sibi subordinare Omnipotentiam. Sed quis non videat hoc esse primatum voluntati creatæ tribuere, & Omnipotentiam esse servam, qua pro suo libito vtitur voluntas creata? Nè ergo in hoc absurdum incidamus, constanter asserimus hanc indigentiam in voluntate creata sufficientiam illius non auferre, sed solum arguere esse creatam in essendo, & in operando Deo subditam, quæ subiectio cum dominio creato rectè componitur ; vt enim docet Prosper contra collatorem, cap. 12.

Non est periculum liberi arbitrij ex gratia

Dei,

Dei, nec voluntas auferatur, cum in illa benè velle generatur; quod pro determinatione exequitur Deus sibi subordinans voluntatem creatam. Hac ratione, vt diximus, ignis indigens decreto libero Dei ad comburendum, habet potentiam ad combustionem; potentiam, scilicèt, creatam, necessariam determinatam ad proprium actum: cui non obstat decretum esse necessarium libere à Deo ponendum, vt comburat: imò si ignis habeat potentiam ad comburendum sine hac indigentia excederet limites creaturæ, ex cuius conceptu hæc indigentia probatur.

22 Hęc, & alia argumenta similia, quæ contra nos congerunt Authores oppositi, accipiunt instantiam in sententia Catholicorum, iuxta quam fatendum est, non adimplenti præceptum Deum non donare adimpletionem; deficit ergo non adimplenti, quod Deus donet, quod pro suo libito facit, & quod est omninò necessarium ad impletionem præcepti. Omissum fecimus in confirmatione solutionis; quod cum creatura possibilis in se intrinsecè, & subiectivè nihil sit, nisi possibiliter, ab illa aliquid auferre, est destruere, non solum illative, sed formaliter Omnipotentiam; quod in nostro casu non contingit, nam non esse actus in tempore, licèt connexivè, & illativè sit non esse decreti, non tamen formaliter: de quibus latè egimus Tractatu de Scientia Dei; omisimus hæc, & alia, quæ ibi traddimus; quia ad solutionem argumenti, licèt sufficiat, non tamen necessarium est. Hæc breviter attigisse modo sufficiat.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

23 IN Sententia opposita, aliter ac nos constituente futurum, libertas creata actuum nostrorum non salvatur. Hæc conclusio satis importuna videtur Authoribus Scientiæ Mediæ. Sed probatur etiam si futuritio in decreto, vt à nobis ponitur, non consistat status futuritionis, seù determinatio futuri, qua verè affirmatur abæterno actum esse futurum, est prior ipsa existentia actus, quæ non abæterno, sed in tempore est, & illam infallibiliter infert: implicat enim statum futuritionis dari abæterno, & actum verè denominari futurum, quin actus in tempore sit: & tamen homo in tempore non potest facere, quod non extiterit status ille, seù determinatio abęterno; ergo non potest omittere actum; & consequenter liber non est in illo omittendo. Consequentia ab ipsis negari non potest, si concedantur præmissę, quæ à nobis probandæ sunt; & in primis maior probatur, quæ ex terminis videtur nota; nam antequàm actus existat in tempore, est futurus, & hæc denominatio, seù status futuritionis, in quo consistit, est abæterno, & prior existentia: esse enim actum futurum priùs est, quam esse existentem; hodie enim Anti-Christus verè denominatur futurus, & est in statu futuritionis: & tamen non existit nec est in statu existentiæ; imò, vt ipsi fatentur, status futuritionis conditionatæ prior est statu futuritionis absolutè, quia primus sine secundo potest dari; sed potest dari, & datur status futuritionis absolutæ, quãdo non datur existẽtia; ergo prior est. Quod autem status ille inferat infallibiliter existentiam, ab ipsis non negatur, nec negari potest: quod enim in tempore non existit, nunquam fuit futurum.

24 Minor etiam probatur; nam quod præsupponitur essentialiter ad actum, per actum acquiri non potest, nec per omissionem destrui, quapropter ipsi nobis fatentur per actum acquiri non posse physicam præ-

prædeterminationem, nec per omissionem actus destrui : sed status futuritionis præsupponitur essentialiter ad actum existentem in tempore, vt probatum est ; ergo per omissionem actus non potest destrui. Secundo, quod necessariò existit propriori ad aliud, non potest poni ex vi illius ; sed non esse status futuritionis, si semel datur, est abæterno, & propriori ad omissionem actus in tempore existentem; ergo non potest homo per talem omissionem acquirere non esse status futuritionis, atqueadeò nec actum destruere.

25 Harum probationum vis in hoc syllogismo continetur. Quod homo in tempore non potest facere aliquo ex eius liberis exercitijs, nullomodo potest facere; at homo in tempore non potest per actū facere, quod non fuerit futurus actus, seù destruere statum futuritionis, vt constat, nec per omissionem actus; hæc enim supponit essentialiter non fuisse statum futuritionis actus, vt iam probavimus, nec aliud exercitium liberum in tempore potest habere ; ergo nullomodo potest facere, quod non extiterit status futuritionis actus.

26 Dices, hoc argumentum esse à nobis solvendum, imò solutum ; ergo ineptè contra Adversarios illo vtimur. Sed contra est primo; quia nobis sufficit argumentum vim habere ad hominem contra ipsos. Secundo; quia ipsi non possunt solutione à nobis tradita vti, qui decretum Thomisticum, cum quo nos futuritionem constituimus, negant, medio quo derivari substantiam actus, & eius libertatem à Deo, à quo cuncta procedunt, satis ostendimus.

27 Dices secundo, etiam plures ex Adversarijs concedere decretum efficax prædefinitivum actus; ergo vti poterunt solutione à nobis data. Contra tamen est, quia licèt concedant decretum prædefinitivum efficax, non tamen necessarium ad existentiam actus : at status futuritionis, de quo argumentum procedit, necessariò existit abæterno, si semel actus in tempore existit; sicut status possibilitatis necessariò præcedit existentiam temporalem actus ; atqueadeò non in decreto consistit : quapropter vti non possunt solutione nostra. Secundo; quia decretum prædefinitivum actus ab ipsis concessum non influit in actum, iuxta ipsos, sed supponit actum esse futurum sub conditione auxiliorum sufficientium ex vi voluntatis creatæ determinantis auxilia: quapropter actus ab illo non accipit esse, nec libertatem; quod ipsi non recusant concedere; quapropter vt salvent libertatem ad hoc, quod possit homo in tempore facere, quod non extiterit decretum, quod à nobis alibi reiectum est, & infra iterùm attingemus : & adhùc hoc ipsis concesso, vel omisso, restat illis argumentum solvendum de futuritione non constituta per decretum efficax, sed de statu futuritionis, qui necessariò præcedit existentiam actus.

28 Dices tertiò, aliquos Recentiores asserere esse necessarium decretum prædefinitivum ad existentiam actus; regulatum tamen per Scientiam Mediam, qui saltim possunt vti solutione nostra. Sed licèt isti magis ad veritatem accedant concedentes, vt par est, nihil existere, nisi Deo volente: hoc tamen suum decretum implicant falsis principijs Scientiæ Mediæ, & notam inconsequentiæ incurrunt ; vt alibi probabimus: & insuper ad libertatem salvandam, etiam recurrunt ad hoc, quod homo in tempore potest facere nè extiterit decretum, & homo illo carens potest in tempore per actum proprium facere, quod extiterit ; quod ipsi adhùc difficilius salvant, cum decretum necessariò præcedat actum : & tandem, cum Deus iuxta ipsos cognoverit actum sub conditione principiorum indifferentium futurum; his absolutè positis, absolutè erit futurus, & in statu futuritionis; quæ cùm possint existere sine decreto efficaci actus, potest actus habere statum futuritionis non constitutum per decretum efficax : de quo statu solvendum est argumentum factum. Omittimus etiam alios Recentiores, qui statuunt decretum necessarium ad existentiam actus boni ; illud tamen appellant concomitans, quod pro libertate creaturæ potest esse, & non esse, quos etiam reiecimus Tractatu de Providentia pluribus titulis, qui ibi videri possunt. Pro nunc tamen ipsis argumentis restat solvendum de futuritione actus mali, qui in tempore existere volunt sine decreto efficaci, terminato ad entitatem actus, quod etiam accidit Recentioribus, quos proximè reiecimus.

29 His ergo omissis, communiter Recentiores argumento occurrunt distinguentes duplicem futuritionem, alteram, quam vocant entitativam, & alteram intentionalem : entitativa consistit in ipsa entitate rei futuræ, quæ in tempore existit, & in carentia illius, quæ est abæterno : altera, quam vocant intentionalem, & consistit in ipsa scientia Dei, qua verè Deus cognoscit

rem

rem in tempore exiturum, & vtramque futuritionem habet in ſua poteſtate homo in tempore exiſtens; quapropter negant non poſſe hominem facere in tempore, quod actus eius non fuerit abæterno futurus; & loquendo de futuritione entitativa, id conſtare videtur, quia homo in tempore poteſt facere, quod exiſtat actus, vel eum omittere, & cum in illo eius entitativa futuritio conſiſtat, & in eius omiſsione conſiſtat carentia futuritionis eiuſdem, conſtat hominem habere in ſui poteſtate eſſe, & non eſſe huius futuritionis: ſi autem loquamur de futuritione intentionali, etiam conſtat; quia cum homo in tempore eliciens actum poſsit illum non elicere, potens eſt ad faciendum, quod Deus abæterno non viderit actum exiſtentem, ſicut ego potens non ambulare, poſſum facere, nè Paulus videat meam ambulationem.

30 Sed hæc ſolutio reijcienda eſt; & in primis hæc futuritionis diſtinctio inventa eſt ad effugiendam vim argumenti. Pro quo notandum eſt, quod aliud eſt res, quæ eſt, & dicitur futura, & aliud ſtatus futuritionis: res eſt, quæ dicitur futura, & in tempore exiſtit: ſtatus autem futuritionis, quàm habet res abæterno, ſicut denominatio futuri, non eſt ipſa res; cum res non ſit abæterno, & abæterno ſit ſtatus futuritionis, & ſit futura: ſicut aliud eſt ſtatus poſsibilitatis, & aliud ipſa entitas, quæ denominatur poſsibilis; & aliud eſt in ſententia Thomiſtarum diſtinguentium exiſtentiam ab entitate, eſſe ſtatus exiſtentiæ, & res, quæ exiſtit.

31 Eſt tamen quædam notanda differentia; ſcilicèt, quod cum denominatio poſsibilis ſit eſſentialis, res denominatur poſsibilis extrinſecè ab Omnipotentia, & intrinſecè à prædicatis eſſentialibus: denominatio autem futuri, cum ſit contingens; & conveniens rei nihil intrinſecum habenti, non poteſt non eſſe extrinſeca, & purè extrinſeca; qua etiam ratione denominatio purè poſsibilis, quia contingens eſt, addit aliquid contingens, quod defacto datur, nimirùm carentiam exiſtentiæ rei, quæ poſsibilis eſt.

32 Ex quibus ſatis conſtat futuritionem, quam vocant entitativam impropriè, & abuſivè dici futuritionem; ſicut non niſi impropriſsimè corpus diceretur albedo, à qua album denominatur; aut homo cognitus non niſi impropriè diceretur cognitio: & in horum doctrina ſicut res exiſtens in tempore denominatur à viſione Divina, vel à Deo; denominatur etiam futura intentionaliter ab eadem cognitione: vndè ſicut non niſi impropriſsime res viſa à Deo diceretur viſio; non niſi impropriè poteſt dici futuritio, futuritio entitativa. Noſtrum ergo argumentum de hac futuritione non procedit, ſed de futuritione, quæ abæterno datur: quapropter hac relicta futuritione, impugnanda eſt ſolutio de futuritione, quam intentionalem vocant, quæ in viſione Dei conſiſtit: & in primis in ſententia Div. Thomæ aſſerente ſcientiam viſionis eſſe cauſam rerum, licèt viſio Dei ſit futuritio rerum ſaltim inadæquata; eſt enim imperium liberum, & efficax ſupponens decretum intentivum, & regulans executivum; non tamen eſt in poteſtate hominis in tempore exiſtentis facere, quod extiterit, vel non extiterit abæterno huiuſmodi viſio: ſicut neque in eius eſt poteſtate facere, quod extiterit, vel non extiterit decretum, quod iuxta principia Divi Thomæ adducta Adverſarij non negant.

33 In ſententia autem ipſorum conſtituente ſcientiam viſionis in Deo ſpeculativam, impugnanda eſt ſolutio breviter principijs poteſteà ampliùs ſtabiliendis: & primo; quia ſcientia viſionis, quamvis ſpeculativa adſtruatur, & ſit, & dicatur aliqualiter futuritio; ſupponit tamen aliqualem futuritionem abæterno, qua intellectus divinus determinatur ad videndum actum futurum in tempore: ſed hæc alia eſſe non poteſt, nec in alio conſiſtere, quam in decreto efficaci Thomiſtico neceſſariò ad exiſtentiam actus; ergo de hac futuritione argumentum non ſolvitur. Conſequentia à contrarijs non negabitur, qui nobiſcum fatentur hominem in tempore non poſſe facere, quod non extiterit decretum Thomiſticum abæterno: præmiſſæ verò ſunt probandæ, & major probatur; quia intellectus divinus ex prædicatis eſſentialibus eſt indifferens ad videndum, & non videndum actum, neque ſeipſum determinare poteſt, vtpotè intellec-

tus divinus est potentia necessaria, & non libera; ergo indiget alio, quo determinetur; quod quidem connexum debet esse cum visione, ad quam determinatur; & consequenter cum actu libero creato, qui videtur; ac proinde vi illi⁹ determinationis cõstituitur futurus; supponit ergo scientia visionis aliam futuritionem abæterno, qua intellectus divinus determinatur ad videndum actum futurum.

34 Minor etiam probatur; nam hæc determinatio debet esse abæterno; cũ enim abæterno sit visio, quæ existit ex hac determinatione, non potest non esse abæterno determinatio, & abæterno nulla alia excogitari potest, nisi decretum divinum efficax Thomisticum necessarium ad existentiam actus; ergo hæc determinatio, & futuritio, alia esse non potest, nisi decretum Thomisticum. Minor huius syllogismi probatur; nam abæterno nihil datur, nisi prædicata essentialia, quæ vtpotè indifferentia ad visionem, & carentiam visionis, non possunt ad visionem determinare; nec aliud prædicatum divinum, quod possit non esse quoad denominationem, seú determinationem, quo solum modo prædicata divina deficere possunt; nam tale prædicatum indiget, vt sit, alteri⁹ determinatione, sicut visio; restat ergo vt determinatio sit decretum divinum, quod est determinatio primi liberi aliam non supponens. Quod autem debeat esse decretum efficax, & necessarium ad existentiam actus liberi probatur: & in primis quod debeat esse efficax, constat; quia decretum non efficax potest componi cum carentia visionis; & consequenter ad illam non potest determinare. Quod autem sit necessarium ad existentiam actus liberi, etiam constat, quia actus liber creatus sine visione Dei non potest dari, nec visio sine hoc decreto; ergo est decretum efficax, & necessarium ad existentiam actus liberi.

35 Dices: determinari intellectum divinum ad visionem ex decreto conferendi auxilia, & decreto, quo præparat concursum indifferentem voluntati creatæ, vel saltim determinatione ex decreto efficaci prædefinitivo, quod Adversarij concedunt. Sed hoc ex dictis facilè reijcitur; & contra primum stat, quod decretum conferendi auxilia, & decretum præparans concursum indifferentem, sunt indifferentia, & quæ possunt componi cum visione, & eius carentia; ergo relinquunt Deum æquè indifferentem ad videndum, & non videndum; atque adeò ipsum non possunt determinare ad visionem. Contra secundum facit; quod decretum illud cum non sit necessarium ad existentiam actus liberi, non est necessarium ad existentiam visionis; ergo tã actus liber creatus, quã visio existere possunt sine tali decreto: cumque visio existere non posit sine decreto efficaci, vt vidimus, necessario adstruendum est decretum Thomisticum necessarium ad existentiam actus, & visionis. Præterquàm quod, vt supra vidimus, decretum hoc supponit actum futurum.

36 Secundo reijcitur solutio; quia scientia visionis non supponens decretum liberum Dei cum ipsa connexum, & ex cuius determinatione existat, est scientia necessaria: sed scientia necessaria actus futuri non potest subdi potestati hominis in tempore, quo ad esse, & non esse; ergo esto futuritio in hac scientia visionis speculativa consistat, non potest homo in tempore facere, quod non existat. Consequentia est bona. Minor constat, quia homo non potest facere, quod non existant prædicata necessaria Dei; & insuper, si semel necessaria est, quidquid ex illa infallibiliter, infertur, necessarium est: vndè cum ex illa inferatur actus in tempore, non potest non esse necessarius.

37 Maior autem probatur; nam visio hæc non existit ex dispositione divina; quippè omnis dispositio voluntatis divinę erga actum liberum componitur cum carentia visionis, sicut cum carentia actus; non ex dispositione creata, quia hæc visio existit abæterno nulla existente dispositione creata; ergo existit necessariò, sicut Deus; quod enim existit, vel existit necessariò, vt Deus, vel ex alicuius dispositione, & providentia: nec existentiam creaturæ casui, fato, aut fortunæ tribuere fas est; quanto magis contra rationem erit, existentiam scientiæ divinæ fato tribuere, seú contingentiæ, quæ dispositioni divinę non tribuatur.

38 Sed dices; scientia visionis in principijs Adversariorum est libera Deo; ergo sine fundamento nos asserimus in eorum principijs dicendam esse necessariam. Antecedens probatur; quod sic existit, vt in potestate Dei sit facere, quod non existat, liberum est

est Deo: sed scientia visionis in sententia Adversariorum sic existit, vt sit in potestate Dei facere, quod non existat; ergo libera est Deo. Maior est nota, consequentia legitima, & minor in illorum principijs non minus nota videtur; nam Deus potest facere, quod non existat actus creatus in tempore non conferendo auxilia sufficientia ad illum; ergo potest facere, quod non existat scientia visionis illius.

39 Sed contra est primo; nam in eorum principijs, neque collatio auxiliorum sufficientium, nec ipsa scientia libera est; ergo doctrina adducta, quamvis ab ipsis traddatur, subsistere non potest in eorum principijs. Assumptum probatur; ante collationem auxiliorum sufficientium, & ipsam scientiam visionis intelligitur aliquid, quod ex eius libera determinatione non existit inferens infallibiliter, tàm auxilia sufficientia, quàm scientiam visionis; ergo nec auxilia, nec scientia visionis libera sunt Deo. Consequentia probatur, id, quod existit in Deo ante eius liberam determinationem, est necessarium ex terminis, vt modo vidimus, vel saltim ipsi Deo liberum non est, vt videtur notum: sed quidquid infertur ex aliquo ex terminis necessariò, est ex terminis necessarium, & quod infertur infallibiliter ex aliquo Deo non libero, ipsi liberum non est; ergo si auxilia sufficientia, & scientia visionis actus creati inferuntur ex aliquo necessariò ex terminis, vel saltim Deo non libero, ipsi libera non sunt. Antecedens verò probatur; Scientia Media, qua Deus cognoscens voluntatem consensuram his auxilijs sufficientibus, præcedit collationem auxiliorum, & scientiam visionis, & existit in Deo ante decretum liberum eius voluntatis: similiter Scientia Media, qua Deus cognoscit, quod si per Scientiam Mediam viderit voluntatem consensuram his auxilijs sufficientibus, illa conferret, præcedit etiam collationem auxiliorum, existitque in Deo ante eius liberam determinationem; & consequenter ante liberam eius determinationem existit in Deo complexum ex vtraque scientia: sed complexum ex vtraque scientia infert infallibiliter auxilia sufficientia, & scientiam visionis, vt est per se notum; ergo ante collationem auxiliorum sufficientium, & scientiam visionis intelligitur in Deo aliquid, quod ex eius determinatione non existit, & infallibiliter infert collationem auxiliorum, & scientiam visionis.

40 Huic non satis fit, si asseratur hanc secundam scientiam reflexam Deo esse liberam: cum enim existat pro signo antecedenti collationem auxiliorum, positque regulare collationem illorum, non potest non esse Deo libera; vt enim argumento Recentiorum vtamur; quod pro aliquo signo existit necessariò, & non libere, non potest per alio signo libere existere; sed pro signo antecedenti collationem auxiliorum, talis scientia intelligitur existere necessariò, cum pro illo signo nulla intelligatur libertas Dei; ergo pro omni signo existit necessariò. Sed de implicationibus, quas involuit hæc Scientia Media reflexa, quam Adversarij concedere tenentur, infrà reddibit sermo.

41 Secundò prædicta responsio reijcitur; nam, vt ex dicendis constabit, iuxta Adversariorum principia scientia visionis existit in Deo pro signo præscindenti à decreto conferendi auxilia, & est potens regulare illud; ergo omninò necessariò existit in Deo. Consequentia probatur ex modo dictis, quia quidquid existit in Deo pro signo antecedenti, seù præscindenti à determinatione suæ voluntatis, necessariò existit: si enim posset non esse, esset ex vi alicuius dispositionis, non Dei, qui pro illo signo adhùc nihil intelligitur disponere; & consequenter alterius à Deo, quod non nisi absurdissimè dicitur; aliàs extra Deum aliquid esset abæterno disponens eius scientiam, & prædicata contingentia. Antecedens autem quoad primam partem probatur; nam aliqua ex his contradictorijs necessariò est vera iuxta Adversariorum principia, actus est extiturus, non est extiturus actus: at decretum conferendi auxilia indifferens est ad veritatem huius propositionis, actus est extiturus, & eiusdem falsitatem; & similiter respectu alterius; ergo præcisivè ab illo est verum, quod extiturus est actus; & consequenter pro signo præscindenti cognoscit Deus scientia visionis extiturum esse actum.

42 Secunda pars antecedentis, nimirum, quod scientia visionis ponit regulare decretum collativum auxiliorum, ex prima probatur; si enim existit pro signo præscindenti à decreto, non est ratio, quare illud non ponit regulare; nam Scientia Media existit concomitanter, vt ipsi asserunt, imò pro posteriori ad actum in tempore existentem, cum per illum acquiratur: & tamen potest regulare de-

cretum collativum auxiliorum præcedentium actum; ergo si existit pro signo præscindenti à decreto scientia visionis, quamvis concedatur existere ex determinatione actus in tempore existentis, potest regulare decretum collativum auxilij ad illum.

Ex quo vtraque pars probatur; esto scientia visionis acquireretur per actum in tempore existentem, præcedit tamen abæterno ipsum actum; ergo potest intelligi in Deo pro signo præscindenti â decreto conferendi auxilium, & apto ad illud regulandum. Consequentia probatur à paritate adducta ex Scientia Media.

43 Tertiò reijcitur prædicta responsio; quia licèt ex principijs ab ipsis traditis inferatur scientiam visionis esse aliquomodo liberam Deo: ex principijs à nobis adductis, partim ab ipsis concessis, & partim necessariò concedendis, quia sunt lumine naturali nota, infertur esse omninò necessariam; quod non minuit efficaciam argumenti nostri, sed arguit, Adversariorum principia, ex quibus contradictoria inferuntur esse implicatoria.

44 Tandem; licèt liberum sit Deo, quod non existat scientia visionis, & quod non existat actus creaturæ, ratione in responsione adducta, non tamen potest facere, quod existat; quidquid enim Deus ex vi suæ Omnipotentiæ ponere potest, co[illegible]nitur cum carentia visionis actus liberi, & cum carentia actus; nimirum collatio auxilij sufficientis, & decretum præparans concursum indifferentem; non ergo potest facere, quod existat: sicut in exemplo adducto; licèt possim ego non de ambulando facere, quod Petrus non videat meam deambulationem, non tamen possum facere deambulando, quod illam videat, quippè pro suo libito potest oculos claudere. Quis autem non videat arguere imbecillitatem in Deo, non habere plus potestatis, vt existat actus creatus, quam ego habeam, vt Petrus videat meam deambulationem, à quo non possum extorquere, quantumvis deambulem, oculorum apertionem ad illam videndam.

45 Maneat ergo fixum, Deum æqualem habere potestatem ad faciendum, quod existat actus, & visio illius, atque vt non existat: cuius oppositum Adversarij, vt aliquam apparentem responsionem adhibeant, affirmare tenentur: de quo iterûm redibit sermo. Ex quo etiam constat exemplum ab ipsis adductum de potestate ad faciendum, quod Petrus non videat meam deambulationem non esse ad rem.

46 Si autem recurrant, vt solent, ad Scientiam Mediam, non vt solvant, sed vt implicent difficultatem, qua posita Deus his auxilijs, quibus vidit Petrum consensurum, potens est illa tribuendo facere, quod consentiat, & illa negando, quod non consentiat. Contra sunt plura commodiùs inferiùs adducenda. Modò sufficiat inferre, quod Deus ex vi suæ Omnipotentiæ non potest, sed indiget Scientia Media, qua potuit carere, & quam habet acasu, & dispositione creaturæ, & huic tantam vim tribuant Adversarij, vt etiam non existens possit tribuere Deo, vel non tribuere Scientiam Mediam necessariam, vt Deus possit producere suam creaturam: quo nihil absurdius.

DVBIVM III.

Vtrùm Deus cognoscat futura conditionata & contingentia?

§. I.

Aliqua supponuntur, & referuntur sententiæ.

1 FUTURUM Conditionatum est multiplex iuxta diversitatem conditionis: primum est, cuius conditio infallibiliter cũ conditionato cõnectitur; v.g. si Deus prædeterminaret Petrum ad amorem, amaret; in quo conditio, nimirùm prædeterminatio, infallibiliter cõnectitur cum amore. Secũdũ est, cuius conditio non infert infallibiliter effectum, seù eventum conditionatum, est tamen cõducens ad eius positionem; v. g. si in tali occasione Petrus haberet auxilium sufficiens ad amandum, amaret; in quo auxiliũ sufficiens ad amandũ, quod pro conditione po-

ponitur, non infert infallibiliter amorem; est tamen conducens ad amandum. Tertium est, cuius conditio est disparata, v.g. si Petrus dormiret, Turca converteretur: in quo dormitio, seù somnus Petri non infert conversionem Turcæ, nec conducit ad illam, ad quam disparate se habet. Quartum denique est, cuius conditio est impossibilis, v. g. si lapis esset homo, diligeret Paulum.

2 Supponendum est primo, primum conditionatum cognosci à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, & independenter á decreto libero suæ voluntatis defacto existente: quod sic probatur; nam Deus per scientiam necessariam cognoscit omnes veritates necessarias: at hæc veritas si Deus prædeterminaret Petrum ad amorem, amaret, est veritas necessaria; ergo Deus illam cognoscit per scientiam necessariam. Minor constat, veritas enim illius propositionis supra bonitatem consequentiæ fundatur, illa autem conditionalis est bona consequentia omninò infallibilis; ergo eius veritas est necessaria. Huius oppositum nullus Thomistarum vnquam docuit, vt falsò illis imponit Arriaga, disput. 1. de Scientia Media, sect. 3. num. 13. ex hoc autem, quod Deus hæc conditionata cognoscat independenter à decreto, facere consequentiam, & instantiam ad alia, vt sæpè faciunt Recentiores Valentini, ineptissimum est; cum veritates necessariæ solùm supponant Omnipotentiam divinam, quæ est illarum determinatio: contingentes autem, licèt Omnipotentiam supponant: hæc tamen non est illarum determinatio, sed providentia, & dispositio Dei, à qua habere debent determinationẽ, quã ex se non habẽt.

3 Secundò supponendum est, conditionalem, cuius conditio, seù antecedens, quantumvis conducens ad effectus, seù consequentis positionem, non connectitur cum illo, aut eius positione, nec illud infallibiliter infert, si sumatur in vi illationis, non esse veram, sed falsam; cuius falsitas cognoscitur à Deo per scientiam necessariam: quod sic probatur; nam veritas conditionalis in sensu illativo supra bonitatem consequentiæ fundatur: sed prædicta conditionalis nõ est bona consequentia, sed mala; cum antecedens non connectatur cum consequenti, nec hoc ex illo inferatur; ergo non est vera, sed falsa: & aliàs cum consequentia, quæ semel est mala, semper sit mala, falsitas talis propositionis conditionalis est necessaria; atqueadeò per scientiam necessariam à Deo cognoscitur; idemque à fortiori dicendum est de conditionali, cuius conditio, seù antecedens impertinens est ad positionem cõsequentis; nimirùm in sensu illativo esse falsam, & impossibilem; sensus enim illius est, quod consequens inferatur ex antecedenti, quod impossibile est inferri ex antecedenti disparato. Potest tamen propositio conditionalis sumi non in sensu illativo, in quo, vt diximus, denotat consequens inferri ex antecedenti, sed quatenus, solum enuntiat eventum, seù conditionatum extiturum posita conditione, & dependenter ab illa; in quo sensu dubium nostrum procedit.

4 Tertiò est supponendum, Deum cognoscere cognitione omninò infallibili subiective, qualis debet esse omnis divina cognitio, quod si ponatur conditio, certo moraliter cum conditionato connexa, tale conditionatum esse certo moraliter extiturum, posita conditione: quod sic probatur. Nam eventus conditionatus est certo moraliter extiturus ex vi conditionis certo moraliter cum illo connexæ; ergo certo cognoscit Deus, quod si talis ponatur conditio, conditionatum, seù eventus est certo moraliter extiturus. Antecedens probatur; nam licèt posita conditione, possit eventus non esse phisicè, aut metaphisicè; non tamen potest non esse moraliter; ergo ex vi conditionis constituitur certo moraliter extiturus. Consequentia autem est nota; etenim, quia posita conditione infallibiliter cũ conditionato, seù eventu connexa, eventus est infallibiliter extiturus, Deus cognoscit cognitione omninò infallibili, quod si ponatur conditio, eventus est infallibiliter futurus; ergo si ex vi conditionis certo moraliter cum conditionato connexæ, est illud certo moraliter extiturum, Deus cognitione omninò infallibili cognoscit eventum esse certo moraliter extiturum, si talis purificetur conditio, in quo ferè omnes Recentiores nobiscum consentiunt. Idemque proportionaliter dicendum existimo de conditionatis, quorum conditio probabiliter, seù coniecturaliter cum conditionato connectitur, nimirùm Deum cognoscere certo, quod si talis conditio ponatur, conditionatum est probabiliter extiturum; constatque eadem ratione; vt ex Div. Thoma colligitur locis relatis, & infra referendis.

5 Difficultas ergo est; an Deus futura conditionata contingentia, quorum conditio nõ connectitur infallibiliter cum conditionato cognoscat cognitione omninò infallibili, tã

ſubiectivè? Hoc eſt, an Deus cognoſcat, non ſolum conditionatum eſſe moraliter, aut probabiliter extiturum, ſi talis conditio ponatur, ſed etiam cognoſcat eſſe certo, & infallibiliter extiturum abſolutè. Prima ſententia negat huiuſmodi futura certo, & infallibiliter à Deo cognoſci, ſed ſolum moraliter certo, aut coniecturaliter; non quidem cognitione coniecturali, aut certa ſolum moraliter ſubiective; hæc enim manifeſtè Deo repugnat, ſed obiective, vt nuper explicuimus: pro qua referuntur á defenſoribus Scientiæ Mediæ aliqui Thomiſtæ, qui initio huius controverſiæ ſcripſerunt, à qua noviores Thomiſtas receſsiſſe argumentorum vi oppreſſos gloriantur, ſed inaniter; vt videre eſt in Magiſtro Sancto Thoma, diſp. 2. art. 1. & 2. & Mag. Vives, diſp. 19. diſtinctione 2. §. 20. & quidem aliqui hoc negarunt, quia conſiderabant hæc conditionata ſolum in vi illationis; quo ſenſu, à Deo non cognoſci vt vera, iam præmiſimus: Alij, etſi conceſſerint aliqua à Deo cognoſci, negabant omnia cognoſci, quia non agnoſcebant, aut concedebant circa omnia conditionata, & combinationes poſſibiles, decreta ſubiective abſoluta, & obiective conditionata.

6 Alij verò ſolum negabant Deum illa certo, & infallibiliter cognoſcere, ſeclu-ſo decreto, ſeù præciſsive ab illo; qualiter à Deo cognoſci affirmant Adverſarij, in quo ſenſu plures ex illis affirmant, vt infra videbimus, Deum non cognoſcere futura contingentia conditionata diſparata, nimirùm ſecluſo decreto, vel præciſsive ab illo; & hanc eſſe mentem horum Thomiſtarum colligitur, ex eo, quod præcipuus Adverſariorum Author P. Vazquez, vt Thomiſtas impugnet, totus eſt in probando huiuſmodi decreta conditionata eſſe impoſsibilia; in quo, licèt ferè ab omnibus, etiam domeſticis deſſeratur, manifeſtat Thomiſtas, quos impugnat, ſolum negaſſe Deum cognoſcere huiuſmodi futura ſecluſo decreto, aut præciſsive ab illo, & ſolum affirmaſſe eſſe neceſſarium decretum ad illa cognoſcenda: quod agnovit Alarcòn, qui vt refert Mag. Sancto Thoma in præſenti diſp. 20. art. 1. ſolum Vazquez, qui hæc decreta impugnavit, triumphum contra Thomiſtas concedit.

7 Cæterùm licèt fuerit aliqua differentia in modo negandi, vel admittendi horum futurorum ſcientiam, omnes tamen Thomiſtæ, teſte Suarez Prologomenon 2. de Scientia conditionata, quẽ refert Mag. Vives vbi ſupra, in hoc puncto maximè conveniunt, nimirùm, non poſſe Deum ſcire determinatè inquam partem determinanda ſit libera voluntas creata, conſtituta in actu primo ad operandum cum omnibus requiſitis ex parte actus primi ad operationem, niſi ſecundum rationem præcedat in voluntate Dei decretum determinandi illam, vel abſolutè, vel ex hypotheſi iuxta ſcientiæ qualitatem; in quo punctum huius controverſiæ ſemper fuit.

8 Veriùs poſſet per ſententia relata adduci Vazquez, qui 1. part. diſp. 67. cap. 3. & 4. negat propoſitionem conditionalem poſſe eſſe veram, niſi ſit bona conſequentia; cumque conditionales, de quibus in præſenti, bonas conſequentias non eſſe conſtans ſit, videtur iuxta ipſum dicendum Deum illas, vt veras non cognoſcere. Verba ipſius vbi ſupra num. 17. hæc ſunt: veritas conditionalis propoſitionis in bonitate illationis conſiſtit; eſt enim ſimul conſequentia, & propoſitio, & veritas illius, quatenus eſt propoſitio eſt bonitas eiuſdem, quatenus eſt conſequentia; vtraque verò conſiſtit in connexione antecedentis cum conſequenti; nec aliam agnovit veritatem in propoſitione rationali. Poterat etiam non immeritò referri Franciſcus Alphonſus, Arrubal, & Borrul, qui, vt refert Avendaño, diſp. 4. cap. 1. artic. 3. cognitionem contingentium conditionatorum in Deo inde probant, quia Deus cognoſcit veritatem huius conditionalis, *ſi Deus efficacitèr decreverit actum liberum creaturæ, exiſtet talis actus*: in quo videntur ſentire, ſolum Deum cognoſcere veritates neceſſarias conditionalium, & in quibus conditio infert infallibiliter conſequens.

9 Poſſet etiam pro hac ſententia citari P. Molina, qui, vt diximus, & refert Illuſt. Godoy de Scientia conditionata contingentium, ſe primum Scientiæ Mediæ Authorem gloriatur in Concordia, quæſt. 23. art. 4. & 6. diſp. 3. Hic ergo Author, vt Defenſores Scientiæ Mediæ fatentur, docuit Deum non cognoſcere decreta ſuæ voluntatis, vt conditionatè futura: ex quo evidenter infertur, non cognoſcere futura cõditionata, in quibus eventus conditionatè enuntiatus eſt decretum ſuæ voluntatis; vndè etiam evidenter, ni fallor, infertur non cognoſcere futura conditionata, in quibus ad poſitionem eventus, vltrà conditionem in conditionali explicatam, neceſſariò præ-

re-

requiritur aliud decretum divinum; non enim potest cognosci eventum esse extiturum sub conditione, sub qua non prævidentur futura omnia prærequisita ad eventum. Vndè iuxta hunc Authorem Deus non potest hanc conditionalem cognoscere, si dedero Petro auxilium *A* sufficiens ad consensum, consentiet; & ratio est manifesta, nam vt hoc cognoscat, necessarium est iuxta horum principia, quod cognoscat, quod si dederit auxilium *A*; habebit decretum oblativum concursus indifferentis, quod quidem necessariò prærequiritur ad consensum; ergò necessarium est, quod cognoscat Deus suum decretum sub illa conditione extiturum: hoc autem est impossibile apud ipsos; & consequenter impossibile est, quod Deus cognoscat consensum futurum sub conditione auxilij A. Ex quo infertur innumera conditionata non cognosci à Deo; sed solum illa, in quibus ex parte antecedētis, seú conditionis exprimuntur omnia prærequisita ad eventum.

10 Sed quidquid sit de hoc, secunda sententia affirmat Deum cognoscere omnia conditionata contingentia erga omnes combinationes possibiles. Hæc est communis sententia, quam communiter defendunt Theologi: illam docent Salmanticenses, Tract. 3. disp. 9. Albelda, disp. 44. Machin, disp. 33. sect. 2. Vives distinct. 19. Illust. Godoy, tract. 4. disp. 34. & sequentibus, quos sequitur Gonet, & alij Thomistæ frequenter. Eandem tenet Fonseca 6. metaphisicæ, cap. 2. quæst. 4. sect. 10. §. *Non desunt*, Granados, tract. 5. disp. 3. Suarez lib. 2. de Scientia conditionatorum, cap. 6. num. 4. Herice, tract. 1. disp. 7. cap. 10. Ribas 1. parte, disp. 6. de Scientia Dei, cap. 6. quos refert, & sequitur, Ruiz, disp. 78. sect. 2. & alij. Tertia sententia distinguit inter futura conditionata de conditione conducente, & de conditione disparata. De primis affirmat à Deo certo cognosci, de secundis autem negat, pro qua referuntur à P. Ribas, vbi suprà, Vazquez, Arrubal, Torres, Læsius, Alarcòn, & alij. Ex nostris illam tenet Alvarez, lib. 1. de Auxilijs, disp. 7. Cornejo, disp. 3. dub. 1. & alij. Quarta sententia est Mag. à Sancto Thoma, quē alij sequuntur, qui docet Deum certò cognoscere futura conditionata, quæ in Scripturis revelantur, vel cum hoc vniverso habent aliquam connexionem; de alijs autem rem esse dubiam, & quod compertum non sit, quod Deus habeat decreta conditionata erga omnes combinationes possibiles. Quid sentiant Authores isti de futuris de conditione impossibili, infrà constabit.

§. II.

Statuitur conclusio, & aliquæ rationes pro illa expenduntur.

11 SIT Nostra conclusio: omnia futura conditionata de conditione non disparata, & de conditione non impossibili, sed de conditione conducente ad eventus positionem, cognoscuntur à Deo vt vera determinatè, vel vt determinatè falsa, cognitione omninò infallibili, tàm subiectivè, quàm obiectivè. Hæc conclusio nobis, & Adversarijs communis est; ab ipsis probatur testimonijs Scripturæ, PP. authoritate, & rationibus. Sed Arriaga, disp. 21. sect. 7. ingenuè fatetur, quod si suorum argumenta aliquid probant, convincunt etiam Deum cognoscere conditionata de conditione impossibili, quod ab ipsis frequenter negatur, & illud concedere, ita absurdum putavit præfatus Author, vt licèt nullam videat inter vtraque futura disparitatem, ipsi verum apparere non possit, Deum horum conditionatorum de conditione impossibili sciētiam habere, esseque omninò incredibile affirmat. Ex quo sine difficultate iste deducitur discursus; argumenta ab Adversarijs facta ad probandam nostram sententiam, si quid probant, convincunt etiam Deum certo cognoscere conditionata impossibilia, seù de conditione impossibili: sed hoc non convincunt, cum omninò falsum sit, & prorsus incredibile Deum illa cognoscere; ergo nihil probant. Consequentia est legitima, maior, & minor conceditur ab Arriaga; quem ideò adduximus, vt vel hinc appareat, quam sine fundamento asserant Defensores Scientiæ Mediæ Thomistas argumentorum vi oppressos hanc sententiam amplecti, quorum ineffi cacitatem ipsi fatentur.

12 Sic ergo probant connexionem

Fran-

Franciſcus Alphonſus, & alij ſuprà relati; Deus cognoſcit veritatem iſtam, ſi decrevero efficacitèr conſenſum Petri, erit talis conſenſus: ſed hæc eſt veritas futuri contingentis conditionati; ergo cognoſcit futura conditionata. Minor probatur, quia conſenſus liber eſt aliquid contingens ſub conditione enuntiatus. Sed hæc ratio futilis eſt, & conceſſa maiori, diſtinguo minorem, eſt veritas futuri contingentis conditionati illati infallibiliter ex conditione, ſub qua enuntiatur, concedo minorem, non illati infallibiliter ex tali conditione, nego minorem, & diſtinguo conſequens eodem modo; ſolum enim convincitur Deum cognoſcere futura contingentia conditionata, quæ enuntiantur ſub conditione infallibiliter inferente talia futura; quod nulli dubiũ eſſe poteſt: propoſitio enim ſic enuntians conditionatum contingens, ſcilicèt, ſub cõditione infallibiliter inferente ipſum eſt propoſitio neceſſaria, cuius veritas cognoſcitur à Deo per ſcientiam neceſſariam.

13 Quo etiam argumento vtuntur præfati Moderni ad probandam Scientiam Mediam; quia ſcilicèt Deus cognoſcit prædicta futura independenter à decreto de facto exiſtenti; & conſequenter non per ſcientiam liberam; inſuper nec per neceſſariam, quia eſt ſcientia futuri contingentis. Sed debili nititur fundamento Scientia Media; veritas enim illa eſt neceſſaria cognita per ſcientiam neceſſariam. Quod ſi, vt voluit Vazquez, propoſitio conditionalis accipiatur in ſenſu illativo, & ſolum in illo accipi poteſt, nulla datur Scientia Media; in ſenſu enim illativo conditionalis, vel eſt neceſſaria, vel impoſsibilis: quapropter per ſcientiam neceſſariam eius veritas, vel falſitas attingitur.

14 Secundo alij communius probant concluſionem; Deus independenter à decreto creandi Angelum, cognoſcit, an ſi crearetur, peccaturus ſit, nec ne; ergo Deus cognoſcit Angelum peccaturum, ſi creetur, & etiam non peccaturum; & conſequenter cognoſcit, ſi creavero hunc Angelum peccabit, & ſi creavero hunc, non peccabit: quæ ſunt veritates conditionales contingentes. Probatur antecedens, nam ad perfectam Dei providentiam pertinet cognoſcere independenter à decreto operis illa, quæ poſſunt illum allicere, aut retrahere à decernendo; at non eſſe peccaturum, ſi creetur, poteſt allicere Dei voluntatem ad illum creandum, & eſſe peccaturum, ſi creetur, poteſt ipſum à creando retrahere; ergo Deus hoc de Angelo cognoſcit independenter à decreto creandi illum.

15 Hoc tamen argumentum in multis deficit; & in primis ſolvendum eſt in ſententia Molinæ, iuxta quam negandum eſt Deum cognoſcere independenter à decreto creandi Angelum propoſitionem aſſumptam, nimirum Angelum peccaturũ, ſi creetur: quod ſic patet; nam vt Deus illam cognoſcat, neceſſarium eſt cognoſcere, quod ſi creetur Angelus, extitura ſunt omnia prærequiſita ad peccatum; ſed hoc iuxta Molinam nequit Deus cognoſcere; ergo nequit cognoſcere Angelum peccaturum ſi creetur. Minor probatur; nam vltra creationem, vt Angelus peccet prærequiritur decretum conferendi auxilia ſufficientia ad vitandum peccatum: ſed hoc nequit à Deo cognoſci futurum ſub conditione creationis, iuxta prædictum Authorem; ergo. Maior eſt certa, vt enim exiſtat peccatum, non ſolum prærequiritur eſſe Angelum, ſed potentia in ipſo ad vitandum peccatum, quæ decretum illam cõferendi ſupponit. Minor autem docetur à Molina 1. part. diſp. 15. & in Concordia, diſp. 49. & 50. vbi aſſerit, quod Deus nequit cognoſcere actus liberos, quos haberet ſub conditione creationis, quem ſequitur Becanus tomo 1. cap. 10. quæſt. 4.

16 Deindè in ſententia Molinæ, omnis ſcientia conditionata eſt Deo neceſſaria, cuius exiſtentiam vitare in Dei poteſtate non eſt; Deus ergo cognoſcens hanc propoſitionem, ſi creavero Angelum peccabit, non poteſt hanc ſcientiam à ſe removere, neque illam falſificare; atqueadeò in eius poteſtate non eſt creare Angelum, & ipſum innocentem conſervare; poteſtas enim ad coniungendum cum creatione Angeli eius innocentiam, eſt poteſtas, vel ad removendam ſcientiam, vel ad illam falſificandam, quorum neutrum in poteſtate Dei eſt. Ex quo evidenter infertur, quod in ſententia Molinæ, vel negandum eſt Deum cognoſcere propoſitionem illam conditionalem, vel in eius poteſtate non eſſe Angelum, vel Adamum creare, & innocentem conſervare: cumque hoc ſecundum impune dici non poſsit, aſſerendum eſt primum.

17 Deindè in ſententia plurium ex Adverſarijs, quos infra referemus, vt actus liber creaturæ cognoſcatur à Deo ſub conditione futurus, debent poni ex parte ante-

ce-

cedentis, seù conditionis omnia prærequisita ex parte actus primi ad talem actum; quod in prædicta propositione non fit; atqueadeó iuxta illos à Deo non cognoscitur. Tandem si vt Deus creet Angelum, debet præcedere in ipso scientia peccati, vt creatio provida sit, sequitur præcedere absolutam existentiam peccati coniunctum ex illa scientia, & decreto creandi Angelum, quod infallibiliter cum peccato connectitur: hoc autem melior pars Adversariorum constanter negant.

18 Et ad argumentum factum responderi potest à Defensoribus oppositæ sententiæ, negando antecedens; quod non probatur ratione adducta, maior enim est falsa, quia non est necessarium, quod propriori ad decretum operis Deus sciat omnia, quæ possunt movere ipsum ad decernendum opus absolutè. Non, inquam, est necessarium scire omnia, vt existentia pro illo priori, & in statu apto ad movendum, vt patet; nam merita existentia possunt movere Deum ad primam voluntatem dãdi gloriam, si Deus illa decernat ante omne decretum dandi gloriam: & tamen de facto non prævidentur à Deo vt existentia pro signo antecedenti ad primam voluntatem dandi gloriam, sed pro posteriori ad illam: & ratio est; nam cum opera, seù merita existentia sint aliquid contingens, ac proindè dependens à voluntate Dei, potest Deus pro sua voluntate determinare, quod existant dependenter à decreto dandi gloriam, & pro posteriori ad illud; & consequenter, quod non prævideantur vt existentia pro priori ad primam voluntatem dandi gloriam, licèt potuerit oppositum disponere; potuit enim prius decernere merita, & illa in suo decreto prævidere existentia, & ex illis sic existentibus moveri ad primam voluntatem dandi gloriam.

19 Sic similiter hæc veritas *si creavero Angelum, peccabit*, est contingens; ac proindè vt de facto detur, indiget determinatione Dei: potuit ergo Deus determinare existentiam Angeli, quin pro signo antecedenti habuerit determinationem aliquam erga illam veritatem; atqueadeò quin præcognoverit veritatem illam conditionalem contingentem, quæ non datur ante determinationem liberam Dei. Et vt brevius dicamus, debet Deus cognoscere pro priori ad decretum operis, omnia, quæ possunt ipsum movere ad decernendum, quæ pro priori ad decretum divinum solum sunt illa, quæ habent vim necessariam ad movendum, qualia sunt prædicata necessaria Dei; non verò, quæ possunt habere vim ad movendum contingenter, & dependenter à voluntate divina: & quia dari defacto illas veritates est contingens; ac proindè dependens à voluntate libera Dei, non est necesse, quod Deus pro priori ad decretum creandi Angelum, illas cognoscat, nec quod illæ habeant vim ad movendum contingentem pro priori illo, sed sufficit, si Deus sciat se posse facere, vt sint veræ tales propositiones, vel si sciat se posse, si creaverit Angelum, permittere illi peccatum, vel facere, quod vitet illud.

20 Nec ad perfectionem divinæ providentiæ illud spectat, sed potiùs ipsi opponitur: dari enim independenter à voluntate, & dispositione Dei, qua cuncta reguntur, motivum, quod potuit non dari, est aliquid extrahere à divina providentia; quo nihil absurdius, aut eius perfectioni magis repugnans: esse autem verum, quod si creauerit Angelum, vitabit peccatum, est motivum ad illum creandum, quod potuit non dari, & datur independenter à dispositione Dei. Insuper Deum indigere ad creandum Angelum illa veritate, est indigere eius providentiam aliquo extra se, & ab ipsa non ponendo: providentia autem indigens aliquo, quod sub eius dispositione non cadit, imperfecta est; est ergo perfectissima providentia Dei in decernendo creationem Angeli, si prèviè sciat se posse facere quidquid voluerit de Angelo, quem creaverit, & quod ipsi creato contingat quidquid Deus disposuerit secundum consilium voluntatis suæ: lege tamen immutabilitatis tenetur Deus, si decernat abæterno creare Angelum, etiam abæterno decernere decreto permissivo, vel effectivo, quidquid ipsi continget, si creetur, & scire omnia ipsi futura, scientia innixa in eius infrustrabili decreto.

21 Et quidem in intelligibile videtur, quod Deus ante dispositionem suæ voluntatis sciat omnia, quæ eventura sunt, si creaverit Angelum, & multò magis, quod hoc pertineat ad perfectionem suæ providentiæ; nam si hoc esset verum, iam ante dispositionem divinæ voluntatis immobiliter fixa essent omnia futura in mente divina; atqueadeò prima determinatio rerum ad essendum non esset ex dispositione divina, sed ante illam: nec Deus posset oppositum facere: quod enim præsupponitur

ante

ante dispositionem Dei, per eius dispositionem auferri non potest. Nisi fortè dicatur posse impediri à voluntate creata; sed hoc minus intelligitur; quod enim Deo impossibile est, nequit esse possibile creaturæ. Et insuper operatio creaturæ cum supponat providentiam Dei, & eius dispositionem, etiam supponit futura fixa immobiliter in mente divina; atqueadeò minus posset illa impedire, quam Deus: quod si posset, apud creaturam maior esset providentia, quæ Deo negari videtur. Sed de his posteà. An autem sit verum antecedens, quod probandum assumimur, ex dicendis constabit.

22 Secundo ad argumentum concessa maiori, vel omissa, potest negari minor, & oppositam sententiam defendentes dicent Angelum esse vitaturum peccatum, si creetur, non esse verum independenter à decreto creanti; atqueadeò non posse allicere voluntatem Dei ad decernẽdum creationem Angeli; etenim cum ex se hoc conditionatum, si Angelus creetur, vitabit peccatum, sit indifferens ad veritatem, & falsitatem, neque à decreto conditionato determinationem accipiat in sententia arguẽtium, sit, vt illam nequeat habere, nisi à decreto absoluto, atqueadeò si quæ veritas in illo conditionato est, supponit decretum absolutum creandi.

23 Tertiò sic arguunt; indignum est Deo ignorare quantum beneficium cõtulerit, non aliter quam beneficio iam facto, & non cognoscere independenter à decreto ad quantum beneficium conferendũ se determinat, si creare decreverit Angelum: ergo independenter à decreto creandi ipsum, cognoscit benè operaturum, si creetur, & ad beatitudinem perducendum. Probatur consequentia, negari enim non potest ex his effectibus conditionatis beneficium creationis magnum suscipere incrementum.

24 Sed hoc argumentum etiam inefficax est; & concesso antecedenti, negatur consequentia; nam ex vi decreti creandi, solùm confert Deus beneficium essendi, & solum ad illud conferendum ex vi decreti creandi determinatur; atqueadeò sufficit cognoscere quantum sit in se hoc beneficium, & quantum possit crescere, si Deus velit illi alia superaddere: non tamen est necessarium Deum præcognoscere esse augendum alijs superadditis: non, inquam, est necessarium, hoc cognoscere proprieri ad decretum; & ratio est, nam cum crescere beneficium creationis bona operatione, & beatitudine superaddita sit contingens, dependeatque ex voluntate Dei, independenter ab eius determinatione cognosci non potest; & ex opposito fieret crescere beneficium creationis independenter à voluntate Dei; cum independenter ab illa Deus cognoscat esse maius beneficium. Insuper fieret, quod cum hoc incrementum beneficij involvatur in decreto creandi, vt ipsi asserunt, non posset Deus componere cum beneficio creationis carentiam bonę operationis, & beatitudinis, quæ sunt incrementum huius beneficij. Insuper fierer, Deum volendo creare Angelum, maius beneficium conferre, quam vellet; quod etiam est absurdum; & patet, nam solum vult creationem, & beneficium nõ est sola creatio, sed aliquid, quo augetur beneficium creationis. Ad probationem dicatur beneficium creandi non crescere, nisi Deus tale velit incrementum: vndê ex illis eventibus conditionatis non crescit, quia voluntate Dei præcisa, sunt præcisè in statu purę possibilitatis. Et argumentum accipit instantiam supra adductam in sententia Molinæ.

25 Quartò arguunt argumento, vt asserunt, à priori; hæc propositio si Petrus in hoc instanti vocetur vocatione *A*, convertetur, est determinatè vera, vel determinatè falsa; ergo cum Deus sit infinitæ efficaciæ in cognoscendo, cognoscit de illa esse determinatè veram, vel determinatè falsam. Antecedens probatur; vel aliquid in rebus impedit illius veritatem, vel non: si nihil, est determinatè vera, & proùt sic à Deo cognoscitur; si aliquid impedit, aliud esse, non potest, nisi quod Petrus in illo instanti cum illa vocatione non converteretur: sed hoc est esse veram contradictoriam illius propositionis, & consequenter ipsam esse falsam; ergo ipsa est determinatè falsa, & proùt sic à Deo cognoscitur: idemque posset fieri argumentum de alijs futuris conditionatis. Confirmatur; Deus cognoscit futurum conditionatum; ergo certo cognoscit. Antecedens ab omnibus conceditur; cum saltim Deus illud cognoscat cognitione conjecturali, probabili, aut moraliter solum infallibili. Consequentia verò probatur; quia Deus falli non potest adhùc metaphisicè: si autem cognitio futuri conditionati esset tantum probabilis, aut moraliter solum infallibilis, Deus posset falli; ergo talis non est, sed omninò certa.

26 Hoc argumentum, quod efficaciùs

cius videtur, in arguentium principijs non convincit; quia licèt antecedens sit verum, vt ex nostra probatione constabit, hoc non probatur in principijs illorum. Ad illius probationem dici potest primo, nihil in rerum natura positivè impedire veritatem illius propositionis: ex hoc tamen non infertur esse veram; nam cum propositio illa non sit ex se vera, aliàs esset necessaria, non sufficit ad illius veritatem, nihil illam impedire positive, sed requiritur esse in rerum natura aliquid, à quo positive illam habeat, quod ab arguentibus non assignatur.

27 Secundo dici potest, esse aliquid impediens illius veritatem: hoc autem non est suam contradictoriam esse veram, seù Petrum non esse convertendum in hoc instanti si vocetur *A*; sed est non esse in rerum natura aliquid, ratione cuius prædicatum veritatis ipsi contingens conveniat; hoc, inquam, impedit positive eius veritatem: sed hoc iuxta arguentium principia, non est esse falsam, aut suam contradictoriã esse veram; est enim vtrumque positive impeditum, scilicèt, veritas, & falsitas vtriusque propositionis: nam cum tàm veritas, quàm falsitas sit prædicatum contingens, & nihil sit ratione cuius aliquod illorum determinatè conveniat, vtrumque est positive impeditum, & vtrumque intra puram possibilitatem; quod licèt falsum putemus, falsitatis tamen convinci non potest in arguentium principijs.

28 Et quidem eodem argumento, quo probatur propositionem illam esse veram nimirùm, quia nihil est in rerum natura impediens eius veritatem, posset probari iuxta ipsorum principia eius contradictoriam esse veram; nam iuxta illa non datur in rebus, seù in rerum natura aliquid impediens veritatem alicuius ex illis propositionibus: ex quo, iuxta argumentum, vtriusque veritas convincitur. Quod autem non detur in rerum natura aliquid impediens veritatem alicuius ex illis contradictorijs, patet; nam ipsi asserunt, quod quidquid de facto datur in rerum natura est compossibile cum veritate affirmativæ, & insuper compossibile cum veritate negativæ; ergo nihil datur in rerum natura impediens veritatẽ affirmativæ, aut impediens negativæ veritatem. Imò ex hoc eodẽ argumento infertur omnem propositionẽ cõditionalem esse veram; nihil enim datur in rerum natura incompossibile cum alicuius propositionis conditionalis veritate. Insuper infertur omnem propositionem conditionalem esse falsam; scilicèt, quia non est aliquid impediens alicuius conditionalis falsitatem: cum omnia, quæ defacto dantur, sint compossibilia cum falsitate cuiuslibet conditionalis.

29 Si autem dicas, quod erga aliquas conditionales aliqui ex Adversarijs concedunt decreta existentia subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata, incompossibilia cum falsitate conditionalis; ergo falsum est, quod in rebus non detur aliquid impediens illarum falsitatem. Respondetur omisso antecedenti, argumentum nostrum rectè convincere, saltim de illis conditionalibus, circa quas talia decreta non dantur, quæ apud omnes Adversarios sunt infinita: convincit etiam in alijs conditionalibus, circa quas habet Deus de facto decreta conditionata; nam ipsi asserunt, etiam illa conditionata habere veritatem, aut falsitatem determinatam independenter á decreto, & præcisive ab illo; quod probant argumento facto, & si quid probat, convincit etiam veritatem cuiuscumque conditionalis, quia independenter à decreto, & præcisive ab illo, nihil est apud ipsos incompossibile cum falsitate, aut veritate.

30 Arguunt, Deus cognoscit futurum conditionatum; ergo certo illud cognoscit. Antecedens ab omnibus conceditur; cum saltem Deus cognoscat huiusmodi futurum cognitione coniecturali, probabili, aut moraliter infallibili. Consequentia verò probatur; quia Deus falli non potest etiam metaphisicè: si autem cognitio futuri conditionati esset tantum coniecturalis, probabilis, aut solum moraliter infallibilis, Deus falli posset; ergo talis non est, sed omninò certa. Ad quod facilè respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam; ad cuius probationem concessa maiori, scilicèt, Deum falli non posse, distinguo minorem, si in Deo sit cognitio coniecturalis, aut probabilis subiectivè, concedo minorem, si solum illi concedatur cognitio coniecturalis, aut probabilis obiectivè, nego minorem, & consequentiam. Neque aliquis vnquam Thomista agnoscit in Deo cognitionem coniecturalem, seù probabilem subiective: possibilis autem, aut coniecturalis obiective ab omnibus conceditur, & admitti debet; cum hæc nihil aliud sit, quam cognitio evidens, & certa probabilitatis, & incertitudinis.

Tan-

31 Tandem quidam Salmanticenſes concluſionem probant; quia Deus nihil ignorare poteſt, & quia indecens omninó videtur, vt ipſe omni à nobis propoſitæ quæſtioni ſatisfacere promptè, & expedite non poſsit; ergo cognoſcit omnia opera voluntatis creatæ ſub qualibet conditione futura, & quidem nihil magis mentibus noſtris ingenitum, quàm firmiter credere, Deum cognoſcere, quod faceret vnuſquiſque noſtrum in qualibet cauſarum ſerie. Et confirmant; quia ſcientia, qua huiuſmodi futura cognoſcit, licèt contingens ſit, non tamen Deo libera, aut ab ipſo evitabilis: ſed evidens eſt, huiuſmodi ſcientiam extendi ad omnia futura penetranda, ita neceſſariò, vt nec Deus ipſe valeat præſtare, nè aliquid eorum præſciat infallibiliter, vt per ſe notum eſt; ergo ſcientia conditionatorum extenditur neceſſariò ad omnia conditionata contingentia. Eiſdem rationibus probant Deum cognoſcere futura conditionata, quorum conditio purificatur, & quorum habet ſcientiam abſolutã; & addunt ſcientiam abſolutam non poſſe impedire conditionatam; & probant primo; quia hæc non eſt libera Deo; illa autem eſt libera. Secundo, quia ſcientia conditionata prior eſt abſoluta.

32 Sed neque hoc argumentum efficax eſt; & deficit primo; quia vt Deus nihil ignoret, ſufficit omnia ſcibilia cognoſcere: præciſive autem à decreto non eſt aliquid contingens, neque abſolutum, neque conditionatum ad aliquam partem determinatum, aut ſcibile; & conſequenter, niſi admittantur decreta noſtra, argumentum non convincit. Secundo, quia præter inſtantiam ſupra adductam, conditionata diſparata, quæ infinita ſunt, abſque imperfectione neſciuntur præciſive á decreto, quod iuxta ipſos ad horum veritatem neceſſarium eſt; quod quidem in Deo ponere circa infinitas combinationes, abſurdum putant, vt contra nos argumentantur. Et quidem ſicut imperfectio non eſt, ſed ſumma perfectio, quod Deus pro ſigno prædicatorum eſſentialium non cognoſcat huiuſmodi futura; ſed ſolum quod in qualibet ſerie, & combinatione rerum id contingat, quod ipſe voluerit; pariter præciſive à decreto aſſerendum eſt.

33 Confirmatio nihil convincit; ſupponit enim dari in Deo ſcientiam contingentem ipſi non liberam; quod eſſe omninó impoſsibile, & divinis attributis contrarium, infra conſtabit. Et quidem, ſi vt probent. Deum huiuſmodi futura conditionata cognoſcere, neceſſarium eſt adſtruere ſcientiam illam, ſecuri exiſtunt Authores oppoſitæ ſententiæ. Id autem, quod addunt, ſcilicèt Deum ſcire ſcientia conditionata illa, quorum habet abſolutam, licèt verum ſit, & à Thomiſtis non negetur, vt ipſi authumant, rationibus factis non probatur; & prima deficit. Primò, quia ſupponit dari ſcientiam conditionatam non liberam Deo. Secundò, quia ſcientia illa non eſt libera creaturæ; cum eſſet nulla creatura exiſtente: & tamen ipſi aſſerunt creaturam exiſtentem habere in ſua poteſtate ſcientiæ conditionatæ exiſtentiam; ergo potiori titulo Deus. Tertiò; quia ſi creatura exiſtens per actum liberum poteſt facere, quod exiſtat, vel non exiſtat ſcientia conditionata, cum actus liber creaturæ potiori titulo ſit in poteſtate Dei, poterit etiam Deus medio illo facere, quod ſit, vel non ſit ſcientia conditionata. Tandem; quia ſi ſcientia viſionis exiſtit in Deo præciſive à decreto, non poteſt eſſe Deo libera; vt ex dicendis conſtabit.

34 Secunda deficit; quia ſcientia conditionota, qua dirigitur Deus ad conferendum auxilium præcedit collationem illius; & conſequenter actum abſolutè exiſtentem: & tamen per actum creaturæ impediri poteſt, & acquiri; ergo eſto ſcientia conditionata præcedat ſubſiſtendi conſequentia ſcientiam viſionis, per ipſam poteſt impediri.

35 Aliàs rationes pro nunc omittimus, quæ in Adverſariorum principijs difficilem ſolutionem non habent: cum enim huiuſmodi futura ſint ex ſe indifferentia ad veritatem, & falſitatem, & aliàs recuſent concedere illam habere à decreto ſubiective abſoluto, & obiective conditionato; neque aliqua alia poſsit eſſe de præſenti determinatio, vi cuius de facto habeat veritatem, aut falſitatem determinatè, vt infrà conſtabit, difficilè non eſt defendere, imò neceſſariò aſſerendum, Deum illa de facto non cognoſcere vt determinatè vera, vel vt determinatè falſa. Inſuper quidquid de facto datur in rerum natura poteſt iuxta ipſos componi cum veritate horum futurorum, & cum illorum falſitate; ergo de facto nulla determinatè convenit veritas, vel falſitas; atqueadeò cognoſci à Deo non poſſunt vt determinate vera, vel vt determinatè falſa.

36 Insuper omnia illorum argumẽta solvenda sunt in sententia Molinæ, iuxta quam negandum est, Deum cognoscere independenter à decreto creandi Angelum propositionem assumptam, nimirùm, Angelum peccaturum, si creetur: Quod sic patet; nam vt Deus illam cognoscat, necessarium est cognoscere, quod si creetur Angelus, extitura sunt omnia prærequisita ad peccatũ; sed hoc iuxta Molinam nequit Deus cognoscere; ergo nequit cognoscere Angelum peccaturum, si creetur. Minor probatur; nã vltra creationem, vt Angelus peccet, prærequiritur decretum conferendi auxilia sufficientia ad vitandum peccatum; at hoc nequit à Deo cognosci futurum sub conditione creationis iuxta Authorem prædictum; ergo. Maior est certa: vt enim existat peccatum, non solùm prærequiritur esse Angelũ; sed potentia in ipso ad vitãdum peccatum, quæ decretum illam conferendi supponit. Minor autem docetur à Molina 1. p. disp. 25. & in Concordia disp. 49. & 50. quam sequitur Becanus tom. 1. cap. 10. quæst. 4. Deindè in sententia aliorum ex Adversarijs, quos infra referemus, vt actus liber creaturæ cognoscatur à Deo sub conditione futurus, debent poni ex parte antecedentis, seù conditionis omnia prærequisita ex parte actus primi ad talem actum; quod in prædicta propositione non fit; atqueadeò iuxta illos non cognoscitur.

§. III.

Efficaciùs probatur conclusio.

37 PRIMO Probatur conclusiò sic: Deus prędixit plura conditionata contingentia vt certo, & infallibiliter futura; ergo illa certo vt futura cognoscit. Consequentia est nota; & antecedens probatur pluribus Scripturæ testimonijs, ex quibus licèt non omninò evidenter, satis efficacitèr colligitur. Deducitur, inquam, ex lib. 1. Regum, cap. 23. Reg. 4. cap. 13. Sapient. 4. & Hierem. 38. & alijs omissis, est celebre testimonium Lucæ cap. 10. & Matth. 11. vbi sic habetur: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quibus Christus D. prędixit certo futuram pœnitentiam Tyriorum sub conditione virtutum, quæ apud Bethasitas factæ sunt.

38 Dices primo: his testimonijs prædici contingentia conditionata, non vt futura certo, & infallibiliter, sed probabiliter, aut coniecturaliter ex vi dispositionis causarum secundarum. Quod videtur colligi ex eo, quod pluries hæc conditionata revelãtur addita particula *Fortè*, vel alia æquivalenti, vt constat Genes. 3. Exod. 4. & Isaiæ 48. per quam denotatur non prædici vt infallibiliter futura, & loco citato ex Matthęi; paulò infra ad verba relata, sic dicitur: *Si in Sodomis factæ fuissẽt virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem*: ex quo videtur colligi eadem limitatione accipienda esse alterius cõditionati revelationẽ.

39 Contra hoc tamen est primo; quod in pluribus testimonijs non additur illa particula *Fortè*; neque aliquid reperitur in contextu, ex quo deduci possit limitandã esse prædictionem; ergo debent accipi de cognitione, & futuritione omninò infallibili. Cõsequentia probatur; nam verba Scripturæ debent accipi in rigoroso sensu, si aliud ex contextu non constet, vel aliquod absurdum sequatur, quod in præsenti non contingere constabit solvendo argumenta. Secundo; nam 3. Reg. cap. 11. additur particula *Certissimè*, quę futuritioni non infallibili non congruit. Tertiò; nam verbum *Fortè*, non minuere certitudinem eventus, colligi videtur ex Hieronymo in cap. 26. Jeremiæ; & quidem aliquando idem valere, atque vtique, constat ex illo Ioannis 8. *Si me sciretis forsitàn, & Patrem meum sciretis.* Tandem, si non certo, & infallibiliter prædicerentur futura, posset de illorum futuritione dubitari; quod negat Augustinus de Bono Perseverantiæ cap. 9. propè finem.

40 Dices secundo ex M. à S. Thoma vbi supra: ex his testimonijs solum colligi, conditionata contingentia in Scriptura revelata cognosci à Deo vt infallibiliter futura, & circa quæ ponenda sunt decreta subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata. Non autem cognoscere omnia erga omnes combinationes possibiles; hæc enim revelata non sunt, neque Deus habet decreta erga omnes combinationes possibiles conditionatorum, aut saltem illa habere est valdè dubiũ. Fateor testimonia adducta nõ eadẽ efficacia de omnibus futuris cõvincere:

nihilominus disparitatem adductam inter conditionata revelata,& quæ revelata non sunt,esse nullam, ex probatione,quam subiungo, constabit.

Secundo probatur conclusio hac ratione; omnis propositio conditionalis, vel est determinatè vera, vel determinatè falsa; ergo omnis cognoscitur à Deo, vel vt determinatè vera, vel vt determinatè falsa. Antecedens probatur primo; nam vel ita est, sicut per illam significatur, vel non: si primum, est determinatè vera; si secundum, est determinatè falsa iuxta regulas dialecticæ; ergo omnis est determinatè vera, vel determinatè falsa. Secundo, vel conditionalis habet omnia requisita ad sui veritatem, vel non; inter hæc enim,vtpotè contradictoria, in instanti reali non datur medium: si primum, est vera; esse enim veram est habere omnia requisita ad sui veritatem, vt sit vera; sicut esse hominem est habere omnia requisita ad esse hominis; si secundum, est falsa, nam esse falsam nihil aliud est, quam carere aliquo requisito ad sui veritatem; sicut non esse hominem est non habere omnia requisita ad esse hominis.

41 Confirmatur primo; omnis propositio de futuro absoluto est determinatè vera, vel determinatè falsa; ergo pariter omnis propositio de futuro conditionato. Antecedens modo supponitur, & postea explicandum. Consequentia probatur; ideò primum est verum, quia inter esse futurum, & non esse futurum, vtpotè contradictoria,non datur medium; sed inter esse futurum sub conditione,& non esse futurum sub conditione, non datur medium, cum non minus contradictoriè opponantur; ergo omnis propositio conditionalis est determinatè vera, vel determinatè falsa.

42 Confirmatur secundo; nam vel Deus habet decretum deponendo eventum,si ponatur conditio, vel tali decreto caret: si primum, est vera propositio, & eventus est sub illa conditione futurus;si secundum,eventus non est futurus sub illa conditione,& propositio,in qua enuntiatur non esse futurum, est vera; & illa, in qua enuntiatur futurus,sub conditione est falsa: cuius ratio est;quia cum decretum deponendo eventum sub illa conditione sit forma constituens eventum sub conditione futurum,vt ex dubio primo constat, & ex dicendis amplius constabit;fit inde, quod posito tali decreto,eventus est futurus sub cõditione;illo autem deficiente, non sit futurus;atqueadeò falsa est propositio, in qua enuntiatur sub conditione futurus,deficiente decreto,& vera illa, in qua enuntiatur non esse sub illa conditione futurum:eo sanè modo,quo si corpus habet albedinem, quæ est forma illud album constituens, est vera propositio,in qua enuntiatur esse album;si autem illa caret,est falsa, & contradictoria vera.Quod alijs terminis proponi potest;vel propositio habet veritatem, vel caret veritate: si illam habet, est vera, & si illa caret, falsa; ergo omnis propositio est determinatè vera,vel falsa determinatè.

43 Ex his colligitur; quod si Deus non habet decreta erga omnes combinationes possibiles,vt probabile putavit Mag. à S.Thoma; propositio,in qua eventus affirmatur futurus sub conditione,erit determinatè falsa,& vt talis cognoscitur à Deo: tũc enim eventus caret forma constituente ipsum futurum sub conditione;erit tamen vera propositio,in qua enuntiatur, non esse sub conditione futurum; & consequenter erga omnes combinationes possibiles Deus cognoscit vnam ex contradictorijs conditionalibus, vt determinatè veram, & alteram,vt determinatè falsam.

44 Secundo colligitur, probationem nostram vim habere, etiam si Deus possit suam libertatem exercere per puram omissionem,vt aliqui tenent infra quæst. 19.& ratio est;nam licèt iuxta hanc sententiam necessarium non sit, quod Deus habeat decretum deponendo eventum sub conditione,vel quod habeat decretum positivum de illo non ponendo: est tamen necessarium,quod habeat decretum deponendo eventum sub illa conditione, vel quod illo libere careat,aut per puram omissionẽ, aut per decretum positivum de eventu non ponendo: Si habet decretum de positione eventus sub conditione, propositio illum enuntians sub illa conditione erit vera; si illo careat,quocumque modo hoc contingat,erit falsa;tunc enim caret eventus forma constituente ipsum sub conditione futurum: sicut si Deus per puram omissionem non decerneret producere aliquam creaturam,esset verum determinatè talem creaturam non esse futuram.

§.IV.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

45 CONTRA Concluſionem arguitur primo ex quibuſdam locis Scripturę, in quibus Deus de huiuſmodi futuris loquitur tanquam de re dubia, & incerta, apponens hanc particulam *Fortè*, & ſimilia: ſic Geneſ. 3. Exodi 4. & 7. & Iſaiæ 48. ex quibus videtur deduci, Deum illa non cognoſcere certo, & infallibiliter obiectivè. Reſpondent aliqui, quod particula *Fortè* non ſemper denotat incertitudinem eventus: ſed idem valet atque *vtique*. Sic autem accipiendum eſſe in præſentiarum, ex alijs teſtimonijs, & ex Hieronymo, & Auguſtino vbi ſupra conſtat. Secundo reſpõdetur, particulam illam non apponi in alijs teſtimonijs; atque adeò ſaltim intentum convincũt. Neque aliquando apponi, arguit Deum evẽtum non cognoſcere, vt infallibiliter ſub conditione futurum; ſed ſolùm illum revelare ſecundum ordinem, & diſpoſitionem cauſarum ſecundarum; á quibus tantum habet futuritionem probabilem, & conjecturalem. Neque enim eſt neceſſarium revelationem adæquare cognitionem diviną. Quæ eſt expreſſa doctrina D. Thom. quæſt. 12. de Veritate art. 10. & 2. 2. quæſt. 171. art. 6. ad 1. vbi habet, quod licèt quandoque reveletur futurum ſolum quantum ad ordinem cauſarum: cognitio tamen Dei non tantum ad ordinem terminatur, ſed etiam infallibiliter ad eventum futurum. Quam etiam doctrinam tradit infra quæſt. 19. art. 7. ad 2. Tertio addi poteſt ex Hieronymo vbi ſupra, apponi particulam *Fortè*, vt denotetur præſcientiam Dei libertati creatæ non nocere: non quia ex parte Dei non ſit cognitio eventus, vt infallibiliter ſub conditione futuri. Et ex Auguſtino etiam dici poteſt, particulam *Fortè* eſſe verbum increpationis, non dubitationis. Sic habet tractatu 37. in Ioannem.

46 Secundo arguitur ex Auguſtino lib. 1. de Anima, & eius origine cap. 12. ibi; *Ipſa eximuntur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur non erit. Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?* Sed futurum conditionatè non eſt abſolutè futurum; ergo non præſcitur à Deo. Idem colligitur ex eodem Auguſtino epiſt. 105. & lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorũ, & ex libro de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 12. vbi ex eo, quod futura conditionata non ſunt abſolutè futura, infert contra Semipelagianos à Deo non præſciri. Deindè eodem libro de Prædeſtinatione SS. cap. 14. verſans illud Sapientiæ 4. Raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum eius: docet, dictum eſſe ſecundum pericula vitæ huius, non ſecundum præſcientiam Dei, quã hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat. Ex quo deduci videtur, ſenſiſſe Auguſtinum Deum non cognoviſſe ſcientia omninò infallibili futurum illud conditionatum, vt omninò infallibiliter futurum; ſed ſolùm eſſe peccaturum, ſi diutiùs viveret ſecundum pericula huius vitæ.

47 Reſpondetur, Hæreticos, contra quos diſputabat Auguſtinus, duo falſa inter alia docere. Primo aſſerebant futura conditionata, ſicut, & abſoluta habere veritatem determinatè antecedenter ad decretum divinum abſolutè exiſtens, nè ledеretur libertas actus creati abſolutę, vel ſub conditione futuri; nam vt ait Proſper epiſtola ad Auguſtinum, hæretici aſſerebant fatalem induci neceſsitatem, ſi divina conſtitutio humanas præveniat voluntates. Secundo aſſerebant, merita ſub conditione futura Deum movere ad dandam gratiam, ſeù primam vocationem ad fidem. Iuxta primum aſſertum hæreticorum rectè docet Auguſtinus non poſſe præſciri futurum, quod non eſt futurum: Cum enim hæretici excluderent divinum decretũ, excludebant etia futurũ conditionatum, quod per decretum conſtituitur; atque adeó ſi Deus illud præſciret vt conditionate futurum, præſciret vt futurum, quod futurum non eſſet quod implicatorium eſt. Iuxta ſecundum ſenſum hæreticorum ſolum docet Auguſtinus Deum non cognoſcere vt abſolutè futura, quæ abſolutè futura non ſunt; & conſequenter quod futura conditionata, quorum conditio purificanda non eſt, non cognoſcuntur à Deo, vt abſolutè futura: ibi enim intendit contra Maſſilienſes præviſionem abſolutam meriti eſſe neceſſariam ad præmium, ſicut, & abſolu-

tam prævisionem demeriti ad pœnam; atqueadeò docent, quod futura conditionata non cognoscuntur à Deo vt materia apta ad præmium, aut pœnam; quia vt absolutè futura non prævidentur. Ex quo non colligitur ipsa non cognoscere vt certo conditionatè futura.

48 Ad vltimum testimonium ex Sapientię 4. desumptum respondetur, quod ex eo, quod intelligat Augustinus verba illa secundum pericula huius vitæ, solùm sequitur esse revelatum tale futurum per ordinem ad causas secundas; non verò, quod Deus illud, vt infallibiliter futurum non cognoscat; vt ex dictis constat.

Sed non videtur plenè satisfactum: Nam Augustinus asserit, dictum esse secundum pericula huius vitæ, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; ergo sentit non præscisse tale futurum, nisi secundum pericula huius vitæ. Sed respondetur ibi solùm negasse Augustinum præscientiam absolutam peccati, non conditionatam: quod clarè expressit explicans post verba relata propriam sententiam, ibi: *Ideſt, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum ſubtraheretur incerto: non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet*: vbi solum negat Deum præsciviſſe esse peccaturum absolutè, quia conditio, sub qua erat peccaturus, purificanda non erat: quod expressius docuit libro 1. de Anima, & eius origine contra Renatum cap. 12. citato.

49 Tertio arguitur ex D. Thom. lib. 1. Peryhermenias, lectione 13. vbi ex Philosopho docet, quod in propositionibus singularibus de futuro non est necesse, quod vna sit determinatè vera, & altera falsa determinatè; licèt sit necessarium, quod altera illarum contradictoriarum sub disiunctione, & vagè sit vera, & altera falsa; ergo idem potiori titulo dicendum est de propositionibus de futuro conditionato: Item Div. Thom. 1. part. quæst. 66. artic. 7. in 1. dist. 38. quæst. 1. artic. 5. quæstione 2. de Veritate artic. 2. ad 1. & 9. quæst. 16. de malo artic. 7. 1. contra Gentes, cap. 67. & in hoc artic. 13. docet, futurum contingens, quia contingens est, & causa illius se habet ad opposita, non subdi per certitudinem alicuius cognitioni; ergo Deus futura contingentia conditionata non cognoscit, vt certo futura.

50 Respondetur, loqui D. Thomam de propositionibus singularibus de futuro per ordinem ad causas secundas creatas, à quibus, vtpotè ex se non determinatis infallibiliter ad effectum, non potest effectus habere infallibilem futuritionem; atqueadeò propositiones per ordinem ad illas causas non posse habere determinatam veritatem, aut falsitatem: cum quo componitur, effectum esse infallibiliter futurum per ordinem ad decretum divinum, & ex vi illius, per ordinem ad quod propositiones habent etiam determinatam veritatem. Ad secundum dicatur: D. Th. loqui de futuro contingenti per ordinem ad causas secũdas, & præcisive à determinatione divina.

51 Quarto contra dicta argumentari possumus; stat Deum carere decreto conditionato obiectivè, & subiectivè absoluto per puram liberam omissionem, & conditionatum esse verè conditionatè futurum; ergo per omissionem decreti conditionati non est verum, effectum non esse sub conditione futurum. Antecedens probatur. Stat Deum carere decreto conditionato erga hoc conditionatum contingens, *ſi Petrus poneretur in hac occaſione cum auxilio A, conſentiret*, & quod sit verum, quod si Petrus poneretur in illa occasione cum auxilio *A* consentiret; ergo stat Deum carere decreto conditionato, & quod sit verum conditionatum esse sub conditione futurum. Antecedens probatur, stat Deum decretum conditionatum omittere, & simul absolutè decernere purificationem cõditionis, & consensum; at in hoc casu, verum esset, quod si Petrus poneretur in illa occasione, consentiret; ergo. Maior videtur certa; non enim est necessarium decretum conditionatum, vt Deus absolutè decernat purificationem conditionati, & consensum. Minor autem probatur; nam quotiescumque verum est, quod Petrus purificata conditione consentit, etiam est verum, quod si purificaretur conditio consentiret: sed in prædicto casu, purificata conditione consentit; ergo verum est, quod si purificaretur conditio, consentiret.

52 Respondetur primo, admissa pura omissione in Deo, negando antecedẽs, ad cuius probationem, nego iterùm antecedens, & ad probationem nego maiorem: nõ enim omittere decretum, quo vellet consensum Petri sub conditione, & simul decernere purificationem conditionis, & consensum: & ratio est; nam omissio libera illius decreti est virtualis, & interpretativa vo-

volitio, qua Deus vult non esse consensum, etiam si purificetur conditio; ac proindè cũ illa non componitur Deum velle absolutè purificationem conditionis, & consensum; nam sicut omissio libera decreti absoluti creandi mundum v.g. est virtualis, & interpretativa volitio non creandi illum; sic similiter omissio decreti conditionati, quo Deus vellet consensum Petri sub conditione, quod poneretur in tali occasione, est virtualis, & interpretativa volitio, qua Deus vult non esse consensum Petri, etiam si ponatur conditio. Sic respondent aliqui Thomistæ, quorum doctrina infra nobis est examinanda: quapropter hac solutione in sua probabilitate relicta.

53 Secundò meliùs respondetur distinguendo antecedens, stat conditionatum esse verè conditionatè futurum, & Deum carere decreto conditionato eventus futuri sub conditione, formaliter, & æquivalenter tali, nego antecedens, decreto cõditionato solum formaliter tali, concedo antecedens, & distinguo consequens, non esset verum, effectum non esse sub conditione futurum, per omissionem decreti conditionati, tàm formaliter, quàm æquivalenter talis, nego consequentiam, solum formaliter tali, concedo consequentiam. Itaque vt consensus Petri sit futurus sub conditione, sufficit decretum formaliter, vel æquivalenter conditionatum: decreta autem absoluta purificandi conditionem, & ponendi consensum, licèt non sint formaliter conditionata, æquivalent decreto conditionato, & illi aliquid superaddunt: vndè illis constituitur consensus conditionatè futurus licet non purè conditionatè. Quando autem supra docuimus, quod per decretum conditionatum constituitur eventus contingens sub conditione futurus, & quod illo deficiente esset verum non esse conditionatè futurum, debet intelligi de decreto conditionato formaliter, aut æquivalenter tali: si autem essent præfata decreta absoluta, hæc propositio, si Petrus poneretur in tali occasione cum auxilio A consentiret, esset vera virtute horum decretorum; non tamen veritate purè conditionali, & separabili ab absoluta, sed veritate clausa in veritate absoluta; eo modo, quo futuritio conditionata claudiatur in futuritione absoluta, conditionis, & conditionati: vndè præcisivè à decreto, talis propositio non est determinatè vera, nec falsa determinatè, sed ab vtroque præscindit.

54 Si autem ex modo tendendi, à decretis absolutis præscindatur, vt aliqui volunt, ita vt sensus sit iste, pro signo præscindenti à decretis absolutis futurus est cõsensus Petri sub conditione, quod in tali occasione ponatur, prædicta propositio determinatè est falsa; cum in casu posito pro signo illo nihil detur, quo consensus possit constitui futurus, etiam conditionatè. Itaque si in propositione enuntiatur veritas purè conditionalis separabilis à veritate absoluta, non potest esse vera propositio sine decreto formaliter conditionato; huius enim veritatis adæquatum constitutivum est decretum conditionatum, quo posito est vera propositio affirmatiua, & contradictoria falsa, quamvis purificetur conditio, & absolutè ponatur consensus; eo sanè modo, quo si Deus inciperet in tempore, velle existentiam creaturæ, non esset abæterno verum creaturam esse futuram, sed falsum; quia abæterno propositio illa caret forma, qua vera constituitur, sed de his infra.

55 Alia argumenta, quæ contra conclusionem fieri possunt, procedunt ex suppositione, quod Deus non habeat decreta conditionata, & quod ab illis futura non habeant veritatem, aut falsitatem: quo supposito rectè procedunt; non tamen contra nos, qui huiusmodi decreta necessaria esse dicimus ad veritatem conditionatorum.

§. V.

De conditionatis disparatis.

56 REstat dicendum de cõditionatis circa disparatis; quæ, cum ad veritatem cõditionalis non sufficiat conditionẽ existere simul cum eventu; nam conditionalis nõ solùm denotat vtriusque existentiam, scilicèt, conditionis, & eventus, sed simul denotat eventum extiturum dependenter à conditione; aliàs á propositione copulativa, & temporali non distingueretur; dicendum videtur, omnes conditionales disparatas esse determinatè falsas; cum in his conditionatum non existat dependẽter à cõditione.

57 Sed nihilominus, vt veritas explicetur, advertendum est propositiones conditionatas posse in multiplici sensu accipi: Primo, & iuxta dicta statuendum est, in quolibet sensu omnem propositionem disparatam esse determinatè veram, vel determinatè falsam, ratione supra facta, scilicèt, quia vel ita est, sicut per illam significatur, vel non: si primum, est vera determinatè; si secundum, determinatè falsa: & in Scriptura aliquando revelantur huiusmodi propositiones, vt veræ; vt constat ex illo 4. Regum cap. 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, sivè septies* (terram) *percussisses Syriam vsque ad consummationem.* Vbi prædicitur percussio consummata Syriæ sub conditione disparata, scilicèt, sub conditione percussionis terræ. Cæterùm propositio conditionalis disparata potest accipi, non in sensu conditionali, sed in sensu copulativo, temporali, aut disiunctivo: In sensu copulativo, hæc propositio: *Si Turca dormit, Petrus convertetur*, sic exponitur, *Turca dormit, & Petrus convertetur*: In sensu autem temporali, sic: *Quando Turca dormit, Petrus convertetur*: Ubi vtrumque affirmatur, & somnus Turcæ, & conversio Petri; & insuper denotatur simultas temporis, seù durationis vtriusque. In sensu autem disiunctivo prædicta propositio sic exponitur, vel Turca dormit, vel Petrus convertetur.

58 Hoc supposito dicendum est, prædictam propositionem copulativam in sensu copulativo explicato cognosci à Deo per scientiam liberam, & constat; nam in sensu copulativo necessarium est ad veritatem illius vtramque propositionem componentem, simplicem, & absolutam esse veram; ad quod requiritur decretum Dei actuale; vt debet esse certum apud omnes: idemque dicendum est, si accipiatur in sensu temporali, iuxta quem idem affirmatur, ac in copulativo, superaddita simultate temporis. In sensu etiam disiunctivo etiam cognoscitur à Deo per scientiam liberam; nam ad veritatem disiunctivæ necessarium est aliquam ex partibus esse determinatè veram; ad quod requisitum est decretum divinum. Isti tamen sensus valdè improprij sunt, nec sapiunt naturam propositionis conditionalis.

59 Potest etiam propositio conditionalis disparata accipi in sensu conditionali proprio, & in hoc sensu adhûc dupliciter accipi; vel in sensu propriissimo, scilicèt, illativo, & in hoc sensu propositio est falsa, & impossibilis; & ratio est, quia affirmat eventum inferri ex conditione disparata, quod falsum est; hæc enim nunquam potest esse bona consequentia: *Turca dormit; ergo Petrus convertetur*: quapropter à Deo vt falsa cognoscitur per scientiam necessariam, & eius contradictoria, vt vera. Potest etiam sumi in sensu conditionali non ita rigoroso, sed solum denotante conditionem conducere ad eventum positum ex parte consequentis, & eventum esse futurum, & ponendum ex vi illius conditionis, & dependenter ab illa: & hoc adhùc dupliciter. Primò vt ly *Si* denotet conditionem ex se habere, vel habituram esse conducentiam ad eventum; vel ita vt solum denotet conditionem habere, vel habituram esse conducentiam aliquo modo, vel ex se, vel ex ordinatione divina: si faciat primum sensum, semper est falsa; nunquam enim conditio disparata ex se habet conducere ad eventum; imò est impossibilis, quia implicat conditionem esse disparatam, & habere ex se conducentiam ad eventum.

60 Si autem faciat secundum sensum, est indifferens ex se ad veritatem, & falsitatem; erit tamen vera iuxta dicta, & infra dicenda, si Deus habeat decretum, quo velit, quod ponatur eventus sub illa conditione; v.g. si Deus haberet huiusmodi decretum, volo, quod si Turca dormit, Petrus convertatur; hæc erit vera, si Turca dormit, Petrus convertetur: si autem absit decretum, erit falsa; & ratio est, quia si adsit decretum, & ordinatio divina, conditio, licèt non ex se, absolutè tamen conducit ex dispositione divina ad eventus positionem, qui posita conditione erit ex vi decreti divini, ex vi cuius etiam conditio conducit: si autem absit decretum, erit falsa; quia cum nullam dicat conditio conducentiam, neque illam habeat ex se, neque ex ordinatione divina, & propositio affirmet eventum esse ponendum dependenter à conditione, & ipsa conducente, absolutè est falsa; affirmare enim conducentiam in conditione, quam non habet, nec ratione sui, nec ratione decreti, falsum est: vndè etiam si ponatur conditio, & eventus, est falsa conditionalis.

61 Quod in nostris principijs aptè explicatur in conditionatis non disparatis: si enim ex parte conditionis, ponatur causa naturalis, quæ naturaliter infert effectum, seù eventum, propositio sub illa conditione even-

eventum enuntians est vera ; sicut mortem verè prædicit Medicus ex causis naturalibus determinatis ad illam inferendam, quamvis ex dispositione divina, quæ super omnes causas est, mors non sequatur ; quia philosophicè propositio solum enuntiat eventum attentis illis causis. Quod si propositio enuntiat eventum absolutè, & attentis omnibus esse infallibiliter futurum, falsa est, si non adsit decretum; quia tunc denotat, non solum causas naturales esse inclinatas, & determinatas ad eventum, sed absolutè, & omnibus pensatis esse infallibiliter ponendum ; ad huius autem veritatem, vltrà causas naturales, requiritur decretum, quod supponitur non adesse, & quo deficiente non est verum esse absolutè ponendum, etiam posita conditione.

62 Similiter si ex parte conditionis ponatur aliquid indifferens ad eventum, & eius carentiam; v.g. *si Petro conferatur hoc auxilium ex se indifferens, consentiet*, & propositio denotet, quod ratione auxilij, & illo præcisè attento, consentiet, falsa est propositio; quia in auxilio sufficienti non datur aliquid, ratione cuius potiùs vnum, quam alterum sit verum; atqueadeò falsum est, quod ex parte conditionis detur aliquid, ratione cuius potiùs sit verum, quam falsum, ponendum esse consensum sub illo auxilio : si autem propositio affirmat esse ponendum, si conferatur auxilium; esse (inquam) ponendum absolutè, & omnibus pensatis; erit verum, si adsit decretum, ratione cuius potiùs sit ponendus consensus, quam eius carentia ; quia tunc verum est, quod auxilium conducit ad consensum, & quod eventus erit dependenter ab illo.

63 Hæc doctrina communis est apud Thomistas, vt accipitur frequenter ab Authoribus Scientiæ Mediæ, vt fatetur Avendaño disp. 3. §. 11. & disp. 4. cap. 2. §. 2. ex illa tamen rectè infertur, ad veritatem conditionalis non disparatæ requisitum esse decretum in principijs horum Authorum : ideò enim prefati Authores asserunt necessarium esse decretum actuale ad veritatem propositionis conditionalis disparatæ in sensu conditionali explicato, quia ad veritatem illius requiritur, quod conditio talis sit, quod illa purificata, sit ponendus eventus dependenter ab illa ; sed conditio disparata non est talis ex se; sed ratione decreti ; ergo requisitum est decretum actuale ad veritatem conditionalis disparatæ. Hæc autem probatio etiam convincit esse necessarium actuale decretum ad veritatem cuiuscumque conditionalis, etiam non disparatæ ; nam sicut in conditionali denotatur, conditionem habere vim, vt absolutè conducat ad eventum, vel ratione sui, vel ratione alteriùs ; atqueadeò necessarium est, quod illam habeat ex se, vel ratione alteriùs de facto existentis, nimirùm, decreti; ita denotat dari aliquid, vi cuius si ponatur conditio, sit eventus ponendus infallibiliter ; ergo cum nulla conditionalis non illativa importet conditionem infallibiliter inferentem eventum ex se, necessarium est, quod detur aliquid defacto existens, ratione cuius eventus sit infallibiliter ponendus; quod aliud esse non potest, nisi decretum.

64 Quod vlteriùs explicatur ; sicut conditionalis denotat dari vim, vel ex se, vel ratione alteriùs, vt conducat ad ponendum eventum, etiam denotat esse infallibiliter ponendum, posita conditione, & esse de facto verum, esse ponendum posita conditione, vel ex vi conditionis, vel ex vi alteriùs, quod defacto datur ; ergo sicut ad veritatem disparatæ requiritur decretum actuale defacto existens, vt detur aliquid ratione cuius possit conducere ad eventum, si ponatur; ita necessarium est etiam dari aliquid defacto, vel ex parte conditionis, vel aliundè, vt sit verum esse infallibiliter ponendum eventum, si ponatur conditio; & cum ex vi conditionis, quantumvis conducentis, non sit infallibiliter ponendus, nec sit verũ ex vi illius esse ponendum; necessarium est decretum, ratione cuius sit verum, esse infallibiliter ponendum.

65 Explicatur secundo ; quia conditionalis denotat conditionem habituram esse conducentiam ad positionem eventus, si ex natura conditionis non est verum, habituram esse conducentiam, necesse est, quod detur aliquid, nimirùm decretum, ratione cuius sit verum, habituram esse conducentiam, si ponatur ; sed conditionalis denotat esse infallibiliter ponendum eventum, si ponatur conditio, & hoc esse defacto verum; ergo si ex vi conditionis non est verum, esse infallibiliter ponendum eventum, si ponatur conditio, necessario est ponendum aliquid defacto existens, nimirùm decretum, ratione cuius sit verum, eventum esse infallibiliter ponendum.

66 Et quidem ad veritatem nihil magis necessarium est, quam veritas, & nihil magis importatur, & significatur in con-

di-

ditionali, quam esse verum, quod per illam enuntiatur; sed quia importatur eventum ponendum esse dependenter à conditione, necessarium est, quod defacto detur aliquid, ratione cuius possit conducere, & eventum ab illa dependere, si ipsa ex se non habeat vim ad conducendum; ergo potiori titulo debet dari de facto aliquid, ratione cuius sit vera; quod non est conditio, quantumvis conducens ad eventum, si sit compossibilis cum carentia illius.

67 Quod vlteriùs vrgetur ex doctrina horum Recentiorum asserentium, quod pro priori ad actuale Dei decretum non est futurus eventus sub cõditione; quia pro illo priori conditio non intelligitur talis, vt eventus sit ponendus dependenter ab illa; vtpotè pro illo priori non intelligitur in conditione aliquid, ratione cuius habeat vim ad conducendum: sed in alijs conditionalibus, vt diximus, conditio non intelligitur pro priori ad decretum talis, vt illa posita infallibiliter sit ponendus eventus; cum conditio non connectatur cum eventu, nisi ratione decreti, quod non intelligitur; ergo non potest intelligi vera aliqua conditionalis pro priori ad decretum actuale, seù dependenter ab illo; ratione cuius habetur, quod posita conditione, ponendus sit eventus.

68 Tandem; conditionalis, neque dicit ponendum esse eventum absolutè, neque purificandam esse conditionem, sed solùm ponendum esse eventum, si ponatur conditio: ponendum, inquam, esse dependenter à conditione: ad hoc autem sufficit ponendum esse eventum, & conditionem habituram esse conducentiam ad positionem eventus: sed quia ex se non habet cõditio, quod sit habitura conducentiam, requiritur decretum exiſtens, ratione cuius sit verum habituram esse conducentiam; ergo quia eventus ex se, nec ex conditione habet, quod sit ponendus, si ponatur conditio, requiritur decretum, vt sit verum, quod est ponendus.

69 Hæc mihi firma videntur; inconsequenter tamen ab Authoribus citatis docetur ad veritatem conditionalis disparatæ requiri decretum; quod ad aliàs conditionales in sententia ipsorum non requiritur. Quod iterùm sic ostenditur; nam iuxta eorum doctrinam, vt sit verum ante actuale decretum, quod si Turca dormiat, Petrus converteretur, non est necessarium, quod pro priori ad decretum intelligatur aliquid, ratione cuius conditio habeat vim ad conducendum, sed sufficit, quod conditio habitura sit conducentiam, si ponatur: sed ad hoc, vt conditio habitura sit conducentiã, si ponatur, sufficit decretum, quod poneretur, si purificaretur conditio; ergo non requiritur decretum actuale, sed sufficit decretum, quod esset; vel si requiritur decretum actuale, vt omninò verum putamus, & infra ostendemus, etiam requiritur ad veritatem cuiuscumque conditionalis decretum actuale, vt sit verum, extiturum esse eventum, si ponatur conditio; si ex vi conditionis non est verum.

70 Quod autem, vt conditio habitura sit conducentiam, si ponatur, sufficiat decretum, quod poneretur, si purificaretur conditio; patet: ad hoc enim vt sit verum, quod si Petrus crearetur, formaliter esset albus, non requiritur albedo defacto exiſtens, sed sufficit, quod albedo esset futura sub illa conditione; ergo vt conditio habitura esset conducentiam, non requiritur de facto forma, ratione cuius conduceret, sed sufficit illam habituram esse; hæc autem forma est decretum; ergo non requiritur decretum, quod sit, sed sufficit decretum, quod esset. In sententia autem horum, vt sit verum, quod esset decretum, non requiritur aliquid de facto exiſtens connexũ cum exiſtentia decreti, quod in nostra sententia necessarium est; atqueadeò, vt sit vera conditionalis disparata, necessarium est decretum, ratione cuius sit verum, conditionem habituram esse conducentiam, si ponatur, & ipsa conducente extiturum eventum.

71 Pro pleniori tamen horum intelligentia, est notanda differentia inter conditionata disparata, & non disparata; quod in non disparatis decretum necessarium ad veritatem propositionis non dat vim conditioni ad inferendum, sed est solum id, quo vis, quæ supponitur in conditione, reducenda est ad actum secundum, seù id, quo verum est reducendam esse ad actum secundum, si purificetur conditio; at in disparatis decretum est id, quo verum est ponendum esse eventum, si ponatur cõditio, & id ratione cuius conducit; nam esse infallibiliter verum, ponendum esse eventum, si ponatur conditio, quod est formaliter à decreto, est id ratione cuius conducit: si enim verum est, quod si ponatur somnus Turcæ, ponetur conversio Petri, valdè conducens est ad conversionẽ Petri, quod Turca dormiat.

Dein-

72 Deindè notandum est, conditionem disparatam ratione decreti transire in non disparatam; esse enim disparatam consistit in eo, quod conditio ex se, nec aliúdè habeat vim ad conducendum: posito autem decreto, quo Deus ordinat, & disponit, quod si ponatur conditio, ponatur evẽtus, iam datur aliquid, ratione cuius habet vim ad conducendum saltem extrinsecam ratione decreti.

73 Ex quibus inferimus, non esse verum, quod præfati Authores asserunt; scilicèt Thomistas docere, conditionalem negativam disparatam esse necessariam, & affirmativam impossibilem. Thomistæ enim distinguunt, vt videre est in Illustriss. Godoy, & alijs supra citatis; si enim affirmativa faciat sensum, quod conditio habitura est conducentiam ratione sui, semper est falsa, & contradictoria vera; si autem faciat sensum, quod habitura est conducentiam, vel ratione sui, vel ratione alterius, aliquando est vera, & aliquando falsa; erit vera, si datur aliquid, ratione cuius sit verum habituram esse conducentiam, quod est decretum, promissio, vel ordinatio divina deponendo conversionem, si ponatur conditio: sicque extitisse putamus respectu conditionalis ad ductæ supra ex 4. Regum; erit autem falsa, si desit promissio, aut ordinatio divina. Similiter falsum est, quod sine hæsitatione affirmant, scilicèt, Thomistas non cognoscere alium sensum cuiuscumque conditionalis, nisi illativum; licèt enim iste sit propriissimus; alium autem admittere notissimum est, quem iam explicuimus. Nec ab ipsis potuit ignorari Thomistas docere, in sensu illativo conditionalem esse necessariam, vel impossibilem, nec indigere decreto ad sui veritatem;

quod tamen omnes requirunt ad veritatem conditionalis in secundo sensu.

o(§)o

§. VI.

Quid dicendum sit de conditionatis de conditione impossibili?

74 AB hac difficultate breviter expediemur. Communis sententia docet, in his propositionibus vnam ex contradictorijs esse determinatè veram, & alteram falsam determinatè, ratione non semel adducta: ex istis ergo contradictorijs, si lapis esset homo, diligeret Paulum, non si lapis esset homo, diligeret Paulum, & similibus, dicendũ est cum communi sententia, vnam esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam; si enim non ita est, sicut per affirmativam significatur, falsa est affirmativa, & verum non ita esse; quod & non aliud enuntiat negativa; atqueadeò negativa vera est. Dicendum etiam est, affirmativam esse necessariò falsam, & negativam necessario esse veram: quod etiam est communis sententia licèt non omnes eadem ducantur ratione, nec omnes difficultatibus se expediant. Ratio nostra est; quia in prædicta propositione, & similibus subiectum est aliquid implicatorium, à quo amor procedere non potest, & cui prædicatum reale nequit convenire: quod autem subiecto non potest convenire absolutè, nec etiam potest convenire conditionatè. Insuper quod Deus absolutè non potest, nec potest esse conditionatè: sicut quod non potest velle efficacitèr, non potest ineffieacitèr velle; sed non potest velle, quod homo lapis diligat Paulum; ergo nec conditionatè potest illud velle; non ergo prædicatum verè potest affirmari de subiecto.

75 Sed dices: plures conditionales de conditione impossibili sunt veræ; ergo falsum asserimus. Probatur antecedens. Hęc conditionalis, *si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur realiter ab illo*, est vera, iuxta D. Thomæ, & frequentiorem Theologorum sententiam; & est de conditione impossibili; nihil enim magis impossibile, & implicatorium, quam Spiri-

tum

tum Sanctum non procedere à Filio ; ergo. Nec satis sit, si dicatur propositionem illam esse negativam, de qua inconveniens non est, esse veram, sed necessariam, iuxta à nobis dicta. Contra enim est primo ; quia etiã est probabilis, & doctissimorum sententia, quod si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo ; ergo iuxta hos Authores probabiliter dicendum est, posse conditionalem affirmativam esse veram. Secundo ; quia Thomistæ, & alij Theologi impugnantes Scotum, non probant, propositionem illam conditionalem esse falsam, quia est conditionalis affirmativa de conditione impossibili, sed ex alijs principijs ; quod tamen proculdubiò facerent, si putarent conditionalem affirmativam de conditione impossibili esse falsam præcisse, quia affirmativa est. Tertiò; quia propositio illa licèt videatur negativa, potiùs est affirmativa ; idem enim est non distingui, ac identificari ; atqueadeò illa propositio sub conditione impossibili affirmat identitatem, & est vera ; ergo propositio conditionalis affirmativa de conditione impossibili est, vel potest esse vera.

76 His relictis ad argumentum respondetur, conditionalem esse afirmativam, quoties copula *Si* est affirmata, & solùm est negativa, quando illi præponitur negatio: vndè propositio illa est dicenda affirmativa, & est vera in sensu illativo, & præcisivo, qui talis est ; si non intelligatur in Spiritu Sancto processio à Filio, non intelligitur in ipso distinctio à Filio, & est idem, ac dicere, quod adæquatum principium distinctionis in divinis est processio vnius personæ ab alia : vndè ex negatione processionis rectè infertur, Spiritum Sanctũ non distingui à Filio, & hæc consequentia est bona, non procedit à Filio ; ergo non distinguitur ab illo; quamvis antecedens sit omninò impossibile ; sicut hæc consequentia est bona, lapis est homo; ergo est vivẽs: quapropter etiam hæc est vera, si lapis est homo, est vivens; cuius veritas in bonitate illationis consistit, sicut veritas alterius, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo.

77 Nostra autem doctrina intelligenda est de conditionali in secundo sensu, cuius eventus contingens est, & accidit respective ad prædicatum, quod ex parte conditionis ponitur, cuius identitas cum subiecto conditionis est impossibilis ; respective, inquam, ad illud secundum se, v. g. in propositione adducta, si lapis esset homo, diligeret Paulum, eventus, scilicèt, amor accidit homini secundum se, *homo* autem est prædicatum, quod ex parte conditionis ponitur, cuius identitas cum lapide est impossibilis; similis ergo propositio affirmativa impossibilis est ratione à nobis adducta; scilicèt, quia implicat Deum habere decretum conditionatum huiusmodi, *volo, quod si lapis esset homo, diligeret Paulum*, eo quod cum non possit, velle purificare conditionem, nequit habere decretum absolutum erga eventum; & consequenter, nec conditionatum.

78 Vndè hæc etiam est falsa, si lapis esset homo, non diligeret Paulum, seù omitteret dilectionẽ Pauli, eadem ratione; quia non diligere Paulum, seù omittere dilectionem illius, est accidens comparative ad hominem secundum se, quod non potest illi convenire sub illa conditione, nisi ratione decreti conditionati ; quod impossibile est, quia Deus non potest purificare conditionem ; atqueadeò nec habere decretum absolutum erga illum eventum : ex qua ratione intulimus, non posse habere decretum conditionatum. Contradictoriæ autem illarum propositionum sunt veræ, non ratione omissionis liberi decreti, quæ dari non potest, nisi decretum sit possibile, sed ratione prædicatorum necessariorum Dei, quibus verum est, impossibile non posse esse, quæ veritas de facto in mente divina existit, & est ipsi necessaria.

79 Sed dices; in hac propositione, *si lapis esset homo, esset vivens*, subiectum est aliquid implicatorium : & tamen de illo verè affirmatur prædicatum reale, nimirùm vivens; ergo falsò diximus, quod in propositione conditionali de conditione impossibili, subiectum est aliquid implicatorium, de quo non potest prędicatum aliquod reale verè enuntiari. Insuper si lapis esset homo, esset chimera: sed si esset chimera, non esset vivens; ergo. Quod argumentum etiã procedit in propositione adducta; si Spiritus Sanctus non procederet á Filio, non distingueretur ab illo.

80 Respondetur in propositione illa subiectum esse implicatorium : non tamen in sensu illativo prædicari de subiecto vivens, quod est prædicatum reale, sed asseritur, inferri ex prædicatis essentialibus, quæ defacto existunt in mente divina, prædicatum *vivens*, quia omnis homo in rei veritate ex prædicatis essentialibus est animal

mal rationale, ex quibus rectè infertur prædicatum *vivens*: non autem asseritur, subiectum illud esse vivens, nec posse esse vivens; atqueadeò de illo non enuntiatur prædicatum reale; & ideò dicimus esse veras illas propositiones in sensu illativo præcisivo; quatenus ex conceptu hominis infertur prædicatum viventis, & ex negatione processionis in divinis indistinctio prædicatorum Dei.

In alia autem propositione, *si lapis esset homo, esset chimæra*, & consequenter non esset vivens, dicimus, quod etiam est vera in vi illationis; nam ex identitate hominis cum lapide rectè infertur esse chimeram, & non esse substantiam, & revera illud subiectum totum nec est homo, neque lapis, sed chimera, de qua prædicatum reale non potest verè affirmari. Et hæc de hoc dubio applicando litteræ Magistri.

Disputatio II.

De modo, & mediis, quibus Deus futura conditionata cognoscit.

1 STABILIVIMUS Deum certo hæc conditionata cognoscere. Restat modo præcipua in hac parte difficultas, scilicèt de modo, & medio, quo illa cognoscit; an scilicèt antecedenter ad decretū liberum suæ voluntatis in ipso actualiter existens, seù præcisivè ab illo huiusmodi futura cognoscit? An verò solùm sint cognoscibilia ratione decreti actualiter exerciti ex parte Dei. Vt autem dicenda melius intelligantur, advertendum est, decretum aliud esse absolutum, tàm ex parte actus, quàm ex parte obiecti, & est actus voluntatis divinæ actualiter in illa existens, in quo esse absolutum ex parte actus, seù subiectivè consistit; est autem obiectivè absolutum, dum suum obiectum attingit independenter ab aliqua conditione, in quo esse obiectivè absolutum consistit; v.g. decretum, quo Deus vult existentiam Petri, est absolutum ex parte actus, seù ex parte subiecti, & est etiam obiectivè absolutum; quia defacto datur in Deo huiusmodi decretum, quo vult existentiam Petri, non sub aliqua conditione, sed absolutè: aliud est decretum absolutum subiectivè, & obiectivè conditionatum, & est actus voluntatis divinæ actualiter in Deo existens, attingens tamen obiectum, non absolutè, sed sub conditione, quod ponatur in hac, vel illa occasione, ex vi cuius decreti, licèt non sit ponendus consensus, poneretur tamen ex vi illius, si purificaretur conditio; quia tamen ex se non infert, aut purificat conditionem, non infert absolutè esse ponendum consensum: alterum est decretum conditionatum tàm subiectivè, quàm obiectivè, & est actus divinæ voluntatis non existens defacto, sed qui esset, si purificaretur conditio.

2 Deindè supponendum est, non requiri ad certam cognitionem conditionatorum decretum absolutum, tàm subiectivè, quàm obiectivè; Deus enim huiusmodi conditionata omnia erga omnes combinationes possibiles certò cognoscit: & quamvis infinita sunt, quorum nunquam purificabitur conditio, & quæ absolutè non erunt; atqueadeò decretum absolutum, tàm subiectivè, quàm obiectivè non terminant. Difficultas ergo est, an sint cognoscibilia antecedenter ad decretum subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum.

3 Circa quod dupplex opposita versatur sententia. Prima negat Deum cognoscere huiusmodi futura certo, & infallibiliter ante decretum Dei liberum suæ voluntatis. Ita omnes Thomistæ, quos refert Mag. Vives disp. 3. dist. 3. & disputatione 19. dist. 2. Illustris. Godoy, & Gonet, vbi supra, quibus adhærent quantum ad conditionata Arrubal disp. 45. cap. 4. & disp. 46. cap. 1. 2. & 3. Lessius, Albertinus, Fassolius, Torres, & alij adducti à Recentiori Complutensi, disp. 23. de Scientia Dei, cap. 2. qui asserunt, conditionata disparata requirere ad sui veritatem decretum divinum actualiter in Deo existens: ex parte consentit Vazquez, quatenus ad veritatem cōditionatorum de conditione disparata requirit promissionem divinam, sine qua non possunt esse vera.

4 Secunda sententia affirmativa docet futura conditionata cognosci à Deo certo, & infallibiliter antecedenter ad decretum liberum. Ita Fonseca lib. 6. Metaphisic. quæst. 4. cap. 2. Molina in Concordia

disp.

disp. 30. & 1. p. disp. 14. Suarez, lib. 4. de scientia futurorum, cap. 6. & Prologomenon 2. de Gratia, cap. 5. Becanus 1. p. quæst. 6. cap. 10. quibus consentiunt omnes Authores Scientiæ Mediæ, præter supra adductos, sententiam hanc limitantes ad futura conditionata, quorum conditio aliquam habet connexionem, seù conducentiam ad effectum.

5 Multiplex tamen est modus defendendi hanc sententiam. Primus est, quẽ refert Molina, quorundam asserentium cognosci hæc futura in ideis Divinis, in quam sententiam trahere conantur quidam Recentiores Ægydium Romanum. Secundus modus docet cognosci in causis liberis, & contingentibus, vt super comprehensis: ita Molina in Concordia disp. 53. & Becanus, vbi supra. Tertius asserit cognosci in decretis divinis, vt conditionatè futuris: sic Suarez vbi supra. Quartus denique modus affirmat cognosci in sua obiectiva veritate, quam habent conditionata pro priori ad decretum, seù præcisivè ab illo; qui modus dicendi communior est inter Recentiores. Pro explicatione veritatis sit.

DVBIVM IV.

Vtrùm Deus hæc futura cognoscat in ideis divinis, vel in causis liberis vt super comprehensis, vel in suo decreto vt futuro.

§. I.

Resolvitur prima pars Dubij.

4 SIT Prima conclusio: Deus non cognoscit conditionata contingentia in ideis divinis ante decretum liberum suæ voluntatis: Hæc conclusio probatur; nam in causa indiferenti vt tali, nequit ex vi illius aliquid determinatè cognosci; at idea divina ante decretum, seù præcisivè ab illo est causa exemplaris indifferens ad futuritionem tàm absolutam, quàm conditionatam, & illius carentiam; ergo in illa, aut ex vi illius nequeunt futura absoluta, vel conditionata, vt determinatè talia cognosci. Maior probatur primo; nam effectus cognoscitur in causa, & ex vi illius eo modo, quo in illa habet esse: sed in causa indifferenti ad esse, & non esse effectus, non habet effectus esse determinatum; ergo. Secundo probatur maior, nullum obiectum in alio, aut ex vi illius cognosci potest, nisi obiectum, quod est medium *in quo*, aut ex vi cuius alterum cognoscitur, cum illo connectatur; quapropter in existentia lapidis, aut ex vi illius nequit existentia Petri cognosci: sed causa indifferens ad esse, & non esse effectus cum nullo illorum determinatè connectitur; ergo in illa, aut ex vi illius nequit aliquid horum determinatè cognosci. Deindè minor etiãprobatur; nã idea, vt prævenit decretũ divinum, est prædicatum necessarium Dei, scilicèt essentia divina vt imitabilis à creaturis: futuritio autem, tàm absoluta, quàm conditionata est aliquid contingens in sensu supra explicato; ergo idea, vt prævenit decretum divinum, nequit connecti cum futuritione rerum; ac proindè nihil necessarium potest cum contingenti connecti.

7 Secundo idem assumptum probatur ex D. Thoma, quæst. 3. de Veritate, art. 6. in corpore; vbi sic habet: *Relinquitur, quod idæa possit esse eius, quod non est, nec erit, nec fuit: non tamen eodem modo, sicut est eorum, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt: quia ad ea, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt producenda, determinatur ex proposito divinæ voluntatis; non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt; & sic huiusmodi habent quodammodo in determinatas ideas*; ergo iuxta D. Thomam idea solùm habet determinationem á decreto voluntatis divinæ; atqueadeò vt illud prævenit, indifferens est, & indeterminata: ex quo etiam habetur, quod idæa accipit à decreto divino determinationem, vi cuius in ipsa cognoscitur futurum. Quod etiam docuit D. Thomas in 1. dist. 39. quæst. 1. art. 1. in secunda solutione ad 1. quæ ab ipso magis probatur; illis verbis: *Sicut ipsum scire est subiectum libertati voluntatis, ita, & idæa, secundum quod ad ipsam terminatur actus divinæ scientiæ*; & paulò infra: *Tamen respectu vtriusque potest designari libertas voluntatis*; vbi duo manifestè docet. Primum quod scientia Dei extenditur ad futura ex determinatione voluntatis divinæ. Secun-

dum

dum est, quod idea etiam determinatur ad illa repræsentanda ex eadem libertate Dei: vndè neque scientia cognoscit, neque idæa repræsentat futura, nisi ex determinatione voluntatis divinæ; quia vtraque est indifferens ad futuritionem, & non futuritionem, cum neutro illorum connexa, atque adeò indigens ab alio determinari: quod esse non potest, nisi à primo libero, vt infrà amplius constabit.

8 Confirmatur primo; si in idæa vt prævenit decretum divinum cognoscerentur futura, cum ipsa necessaria sit, necessario cognoscerentur vt futura; atqueadeò non contingenter, sed necessario essent futura; sicut quia in Omnipotentia, vt prævenit decretum, Deus cognoscit creaturas possibiles, Deus illas, vt possibiles necessario cognoscit, & ipsæ necessario sunt possibiles; similiter ergo dicendum est de creaturarum futuritione, si in idæa præcisivè à decreto possunt determinatè cognosci. Quapropter D. Thomas vbi proximè, vt salvet Deum in idæa aliquid cognoscere, quod defacto non cognoscit, & posse non cognoscere aliquid, quod de facto cognoscit, necessarium putavit asserere, idæam subdi in repræsentando futura contingentia determinationi divinæ voluntatis liberæ; planè sentiens, quod si pro priori ad decretum, & independenter à determinatione libera voluntatis divinæ illa repræsentaret, Deusque in idæa proùt sic cognosceret futura contingentia, non posset illa non cognoscere vt talia; atqueadeò sicut cognoscere esset necessarium, & non contingens, ita ipsa futura non essent contingentia, sed necessario futura.

Confirmatur secundo; idæa divina non potest repræsentare vt futurum, quod futurum non est; atqueadeò in illa nequit vt futurum cognosci: sed antecedenter ad decretum nulla res est futura; nam vt suprà vidimus, & infra amplius constabit, forma futuritionis tàm absolutæ, quàm conditionatæ est decretum: ante formam autem futuritionis, nulla res potest esse futura, nec vt talis intelligi; ergo præcisivè à decreto, aut antecedenter ad illud non potest in idæa esse, aut intelligi futurum.

§. II.

Solvuntur argumenta.

9 CONTRA Conclusionem arguitur; idæa ante decretum est exemplar futurorum; ergo in illa ante decretum possunt futura cognosci. Antecedens probatur; idæa ante decretum est exemplar, cum sit prædicatum essentiale Dei, de cuius ratione est esse exemplar: sed iuxta D. Thomam infrà quæst. 15. artic. 3. ad 2. Idæa non est exemplar, nisi futurorum; ergo ante decretum est exemplar futurorum. Secundo, idæa repræsentat futura purè conditionata, vel vt determinata per decretum; vel præcisivè ab illo, vel antecedenter ad illud: sed non vt determinata per decretum; nam iuxta D. Thomam quæst. 3. de Veritate vbi suprà, solùm ad ea, quæ sunt, erunt, vel fuerunt determinatur per decretum; futura autem purè conditionata, neque sunt, neque erunt, neque fuerunt; ergo illa non repræsentat vt determinata per decretum.

10 Tertio; nam D. Thomas in præsenti art. 13. docet: Deum cognoscere futura in idæis; & insuper ea cognoscere in eorum præsentia, quam in æternitate habent: sed illa cognoscit in præsentia, quam habent in æternitate, ratione decreti, cum hãc præsentiam habeant futura ratione decreti, vt posteà videbimus; ergo in idæis cognoscit futura non ratione decreti, sed ratione sui; aliàs non esset duplex, sed vnicus modus cognoscendi futura, cum vtroque modo cognoscantur ratione decreti. Tandem, idæa repræsentat futura vt illorum causa, & ratione continentiæ illorum: sed ratione sui continet futura, & non ratione decreti; ergo ratione sui, & præcisivè à decreto illa repræsentat. Minor probatur, continet futura ratione perfectionis: sed hanc habet idæa ratione sui, & non ratione decreti, cum decretum nullam addat perfectionem ad perfectionem necessariam; ergo.

11 Respondetur distinguendo antecedens, est exemplar futurorum practicum in actu primo, concedo antecedens, in actu secundo, nego antecedens,& consequentiam : nam exemplar futurorum practicum in actu primo, est indifferens ad esse, & non esse futuritionis; atqueadeò ex vi illius proùr sic nequeunt futura determinatè cognosci : dicitur autem exemplar practicum in actu primo, seù in virtute, vt loquitur Div. Thomas, quatenus essentia Divina, vt imitabilis à creaturis potest determinari à voluntate divina ad causandum in actu secundo exemplariter futura. Quando verò docet Div. Thomas ideam solum esse exemplar futurorum, loquitur de exemplari practico in actu secundo; nam ibi, & quæstione citata de Veritate expresè docet dari ideam purè posibilium, quorum proindè datur exemplar practicum in actu primo. Vndè Div. Dionisius à Div. Thoma adductus, dicens ad rationem exemplaris, seù ideæ, requiri voluntatem Dei prędeterminativam, seù effectivam, quæ respectu purè posibilium non datur, interpretatur à Div. Thoma de Voluntate prędeterminativa, seù effectiva in actu primo, quæ etiam respectu posibilium datur; cum nihil aliud sit, quam voluntas potens prædeterminare, & prædefinire.

12 Ad secundum concessa maiori, distinguo minorem, non est determinata per decretum omninò absolutum, concedo minorem, per decretum subiective absolutum, & obiective conditionatum, nego minorem,& consequentiam : & ad D. Thomam dicatur loqui de determinatione absoluta tàm subiectivè, quàm obiectivè, quam non habet idea, respectu illorum, quæ absolutè non sunt futura; cum quo componitur determinari per decretum subiective absolutum,& obiective conditionatum ad causandum conditionatè futura conditionata, & ad illa vt conditionatè futura repræsentanda.

13 Sed dices; ergo ex illis verbis D. Thomę solum infertur ideam solum determinari ad repræsentanda futura absoluta per decretum, non verò conditionata; cum in illis iuxta modo dicta loquatur de determinatione absoluta,& de futuris absolutis; ergo malè illius verbis vsi sumus ad probandum ideam non repræsentare futura conditionata, nisi determinata per decretum. Secundo ibi docet D. Thomas, quod erga illa, quę futura absoluta non sunt, habet Deus ideas indeterminatas; ergo quoad futura purè conditionata habet Deus indeterminatas ideas; ergo malè,& contra Div. Thomam asserimus habere ideas determinatas per decretum subiective absolutum, & obiective conditionatum.

14 Ad primum respondetur, ibi D. Thomam docere ideam solum esse practicam in virtute, seù in actu primo,& consequenter indeterminatam, & indifferentem, vt sit, aut non sit futurum absolutum, quousque determinetur à proposito voluntatis divinæ; ex qua ratione intulimus ideam ex se,& nullo superaddito, esse insufficientem ad repræsentanda futura, nisi vt determinatam per decretum; & quia eadem est ratio futurorum conditionatorum, cum idea ex se etiam sit indifferens, vt res sit sub cõditione futura, vel non, rectè ex D. Thomæ doctrina infertur, etiam indigere determinatione, vt defacto illa repræsenter, licèt diversa iuxta diversitatem futurorum; ad absoluta enim determinatur per decretum omninò absolutum; ad conditionata verò per decretum subiective absolutum,& obiective conditionatum : maximè, quia Moderni, quos vidi oppositum defendentes, eodem modo discurrunt de futuris absolutis, ac de conditionatis, quantum ad hoc, quod est per ideas repræsentari, & in ipsis cognosci. Ad secundum dicatur, ideas erga non futura absolutè esse indeterminatas per exclusionem determinationis ad absolutè existendum, quam indeterminationem illis tribuit D. Thomas; non verò per exclusionem determinationis ad conditionatè existendum, quam illis nos tribuimus.

15 Ad tertium principale respondetur non assignare D. Thomam duplicem modum cognoscendi futura adequatè, de quo infra. Ad vltimum dicatur, ideam repræsentare futura per modum quidditatis, & signatè,& quantum ad illorum posibilitatem ratione continentiæ; vt futura autem,& sub exercitio existentię, ratione decreti.

§. III.

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

16 DEUS Non cognoscit cõditionata contingentia insuper comprehensione causæ secundæ liberę, & contingentis. Hæc conclusio est contra Molinam in Concordia vbi supra, & præcipuè disp. 52. vbi docet, quod vt in causa indifferenti, & libera possit cognosci, quid esset actura, si in hac, vel illa serie rerum constitueretur, necessarium est, quod supercomprehendatur, non quacumque supercomprehensione, sed infinita; & quia Deus supercomprehendit infinitè arbitrium creatum, in illo proùt sic comprehenso cognoscit, quid esset actura creatura rationalis in quocumque ex infinitis rerum ordinibus, in quibus potest constitui; quapropter nec Angelus in arbitrio hominis, nec Angelus superior in arbitrio inferioris hoc cognoscere potest; imò neque Deus in seipso valet cognoscere, quod vellet in hoc, vel illo ordine rerum; quia scilicèt non supercomprehendit seipsum. Conantur aliqui Recentiores Magistrum, à quo in hac parte recedunt, interpretari, & ad suam trahere sententiam; sed ipse clariùs loquitur, quam interpretatione indigeat. Illum sequitur Becanus 1. part. tract. 1. cap. 10. quæst. 7. sed quidquid sit de hoc.

17 Conclusio nostra est expressa D. Thomæ locis citatis, & alibi sæpè dicentis, contingentia non esse cognoscibilia in causa contingenti; & constat ratione suprafacta: in indifferenti enim vt tali nequit vnum præ alio cognosci: at liberum arbitrium est omninò indifferens, potensque pro sua libertate in partem, quam maluerit, flecti; ergo in illo proùt sic nequit cognosci, in quam partem determinatè flectetur. Neque supercomprehensio aliquid iuvat; quia solum præstat, vt perfectius cognoscantur, quæ in obiecto, & ex vi illius cognoscibilia sunt: in indifferenti autem ad plura nullum illorum est determinate cognoscibile; cum in illo vnum præ alio non contineatur: imò quantum per supercomprehensionem liberum arbitrium perfectius cognoscitur, tanto perfectius eius indifferentia penetratur; atqueadeò nihil ex vi illius est determinatè futurum.

18 Secundo, quia in obiecto, & ex vi illius solum potest cognosci id, cum quo determinatè connectitur, vt supra dicebamus; vnde quantumvis lapis supercomprehendatur in illo, & ex vi illius nequit homo cognosci; sed liberum arbitrium est indifferens ad plura, & cum nullo determinatè connectitur; ergo quantumvis supercomprehendatur, nequit in illo aliquid determinatè cognosci. Tertio; nam etiam si Deus non supercomprehendat seipsum, benè tamen arbitrium creatum; non ideò minus perfectè cognoscit se, quam arbitrium creatum; & tamen quia indifferens est ex se, vt velit hoc, aut illud, ex vi comprehensionis sui non cognoscit, quid in hoc, quid in illo ordine rerum vellet; vt concedit Molina; ergo similiter est dicendum.

19 Quarto, si in indifferenti vt tali esset aliquid determinatè cognoscibile, in Deo, vt prævenit exercitium suæ libertatis, esset cognoscibile, quid vellet in hoc, vel in illo ordine rerum; si enim in arbitrio creato indifferenti cognoscibile est quod vellet; pariter in arbitrio divino: at quidquid cognoscibile est in Deo pro priori ad exercitium suę libertatis, cognoscitur à Deo pro priori ad decretum; ergo cognoscit Deus quod vellet in hoc, aut in illo ordine rerum. Quinto, comprehensio obiecti attingit in illo, & ex vi illius quidquid cognoscibile est in tali obiecto; ergo si in arbitrio creato cognoscibile esset, quid ageret in hoc, vel illo ordine rerum, ad hoc non esset necessaria supercomprehensio; dato tamen, quòd hæc esset necessaria, non est ratio, quare requiratur infinita; atqueadeò Angelus sciret, quid ageret homo; & Angelus superior quid ageret inferior: & adhùc admisso requiri infinitam supercomprehensionem ad cognoscendum, quid ageret voluntas in infinitis rerum ordinibus, non tamen est ratio aliqua ad probandum, quod Angelus per supercomprehensionem finitam non possit cognoscere quid ageret homo in vno, vel altero ordine rerum.

20 Dices, his rationibus convinci, Deum in arbitrio creato, & ex illo non posse cognoscere actus illius sub

conditione futuros; non tamen, quod ratione ſummę vis cognoſcitivæ, non poſsit illos cognoſcere, non quidem in arbitrio creato, aut ex vi illius, ſed in veritate eorum obiectiva; quę eſt ſententia Recentiorum, à nobis infra impugnanda, quę & non alia fuit mens Molinæ.

21 Sed contra eſt primo. Nam ſententia illa, vt à nobis impugnatur, communiter tribuitur Molinæ, etiam ab eius diſcipulis, & merito, illam namque clarè exprimit vbi ſupra; duo enim docet: primum eſt, quod ad cognoſcẽdum futura requiritur infinita ſupercomprehenſio Dei. Secundum eſt, quod ex vi ſupercomprehenſionis Deus in arbitrio creato illa cognoſcit. Inſuper argumenta, quibus ſuam ſententiam probare contendit, ad hoc tendunt, vt illa proponendo conſtabit. Secundo; nam ſi ſentiret non in arbitrio creato, & ex vi illius futura cognoſcere, ſed in veritate obiectiva, eadem ratione Deus cognoſceret ſuos actus liberos ſub conditione futuros, ſeù ſub conditione abæterno exiſtentes; quantum ad veritatem enim obiectivam, eadem eſt ratio de actibus divinis, & creatis, vt etiam fatentur Adverſarij.

22 Secundo probatur concluſio; nam vt Deus in arbitrio creato cognoſceret hunc actum liberum eliciendum à creatura in tali rerum ordine, neceſſarium eſt vt cognoſcat, quod in tali ordine rerum exiſterent omnia prærequiſita ad talem actum; implicat enim actum exiſtere, quin prærequiſita ad illum exiſtant; & conſequẽter implicat, quod Deus ſciat talem actum extiturum ſub aliqua conditione, quin ſimul cognoſcat, quod exiſterent ſub illa cõditione omnia prærequiſita ad talem actũ, & quæ Deus ſcit ad illum prærequiri: ſed quantumvis Deus ſupercomprehendat arbitrium creatum, nequit cognoſcere omnia, quę ipſe ſcit prærequiri ad actum, etiã poſita conditione; ergo nequit cognoſcere actum extiturum ſub illa conditione. Maiõr eſt nota, & minor probatur; nam Deus ſcit ad actum creatum prærequiri decretum, ſaltim indifferens, ſeù oblativum concurſus indifferentis: ſed non cognoſcit extiturum eſſe huiuſmodi decretum, ſi arbitrium creatum in tali rerum ordine conſtitueretur, quantumvis illud ſuper comprehendat; ergo. Maior eſt certa, & minor probatur; tùm, quia actus divinus non cognoſcitur à Deo, vt extiturus conditionatè, vt Adverſarius docet. Tùm, quia ex vi ſupercomprehenſionis arbitrij creati ad ſummum poteſt cognoſci id, cuius cauſa eſſet arbitrium creatum: at hoc non poteſt eſſe cauſa decreti divini, etiam indifferentis, ſeù offerentis concurſum indifferentem; ergo ex vi ſupercomprehenſionis non poteſt Deus cognoſcere, quod exiſteret tale decretum.

23 Reſpondebis primo, quod vltra decretum conſtituendi liberum arbitrium in illo rerum ordine, in quo prę-vidit ipſum conſenſurum; v. g. non eſt neceſſarium ad exiſtentiam actus liberi creati aliud decretum; quapropter vt actus liber cognoſcatur vt conditionatê futurus, non eſt neceſſe, quod cognoſcatur actus voluntatis divinæ, vt futurus ſub conditione. Secundo dices, quod etiam ſi vltra decretum conſtituendi liberum arbitrium in tali rerum ordine, requiratur ad exiſtentiam actus decretum indifferens, ſeù conditionatum deconcurrendo cum illo, tale tamen decretum ponitur ex parte conditionis; id autem, quod ſic ingreditur, non eſt neceſſarium, quod cognoſcatur vt conditionatê futurum, ſicut nec ipſa conditio. Vel tandem dices, quod licèt hoc decretum ſit prærequiſitum ad actum, & non ingrediatur ex parte conditionis, cognoſcitur tamen à Deo futurum, ſeù extiturum, non per Scientiam Mediam, ſed in altero decreto ſubiective abſoluto, & obiective conditionato, quo Deus determinavit, quid vellet indifferenter in quolibet rerum ordine: in decreto ergo quo determinavit, quod in illo ordine rerum vellet concurrere indifferenter cum creatura, cognoſcit illud decretum cõditionatè futurum.

24 Sed nulla ex his ſolutionibus ſatisfacit; & prima licèt iuxta principia Scientiæ Mediæ ſine novo inconvenienti poſsit defendi, communiter tamen deſſeritur à Theologis, & merito. Nam omnis cauſa ſecunda indiget concurſu Dei ſimultaneo, ſimul cum illa concurrente ad effectum, quem concurſum poteſt Deus denegare, non ſolùm cauſæ ſecundæ indifferenti, ſed etiam naturali, & determinatæ, ſicut defacto negavit igni Babilonico; ergo vltra liberum arbitrium, & omnia requiſita ex parte illius ad actum, eſt neceſſarium ad actum decretum divinum, ſaltim indifferens, ſeù conditionatum, quo Deus velit paratam eſſe Omnipotentiam, vt aiunt, ad concurrendum cum libero arbitrio.

Se-

25 Secunda reijcitur primo ; nam ex illa ſequitur, quod ſi ex parte conditionis, ſolùm ponatur liberum arbitrium cum omnibus ex parte ſui requiſitis ad actum, Deus non cognoſcat actum futurum, quamvis liberum arbitrium ſupercomprehendat ; quo ſemel conceſſo, evaneſcunt argumenta, quibus Adverſarij probant futura conditionata cognoſci à Deo. Secundo; nam etiamſi ex parte conditionis ingrediatur decretum indifferens, non poteſt Deus cognoſcere proprium concurſum omninò requiſitum ad actum, vt conditionatè futurum ; ergo neque poteſt cognoſcere actum creaturę. Conſequentia ex dictis conſtat ; & antecedens probatur ; nam ad ſic cognoſcendum concurſum Dei, neceſſe eſt Deum ſeipſum, ſuam Omnipotentiam, & decretum indifferens ſupercomprehendere ; ſicut ad cognoſcendum vt conditionatè futurum concurſum liberi arbitrij, requiritur illius ſupercomprehenſio : ſed Deus non ſupercomprehendit ſe, aut ſuam Omnipotentiam; ergo.

26 Tertia denique reijcitur ; nam ex illa manifeſtè ſequitur, ſcientiam, qua Deus cognoſcit actum ſub conditione futurum, non eſſe mediam, ſed Deo perfectè liberam : quod ſic probatur ; nam ſcientia, qua Deus cognoſcit ; quod in tali rerum ordine vellet conditionatè concurrere cum creatura eſt perfectè libera ſupponens decretum Dei, iuxta ſolutionem, & ipſam ſententiam Molinæ: ſed ſcientia actus creari ſub conditione futuri ſupradictam ſcientiam neceſſario ſupponit ; ergo, & decretum liberum. Scientia autem ſupponens decretum liberum, non eſt media, ſed libera. Minor probatur ; nam actum creaturæ eſſe futurum ſub illa conditione ſupponit eſſe extiturum ſub illa decretum indifferens; ergo ſcientia, qua Deus cognoſcit actum creatum ſub conditione futurum, ſupponit ſcientiam decreti indifferentis extituri ſub illa conditione; quæ ſcientia, vt vidimus in ſententia Molinæ ſupponit liberum decretum ſubiectivè abſolutum, & obiectivè conditionatum.

27 Tertiò probatur concluſio etiam ad hominem; ſi Deus cognoſceret inſuper comprehenſione liberi arbitrij, quem actū eliceret in tali ordine rerum, in illo conſtitutum, maneret neceſſitatum ad illum eliciendum iuxta principia Authoris contrarij; ergo iuxta illa nequit Deus talem ſcientiam, ſeù cognitionem habere. Antecedens probatur ; ſi Deus ſciret independenter à decreto propriæ voluntatis actualiter exiſtente, quid ipſe vellet in tali ordine rerum in illo conſtitutus, non libere, ſed neceſſariò vellet id, quod prævifus eſt volicurus in tali ordine rerum; ita Molina vbi ſupra ; ergo liberum arbitrium conſtitutum in tali rerū ordine, quo prævifum eſt conſenſurum, non libere, ſed neceſſariò eliceret conſenſum. Conſequentia probatur; ideò primum eſt verum, quia ex ſuppoſitione illius ſcientiæ non poteſt oppoſitum velle, & alias talis ſcientia exiſtit independenter à determinatione Dei actualiter exiſtente : ſed ex ſuppoſitione, qua Deus prævidit liberum arbitrium conſenſurum in tali ſerie rerum, non poteſt liberum arbitrium in illa conſtitutum, non conſentire, & alias talis ſcientia non exiſtit dependenter à determinatione liberi arbitrij abſolutè exiſtenti ; ergo manet liberum arbitrium neceſsitatum ad conſentiendum.

28 Dices: liberum arbitrium in talī ordine conſtitutum poſſe facere, quod in Deo non exiſtat Scientia illa Media, qua prævifum eſt conſenſurum, eo quod in talī ordine conſtitutum potens eſt nō conſentire : ſi autem non conſentiret, non extitiſſet in Deo ſcientia illa media conſenſus. Sed contrà eſt; quia Deus conſtitutus in ordine, ſub quo prævidit; tale decretum ſe habiturum, non eſt potens facere, quod in ipſo non extitiſſet ſcientia illa, neque potens eſt tale decretum non habere, aliàs maneret liber; ergo neque hoc poteſt liberum arbitrium creatum.

29 Si autem ſecundo dicas, libertatem creatam non lædi ex qualibet ſuppoſitione inferente illius actum, etiam ſi talis ſuppoſitio exiſtat independenter ab eius determinatione : ſecus autem divina libertas, quæ vtpotè prima nihil poteſt ſupponere ex eius determinatione non exiſtens inferens actum ipſius. Fateor diſparitatem, quę mihi evidens eſt, non tamen traddi poteſt ab Adverſarijs, iuxta quos vt voluntas creata ſit libera in eliciendo actum, requirit ſicut divina, quod nihil exiſtat incompoſsibile cum actu oppoſito, cuius exiſtentia ab ipſa voluntate vitari non poteſt.

30 Tandem ſcientia hæc impoſsibilis apparet, ex eo, quod Omnipotentia divina continet arbitrium creatum perfectiſſime, & eius determinationem multo perfectiùs, quam contineat ipſam arbitrium

creatum, ratione cuius Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum, quã ipsi suas: & tamen Omnipotentia non potest obiectivè movere ad cognoscendum quidnam voluntas creata in tali ordine rerum ageret; ergo multominus arbitrium creatum.

31 Contra hanc sententiam aliqua sunt non difficilia argumenta. Primum est; in causa contingenti completa non impedita certitudinaliter cognoscitur effectus; ergo in libero arbitrio non impedito poterit eius actus determinatè cognosci. Antecedens probatur ex D. Thoma 1. contra Gentes, cap. 67. ratione 3. Respondetur antecedens esse verum de causa contingenti naturali, quæ non impedita connectitur cum effectu; atqueadeò Deus illam non impeditam cognoscens, potest in illa effectum cognoscere, & de hac loquitur Div. Thomas: liberum autem arbitrium, etiam non impeditum ab extrinseco, indifferens est ad actum, & illius carentiam: & si argumentum convinceret, probaret, quod sicut in causa naturali contingenti non impedita cognoscitur effectus certitudinaliter, quin ad hoc sit necessaria super comprehensio, pariter, vt in libero arbitrio cognosceretur actus determinatè, necessaria non esset illius super comprehensio.

32 Secundo arguit Becanus; Pater ex indole filij sibi nota naturaliter cognoscit, in quam partem inclinabitur; ergo Deus infinite supercomprehendens arbitrium, hoc omninò certo cognoscit. Respondetur facilè, concesso antecedenti, negando consequentiam; nam in libero arbitrio, supposita inclinatione, & indole filij, solùm est futurus probabiliter, & cognoscibilis coniecturaliter vnus eventus prælio; atqueadeò nec Deus potest in illo ampliùs cognoscere; licèt idipsum, quod Pater, infinitè perfectiùs cognoscat Deus.

§. IV.

Statuitur tertia conclusio.

33 PRO Resolutione tertiæ partis, quam examinandam proposuimus, supponendum est primo: Deum nó posse cognoscere futura contingentia in decreto inefficaci existenti, aut futuro: quod manifestè constat ex dictis; in indifferenti enim vt tali futurum nequit determinatè cognosci: cum autem decretum inefficax indifferens sit, possitque coniungi cum carentia futuritionis, nequit esse medium aptum ad cognitionem futuri. Nec huius oppositum docuit Suarez, vt infra videbimus.

34 Deindè supponendum est, decretum non posse esse futurum realiter, ita vt in aliquo priori *in quo* non sit, existet tamen postèa; atqueodeò non potest cognosci hoc modo futurum: quod constat manifesta ratione; quamvis enim decretum quoad denominationem liberam potuerit non esse; tamen non solum quoad entitatem, verum etiam quoad denominationem liberam non potest habere esse post non esse, nec in tempore incipere, aut desinere; etenim est indistinctum à Deo, mensuraturque eius æternitate; atqueadeò in illo semel existere, est semper existere, & est cõmunis Theologorum sententia. Quo modo autem hoc verum sit in sententia aliquorũ constituentium decreta saltim inadæquatè per aliquid extrinsecum in tempore existens, non est huius loci. Ex his etiam colligitur, decretum non posse esse futurum etiam conditionatè per hoc, quod si purificetur in tempore conditio, tunc incipiat decretum; hæc enim conditionata futuritio non minus repugnans est, quam absoluta futuritio realis: cum enim implicatorium sit, decretum in tempore incipere, non potest esse verum extiturum esse in tempore sub aliqua conditione possibili.

35 Tertio supponendum est, prædicata necessaria Dei esse priora decreto prio-

prioritate à quo virtuali, & formali per rationem ; hęc enim prioritas non importat duo inſtantia ſibi ſuccedentia ; alterum, in quo exiſtant prædicata neceſſaria, & alterum, in quo exiſtat decretum ; ſed ſolum importat dimanationem vnius ab alio: cum autem decretum virtualiter, & per rationem prædicata neceſſaria ſupponat, ab illiſque virtualiter dimanet, non neceſſario, ſed libere poſterius eſt illis poſterioritate à quo virtuali, & per rationem.

36 Quod ergo in tertia parte examinandum proponitur eſt, an pro ſigno priori ad decretum, vt actualiter exiſtens poſsit Deus cognoſcere futura, quia pro illo ſigno ipſum decretum vt futurum cognoſcit ? Pro ſententia affirmativa refertur Fonſeca tomo 3. Metaphiſicæ, lib. 6. cap. 2. quæſt. 4. & tribuitur Suarez, Opuſcul. 2. de Scientia conditionatorum, lib. 2. cap. 8. qui docet, Deum non cognoſcere futura ante decretum vt cognitum ; benè tamen pro ſigno antecedenti exiſtentiam decreti, in quo intelligitur decretum vt futurum : diſcurrendumque exiſtimat eodem modo de futuris abſolutis, & de conditionatis, nimirùm cognoſci pro priori ad decretum, vt exercitè exiſtens in Deo ; non tamen pro priori ad illud cognitum vt futurum abſolutè, vel conditionatè iuxta qualitatem rei futuræ.

37 Sit tertia concluſio. Pro nullo ſigno antecedenti decretum poteſt Deus illud cognoſcere vt futurum, ſivè abſolutè, ſivè conditionatè ; atqueadeò pro nullo ſigno antecedenti decretum poteſt futura cognoſcere. Probanda eſt concluſio primo, ex eo, quod decretum non poteſt eſſe futurum ; & conſequenter Deus non poteſt illud vt futurum cognoſcere. Aſſumptum probatur ; nam futurum importat carentiam exiſtentiæ rei futuræ ; futurum enim eſt, quod non eſt, & erit poſteà : ſed decretum divinum, vtpotè menſuratum æternitate, ſemel exiſtens non poteſt carere exiſtentia ; ergo nec eſſe futurum.

38 Nec ſufficit dicere, quod vt ſit futurum decretum virtualiter, ſatis eſt, quod pro priori à quo intelligantur prædicata eſſentialia Dei, & non intelligatur decretum pro illo priori, exiſtatque pro poſteriori. Non, inquam, ſufficit ; quia exinde ſequeretur, Verbum divinum poſſe dici futurum, & vt tale intelligi, & ſimiliter attributa divina : conſequens eſt falſum ; ergo. Sequela probatur ; nam Verbum divinum non intelligitur exiſtens pro priori à quo originis, ſed pro poſteriori, & ſimiliter attributa divina non intelliguntur exiſtentia pro priori à quo intelligitur natura divina vt illorum radix, ſed pro poſteriori *à quo* virtuali ; ergo ſi ad futuritionem ſufficeret prioritas, & poſterioritas à quo, Verbum divinum, & attributa divina poſſent dici, & intelligi futura.

39 Sed quidquid ſit, an hoc ſufficiat, vt Verbum divinum poſsit pro priori originis dici, aut intelligi futurum : quod falſum putamus ; nihilominus de decreto verificari non poteſt. Quod fiet manifeſtum hac ratione, qua ſecundo probatur concluſio: pro priori ad decretum non eſt verum extiturum decretum pro altero poſteriori ; ergo pro illo priori non intelligitur vt futurum ; pro illo enim ſigno ſolum intelligitur, quod pro illo ſigno verum eſt. Antecedens probatur, pro illo ſigno nihil intelligitur connexum cum exiſtentia decreti pro poſteriori ; ergo pro illo priori non eſt verum extiturum eſſe decretum pro altero poſteriori. Conſequentia conſtat, nam eſſe verum extiturum eſſe decretum pro altero poſteriori, connectitur infallibiliter cum exiſtentia decreti ; ergo ſi pro illo priori nihil intelligitur connexum cum exiſtentia decreti pro altero poſteriori, non eſt verum pro priori illo, extiturum eſſe decretum pro altero poſteriori. Antecedens autem probatur ; nam pro priori ad decretum ſolum intelliguntur prædicata neceſſaria Dei : ſed eſſe verum exiſtiturum eſſe decretum poſt poſteriori, non eſt prædicatum neceſſarium Dei ; ergo non intelligitur pro illo priori.

40 Confirmatur primo ; pro priori ad decretum non intelligitur decretum vt exiſtens, quia pro illo ſolum intelliguntur prædicata neceſſaria Dei, non ſolum indifferentia ad eſſe, & non eſſe decreti, ſed etiá indifferentia ad fore, & non fore illius ; ergo pro illo priori nequit cognoſci à Deo, decretum eſſe futurum. Confirmatur ſecundo ; ſi pro priori ad decretum eſſet verum, extiturum eſſe decretum pro altero poſteriori, eo eſſet, quia pro illo priori non exiſtit, & exiſtit pro poſteriori : ſed hoc non ſufficit, vt ſit verum ; ergo pro illo priori nequit intelligi decretum vt futurum. Minor probatur ; pro priori ad totam collectionem prædicatorum contingentium Dei, (contingentium, inquam, quoad denominationem, vt aiunt) non exiſtit tota collectio,

tio,& existit pro posteriori : & tamen non est verum pro priori ad totam collectionẽ, extituram esse pro altero posteriori ; ergo etiam si pro priori ad decretum non existat decretum,& existat pro posteriori,non ideò verum est pro priori ad decretum , extiturum esse pro altero posteriori.

41 Maior videtur certa , & minor probatur; nam si esset verum pro priori ad totam collectionem prædicatorum contingentium extituram esse pro posteriori,Deus pro priori ad totam collectionem cognosceret illam extituram esse pro alio posteriori : consequens admitti non potest ; ergo. Maior probatur; nam pro omni priori, pro quo obiectum verum est , & cognoscibile, cognoscitur à Deo , quia enim pro priori ad decretum est verum extiturum esse pro posteriori , pro illo priori cognoscitur à Deo esse extiturum. Ergo. Minor etiam probatur. Nam si pro priori ad totam collectionem prædicatorum contingentium Deus cognosceret esse extituram , hoc cognosceret per scientiam necessariam , cum pro priori ad illam collectionem , nulla in Deo detur scientia contingens : at per scientiam necessariam non potest illud cognoscere, aliàs daretur in Deo prædicatum necessarium connexum cũ contingentibus; & consequenter ipsa contingentia non essent; ergo.

42 Confirmatur tertio , & hoc ipsum amplius explicatur ; pro signo præcedenti hanc scientiam,quam adstruit Suarez præcedere decretum, non existit talis scientia,& existit pro signo posteriori;nam cum non sit necessaria, illam præcedunt prędicata necessaria Dei; atqueadeò non existit pro aliquo priori à quo , existit tamen pro posteriori : & tamen pro priori ad talem scientiam non cognoscit Deus esse extituram; ergo idem quod prius. Minor probatur;vel Deus hoc cognosceret per scientiam necessariam , vel per scientiam , quæ Deo deficere potuit : non primum;aliàs vtraque scientia esset necessaria, cum secunda inferatur infallibiliter ex prima , quæ supra secundam reflectitur , & quæ necessaria est: non secundum ; aliás daretur processus in infinitum, etenim de illa scientia idem fieri potest argumentum; ergo.

43 Tertio probatur conclusio.Hæc scientia præcedens decretum , aufert illius libertatem; ergo est implicatoria. Antecedens probatur ; hæc scientia præcedit decretum,& illud infallibiliter infert , & non existit ex determinatione voluntatis diuinę; ergo aufert libertatem decreti. Consequẽtia Adversarijs est nota ; quia enim physica prædeterminatio præcedit existentiam actus voluntatis creatę, illumque infallibiliter infert,& non existit ex determinatione voluntatis creatæ, illius aufert libertatem.Antecedens pro prima , & secunda parte est doctrina , quam impugnamus ; pro tertia autem constat; id enim , quod existit pro priori ad decretum voluntatis diuinæ , non existit ex eius determinatione: at hæc scientia existit pro signo antecedenti decretum; ergo non existit ex determinatione Dei.

44 Respondet Suarez ; quod licèt hæc scientia præcedat decretum vt existens, illud tamen vt libere futurum supponit ; atqueadeò eius libertatem non tollit. Sed cõtra est primo; quia pro priori ad decretum nihil intelligitur, ratione cuius possit esse futurum; omnia enim , quæ intelliguntur pro illo priori, indifferentia sunt ad fore,& non fore decreti,vt iam vidimus; ergo non supponit decretum vt futurum. Secundo; nam esse futurum decretum pro priori ad eius existentiam, aufert libertatem decreti; ergo implicatorium est esse libere futurum pro priori ad eius existentiam. Antecedens probatur argumento facto ; nam esse futurum infert infallibiliter existentiam decreti; illamque præcedit ; atqueadeò decretum non habet esse futurum ex determinatione voluntatis diuinæ ; ergo esse futurum pro priori ad eius existentiam aufert libertatem illius.

45 Tertio si decretum pro illo priori esset futurum, hoc haberet ex vi prędicati necessarij; ergo esset necessariò futurum. Antecedens probatur ; haberet esse futurum ex vi prædicati existentis pro illo priori,non ex vi scientiæ futuritionis : hæc enim, vt aiunt , futuritionem supponit ; & insuper nam scientia,quæ existit pro signo antecedenti determinationem liberam,non solùm Dei,sed creaturę, non potest non esse necessaria, vt iam diximus, & infra amplius constabit : at hęc scientia vtramque determinationem præcedit ; ergo non potest non esse necessaria ; & consequenter si hac constitueretur decretum futurum, esset necessariò futurum. Deindè non ex vi existentię decreti,quæ pro illo signo non est; ergo ex vi prædicati necessarij Dei ; implicat ergo decretum esse futurum pro priori ad eius existentiam , & esse libere futurum.

Tan-

46 Tandem probatur conclusio; hæc scientia non est magis necessaria, quam decretum; est enim cum illo infallibiliter mutuo connexa; nec dirigit Deum ad decernendum; est enim scientia visionis, quę vel supponit obiectum, in Adversariorum sententia, vel saltim directiva non est, sed purè speculativa; ergo non præcedit decretum prioritate *à quo*. Consequentia probatur; quia non potest esse alius titulus, ratione cuius præcedat, nisi quia esset magis necessaria, quam decretum, qua ratione docet Suarez prædicata necessaria Dei præcedere prioritate *à quo* decretum, vel quia Deum dirigit ad decernendum, imò si decretum actus liberi creati, vel auxilium ad illum eliciendum est indifferens, & non cõnexum cum eius existentia, vt asserunt Adversarij, decretum debet præcedere scientiam; quia à scientia ad decretum est bona consequentia, non tamen è contra, cum scientia non possit existere sine decreto; benè tamen decretum sine scientia.

47 Vel aliter potest argumentum factum proponi: si enim scientia visionis actus liberi præcedit decretum constituendi voluntatem creatam in actu primo expeditam ad illum eliciendum, potest dirigere Deum ad positionem decreti; sicut quia Scientia Media præcedit decretum conferendi auxilium, Deum potest dirigere ad illud decretum concipiendum; quod tamen non concedunt Authores oppositi, in quorum sententia asseritur, quod etiam si per impossibile existeret decretum in tempore, scientia tamen abęterno existeret, de quo infrà iterùm.

48 Ex his etiam deducitur, non posse Deum cognoscere decretum vt conditionatè futurum; quod enim purificata conditione, non est absolutè futurum, non potest vt futurum conditionatè cognosci: sed decretum purificata conditione non est absolutè futurum; ergo non potest cognosci vt conditionatè futurum. Minor constat. Nam purificata conditione solum est possibile, & esse decretum futurum implicat, vt vidimus.

§. V.

Solvuntur argumenta.

49 CONTRA Conclusionem primo arguitur ex Patre Suarez vbi supra; magis distat possibile ab existenti, quam à futuro: sed decreto non repugnat esse possibile; ergo nec repugnat esse futurum. Secundò, prius ratione concipitur Deus potens decernere, quam decernens; ergo prius intelligitur decreturus, quam decernens. Consequentia probatur; tùm, quia non apparet maior repugnantia in vno, quam in alio: tùm quia Deum esse decreturũ est medium inter posse decernere, & actualiter decernere; ergo licèt non intelligatur decreturus pro signo, quo intelligitur potens decernere, sed pro posteriori; potest tamen intelligi decreturus pro priori ad actuale decretum.

50 Tertio; pro priori prædicatorum essentialium Dei non intelligitur decretum, & existit pro altero posteriori rationis; ergo pro priori intelligitur futurum. Quartò, si Angelus abæterno crearetur, & abæterno vellet, in aliquo priori intelligeretur voliturus, pro quo non intelligeretur volens; ergo pariter Deus quamvis abęterno vellit, prius intelligitur decreturus, quã decernens. Quinto; pro signo, pro quo Pater Æternus generat Filium, intelligitur pro illo priori à quo cognoscens Filium existentem pro posteriori à quo originis; ergo pro priori quo intelligitur Deus liber ad decernendum, intelligitur cognoscens suum decretum extiturum pro posteriori rationis.

51 Sexto; quamvis decretum in se sit æternum, & actu præsens, potest cognosci à Deo independenter ab illa actuali præsentia; ergo prius ratione quam intelligatur existens, potest cognosci à Deo; quod & non amplius intendit Suarez. Antecedens probatur, nam si per impossibile decretum Dei inciperet in tempore, Deus cognosceret suam voluntatem fore illud habi-

habiturum; ergo etiam si æternum sit, & actu præsens, independenter ab actuali præsentia cognoscetur à Deo. Septimo; ante decretum liberum voluntatis divinæ, & prius ratione intelligitur in Deo scientia conditionata erga actus liberos creaturæ: ergo pariter ante decretum suæ voluntatis poterit esse in Deo scientia quodammodo libera erga proprios actus. Tandem; prius ratione, quam voluntas nostra sit absolutè volitura, cognoscit Deus, quid volitura est, si hoc, vel illud acciderit ei; ergo prius ratione, quam decernat, cognoscit Deus, quid volituras est ex hypothesi, quam in re positam videt, scilicèt, quod ipse est talis naturæ, bonitatis, scientiæ, &c.

52 Respondetur ad primum, distinguendo maiorem, possibile, quod indiget vera causa vt sit, concedo maiorem, possibile solùm Logicè, & per solam non repugnantiam vt sit, sine ordine ad causam, à qua habeat esse, nego maiorem: & distinguo minorem, decreto non repugnat esse possibile per ordinem ad veram causam, nego minorem, præcisè per non repugnantiam, concedo minorem, & nego consequentiam: vel aliter hoc ipsum explicatur, distinguendo maiorem; possibile, quod est in pura potentia obiectiva, & quod in statu possibilitatis nihil est, omitto maiorem; possibile, quod nunquam potest esse in pura potentia obiectiva, aut esse nihil, nego maiorem, & distinguendo minorem eodem modo, nego consequentiam. Dupliciter ergo aliquid dicitur possibile, scilicèt per ordinem ad causam, à qua potest habere esse, qualiter creatura dicitur possibilis; aliomodo per solam non repugnantiam ad essendum, & huiusmodi possibile includitur in necessario; quapropter de Deo summè necessariò, in hoc sensu dicitur, quod est possibilis. Insuper possibile per solam non repugnantiam, & sine ordine ad veram causam, est duplex, alterum ita necessarium, vt non possit non esse, neque quoad entitatem, neque quoad terminationem, & talis est Omnipotentia Dei, v.g. aliud ita est necessarium, vt licèt non possit non esse quoad entitatem, benè tamen quoad terminationem, & huiusmodi est decretum Dei; vt Tractatu de Voluntate Dei art. 3. dub. 2. §. 4. & 5. pro tenuitate nostra explicabimus. Cæterùm de decreto nunquam verificatur esse in pura potentia obiectiva, aut esse nihil, etiam de decreto, quod de facto non datur, v. g. de decreto creandi alterum mundum; & ratio est, nam id cuius tota entitas existit, necessario non est in pura potentia obiectiva, aut nihil: cum ergo tota entitas illius decreti, quæ est Deus, necessariò existat, decretum ipsum non est nihil, aut in pura potentia obiectiva; neque de illo verificatur non esse, nisi solum secundum quid, scilicèt, quoad terminationem, denominationem, explicationem, seù extensionem.

53 Ex quo constat in quo sensu negavimus maiorem; nam cum decretum nõ habeat veram causam, licèt possibile sit, non magis distat ab existenti, quam futurum; quia futurum, quamdiù futurum est, non est: possibile autem per solam non repugnantiam, quale est decretum, semper est quoad entitatem, etsi aliquando est quoad terminationem, semper est, & abæterno: imò etiam si sit possibile aliquid per ordinem ad veram causam, si tamen non est purè possibile, non est necessarium, quod magis distet ab existenti, quã futurum; vt patet in cognitione Angeli, si esset abæterno, quæ possibilis est per ordinem ad veram causam; & tamen non ita distaret ab existenti eius possibilitas, sicut distaret futuritio, ratione iam dicta; nimirùm, quia futurum quamdiù futurum est, non existit; secus verò possibile. Ex quo etiam constat explicatio subiuncta; nam admisso, quod possibile, quod est, aut potest esse in pura potentia obiectiva, magis distet ab existenti, quam futurum; non tamen decretum, quod in pura potentia esse non potest.

54 Sed dices; sicut decretum, quod nunquam est quoad terminationem, semper est quoad entitatem, pariter decretum futurum, dum futurum esset, non esset quoad terminationem, non verò quoad entitatem; ergo decretum, quod non est, v.g. creandi alterum mundum, magis distat à decreto existenti etiam quoad terminationem, quam decretum futurum, hoc enim quamvis aliquando non esset quoad terminationem, aliquando tamen esset; illud autem nunquam quoad terminationem existit. Respondetur, implicare decretum incipere quoad terminationem, & non quoad entitatem; si enim in tempore inciperet, non mensuraretur æternitate, de cuius ratione est non incipere, & consequenter realiter distingueretur à Deo: optimè autem stat, nunquam esse quoad terminationem, & semper esse quoad entitatem;

quia

quia hoc ſolum arguit dominium Dei erga creaturas, quas pro ſua libertate poteſt perficere, aut non perficere abſque ſuperadditione, aut defectu perfectionis divinæ.

55 Ad ſecundum conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, nec vtriuſque eadem eſt ratio; tùm, quia Deum poſſe decernere,& hoc ipſum ſcire,eſt prædicatum intrinſecum neceſſarium,& prærequiſitum ad decernendùm; & conſequenter vtrumque præcedit ratione noſtra decretum: eſſe autem decreturum, & hoc cognoſcere, ad decernendum non prærequiritur; eſtque prędicatum contingens in ſenſu ſupradicto; quod in Deo exiſtere ante decretum voluntatis divinæ, abſurdum putamus; tùm etiã, quia eſſe decreturum importat carentiam exiſtentiæ decreti in inſtanti *in quo*; quod tamen repugnat decreto ſemel exiſtenti: tàm denique; quia vt vidimus, pro priori ad decretum non intelligitur aliquid cum ipſo connexum; atqueadeò non intelligitur decretum eſſe extiturum poſteà, vtpotè hoc connectitur cum exiſtentia decreti: pro priori tamen ad decretum intelliguntur prædicata neceſſaria Dei, quibus Deus conſtituitur potens decernere,& quibus ipſum decretum poſsibile eſt,& dicitur.

56 Ad tertium conceſſo antecedenti, nego conſequentiam propter dicta; vt enim pro priori intelligatur decretum futurum, vltra recenſita in argumento requiritur, quod pro illo priori intelligatur aliquid connexum cum exiſtentia decreti; quod pluribus titulis repugnare, iam vidimus. Ad quartum, nego antecedens; eſſe enim volituram importat carentiam volitionis in inſtanti *in quo*, quæ non daretur in Angelo in caſu illo. Vel ſecundo, omiſſo antecedenti, nego conſequentiam; cuius diſparitas manifeſta eſt noſtra doctrina; ſcilicèt, quod etiam ſi Angelus abęterno eſſet volens, pro priori tamen naturæ ad volitionem eſſet aliquod inferens infallibiliter illam,nimirùm, decretum efficax Dei de illius exiſtentia; à quo decreto pro ſigno antecedenti volitionem Angeli, eſſet verum, extituram eſſe volitionem pro poſteriori: pro priori autem ad decretum divinum omnia, quæ intelliguntur,indifferentia ſunt ad eſſe, & non eſſe decreti; atqueadeò nihil pro priori ad decretum datur, ratione cuius poſsit eſſe verum extiturum eſſe pro poſteriori. Huius autem ratio eſt, quia decretum eſt prima determinatio, vtpotè exercitium primi liberi; volitio autem Angeli eſt exercitium liberi creati,& ſecundi, de cuius ratione eſt primi liberi determinationem ſupponere.

57 Sed vt tacitæ obiectioni fiat ſatis, notandum eſt, quod licèt decretum divinum alterius determinationem ex divina voluntate non poſsit ſupponere; non tamẽ eſt contra decretum divinum, aliam determinationem Dei ſupponere, nimirùm, aliud decretum Dei, ex quo infallibiliter inferatur; ſic electio ſupponit intentionem, & decretum executivum ſupponit intentivum: iuxta hanc ergo ſecundam ſolutionem omittendum eſt poſſe verificari pro priori ad decretum executivum dandi gloriam, v.g. eſſe extiturum tale decretum pro altero poſteriori; & admittendum eſt Deum pro priori ad tale decretum executivum cognoſcere tale decretum extiturũ eſſe pro poſteriori; quæ ſcientia eſt libera, & viſionis exiſtens ex determinatione voluntatis divinæ, ſcilicèt, ex vi decreti intentivi; quæ ſcientia eſt imperium medians inter decretum intentivum, & executivum; negandum tamen eſt Deum pro priori ad omne decretum cognoſcere ſuum decretum extiturum pro poſteriori; quod intendit Suarez, & nos eſſe impoſsibile monſtravimus.

58 Ad quintum, nego antecedens; nam Filium eſſe extiturum importat carentiam exiſtentiæ in inſtanti *in quo*, vt iam vidimus; quam Filio Dei convenire, omninò impoſsibile eſt: vel conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; cuius diſparitas conſtat ex ſolutione ad quartum. Ad ſextum, nego antecedens; eo quod cum ſcientia, qua Deus cognoſcit decretum, ſit contingens,& potens non eſſe, exiſtit in Deo ex determinatione ſuæ voluntatis; atqueadeò ſupponit exiſtentiam decreti: ad probationem,nego antecedens, nimirùm, quod ſi per impoſsibile Deus inciperet velle in tẽpore, cognoſceret abæterno ſuam voluntatem fore in tempore tale decretum habituram; niſi fortè haberet abęterno alterum decretum reflexum,quo vellet in tempore determinare: ratio huius eſt, quia vt ſuprà vidimus,& ſæpè docet D. Thomas, in caſu illo non eſſet verum abæterno, voluntatem Dei eſſe volituram in tempore; & conſequenter Deus non poſſet abæterno illud cognoſcere. Tùm etiam; quia cum ſcientia illa ex ſe ſit indifferens, vt ſit, vel non ſit, non poteſt abæterno habere eſſe præ non eſſe, niſi ex alicuius determinatione abęterno

no existente, quæ in casu illo non esset. Tùm denique; nam cum Deus omnia in seipso, & ex vi cognitionis sui cognoscat, vt cum Augustino, & Thoma docēt communiter Theologi, & aliás abæterno nihil sit in ipso, vi cuius possit cognoscere se in tēpore voliturum, fit, vt nullatenus possit cognoscere se voliturum.

59 Ad septimum nego antecedens propter dicta, quę infra confirmanda sunt. Ad vltimum distinguo antecedens, cognoscit quid vellet voluntas creata, si hoc, vel illud illi accideret, pro priori ad decretum, nego antecedens, ex vi decreti conditionati obiectiue, & subiectiue absoluti, concedo antecedens, & nego consequentiam: fateor hæc argumenta præcipuè duo vltima efficaciam habere in principijs Scientiæ Mediæ: vndè inconsequenter illius Authores negant contra P. Suarez Deum cognoscere futura pro signo ante decretum; hisque argumentis nos ostendemus infrà Authores Scientiæ Mediæ teneri ad asserendum Deum cognoscere futura, etiam absoluta antecedenter ad decretum, & independenter ab illo. Insuper hoc vltimum argumentum efficax videtur in prædictis principijs; si enim Deus scit, quod voluntas creata consentiret, si illi conferret auxilium sufficiens indifferens ad consensum, & dissensum, & hoc independenter ab existentia exercita consensus, aut determinationis voluntatis diuinæ pro signo illo existentis, quare præcisivè ab existentia decreti, & quin determinetur ad illius cognitionem non poterit cognoscere decretum? Vel aliter, Deus cognoscit futura conditionata, & ipsius decreta vt cōditionatè futura, quin ab illorum existentia, quę nunquam datur, determinetur ad illorum cognitionem, & similiter cognoscit consensum creatum absolutè futurum pro signo, pro quo non intelligitur existens, aut aliqua eius determinatio ad existendum, quia nulla abæterno datur; ergo similiter poterit cognoscere decretum: vndè inconsequenter hoc negant Assertores Scientię Medię.

60 Tandem arguitur; etiam si in Deo scientia decreti ipsum per rationem pręcedat, manet illæsa libertas diuina; ergo malè ex hoc capite illius pręcedentiam negamus. Antecedens probatur; Christus Dominus ab instanti conceptionis vidit per scientiam beatam omnes actus à se libere eliciendos per totam vitam, imò per totam æternitatem: & tamen scientia hæc ab ipso libertatem non abstulit in elicientia illorum actuum; ergo pariter etiam si Deus pro priori ad decretum cognoscat illud extiturum, manet illęsa eius libertas. Consequentia probatur; ideò primum est verum, quia licèt scientia beata Christi Domini præcedat eius actum liberum, illum tamen supponit vt libere futurum; sed quamvis per rationem præcedat scientia Dei existentiam decreti, illud tamen vt libere futurum supponit; ergo præcedentia scientiæ libertatem decreti non aufert. Confirmatur; si per impossibile Deus inciperet velle in tempore, & Deus abæterno sciret suam voluntatem tale decretum in tempore habituram, libertatem decreti nō auferret, vt patet paritate adducta ex Christo Domino; ergo à fortiori scire pro priori rationis decretum illud esse extiturum, illius libertatem non aufert.

61 Respondetur negando antecedens, ad probationem concessa maiori, & minori, nego consequentiam; ad cuius probationem nego minorem; scientia enim beata in Christo Domino ideò supponit actum liberum futurum, quia supponit in Deo decretum liberum illius, vi cuius est libere futurus: scientia autem Dei præcedens decretum solum supponit prædicata necessaria Dei, vi quorum decretum non est extiturum, sed indifferens ad fore, & non fore: si autem scientia illa decretum vt extiturum supponit, debet supponere illud vt necessario extiturum; vt suprà arguebamus: vel si ipsa scientia constituit decretum extiturum, debet constituere necessario extiturum.

62 Ad confirmationem nego antecedens; neque est simile in Christo Domino, propter duplicem rationem discriminis; prima est, quod scientia illa in Deo esset prædicatum necessarium, & nullomodo contingens, ratione sæpius adducta, & quæ præ oculis est semper habenda, scilicèt, quia cum scientia illa existeret in Deo abæterno, & non ex determinatione voluntatis diuinæ, quæ abęterno non esset, esset prædicatum necessarium Dei; quidquid enim in Deo est, & non ex eius libera determinatione, est prædicatum necessarium illius. Insuper inferret infallibiliter decretum in tempore; & consequenter hoc necessario in tempore existeret; quidquid enim infallibiliter infertur ex prædicato necessario Dei, necessarium est,

&

& non liberum : Scientia autem beata Christi Domini, vt attingens eius liberum actum posteà extiturum, non est prædicatum omninò necessarium, sed supponit decretum liberum Dei de actu libero ; ac proindè, quod ex illa infertur non oportet esse omninò necessarium, sed potest esse liberum; sicut, & quod infertur ex decreto efficaci divino, quod scientia illa supponit, & cui innititur ad attingendum actum liberum.

63 Secunda ratio differentię est; quod cum actus Christi Domini sit liber libertate secunda, eius libertas non lædituר per hoc, quod præsupponat prædicatum inferens illum infallibiliter, & existens ex alterius determinatione ; præcipuè si tale prędicatum sit determinatio, aut decretum primi liberi, vel illud supponens : scientia ergo beata Christi Domini licèt præcedat actum liberum ipsius; quem futurum videt, illumque inferat ; supponit tamen decretum divinum, quo Deus decrevit existentiam eius, & libertatem ; atqueadeò sicut decretum Dei efficax, licèt non existat ex determinatione creaturæ ; non aufert, sed infert ipsius libertatem ; pariter nec scientia beata Christi Domini. Decretum autem Dei est liberum libertate prima, quę omninò destruitur per hoc, quod supponat prędicatum cum ipso connexum, non existens ex Dei determinatione: cumque scientia illa, si daretur, existeret abæterno, & non ex Dei determinatione, quæ abæterno non esset, inferretque infallibiliter existentiam decreti, ab ipso libertatem auferret.

64 Hæc doctrina supponit scientiam beatam non dirigere ad actum liberum, neque Christum constituere potentem ad illum eliciendum, sed aliam distinctam cognitionem : si autem asseramus cum alijs Theologis scientiam beatam dirigere ad actum liberum, & Christum Dominum constituere potentem in actu primo ad illum eliciendum, difficilius libertas Christi salvatur; nam ad libertatem exigitur Christum Dominum posse coniungere carentiam actus liberi cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad illum ; & consequenter cum scientia beata in hac sententia se teneat ex parte actus primi, vt sit liber, videtur necessarium posse coniungere cum illa scientia carentiam actus liberi, quę defacto elicit ; quod est omninò implicatorium; vtpotè, quia falsificaretur scientia beata, qua Christus videt actum esse eliciendum; vel saltim requisitum est, quod possit facere, quod non existat scientia beata; quod tamen in eius potentia non est.

65 Hæc tamen difficultas non militat specialiter contra nostram doctrinam, sed ab omnibus est solvenda; cuius solutio ad alium locum spectat. Breviter tamen dicendum est, Christum Dominum posse cõiungere carentiam actus liberi cum scientia beata secundum eam terminationem, secundum quam ex parte actus primi se tenet, scilicèt, secundum quod proponit obiectum attingendum per actum liberum ; quod sufficit ad libertatem actus, quamvis non possit talem carentiam coniungere cum scientia beata, secundũ quod repræsentat existentiam actus liberi. Idem contingit in Deo, qui in concipiendo decretum est liber, quia potest coniungere carentiam decreti cum scientia ostendente obiectum prosequendum per decretum, quamvis illam non possit coniungere cum eadem scientia, vt ostendente existentiam decreti, quia aliàs posset illam falsificare. Est tamen notanda differentia, quod Deus potest facere, quod non existat scientia illa, vt repręsentativa existentię decreti, seù vt intuitiva illius, quia est primum liberum, de cuius munere est habere in sua potestate omnia requisita ad actum, & eius omissionem : cæterùm Christus Dominus non potest facere ; quod non existat scientia beata, adhúc ea ratione, qua est intuitio actus liberi. Hoc tamen eius libertati non obstat; sicut neque obest, quod non possit facere, quod non existat decretum efficax actus liberi, cui innititur visio beata, & quod supponit secundum prædictam terminationem; sed satis est, quod Deus possit facere, quod non existat decretum ; & consequenter, quod scientia beata Christi non sit intuitio actus liberi ; in quo casu Christus Dominus coniungeret sine inconvenienti carentiam actus liberi cum scientia beata. Sed de his satis.

(§)

§. Vltimus.

Ex dictis aliqua inferuntur.

66 EX Dictis in discursu dubij infertur primo. Deum non cognoscere decretum vt futurum prædicatis necessarijs, neque vt futurum ipsi scientiæ, qua decretũ, & creaturam cognoscit: vtraque pars probatur ratione communi; quia ad futuritionem decreti requiritur carentia illius in instanti *in quo*, quæ decreto semel existenti repugnat: prima autem pars etiam probatur; quia pro priori ad decretum, aut in prædicatis necessarijs nihil est connexum cum existentia decreti; & consequenter à Deo non cognoscitur; hoc autem necessarium ad futuritionem decreti, ex dictis constat. Secunda pars etiam probatur; quia scientia non præcedit decretum, aliàs esset prædicatum necessarium, vel Deo conveniens ex alterius providentia, vel acasu, & fortuito; quod manifestè implicat. Secundo infertur; scientiam non se habere concomitanter ad decretum, ita vt neque ipsum præcedat, neque ad ipsum subsequatur; quod patet, quia existit ex determinatione decreti; & consequenter ipsum essentialiter supponit; quod ex immediatè dictis constat.

67 Tertiò infertur; in sententia asserentium scientiam actus liberi creati in tempore existentis non supponere decretum efficax illius, non est ratio, quare scientia decreti non præcedat ipsum, aut existat pro signo non supponente eius existiam: & patet; nam posito decreto indifferenti, manet Deus indifferens ad habendã scientiam actus liberi, & eius carentiam: & tamen abęterno, & ante aliam determinationem Deus habet scientiam actus liberi; ergo etiam si antecedenter ad decretum Deus sit indifferens, præcisivè ab illo potest habere illius scientiam. Et cõfirmatur; quia Deus iuxta Adversarios cognoscit per sciẽciam Mediam, quod sub conditione decreti indifferẽtis erit actus liber ante eius existentiam, & abæterno posito decreto, quantumvis indifferenti, Deus absolutè scit actũ liberum; ergo quamvis Deus ex se sit indifferens ad decretum, & illius carentiam, poterit tamen scire præcisivè à decreto eius existentiam, seù quod erit ex suppositione indifferenti ad illius esse, nimirùm, quod Deus est; & aliàs cum suppositio sit omninò necessaria, scientia illa erit necessario absoluta.

68 Quarto infertur; creaturam in tempore existentem supponere essentialiter ex conceptu creaturæ decretum Dei abæterno existens; quod sic patet; nam ex cõceptu creaturæ petit decretum divinum secundum quod distinguitur à determinatione, & concursu cuiuscumque alterius causæ creatæ: sed decretum divinum proùt sic essentialiter petit non existere, nisi abæterno; ergo petit decretũ abæterno existens. Et confirmatur. Nam creatura vt possibilis petit essentialiter causam primam ab æterno, & necessario existẽtem; petit enim primum ens, in quo eius possibilitas fundatur, quod aliud esse non potest, nisi ens necessario existens; ens enim non existens necessario, est creatura, quæ ex sẽ est in pura potentia obiectiva, supponens aliud, á quo à pura possibilitate extrahi possit; & consequenter nè detur processus in infinitum, creatura ex conceptu suo supponit primum ens necessario existens, & à se; ergo creatura existens petit determinationẽ, & decretum enti necessario operanti per intellectum, & volũtatem proprium; quod proùt sic petit esse abæterno; aliàs determinatio, seù decretum in tempore existens, quia proùt sic imperfectionem importat, peteret aliud sine imperfectione, & abæterno existens. Confirmatur secundo; creatura in tempore existens, & incipiens petit abæterno esse futuram, sicut petit abęterno esse possibilem: sed quia petit abæterno esse possibilem, petit abæterno Deum existentem, à quo possit esse, & quo constituatur status possibilitatis; ergo etiam petit abæterno, quia futura est, Dei determinationem, à qua sit futura, & qua status futuritionis constituatur.

69 Contra hoc tamen est argumentum Recentiorum; nam effectus solum petit causas futuras, dum futurus est, & præsentes, dum præsens: sed creatura petit decretum titulo causæ; ergo solum petit decretum futurum, dum futura est, & existens, dum existens est. Et confirmant; quia effectus dependens à Deo, & à creatura, qualis est intellectio, v.g. nó petit causam creatam existẽtẽ, nimirũ intellectũ, dũ futu-

futura est, sed solùm dum existit; ergo neque etiam exigit decretum existens, nisi dum existens est.

70 Sed respondetur verum esse antecedens de causis creatis, falsum autem de increata; hanc enim petit existentem nedum creatura futura, sed purè possibilis; quia non existente causa prima, nihil esset possibile; transitus autem de possibilitate ad futuritionem debet esse virtute primæ causæ, non vt purè potentis, sed vt decernentis producere creaturam in tempore, quæ determinatio, vtpotè ab omni imperfectione depurata, & proût sic exacta à creatura, non potest non esse abæterno; nec potest non præcedere creaturam existentem in tempore. Insuper status futuritionis non potest non precedere creaturam in tempore incipientem, sicut etiam status possibilitatis: neque intelligi potest status futuritionis abæterno, nisi existat aliquid illum statum constituens, quod aliud non est nisi decretum Dei; sicut nec status possibilitatis intelligi potest abæterno, nisi detur abæterno aliquid existens, quo constituatur; nimirùm Deus.

71 Ad confirmationem concesso antecedenti, nego consequentiam; neque nos dicimus creaturam exigere decretum abæterno existens, præcisè; quia ab illo essentialiter dependet, dum est, sed insuper, quia ab illo dependet, vt à determinatione primæ causæ, quæ semper debet existere, vt semel creatura existat; & argumentum manifestè instatur; ista enim consequentia nó valet; non est necessarium, quod voluntas à qua essentialiter dependet actus voluntatis, vel intentio, à qua electio essentialiter depender, existat tempore, quo actus voluntatis, vel electio est futura; ergo non requiritur, quod tempore futuritionis existat Deus, à quo etiam essentialiter dependet. Insuper instatur; vt creatura sit possibilis, non requiritur existentia causæ secundæ, à qua essentialiter dependet; ergo non requiritur existentia Dei; in quibus antecedens est verum, & consequens falsum. Et hæc de isto dubio applicanda litteræ Magistri in 1. dist. 39.

(050)

DVBIVM V.

Vtrùm Deus cognoscat futura contingentia in eorum veritate obiectiva independenter à decreto absoluto subiective, & antecedenter ad illud.

CVM Deus sit summè immaterialis, summeque cognoscitivus, eius efficacia in cognoscendo ad omne cognoscibile extenditur; quapropter communiter Moderni, vt Scientiam Mediam defendant, asserunt futura conditionata habere in se determinatam veritatem, qua redduntur cognoscibilia antecedenter, seù independenter à decreto divino absolutè existente; ex quo inferunt Deum illa cognoscere independenter à decreto; si enim habent veritatem independenter à decreto, habent etiam cognoscibilitatem; & consequenter Deus habens infinitam vim cognoscitivã, illa cognoscit independenter à decreto; quam cognitionem Scientiam Mediam appellant, eo quod Deo libera non est, nec prædicatum essentiale Dei, sed contingens in sensu iam explicato, potestque deficere quoad denominationem: hanc tamen veritatem obiectivam varijs modis explicare conantur, vt in discursu constabit: est tamen advertendum, quod licèt ad veritatem conditionatorum non requirant decretum absolutè existens, putant tamen esse necessarium vt conditionatè futurum, seù vt extiturum ab æterno, vel vt conditionatè abæterno existens, iuxta diversos modos loquendi Recentiorum; & licèt præcipua difficultas procedat de futuris conditionatis, aliqua de absolutis attingemus.

§. I.

Statuitur concluſio.

2 FUTVRA Conditionata contingentia nullam habent determinatam veritatem antecedenter, ſeù independenter à decreto divino abſolutè exiſtente. Hęc concluſio probatur primo ex D. Thoma in 1. diſtinct. 39. quæſt. 1. articulo 2. ad 7. vbi docet, quod Scientia Dei reſpectu contingentium eius ſubditur libertati; ſi autem independenter à decreto actualiter exiſtente haberent determinatam veritatem, futura conditionata contingentia, eorum ſcientia libertati divinæ non ſubderetur, vt inconfeſſo eſt apud Adverſarios, cuius oppoſitum docet Div. Thomas. Confirmatur; ibi Div. Thomas, vt ſalvet cum Magiſtro Deum poſſe ſcire aliquid, quod defacto non ſcit, neceſſarium putavit adſtruere in Deo ſcientiam, quæ eius ſubdatur libertati, qua ſola poteſt Deus ſcire, quod defacto non ſcit: at ſi futura hæc haberent determinatam veritatem independenter à decreto, poſſet Deus per ſcientiam eius libertati non ſubditam ſcire, quod defacto non ſcit; ergo iuxta Divum Thomam non habent determinatam veritatem independenter à decreto. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt doctrina Div. Thomæ; & minor præterquàm quod ab Adverſarijs conceditur, conſtat; nam veritas horum futurorum, vtpotè contingentium, potuit variari, & non pro libertate Dei; ergo Deus poſſet aliud ſcire, quam defacto ſcit, & non per ſcientiam ſubditam eius libertati.

3 Secundo probatur; nam vt ex D. Thoma, vbi ſuprà, diſputa 1. dub. 1. §. 1. vidimus, futurum infallibiliter conſtituitur in ratione talis per determinationem primæ cauſę: at ſi hæc conditionata futura haberent determinatam veritatem independenter á decreto, eſſent futura conditionata, & vera, non per determinationem primę cauſæ, ſed independenter ab illa; ergo. Tertio; nam iuxta D. Thomam in præſenti quęſt. 14. art. 13. & alibi ſæpè, Deus cognoſcit futura contingentia, quia ſunt ipſi in æternitate præſentia, & quia habet rationes rerum apud ſemetipſum: at conditionata contingentia, quæ nunquam erunt, non ſunt Deo in æternitate præſentia; ergo cognoſcuntur ab ipſo, quia illorum rationes, ſcilicèt, ideas apud ſemetipſum habet. Tunc ſic: ſed vt ſupra vidimus ex D. Thoma, quęſt. 3. de verit. art. 6. Deus non cognoſcit futura contingentia in idęis, niſi vt determinatis per decretum; ergo futura contingentia conditionata non habent cognoſcibilitatem, aut veritatem independenter à decreto divino abſolutè exiſtentis: quod ampliùs infra ex D. Thoma conſtabit.

4 Deindè probatur concluſio hac ratione; ſi futura contingentia independenter à decreto haberent determinatam veritatem, eorum veritas eſſet neceſſaria, & non contingens: conſequens eſt falſum; ex illo enim ſequitur omnia neceſſario, & nihil contingenter evenire; ergo. Sequela probatur; pro nullo ſigno intelligerentur indifferentia ad veritatem, & falſitatem; ergo eorum veritas eſſet neceſſaria, & pro omni priori eſſent determinatè vera, ſcilicèt, pro priori ad decretum, pro ſigno ſcientię, & pro ſigno prædicatorum eſſentialium Dei; ergo pro nullo intelligerentur indifferentia ad veritatem, & falſitatem. Antecedens probatur; non eſt maior ratio, quare modo habeant veritatem, quam quod illam habeant pro quolibet priori, nimirùm pro priori ad decretum, & pro priori prædicatorum eſſentialium Dei; ergo ſi modo vera ſunt, pro omni priori ſunt vera.

5 Antecedens probatur primo; nam ratio, quare hoc conditionatum, *ſi Petrus vocaretur cras vocatione A, conſentiret*, eſt modo verum, eſt quia cras vocatione *A*, conſentit; ex qua veritate modo verum eſt, quod ſi vocaretur conſentiret: ſed hoc eodem modo convincit eſſe verum pro omni priori; ergo ſi modo verum eſt, pro omni priori verum eſt. Secundo probatur antecedens; ſi pro ſigno poſsibilitatis rerum non eſſet verum, maximè, quia pro illo ſigno nihil datur, ſeù intelligitur non indifferens ad veritatem, & falſitatem, ad conſenſum, & eius carentiam, etiam purificata conditione, & poſita vocatione: ſed modo nihil datur, non indifferens ad hoc quod cras poſita vocatione, ponatur conſenſus, vel illius carẽtia, ſi præſcindamus à de-

determinatione cauſę primæ ; ergo non eſt maior ratio, quare modo ſit verum, quam pro ſigno prædicatorum eſſentialium. Et confirmatur ; quidquid convenit rebus, & non ex providentia Dei, illis convenit eſſentialiter, & neceſſario, qualiter homini convenit eſſe animal : ſed ſi qua eſt veritas in illis conditionatis independenter à decreto, illis convenit, & non ex providentia Dei, quæ abſque decreto non datur ; ergo illis convenit eſſentialiter, & neceſſario.

6 Hoc argumentum deſumptum eſt ex Div. Thoma 1. Peryhermenias, cap. 8. vbi ex Philoſopho docet, quod ſi propoſitio ſingularis de futuro contingenti eſſet vera determinatè, abæterno eſſet vera, & pro omni priori, vel ſigno ; & conſequenter eſſet neceſſaria. Quod argumentum ſic format Angelicus Magiſter : nam ſi modo verum eſt, quod Petrus, verbi gratia, erit albus, etiam heri verum fuit ; cum eadem ſit ratio ad hoc, vt hodie, & heri ſit verum, & propoſitio illud affirmans vera ; ergo etiam abæterno vera eſt eadem ratione ; ergo pro omni priori vera eſt. Ex quo rectè intulit eſſe neceſſario veram ; & conſequenter tolli omnem contingentiam, & libertatem : quod argumentum eadem efficacia convincit in futuris conditionatis.

7 Scio Patrem Suarez de Scientia Conditionatorum, capit. 2. & alios docere Philoſophum erraſſe, eo quod negaverit his propoſitionibus determinatam veritatem : ſed Divo Thomę opponuntur, qui Philoſophi doctrinam explicat, & defendit ; neque enim negavit Philoſophus propoſitiones ſingulares de futuro habere veritatem abſolutè ; ſed ſolum illam habere ex veritate obiectiva, ſeù ex eo, quod ſua de ineſſe ſit aliquando vera, præſcindendo à determinatione cauſæ defacto exiſtentę ; habere autem veritatem, & abæterno, docuit ſæpè Div. Thomas, vt vidimus dubio 1. ex Auguſtino, & Anſelmo docens : illam habere ex eo, quod in cauſa ſempiterna erat, vt fieret ; quo ablato non eſſet futurum illud fieri : primum autem efficacitèr probavit Divus Thomas ex Philoſopho argumento facto.

8 Tertio probatur concluſio : ex eo, quod de præſenti verum ſit, quod Petrus conſentit, non ſequitur verum eſſe abæterno pro priori ad decretum abſolutè exiſtens, Petrum eſſe conſenſurum ; ergo ex eo, quod Petrus poſitus in hac occaſione conſentiat, non ſequitur eſſe verum pro priori ad decretum abſolutè exiſtens, quod ſi ponatur in illa occaſione conſentiret. Antecedens conſtat ; aliàs Deus pro priori ad decretum exercitè exiſtens cognoſceret Petrum eſſe conſenſurum ; & conſequenter cognoſceret pro priori illo decretum extiturum neceſſarium ad conſenſum ; quod eſſe falſum ſupra probavimus contra Suarez. Conſequentia autem probatur : nam ideò primum eſt verum, quia non ſolum Petrum conſentire, ſed eſſe conſenſurum eſt contingens : nullum autem contingens dari, aut intelligi poteſt pro priori ad decretum exercitè exiſtens : ſed non ſolum eſt contingens Petrum poſitum in hac occaſione conſentire, ſed etiam eſt contingens, quod ſi poneretur, conſentiret ; ergo neutrum poteſt intelligi pro priori ad decretum.

9 Dices : eſſe diſparem rationem ; eo quod, cum futurum abſolutum aliquando exiſtat, requirit decretum abſolutè exiſtens ; atqueadeò mirum non eſt, quod non ſit futurum pro priori ad decretum : futurum autem conditionatum non eſt abſolutè futurum, ſed ſolum ſub conditione ; quod ergo infertur eſt, quod ſicut non eſt verum, Petrum eſſe conſenſurum abſolutè pro priori ad decretum abſolutè exiſtens ; ita ſimiliter non eſt verum, eſſe conditionatè conſenſurum pro priori ad decretum conditionatè exiſtens.

10 Sed prętęrquàm quod doctrina huius ſolutionis infrà impugnabitur, & falſitatis convincitur argumento facto ; ſcilicèt, quia vtraque veritas futuri, ſcilicèt, conditionati, & abſoluti eſt contingens ; atqueadeò dari defacto, aut intelligi non poteſt pro priori ad decretum defacto exiſtens. Modo contra diſparitatem ſic inſurgo primo ; quia ſi ſemel veritas conditionata contingens intelligitur pro priori ad decretum, non eſt ratio, quare veritas obiectiva futuri abſoluti contingentis intelligi non poſsit pro priori ad decretum abſolutè exiſtens ; ſi enim ſignum præcedens decretum, non eſt ſignum, pro quo ſolum intelligantur prædi-

cata essentialia, non est ratio, quare veritas obiectiva absoluta contingens intelligi non possit pro illo signo: semel autem concesso, quod veritas contingens futuri conditionati intelligitur pro priori ad decretum absolutè existens; signum illud non est tale, vt pro illo solum intelligantur prædicata essentialia, seù necessaria.

11 Secundò; sicut pro priori ad decretum, nihil datur, aut intelligitur connexum cum existentia absoluta consensus; pariter nec cum existentia conditionata illius; ergo sicut quod in tempore sit aliquando verum, quod Petrus consentit, nõ sufficit, vt pro priori ad decretum sit verum esse consensurum; pariter, quod Petrus in hac occasione positus consentit, sufficiens non est ad hoc, quod pro priori ad decretum sit verum, quod si poneretur in hac occasione consentirer.

12 Tertio; iuxta doctrinam solutionis, futurum eo modo petit decretum, quo futurum est: quapropter, quia futurum conditionatum non est absolutè futurum, sed solum conditionatè, solùm petit decretum conditionatè futurum; ergo quia futurum absolutum non existit, sed existet, solum petit decretum absolutè futurum, non existens; atqueadeò pro priori ad decretum, & independenter ab illo, quamvis non pro priori ad eius futuritionem, intelligitur res absolutè futura.

13 Dices: quod decreto repugnat absoluta futuritio, vt nos etiam supra docuimus; quapropter, si futurum absolutum requirit decretum absolutum, illud requirit vt existens, non vt futurum. Sed contra est; quia cui repugnat absoluta futuritio, etiam repugnat conditionata; hæc enim purificata conditione transit in absolutam; ergo vel repugnat conditionata futuritio decreti, cuius oppositum in solutione dicitur; vel non repugnat absoluta futuritio.

14 Secundo; quamvis decreto repugnet absoluta futuritio, & semel existens petat abæterno existere: non tamen petit existere pro priori signo, & pro omni priori in quo: nec res absolutè futura, seù existens petit decretum pro omni priori existens; ergo potest intelligi res vt futura pro omni priori, pro quo non datur, aut intelligitur existens decretum. Consequentia probatur; quia futurum conditionatum non petit decretum existens, aut absolutè futurum, propositio conditionalis habet veritatem obiectivam, & est absolutè vera pro priori ad decretum absolutè futurum, aut existens; ergo si nec decretum petit existere pro omni priori, nec res futura petit decretum absolutè existens pro omni priori, propositio absoluta de futuro habebit veritatem obiectivam, & erit vera pro omni priori ad decretum absolutè existens.

15 Quarto impugnatur principalis solutio; nam esto ad veritatem futuri conditionati sufficiat decretum concurrendi conditionatè existens, seù decretum, quod esset, si purificaretur conditio: Cæterùm non existente in Deo decreto, quo saltim reflexe decernat se habiturum decretum concurrendi, si purificaretur conditio; non est verum, quod si purificaretur, esset, seù daretur tale decretum; ergo non salvaretur, quod pro priori ad decretum exercitè existens, futurum habeat veritatem obiectivam, sicut nec absolutum. Consequentia constat: & antecedens, quod etiam docuit Molina vbi supra, ostenditur argumento facto; quod eodem modo cõvincit de decreto divino, ac de concursu creato: quod sic proponitur; ex eo quod Deus de facto velit cum Petro concurrere ad partem, ad quam ipse se determinaverit; non sequitur esse verum pro priori ad decretum, Deum esse voliturum cum ipso concurrere pro posteriori *à quo*; ergo ex eo, quod Deus velit concurrere cum Petro in hac occasione, non sequitur, quod pro priori ad decretum sit verum, quod si poneretur in illa occasione, Deus vellet cum ipso concurrere.

16 Quinto; futurum conditionatum transit in absolutum per purificationem conditionis; ergo si esset verum pro priori ad decretum, quod si poneretur Petrus in hac occasione *A* consentiret; erit etiam verum pro signo, quo Deus decernit purificare conditionem, Petrum esse absolutè consensurum. Tunc sic: sed decretum purificandi conditionem præcedit existentiam absolutam decreti concurrendi, & existit independenter ab illa; ergo Deus pro priori ad decretum concurrendi cognoscit Petrum esse consensurum, & decretum concurrendi esse extiturum pro posteriori *à quo*.

17 Quod si hoc concedatur; sequitur vlterius, pro priori ad decretum pu-

purificandi conditionem, fore purificandam, & extiturum decretum illam purificandi: & ratio eſt; nam purificatio conditionis cum vtroque poteſt componi, ſcilicèt, cum conſenſu Petri, & illius diſſenſu; cum decreto concurrendi, & cum carentia talis decreti: quo non obſtante, pro ſigno, quo purificatur conditio, verum eſt Petrum eſſe conſenſurum, & Deum habiturum decretum concurrendi neceſſarium ad conſenſum; ergo quantumvis Deus ſit indifferens ad purificandam conditionem, pro ſigno indifferentiæ erit verum eſſe purificandam, & Deum habiturum decretum purificationis illius.

18 Ex quo vlteriùs infertur, quod pro priori ad omne decretum, & independenter ab illius exiſtentia Deus cognoſcit futura abſoluta, & ſua decreta vt extitura: quod convincitur ratione facta; ſi enim ex ſuppoſitione, quod Petrus in occaſione hac indifferenti ad conſenſum, & illius omiſſionem, Deus independenter à decreto concurrendi neceſſario ad exiſtentiam cõſenſus, & pro priori ad illud iam cognoſcit Petrum conſenſurum, & ipſum habiturum decretum concurrendi; non eſt ratio, quare ex ſuppoſitione exiſtentiæ ipſius Dei, quam iam videt independenter ab exiſtentia decreti, & pro priori ad illud, non cognoſcat futura abſoluta, & decreta neceſſaria ad illorum exiſtentiam eſſe extitura pro poſteriori *à quo*. Sanè rationem diſcriminis non video.

19 Illam tamen tradere conantur Recentiores, aſſerentes, quod quamvis argumento facto convincatur, ſcientiam, qua Deus cognoſcit futura abſoluta exiſtere independenter ab exiſtentia decreti; hoc eſt, non pro poſteriori ad decretum: non tamen eſſe priorem decreto, etiam per rationem; hæc enim prioritas petit, quod vnum ſit ratio alterius: & quia neque exiſtentia decreti eſt ratio à priori ſcientię; neque èconira, eo quod ſcientia futuri non dirigit Deum ad decernendum; ideò ſcientia hęc non præcedit ratione decretum. Similiter ſcientia, qua Deus purificata conditione cognoſcit conſenſum eſſe abſolutè futurum, non præcedit decretum concurrendi, quamvis exiſtat independenter ab illo; eo quod Deum non dirigit ad decernendum: ſcientia autem conditionata cõſenſus Petri dirigit Deum, vt decernat cum Petro concurrere; imò ipſum dirigit, vt decernat purificationem conditionis: quapropter præcedit vtrumque decretum.

20 Sed contra eſt primo: nam futurum conditionatum tranſit in abſolutum pro ſigno, pro quo intelligitur purificata conditio; atqueadeò pro ſigno decreti purificandi conditionem, pro quo intelligitur purificata conditio, intelligitur etiam futurum abſolutum; ergo pro illo ſigno verum eſt eſſe abſolutè conſenſum futurum. Tunc ſic: ſed ſignum decreti purificandi conditionem præcedit decretum concurrendi; ergo non ſolum independẽter à decreto concurrendi, ſed pro priori ad illud eſt verum eſſe abſolutè extiturum conſenſum; & conſequenter Deus non ſolum independenter à decreto concurrendi, ſed pro priori ad illud cognoſcit eſſe extiturum conſenſum.

21 Secundo: ſi independenter à decreto vt exiſtente, & præciſivè ab illo eſt verum abæterno extiturum conſenſum; non eſt ratio quare pro omni ſigno non ſit verum; cum omnia ſint pariter indifferentia ad conſenſum; imò erit neceſſario verum, vt cum D. Thoma ſupra dicebamus; ergo ſemel conceſſo eſſe verum independenter à decreto, vt exiſtente, pro omni ſigno erit verum.

22 Tertio: eo ipſo, quod ſcientia illa exiſtat independenter à decreto, poteſt Deum dirigere ad decernendum; ergo non eſt ratio, quare non præcedat decretum. Antecedens probatur; quia ſcientia conditionata conſenſus exiſtit independenter ab exiſtentia decreti concurrendi, poteſt Deũ dirigere ad decernendum conſenſum decreto indifferenti; imò ad decernendum purificationem conditionis; ergo ſi ſcientia futuri abſoluti exiſtit independenter à decreto, poteſt Deum ad decernendum dirigere. Quod ampliùs explicatur; ſcientia, quam Deus habet conſenſus futuri ex ſuppoſitione, quod Petrus ponatur in hac occaſione, poteſt Deum dirigere, nedum ad decernendum conſenſum, ſed ad purificandam conditionem; ergo ſcientia, quam Deus habet conſenſus futuri ex ſuppoſitione, quod ipſe Deus exiſtat, & independenter à proprio decreto, poterit Deum dirigere ſaltim ad decernendum conſenſum, & concurſum ad illum.

23 Nec obeſſe poteſt, quod Deus non indigeat directione huius ſcientiæ ad decernendum: nam neque indiget directione ſcientię conditionatæ, vt frequentius docent Adverſarij; quo non obſtante illa di-

dirigi posse affirmant. Neque iterùm obstat, quod hæc scientia existat ex determinatione veritatis obiectivæ consensus, & consequenter illam supponat: nam hęc veritas, seù determinatio datur ante existentiam consensus; cum illa sit abæterno: consensus autem in tempore, & intelligitur independenter ab existentia decreti, & præcisivè ab illa, sicut scientia; ergo licèt hæc cognitio dirigere non posit, aut præcedere determinationem veritatis objective, quæ ad scientiam supponitur; poterit tamen dirigere Deum ad ponendum physicè consensum, & ad illum decernendum. Confirmatur; quia non obstante, quod hęc scientia existat ex determinatione veritatis obiectivæ, & pro posteriori ad illam; existit tamen independenter ab existentia decreti, & non pro posteriori ad illud, sed simul, & concomitanter; ergo ex eo, quod existat ex determinatione veritatis obiectivæ, non infertur non præcedere decretum.

24 Nec obest si dicas tertio; quod si hæc scientia præcederet directivè decretum, Deus non esset liber in decernendo, nec in eius esset potestate scientiam istam non existere. Non, inquam, obest: nam hoc inconveniens sequi ex sententia opposita, nostrum argumentum intendit; quapropter, quod illa inferatur, illud non infirmat, sed confirmat. Secundo: nam scientiam istam auferre libertatem Dei in decernendo, si semel existat, & non ex determinatione divinæ voluntatis vt existere, infra probabimus, & modo constat ex dictis. Tùm, quia quidquid existit, & non ex determinatione voluntatis divinæ, est prædicatum necessarium, & nullo modo contingens; atqueadeò scientia hæc esset ex terminis necessaria; & consequenter etiam esset necessarium decretum, cum quo essentialiter connectitur. Tùm etiam: nam quidquid existit independenter ab existentia decreti, & cum illa connectitur, aufert illius libertatem; prędeterminatio enim, quamvis non præcederet consensum creatum; si tamen ex determinatione creati consensus non existeret, auferret libertatem creaturæ iuxta Adversarios; ergo à fortiori, si hæc scientia connexa cum decreto existit, & non ex Dei determinatione, sed precisivè ab illa, illius aufert libertatem; ergo nè lædat libertatem Dei in decernendo; vel vtrumque debet negari, scilicèt, existere pro priori ad decretum, & existere independenter ab illius existentia, vel neutrum.

25 Tandem: nam quamvis implicatorium sit hanc scientiam præcedere directivè decretum, & Deum posse per liberam omissionem decreti facere, quod non existat talis scientia: tamen in opposita sententia necessario est admittendum. Assumptum probatur: nam Scientia Media, qua Deus prævidit se habiturum decretum præparans Petro concursum indifferentem ad consensum sub conditione, quod poneretur in tali occasione, Petro in tali occasione posito, Deum dirigit ad habendum huiusmodi decretum: & tamen per liberam omissionem illius potest facere, quod scientia illa non existat; alias decretum liberum non esset; ergo necessario in opposita sententia est admittendum Deum per liberam omissionem decreti posse facere, quod scientia dirigens positionem decreti non existat.

26 Quarto probatur conclusio: ex eo, quod in tempore verum sit, quod Papa dormit, & Turca convertitur, non infertur independenter à decreto actualiter existenti, quod si Papa dormit, Turca converteretur; ergo ex eo, quod in tempore Petrus vocatus consentit, non sequitur esse verum abęterno præcisivè à decreto, quod si Petrus vocaretur, consentiret. Antecedens, vt asserunt Recentiores, traditur à doctioribus ex Adversarijs: & insuper suadetur; nam ad veritatem conditionalis saltim requiritur conditionem conducere ad conditionatum: vndè cum conditio prædictę conditionalis ex se, & intrinsecè non conducat; necessarium est, vt sit vera, quod saltim extrinsecè conducat ex ordinatione Dei decernentis, quod si conditio poneretur, ponendum esset conditionatum. Consequentia autem probatur; nam conditionalis duo dicit, seù significat. Primum est conducentia conditionis ad positionem conditionati. Secundum est fore infallibiliter conditionatum, si ponatur conditio: sed quia conditio ex se conducentiam intrinsecam non habet, requirit ad sui veritatem decretum actualiter existens, ratione cuius conducat, & non sufficit veritas obiectiva desumpta ex eo, quod aliquando in tempore est verum, quod Papa dormit, & Turca convertitur; ergo quia ex se conditio non constituit conditionatum infallibiliter futurum, & componatur cum carętia futuritionis illius; necessarium est dari de-

cre-

cretum actualiter existens, ratione cuius conditionatum sit infallibiliter futurum.

27 Respondent Recentiores; quod cum conditionalis dicat conducentiam conditionis ad conditionatum; quando conditio ex se est disparata, requirit decretum, ratione cuius extrinsecè (sit vtilis, & conducens: vt autem posita conducentia, conditionatum sit infallibiliter futurum, sufficit decretum, quod esset. Sed contra est: nam sicut conditionalis non affirmat, quod eventus est extiturus absolutè, sed quod esset, si poneretur conditio; similiter non affirmat conditionem conducere ad conditionati positionem, sed quod habitura esset conducentiam, si defacto poneretur, vel quod eventus extiturus esset dependenter ab illa: & tamen vt sit vera, non sufficit decretum, quod esset, ratione cuius extrinsece conduceret, sed necessarium est decretum defacto existens, vt sit verum, quod si poneretur, conduceret; ergo similiter necessariũ est decretũ existens, ratione cuius sit verũ, quod si poneretur conditio, foret infallibiliter eventus conditionatus.

28 Secundo: nam sicut inconditionatis importatur conducentia conditionis in actu primo, vt de præsenti conveniens; etiam importatur ipsum fore conditionati, vt de præsenti conveniens: at quando conditio ratione sui conducentiam non habet, necessarium est dari de præsenti aliquid, ratione cuius ipsi defacto conveniat conducentia; ergo quando cõditio ex se sufficiens non est ad constituendum eventum conditionatum in ratione futuri, necessarium erit dari aliquid de præsenti, nimirùm, decretum, ratione cuius sit de præsenti sub conditione futurus. Tertio: esto sufficeret, vt eventus conditionatus sit sub conditione futurus, decretum, quod foret; nihilominus verum esse non potest, quod foret decretum, si purificaretur conditio: quod argumento facto convincitur.

29 Tandem confirmatur ex doctrina P. Molinæ vbi supra, iuxta quem, ex eo quod verum sit, quod Deus in hoc ordine rerum constitutus decernit creaturam aliquam, non sequitur, quod præcisivè à decreto sit verum, quod si poneretur in tali ordine rerum, illam creaturam decerneret. Similiter in sententia plurium, quos infra referemus, vt conditionalis sit vera, requiritur, quod ex parte conditionis ponantur omnia requisita ex parte actus primi ad consensum: iuxta quos, licèt hæc sit vera, *Adamus creatus peccat*; non tideò verum est abæterno, & præcisivè à decreto, *quod si crearetur peccares*; cum in hac conditionali ex parte conditionis non ponantur omnia requisita ex parte actus primi ad peccatum: in quorum sententia argumenta Adversariorum ad probandum veritatem futuri independenter à decreto, manifestam accipiunt instantiam. Aliæ rationes pro conclusione commodius adducentur.

§. II.

Solvuntur argumenta.

30 PRIMO Arguitur: Per hoc præcisè, quod hęc propositio *Petrus vocatus consentit*, sit vera in tempore, abæterno verum est, quod si vocaretur, consentiret; ergo propositio conditionalis contingens est abæterno vera præcisivè à decreto. Antecedens probatur: propositio conditionalis contingens regulatur per suam *de inesse*; illaque abęterno reputatur vera, quæ habet in tempore suam de inesse veram; ergo præcisè per hoc, quod in tempore sit verum, quod Petrus vocatus consentit, verum est abæterno, quod si vocaretur consentiret.

31 Confirmatur primo; necessarium est, quod propositio de inesse sit determinatè vera, vel determinatè falsa, v.g. *hæc Petrus vocatus consentit*; ergo si veritas propositionis conditionalis regulatur per suam de inesse, necessarium est, quod conditionalis contingens sit determinatè vera, vel determinatè falsa; & consequenter illi convenit præcisivè à decreto. Confirmatur secundo: ex eo, quod hodie verum sit, quod Petrus consentit, evidenter infertur heri verum fuisse, quod Petrus consentiet: ergo quia ad veritatem propositionis de futuro nihil aliud requiritur, quam quod in tempore sequenti sua de *inesse* sit vera; ergo cum eadem sit ratio

ad hoc, vt abæterno etiam præcisivè à decreto sit vera; sic dicendum videtur, scilicèt, quod est vera abæterno præcisivè à decreto. Et idem sit argumentum de futuro conditionato; si enim hodie verum est, quod Petrus vocatus consentit; etiam fuit verum, quod si vocaretur, consentiret; & eadem ratione erit abæterno verum præcisivè à decreto. Confirmatur tertio: vt propositio de præterito modo sit vera, sufficit quod sua de *inesse* aliquando fuerit vera quolibet alio secluso; ergo similiter in propositione de futuro asserendum est.

32 Respondetur distinguendo antecedens, si ly *præcisè* excludat decretum abæterno existens, necessario præsuppositum, vt propositio de *inesse* sit vera in tẽpore, nego antecedens; si illud non excludat, sed includat, concedo antecedens, & nego consequentiam: itaque ex eo, quod verum sit in tempore, *Petrus vocatus consentit*; infertur abæterno dari decretum, quo Deus decernit, quod si vocaretur cõsentiret, ratione cuius est vera abęterno conditionalis contingens: si autem tale decretum non detur, vel ab illo præscindatur; non est vera: neque veritas propositionis de inesse petit, quod propositio de futuro sit abęterno vera in omni pręcisione, & pro omni signo; sed solùm requirit, quod abæterno absolutè sit vera; & hoc ideò, quia requirit decretum abæterno existens: vndè hoc non dato, vel in præcisione ab illo, non est determinatè vera. Et rationem à priori sæpè dedimus; scilicèt, quia propositio de futuro enuntiat subiectum dicere ordinem defacto de existentiam postcà habendam, á quo ordine proximè regulatur; mediatè autem, & remotè à veritate propositionis de *inesse*: hoc autem ordine non existẽte non datur; & in signo præscindente à decreto non intelligitur talis ordo.

33 Ad primam confirmationem respondetur necessarium esse propositionem de inesse esse determinatè veram, vel determinatè falsam; & similiter conditionalem; non enim datur medium in re cum quo tamen componitur, quod veritas ei conveniat contingenter, & non pro omni signo. Et quidem licèt verum sit, quod stante vera propositione de inesse, non potest non esse vera conditionalis de futuro contingenti: stat tamen falsam esse, & veram conditionalem; Petro enim nunquam existente, falsum est, quod vocatus consentit; & tamen potest esse verum, quod si vocaretur consentiret: vndè falsum est in vniversum, propositionem de inesse, qualiter assignatur in argumento, esse regulam veritatis, & falsitatis conditionalis.

34 Ad secundam distinguo antecedens, infertur verum fuisse, præcisivè à decreto, nego antecedens; sine hac præcisione, concedo antecedens: est enim verum, quia infertur existentia decreti abæterno, à quo habet veritatem propositio contingens de futuro. Ad tertiam nego antecedens; est enim vera propositio de præterito; quia defacto existit aliquid cõnexum cum existentia præterita ex illa relictum; vel saltim decretum divinum de eius non esse post esse, vt de futuro diximus.

35 Dices primo: hæc propositio de inesse, *Petrus vocatus consentit*, & illius veritas non supponit in Deo decretum cõditionatum, quo velit, quod si vocaretur, consentiret; nam etiam non existente illo decreto, potuit Deus Petrum vocare, & facere, quod consentiret per decretum absolutum; ergo falso oppositum in solutione diximus. Secundo: eo ipso, quod hæc propositio, *Petrus consentit* pro priori ad decretum non sit vera, sequitur quod sit determinatè falsa: consequens admitti non potest iuxta nostram doctrinam; ergo neque illud, ex quo sequitur. Minor constat: tùm, quia non obstante quod falsitas contingenter illi conveniat, est falsa pro priori ad decretum; ergo etiam si sit contingenter vera, poterit pro eodem priori habere veritatem. Tùm etiam; quia si est determinatè falsa, scientia contradictoriæ erit determinatè vera; id enim quod sufficit ad falsitatem vnius contradictoriæ, sufficit etiam ad veritatem alterius; at sua contradictoria est contingens; ergo propositio de futuro contingenti est vera pro priori ad decretum; cuius oppositum est nostra sententia.

36 Sequela autem ptobatur primo: quia si non est vera pro priori ad decretum, ideò est, quia Petrus non consentiet: at hoc ipso est determinatè falsum, quod consentiet; ergo eo ipso, quod propositio illa non sit vera pro priori ad decretum, est determinatè falsa. Secundo probatur sequela: ideò vera non est pro priori ad decretum, quia illi deficit aliquid requisitum ad veritatem: sed hoc est esse de-

determinatè falsam ; esse enim propositionem falsam nihil aliud est, quam illi deficere aliquid ad veritatem requisitum ; ergo eo ipso, quod non sit determinatè vera pro priori ad decretum, est falsa determinatè. Tertiò : idcò non est vera, quia affirmare pro priori ad decretum, quod Petrus consentiet, est affirmare pro illo priori esse futurum consensum ; qui tamen pro illo signo futurus non est;cum pro illo signo non adsit decretum illum constituens futurum : at hoc ipso est determinatè falsa ; cum eius oppositum sit determinatè verum,nimirùm, consensum pro illo priori non esse futurum ; ergo idem quod prius.

37 Ad primum respondetur ex supradictis, quod hæc propositio, *Petrus vocatus consentit*, vt sit vera, supponit decretum conditionatum obiectivè, & subiectivè absolutum; & sic nego antecedens: neque hoc mirùm, aut absurdum est; sicut enim veritas absoluta supponit conditionatam, quæ contingens est,etiam supponit decretum conditionatum ad veritatem cõditionalis essentialiter præsuppositum, vel prærequisitum. Vel secundo,& verius dicatur, quod veritas illa absoluta supponit decretum conditionatum formaliter, aut æquivalenter : decreta autem absoluta necessario præsuppositа ad veritatem absolutam illius propositionis æquivalent decreto conditionato. Ex quo infertur, quod deficiente decreto conditionato obiectivè, & subiectivè absoluto(deficiente, inquam, formaliter) propositio conditionalis, nimirùm, *si Petrus vocaretur, consentiret*, non est determinatè vera, quousque intelligantur decreta absoluta vocationis, & consensus, quæ æquivalent conditionato.De quo posteà.

38 Ad secundum nego sequelam; ad cuius primam probationem, nego antecedens; non enim ideò hæc propositio, Petrus consentit, non est vera præcisivè à decreto, seù pro priori ad illud, quia Petrus non consentiet absolutè ; sed quia pro illo signo ab vtroque præscinditur, scilicèt, à futuritione consensus,& ab illius carentia, eo modo quo præscinditur ab existentia decreti : vndè sicut pro signo præscindente ab existentia decreti non est verum decretum existere, quin exinde inferatur esse falsum,eo quod signum illud ab vtroque præscindit ; pariter dicendum est in propositione adducta.

39 Ad secundam dicatur, deficere propositioni aliquid requisitum ad veritatem stare dupliciter ; & privativè,& precisivè: primus defectus constituit falsam propositionem; non autem secundus: propositioni autem adductæ, scilicèt, *Petrus consentiet*, pro priori ad decretum, solùm deficit requisitum præcisivè ; quia pro illo priori præscinditur ab existentia decreti requisita ad veritatem,& carentia decreti, quę est necessaria ad falsitatem propositionis. Quod instantiam habet nuper adductam in ipso decreto; & similiter in voluntate creata : pro priori enim indifferentiæ illius, in quo prę̨scinditur à consensu, & carentia illius, propositio affirmans consensum,non est vera; non quia positivè,seù privativè deficiat consensus requisitus ad veritatem; nondum enim intelligitur carentia consensus ad falsitatem requisita;sed quia ab vtroque prę̨scinditur.

40 Ad tertiam nego maiorem; etenim propositio adducta non affirmat consensum futurum esse pro priori ad decretum;si enim hoc affirmaret esset falsa, imò impossibilis; & consequenter contradictoria esset necessaria : sicut enim impossibile est decretum intelligi pro priori ad ipsum decretum, aut in signo præscindente à decreto; ita pariter est impossibile consensum esse futurum pro priori ad decretum; implicat enim effectum formalem intelligi pro signo, pro quo non intelligitur forma : forma autem constituens rem futuram,est decretum ; vndè propositio affirmans rem esse futuram pro signo, pro quo impossibile est intelligi decretum,impossibilis est,& eius contradictoria necessaria. Propositio ergo adducta, scilicèt,*Petrus consentiet*, quæ contingens est, pro priori ad decretum, seù præcisivè ab illo, affirmat quidem esse futurum consensum Petri : non tamen esse futurum pro illo priori ; sed solum esse absolutè futurum; in quo sensu non est vera pro illo priori: non tamen est falsa; quia pro illo signo nondũ intelligitur requisitum ad veritatem, aut falsitatem ; nec aliquid excludens veritatem, aut falsitatem, sed ab vtroque præscinditur.

41 Ex quo non erit difficilè solvere aliud argumentum, cui potissimè fidunt Adversarij, quo post alios vtitur Recentior Valentinus disp.13.sect. 2. & Alderete de Incarnatione,disp.12.num.7. & 8. desumptum ex natura contradictionis, quod

quod sic potest proponi. Lex, & natura contradictoriarum ea est, quod vna sit determinatè vera, & altera determinatè falsa: sed istę duæ propositiones, *si Petrus vocaretur tali vocatione in tali occasione, consentiret*; *si Petrus vocaretur tali vocatione, in tali occasione non consentiret*, sunt contradictoriæ pro priori ad decretum, seù præcisivè ab illo; ergo pro illo signo vna est determinatè vera, & altera determinatè falsa: cumque propositiones illę sint de futuro conditionato contingenti, manifestè infertur propositionem contingentem habere veritatem determinatam pro priori ad decretum.

42 Confirmatur: hęc copulativa, *Petrus consentiet, & Petrus non consentiet*, est falsa, etiam pro priori ad decretum; ergo pro priori ad illud aliqua ex cathegoricis componentibus est determinatè falsa: falsitas enim copulativę ex falsitate alicuius ex cathegoricis desumitur: at quælibet cathegorica est contingens; ergo propositio contingens de futuro ante decretum est determinatè falsa. Ex quo vlterius infertur alteram esse determinatè veram: cum enim cathegoricę, ex quibus copulativa componitur, contradictoriè opponantur; si vna est determinatè falsa, necessarium est alteram esse determinatè veram. Maior autem probatur. Præterquàm quod colligitur ex Aristotele 1. Peryhermęnias, cap. 9. constat: quia propositio, quę nullomodo potest verificari, falsa est pro priori ad decretum; sed copulativa illa verificari non potest; cum constet ex duabus cõtradictorijs, quæ non possunt esse simul verę; ergo falsa est pro priori ad decretũ. Idem argumentum fit in hac disiunctiva: *Petrus consentiet, vel Petrus non consentiet*, quę contradicit prædictæ copulativæ, & est vera pro priori ad decretum; cum sit necessario vera: at veritas disiunctivæ ex veritate alicuius partis desumitur; ergo aliqua illarum est vera pro priori ad decretũ; & cum vtraque sit de futuro contingenti; aliqua propositio contingens de futuro est vera pro priori ad decretum.

43 Huic argumento respondent aliqui apud Borrul vbi supra, prædictas propositiones non esse contradictorias pro priori ad decretum, seù præcisivè ab illo; quia tàm consensus, quàm illius carentia pendet essentialiter à decreto absoluto ex parte actus: vndè ante illud neutra potest esse determinatè vera, vel falsa; atque adeò pro illo signo non opponuntur contradictoriè. Contra quam solutionem sic arguit prædictus Author primo; quia dependentia consensus, sivè absoluti, sivè conditionati à decreto absolutè existenti, est ipsa quęstio; ergo per hanc dependentiam argumentum non solvitur. Secundo: quia licèt futurum absolutum, v. g. consensus dependeat essentialiter à decreto: tamen ante decretum falsum est rem esse absolutè futuram, & verum non esse futuram; ergo licèt futurum conditionatum essentialiter à decreto dependeat, ante illud similiter falsum erit esse conditionatè futurum consensum, & verum, non esse conditionatè futurum. Tertio: pœnitentia supernaturalis essentialiter à gratia dependet: & tamen ante gratiam determinatè est falsum esse futuram pœnitentiam, & determinatè verum non esse futuram ante gratiam; ergo licèt pœnitentia conditionatè futura essentialiter dependeat à decreto absoluto ex parte actus, non tollit, quominus ante decretum propositio conditionatè affirmans pœnitentiam sit falsa, & contradictoria vera.

44 Sed hæc facilè solvuntur. Ad primum dicatur, quod dependentia consensus vt conditionatè futuri à decreto absoluto ex parte actus efficacitèr probatur pluribus rationibus, quibus innitentes Authores solutionis rectè negant veritatem propositionis contingentis de futuro ante decretum: & quidem si ad solutionem labefactandam necessarium est hanc dependentiam futuri expugnare, securè potest defendi tradita solutio. Ad secundum respondetur, aliud esse affirmare consensum esse futurum pro priori ad decretum, & aliud quod propositio affirmans consensum esse futurum sit, vel intelligatur vera pro priori ad decretum. Nos fatemur, quod propositio affirmans consensum habere futuritionem ante decretum est falsa, & contradictoria vera; habere enim futuritionem ante decretum est habere determinationem ad essendum pro priori ad decretum; quod idem est, atque habere determinationem ante determinationem: hoc autem nedùm est falsum; verum, & impossibile est, & propositio contradictoria necessaria; ac proindè de his non procedit disputatio, sed de propositione enuntiante futuritionem de consensu, cuius obiectum contingens est: de qua propositione affirmat solutio non esse veram, aut fal-

sam

ſam pro priori ad decretum, & merito; quia pro illo ſigno nondum intelligitur an ita ſit, vel non ſit, ſicut per illam ſignificatur: cum enim non intelligatur decretum, aut illius omiſsio, non intelligitur determinatio ad eſſendum poſtea, in quo conſiſtit conſenſum eſſe futurum; nec intelligitur determinatio ad non eſſendum, in quo conſiſtit non eſſe futurum; ac proinde à veritate, & falſitate præſcindit talis propoſitio.

45 Quod exemplo iterùm declaratur: Petrum eſſe album pro ſigno prædicatorum eſſentialium, vel pro priori ad albedinem, falſum eſt, & impoſſibile; eſt enim affirmare intelligi album pro ſigno, pro quo albedo non intelligitur; vel Petrum eſſe eſſentialiter album; quod implicatorium eſt: hæc autem propoſitio, *Petrus eſt albus*, neque eſt vera, neque falſa pro ſigno præſcindente ab albedine, & eius carentia; quia pro illo ſigno non intelligitur albedo in Petro, neque eius carentia.

46 Ex quibus antecedens eſt diſtinguendum: falſum eſt rem eſſe futuram, hoc eſt habere futuritionem pro priori ad decretum, concedo antecedens; hoc enim ſemper eſt falſum ante decretum, & poſt illud: eſt falſum rem eſſe futuram; hoc eſt propoſitio affirmans abſolutè futuritionem contingentem, eſt, aut intelligitur falſa ante decretum, nego antecedens; & diſtinguo conſequens eodem modo. Et quidem ſic obijciens non potuit vt certum aſſerere, ante decretum eſſe falſum rem eſſe futuram, ſi propoſitio id affirmans eſt contingens, & haberet pro obiecto aliquid contingens; aliàs omnis propoſitio affirmativa de futuro eſſet falſa pro priori ad decretum; quod etiam in eius principijs admitti non poteſt: & eadem ratione, qua ab illo aſſeritur falſa, potuit dici vera ante decretum, & eius contradictoria falſa. Id ergo, quod affirmatur in propoſitione, quę ab ipſo aſſeritur falſa, non eſt ſolum futuritio contingens; ſed hanc futuritionem dari pro priori ad decretum: quod non ſolùm falſum, ſed impoſsibile eſt.

47 Ad tertium, quod eadem æquivocatione laborat, conceſſa maiori diſtinguatur minor: ſi in illa aſſeratur falſum eſſe dari futuritionem pœnitentiæ ante exiſtentiam gratiæ, nego minorem; pœnitentia enim eſt abæterno futura, & gratia exiſtit in tempore: ſi ſolum aſſeratur, falſum eſſe pœnitentiam extituram exiſtentia præcedente exiſtentiam gratiæ, & illam non ſupponente, concedo minorem, & nego conſequentiam: itaque pœnitentia vt exiſtens, gratiam ſupponit; quia in exiſtendo ab illa dependet; pœnitentia tamen vt futura, gratiam non ſupponit, quia ab illa prout ſic non dependet; eſt enim futura ratione decreti, quod à gratia non dependet; ſicut poſsibilitas in pœnitentia non dependet à gratia, ſed ab Omnipotentia Dei, à qua denominatur poſsibilis; quæ tamen nunquam exiſtet, quia præcedat gratia: conſenſus autem, etiam vt conditionatè futurus dependet à decreto; vndè nec exiſtere, nec eſſe futurum convenit illi ante decretum, ſed ſolum eſſe poſsibilem, ſub qua ratione decretum non ſupponit exiſtens. Si quid autem hæc argumenta probant, convincunt, vt diximus, affirmativam ex contradictorijs adductis eſſe falſam pro priori ad decretum conditionatum, & idem dicendum eſſe in omnibus alijs contradictorijs de futuro conditionato contingenti; nimirùm affirmativam eſſe falſam, & negativam veram pro priori ad decretum: quod ab ipſis concedi non poteſt.

48 Cæterùm etiam ſi hæc argumenta facilè ſolvantur: ſolutio tamen, quam impugnant, non placet in eo, quod aſſerit propoſitiones adductas non eſſe contradictorias pro ſigno præſcindente à decreto, ea ſcilicèt ratione, quia pro illo ſigno neutra ex illis poteſt eſſe determinatè vera, nec determinatè falſa: Hæc, inquam, probatio inefficax eſt; quia antequam intligatur vna determinatè vera, & altera determinatè falſa, intelliguntur oppoſitæ; ergo ex eo, quod in ſigno præſcindente à decreto neutra ſit determinatè vera, aut determinatè falſa, non ſequitur pro illo ſigno non eſſe contradictorias. Antecedens

probatur ; nam opponi contradictoriè convenit illis ratione suorum prædicatorum essentialium, nimirùm, ratione significationis : at ista intelliguntur, antequam aliqua illarum intelligatur determinatè vera ; cum veritas cuilibet illarum accidentaliter conveniat ; ergo intelliguntur contradictorie oppositæ, antequam vna illarum sit, aut intelligatur determinatè vera, & altera determinatè falsa.

49 Quod etiam manifestè constat in his contradictorijs, *Petrus currit, Petrus non currit*, quas intelligimus contradictorias, antequam intelligamus, quænam illarum sit vera, & quæ falsa variataque illarum veritate semper manent eodem modo contradictoriæ ; ergo prius illis convenit esse contradictorias, quam veritas determinata. Potest tamen solutio sustineri, si sic intelligatur ; scilicèt, quod pro illo signo, pro quo non possunt habere determinatam veritatem, non exercent oppositionem : exercere enim oppositionem consistit in eo, quod veritas vnius excludat veritatem alterius, & è contra; quod exerceri non potest pro signo, pro quo non potest veritas intelligi. Sed quidquid sit de hoc.

50 Secundo doctissimi Thomistæ respondent, negando etiam minorem, scilicèt, esse contradictorias pro priori ad decretum, non præcisè, quia pro illo signo nulla illarum est determinatè vera, aut determinatè falsa, sed quia pro illo signo formari non possunt, eo quod pro illo non sunt significativæ ; atqueadeò nec propositiones. Quod suadent : quia propositio nequit intelligi significativa pro priori ad eius significatum, & absque eo, quod eius intelligatur obiectum : at pro signo præscindente à decreto eius significatum non intelligitur ; cum eius significatum sit consensus futurus, qui prout talis ante decretum non intelligitur ; & alterius significatum sit carentia futuritionis consensus, quæ similiter non intelligitur pro signo præscindente à decreto ; ergo pro illo signo nec significativæ sunt, nec propositiones. Secundo; nam propositio significat medio conceptu : sed pro illo signo, qui illas formar, non concipit earum significatum; cum nec Deus pro illo signo aliquid de futuritione, aut non futuritione concipiat ; ergo significativæ non sunt tales propositiones.

51 Sed nec ista solutio, quæ probabilis est, mihi satis expedita videtur, nec placet : Et in primis certum est, propositiones creatas, tàm vocales, quàm mentales, vt possibiles præcedere decretum. Deinde etiam est certum, vt existentes non posse decretum præcedere tanquam causę illius ; quia cum decretum sit aliquid increatum, causari non potest, & precipuè ab aliquo creato ; in quo par ratio est de propositione necessaria, & contingenti. Tandem sine dubio est, propositiones non posse intelligi existentes pro priori ad decretum ad illarum existentiam terminatum; existentia enim creaturæ decretum Dei necessario supponit : quod etiam verum est de propositione. Quod ergo dubitari potest, est an propositiones contingentes possint intelligi existentes, & significativę pro signo præscindente à decreto ad illarum obiecta terminato? Negat præfata solutio, nè admittat propositiones pro aliquo signo contradictorias, pro quo neutra illarum sit determinatè vera, vel determinatè falsa. Quod falsum putamus ; primo, quia significatio propositionis non dependet à decreto ad illius obiectum terminato ; ergo potest intelligi præcisive ab illo. Consequentia constat : & antecedens probatur ; hæc propositio *Petrus consentiet*, eandem retinet significationem, sivè Deus decernat consensum Petri, sivè illius carentiam ; ergo à tali decreto significatio non dependet ; & consequenter potest intelligi significatio illius præcisive à decreto. Secundò : ex vi decreti terminati ad obiectum propositionis, solùm habetur, quod ita sit, sicut per propositionem significatur ; sed significatio non dependet ab eo, quod ita sit, vel non sit ; cum eadem manente significatione, propositio indifferens sit ad veritatem, & falsitatem ; ergo significatio propositionis à decreto ad illius obiectum terminato non dependet.

52 Nec ea, quæ in contra-

rium

rium adducuntur, convincunt. Ad primum distinguo maiorem, nequit intelligi propositio significativa, quin intelligatur ita esse, sicut per illam significatur, nego maiorem; quin intelligatur, hoc est, quin concipiatur eius obiectum, omitto maiorem; & distinguendo minorem eodem modo, nego consequentiam: propositio ergo vocalis supponit mentalem, eius obiectum repræsentantem, & media qua significat; neutra tamen requirit ita esse obiectum, sicut per illam significatur; atque adeò neutra decretum supponit. Ad secundum concessa maiori, nego minorem: homo enim pro signo præscindente à decreto, potest cognoscere obiectum huius propositionis, *Petrus consentiet*; hæc enim cognitio potest coniungi cum futuritione consensus, & cum illius carentia; atque adeò ab actu decernente consensum non dependet: Deus etiam pro priori ad decretum cognoscit significatum; quamvis pro illo non iudicet consensum esse futurum, nec non esse futurum: hoc tamen iudicium, nimirum, consensum esse futurum, necessarium non est, vt propositio creata significet; aliàs si Petrus non esset consensurus, hæc propositio, *Petrus consentiet*, nihil significaret; nec formari posset ante decretum, nec post decretum; cum Deus in tali casu, nec ante, nec post decretum iudicet esse consensurum: nec est necessarium iudicium Dei, quo iudicet non esse consensurum, eadem ratione.

53 Tertio alij respondent, vnam ex contradictorijs esse determinatè veram, non veritate infallibili, sed fallibili, & contingenti: quapropter Deus talem veritatem ante decretum non cognoscit. Hæc solutio placuit sapientissimis Thomistis, quam iuxta ipsorum mentem ad infrà dicenda reducendam esse existimo: vt iacet tamen mihi non probatur propter duo. Primo; quia eo ipso, quod vna sit determinatè vera ante decretum, debet esse vera, non veritate contingenti, sed omninò necessaria iuxta principia Thomistica: consequens autem non admittunt, nec admittere possunt ergo. Probatur assumptum: non datur veritas contingens Deo non libera, & non existens ex determinatione decreti: sed si vera est veritate determinata ante decretum, est vera veritate Deo non libera, & quæ non existit ex eius determinatione; ergo veritate non contingenti, sed omninò necessaria. Secundo; quia si semel est vera determinatè ante decretum, quamvis veritate contingenti, debet à Deo cognosci ante decretum, qui non solùm veritates necessarias, sed contingentes cognoscit; si enim est veritas ante decretum, ante illud est cognoscibilis: nec Deus indiget decreto ad cognoscendum, quod ante illud est cognoscibile: ex quo infertur esse veritatem necessariam, non contingentem.

54 Respondetur ergo ad argumentum distinguendo maiorem, lex contradictoriarum petit, quod vna sit determinatè vera, & altera determinatè falsa pro omni priori, & pro omni signo, nego maiorem; in instanti reali, concedo maiorem: & omissa minori, nego consequentiam: & argumentum plures patitur instantias; prima est in conditionalibus disparatis, quæ quantumvis contradictoriè opponantur, ante decretum non habent determinatam veritatem; sed vtraque indifferens est pro illo signo ad veritatem, & falsitatem; quamvis posito decreto, vel illius omissione, vna sit determinatè vera, & alia determinatè falsa. Similiter instantiam habet in propositionibus de futuro absoluto, quæ etsi contradictoriè opponantur, in communi sententia Recentiorum non habent determinatam veritatem pro priori ad decretum, vel præcisive ab illo: & pro signo possibilitatis rerum opponuntur contradictoriè; cum oppositio sit prædicatum illis essentiale: & tamen pro illo signo neutra est determinatè vera, vel falsa. Denique lex cuiuscumque propositionis est, quod sit determinatè vera, vel falsa determinatè; est enim impossibile neutrum illi convenire: ex quo tamen non licèt inferre, quod omnis propositio pro omni signo est determinatè vera, aut determinatè falsa.

55 Et ratio huius est; quia licèt contradictio petat, quod vna ex contradictorijs sit vera, & altera falsa vagè: non tamen petit, quod vna præ alia sit vera, v. g. affirmativa præ negativa, vel è contra; sed hoc accidit

propoſitionibus contradictorijs ; ergo poſſunt intelligi contradictoriè oppoſitæ pro priori ſigno, pro quo nondum intelligitur, quænam illarum ſit determinatè vera. Quod ampliùs explicatur: quamvis ſit neceſſarium Petrum eſſe album, vel non eſſe album ; quia tamen tàm albedo, quàm illius carentia eſt accidens Petri, poteſt Petrus intelligi pro ſigno, pro quo non intelligitur eſſe album determinatè, vel determinatè non album ; ergo pariter quamvis neceſſarium ſit vnam ex contradictorijs eſſe veram, & alteram falſam ; quia tamen affirmativam eſſe veram præ negativa, aut è contra, accidit contradictioni; poſſunt intelligi pro ſigno, pro quo non intelligitur affirmativam eſſe determinatè veram, & negativam falſam: quod præcipuè eſt verum in contradictorijs contingentibus. Quod ampliùs explicatur ; quia ex ſola contradictione tantum infertur vnam eſſe veram, & alteram falſam vagè; non vero, quod affirmativa præ negativa, aut è contra ; ergo pro ſigno, pro quo intelliguntur contradictoriæ, ex vi contradictionis ſolùm colligitur primum, non ſecundum.

56 Ad confirmationem (quæ ſi aliquid probat, convincit futurum abſolutum habere veritatem pro priori ad decretum, contra communem ſententiam Recentiorum, vt vidimus) conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem dicendum, falſitatem illius copulativę non ſumi ex falſitate alicuius partis determinatè : quod manifeſtè conſtat ; nam copulativa, vtpotè impoſsibilis, falſa eſt pro ſigno poſsibilitatis : nulli autem ex partibus convenit falſitas determinatè pro illo ſigno, etiam apud Adverſarios ; falſitas ergo copulativę diſtincta eſt à falſitate partis determinatè. Vndè ex eo, quod illi conveniat pro priori ad decretum, non ſequitur aliquam ex partibus eſſe determinatè falſam pro aliquo priori. Idemque eſt dicendum proportionaliter de disiunctiva contradictoria ; nimirùm, eſſe neceſſariam ; ac proindè veram pro ſigno poſsibilitatis, quapropter illi convenit antequam aliqua pars intelligatur vera determinatè.

57 Ratio autem, quare copulativa eſt impoſsibilis, & conſequenter falſa falſitate præcedente determinatam falſitatem partium, eſt ; quia vltra enuntiationem partium, ratione copulationis enuntiat ſimultatem vtriuſque in veritate ; quæ ſimultas impoſsibilis eſt, quamvis quælibet pars ſeorſim ab alia poſsit eſſe vera : & ſimiliter diſiunctiva eſt neceſſaria, & conſequenter vera veritate præcedente veritatem determinatam partium ; quia ratione diſiunctionis enuntiat aliquam ſaltem eſſe veram ; ſeù, quod idem eſt, non vtranque eſſe falſam : quod eſt neceſſarium; cum non poſsint eſſe ſimul falſæ. In alijs autem non conſtantibus ex contradictorijs non ſic contingit ; nam quamvis copulativa enuntiet coniunctionem vtriuſque partis ; cum ſimultas in veritate non repugnet, non intelligitur deficere in veritate, quouſque intelligatur aliquam ex partibus eſſe determinatè falſam : & idem proportionaliter dicendum eſt de disiunctivis. Et hæc de iſto dubio applicanda litterę Magiſtri, vbi ſupra dubio præcedenti.

((o))

DVBIVM VI.

Vtrùm dentur in Deo decreta conditionata obiectivè, & subiectivè absoluta?

§. I.

Referuntur sententiæ, & statuitur conclusio.

1 EX Dictis satis constat esse admittenda huiusmodi decreta: constat enim futura conditionata contingentia non habere determinatam veritatem pro signo præscindente à decreto conditionato obiectivè, & subiectivè absoluto; sicut futura absoluta absque decreto absoluto omninò. Constat etiam omnem propositionem de futuro cõditionato esse absolutè, & in instanti reali determinatè veram, vel determinatè falsam; ex quibus evidenter infertur dari in Deo prædicta decreta, quibus futura contingentia habent determinatam veritatem, aut falsitatem. Cæterùm, quia decreta ista, vt impossibilia ab aliquibus reijciuntur; oportet stabilire horum decretorum possibilitatem, & existentiam antequàm ad alia procedamus: quibus apertiùs constabit nulla futura contingentia, sivè conditionata, sivè absoluta habere veritatem determinatam ante decretum absolutè existens.

2 Est ergo prima sententia P. Vazquez, disp. 67. num. 21. asserentis talia decreta esse impossibilia; quem sequitur Alarcòn tract. 3. disp. 5. cap. 8. & sequentibus, negans etiam in voluntate creata affectus obiectivè conditionatos; pro quâ sententia refert Enriquez, Mendoça, & Molinam: sed Molinam non negasse horum decretorum possibilitatem, nec aliquorum existentiam, constat evidenter ex eo, quod 1. p. quæst. 14. disp. 17. & in Concordia, disp. 6. docet actus liberos creatos posse sub conditione futuros cognosci à Deo absque decreto existente: actus verò liberos Dei sub conditione extitu-ros indigere decreto, quasi reflexo, quo Deus determinat conditionatè illorum existentiam. Secunda sententia affirmativa est vera, & omnium Thomistarum, quorum plures referunt. PP. Salmanticenses, disp. 7. & 10. & Magister Vives, disp. 13. distinct. 3. disp. 19. distinct. 2. §. 2. Magister à Sancto Thoma, disp. 20. art. 3. & 6. Eandem sententiam sequuntur plures ex Scotistis negantibus Scientiam Mediam, quos refert, & sequitur Franciscus Fœlix, cap. 6. de Scientia Dei, difficultate 8. num. 4. & ex discipulis Scoti nullus expressè negat horum decretorum possibilitatem. Hanc eandem sententiam docuit nos D. Thomas in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. & quæst. 12. de Veritate, art. 1. & alibi sæpè.

3 Cuius doctrina sit nostra conclusio; scilicèt, huiusmodi decreta conditionata esse possibilia, & existentia. Pro prima parte probatur: quia decretum cõditionatum obiectivè nullam implicat, seù involuit imperfectionem; vt ex argumentorum solutione constabit; ergo possibilia sunt in Deo. Secundo probatur vtraque pars: promissio, aut comminatio conditionata nullam arguit in Deo imperfectionem; ergo nec decreta conditionata. Antecedens constat ex promissione gloriæ sub conditione perseverantiæ, & comminatione pœnæ sub conditione finalis impœnitentiæ, & alijs, quæ passim habentur in Scriptura. Consequentia verò probatur; tùm, quia si quæ est imperfectio in decreto conditionato, eadem militat in promissione. Tùm etiam; quia promissio deliberata, & non ficta supponit animum adimplendi promissum; atqueadeò Deus gloriam sub conditione promittens, illam sub eadem conditione decernit: & quamvis sufficeret ad existentiam promissionis non habere animum non adimplendi; negari tamen non potest perfectiori modo fieri promissionem, si adest animus expressus adimplendi promissum; ergo cum promissio Dei sit perfectissimo modo intelligenda, dicendum est illi coniungi animum adimplendi promissum.

4 Tùm etiam; quia promissio absoluta importat in Deo decretum omninò absolutum adimplendi promissum; nec ad illam sufficit non habere animum non adimplendi; ergo promissio conditionata importat decretum conditionatum. Tùm etiam; quia quamvis posset sine imperfectione promittere absque animo expresso

adimplendi, implicat tamen Deum non posse velle adimplere, quod promisit sub eadem conditione, qua promisit; ergo etiam si ex conditionata promissione non inferatur existentia decreti conditionati; infertur tamen illius possibilitas. Tùm denique; quia Deus per actum, quo vult promittere gloriam sub conditione, vult saltim virtualiter gloriam sub eadem conditione; ergo potest illam formaliter velle, & decernere sub eadem conditione. Antecedens est certum, & admittitur ab Adversarijs. Consequentia verò probatur: quia quidquid Deus virtualiter vult, potest expressè, & formaliter amare; ergo si Deus per actum, quo vult promittere sub conditione gloriam, vult virtualiter gloriam sub conditione eadem, poterit gloriam formaliter, & expressè velle sub eadem conditione.

5 Tandem adhùc efficaciùs probatur ex dictis: quia veritas conditionalis defacto datur; cum defacto sit vera propositio conditionalis, cuius veritas est contingens; atqueadeò datur ex alicuius determinatione, scilicèt Dei: at multoties non datur alia determinatio, nisi decretum conditionatum; cum multoties sit vera propositio conditionalis contingens, quin detur determinatio Dei de purificanda conditione, aut de ponendo eventu absolutè; ergo necessario fatendum est dari aliam determinationem obiective conditionatam, & subiective absolutam, quæ alia non est, nisi decretum subiective absolutum, & obiective conditionatum.

§. II.

Solvuntur argumenta.

6 CONTRA Hanc doctrinam stat argumentum, quod latissimè expendit Alarcòn vbi supra: Voluntas ferri non potest nisi in proprium obiectum; at futurum conditionatum non est obiectum voluntatis; ergo voluntas in illud ferri non potest. Minor probatur; obiectum voluntatis est bonum: sed futurum conditionatum non est bonum; ergo nec obiectum voluntatis. Maior constans videtur: nam obiectum voluntatis est appetibile: at omne appetibile est bonum; quia appetibilitas supra bonitatem fundatur; ergo obiectum voluntatis est bonum. Minor autem probatur: nam futurum conditionatum non est actu, sed esset, si purificaretur cõditio; ergo non est actu bonum, sed esset bonum, si purificaretur conditio. Consequentia hęc probatur: bonitas existentiam importat; ergo quod actu non est, sed esset, non est bonum actu, sed esset bonum: qua etiam ratione, quod solùm est possibile solùm est possibiliter bonum: nec vt actu, & defacto terminet actum voluntatis, sufficit, quod si purificaretur conditio, esset bonum; quod enim non sufficit ad hoc, vt actu sit obiectum voluntatis, non sufficit ad terminandum defacto actum voluntatis: sed quod esset bonum, non sufficit vt actu sit obiectum voluntatis; cum non sufficiat ad hoc, vt actu sit bonum; ergo non sufficit ad terminandum actum voluntatis.

7 Confirmatur: sic est obiectum voluntatis bonum, sicut obiectum visus est coloratum: sed vt defacto aliquid terminet visionem, non sufficit, quod esset coloratum, sed necessarium est, quod actu sit coloratum; ergo vt terminet actum voluntatis, non sufficit quod esset bonum, sed requiritur quod actu sit bonum. Nec sufficit, quod repręsentetur vt actu bonum, etiamsi non sit bonum actu: quia licèt hoc in nobis possit contingere, in Deo nequit admitti; cognoscenti enim omnia vt sunt, non potest repræsentari vt actu bonum, quod non est actu bonum. Confirmatur secundo: iuxta communiorem Thomistarum sententiam Deus non amat, nec potest amare creaturas possibiles, eo quod omnis diligibilitas supra existentiam fundatur: sed futura purè conditionata nullam habent existentiam; ergo nequeunt terminare actum voluntatis divinæ.

8 Huius argumenti inefficacia constat primo in futuro absoluto, quod actu non est bonum sub existentia iuxta doctrinam argumenti: & tamen terminat actum voluntatis divinæ actu abæterno existentem; non ergo requiritur esse actu bonum,

num, vt terminet actu decretum voluntatis divinæ, etiam efficax. Ex quo etiam constat exempli ad iucti ineptitudo: nam quod actu coloratum non est, sed esset, non potest terminare visionem actu existentem; & tamen quod actu non est bonum, sed erit, terminat actum voluntatis, vt vidimus; ergo etiam si id, quod non est coloratum, sed esset, nequeat terminare actu visionem, non infertur bonum, quod non est, sed esset, non posse terminare actum voluntatis defacto existentem. Cōstat secundo: nam eadem ratione, qua non diligitur nisi bonum, non promittitur nisi bonum; non enim est dignum promissione, quod illi, cui promittitur, bonum non est: & tamen salus sub conditione futura, digna est, vt sub conditione promittatur; ergo vt ametur sub eadem conditione: qua ratione supra asseruimus Deum non posse promittere, quod non potest amare. Tandem constat in ipsa Scientia Media, cuius obiectum est verum, sicut obiectum voluntatis bonum: sed futurum conditionatum actu verum non est, sed esset; cum omnia, quæ actu dantur, in huius Authoris sententia componi possint cum illius falsitate: & tamen terminat actum scientiæ; ergo quod defacto bonum non est, sed esset, poterit actum voluntatis terminare.

9 Si autem dicas conditionatum contingens esse actu verum, quia actu datur connexio antecedentis cum consequēti, quę veritatem fundat. Contra est primo: nam connexio actu fundans veritatem contingentem sufficiens est ad bonitatem fundandam; ergo sicut ratione connexionis est verum, ratione eiusdem erit bonum. Secundo: connexio conditionis cum conditionato non est prædicatum essentiale conditionis, sed contingens; aliàs propositio esset necessaria; ergo non potest verificari actu de conditione non existente quod connectitur, sed quod connecteretur; non ergo datur actu connexio veritatem contingentem fundans; sed daretur, si purificaretur conditio: nisi velit actu verificari de conditione, quod connectitur ratione actu existentis, quod est deserere Scientiam Mediam.

10 Ad argumentum ergo respondetur negando minorem: ad probationē, distinguo maiorem; obiectum voluntatis est bonum existens, aut futurum absolutè, aut conditionatè, concedo maiorem; solùm bonum existens, nego maiorem: & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad huius improbationem dicendum, quod appetibilitas fundatur supra bonitatem existentem, aut futuram absolutè, aut conditionatè.

11 Ad primam confirmationem, vel nego maiorem, vel distinguenda iuxta dicta: obiectum enim voluntatis est bonum existens, vel futurum absolutè, vel conditionatè: obiectum autem visus est coloratum existens, aut præsens; hęc enim potentia propter sui materialitatem non potest nisi ad præsens terminari. Ad secundam confirmationem dicatur sententiam illam, quam veram putamus, diligibilitatem obiecti fundare supra existentiam præsentem, vel futuram, iuxta infra dicenda: & quia creaturis possibilibus non convenit præsens existentia, aut futura, sed solùm possibilis; ideò illis deest diligibilitas: futurum autem conditionatum, quāvis non existat, est tamen sub conditione futurum; quod sufficiens est, vt actu sit diligibile.

12 Contra hanc tamen doctrinam obstat primo; quod obiectum actu terminans actum voluntatis divinæ, actu appetibile est; ergo actu debet esse bonum: id enim, quod sufficit ad fundandam appetibilitatem præsentem, sufficiens est ad constituēdum obiectum actu bonum; ergo implicat, quod actu sit appetibile, si actu bonum non est. Confirmatur: quod sufficit ad actu fundandam veritatem contingentem, sufficit ad actu fundandam bonitatem, vt supra dicebamus: ergo quod sufficit ad actu fundandam appetibilitatem, sufficit ad fundandam actu bonitatem, vel potiùs est ipsa bonitas præsens.

13 Secundo obstat: nam futurum conditionatum non est capax terminandi actum voluntatis divinæ ratione illius, quo cum purè possibilibus convenit; nec ratione illius, per quod ab illis distinguitur; ergo nullatenus potest decretum terminare. Antecedens pro prima parte constat; aliàs purè possibile etiam posset terminare decretum. Pro secunda verò probatur: id, quo distinguitur futurum conditionatum à purè possibili, est id, quo constituitur cōditionatè futurum; quod in nostra sententia est decretum: sed ratione decreti non constituitur capax terminandi decretum; ergo nec ratione illius, quo à purè possibili distinguitur. Minor probatur: obiectum

non

non constituitur potens actum terminare per actum ipsum, sed per aliquid ab actu distinctum; vt patet in omnibus alijs obiectis; ergo futurum conditionatum non est capax terminandi decretum ratione illius, per quod à puré posibilibus distinguitur.

14 Respondetur, concesso antecedenti, distinguendo consequens, debet esse bonum obiectivè, & signatè, concedo consequentiam; subiectivè, nego consequentiam. Itaque vt sit appetibile obiectum, & potens terminare actum voluntatis divinę, non prerequitur in ipso bonitas subiective, sed obiective; hoc est, vt sit in potentia obiectiva ad bonitatem: & ratio est; nam vt obiectum possit terminare actum voluntatis divinæ, sufficit, quod sit in potentia obiectiva, vt Deus illi velit dare existentiam, vel bonitatem absolutè, vel conditionatè iuxta illius libitum: ad hoc autem sufficiens est, quod sit in potentia obiectiva; non autem prærequiritur subiectiva bonitas in ipso pro priori ad actū. Quia tamen decretum est determinatio causæ ad dandum obiecto existentiam, vi illius constituitur futurum, vel absolutè, vel conditionatè, iuxta modum, quo Deus vult communicare existentiam: & hac ratione affirmat nostra solutio, quod bonum existens, vel futurum sit obiectum voluntatis divinæ; non quia pro priori ad decretum sit futurum, sed quia necessarium est, quod vi illius constituatur futurum.

15 Ad confirmationem concesso antecedenti, distinguo consequens; sufficit ad fundandam bonitatem, vel est ipsa bonitas subiective, nego consequentiam; obiective, concedo consequentiam: ad fundandum itaque actu veritatem contingentem, necessarium est aliquid contingens; atqueadeò sufficiens ad fundandum actu veritatem, nedum obiectivè, sed subiectivè: ad appetibilitatem autem fundandam sufficit bonitas obiectivè, & signatè.

16 Ad secundum nego antecedens pro prima parte: futurum enim conditionatum capax est ad terminandum decretum ratione illius, quo cum purè posibilibus convenit. Ad huius improbationem concedendum est posibilia esse capacia terminandi decretum; imó aliud non est, esse posibile: quando autem dicitur non posse amari posibilia á Deo, aut non posse terminare decretum, intelligendum est de posibilibus manentibus intra puram posibilitatem; implicat enim creaturam actu terminare decretum, & remanere intra puram posibilitatem; quia per ipsam terminationem constituitur futura, & est extra puram posibilitatem: sicut enim posibile pro priori ad futuritionem capax est, vt sit futurum, nec huiusmodi capacitas illi convenit ratione futuritionis, quamvis per illam extrahatur à pura posibilitate; pariter est capax, & potens decretum terminare capacitate ipsi convenienti pro priori ad illud, quamvis per illud à pura posibilitate extrahatur: in quo sensu intelligenda est doctrina solutionis, & sententia asserentium Deum non posse amare creaturas posibiles.

17 Arguitur secundo ex P. Vazquez: decretum liberum, cum potuerit non esse in Deo, infert mutationem aliquam in creatura, illamque connotat: sed in obiecto purè conditionato nulla datur mutatio; imò tale obiectum ex vi decreti non erit, sed esset; ergo non stat libertas decretum erga obiectum conditionatum. Nec argumentum solvitur, si asserarur dari mutationem creatam; quia datur, vel extrinseca revelatio, seù promissio divina, qua revelatur, & promittitur conditionatum sub conditione futurum. Tùm; quia hæc non sunt connotata illata à decreto absoluto revelandi, & promittendi; quia decreti conditionati nullum assignatur connotatum, nec ex vi illius nulla datur in creatura mutatio. Tùm etiam; quia si decretum conditionatum est posibile, potest dari absque revelatione, & promissione; potest enim Deus quodlibet decretum revelare, vel non; sicut de facto datur scientia conditionata absque revelatione, & promissione.

18 Respondetur negando maiorem, cuius falsitas constat in decreto inefficaci dandi prædestinatis gloriam, quod nullam infert in illis mutationem, nec aliquid, quod non existeret deficiente decreto illo. Constat etiam in decreto conferendi gloriam ex meritis Petro, v.g. quod potuit non esse in Deo, existente eadem gloria, & ijsdem meritis; atqueadeò eius existentia nullam infert mutationem. Constat insuper in Scientia Media, quæ cum potuerit in Deo non esse, de facto existit in ipso iuxta Adversarios, absque mutatione aliqua creaturę. Et tandem decretum omninò absolutum abæterno existit, quin sit abæterno mutatio aliqua in creatura. Dicen-

cendum ergo eſt, decretum exiſtens hanc mutationem non requirere, ſed adęquatè per aliquid intrinſecum Deo conſtitutum inferre mutationem iuxta illius naturam: ſi ineſficax ſit, nullam efficacitèr infert mutationem ex terminis: ſi ſit efficax abſolutum, infert mutationem futuram, ſecundum quod Deus per tale decretum determinat: ſi ſit efficax conditionatum; infert mutationem, non abſolutam, ſed conditionatè futuram, quia Deus per illud non vult obiectum abſolutè, ſed conditionatè.

19 Arguitur vltimo: non poteſt eſſe in voluntate decretum conditionatum de obiecto abſolutè extituro ſub conditione, quæ re vera eſt ponenda; nec de obiecto nunquam extituro ſub conditione non purificanda; ergo nullum poteſt Deus habere decretum conditionatum. Antecedens pro prima parte probatur: nam omninò inutile eſt decernere decreto conditionato, quod decernitur per abſolutum; ſed eventus, & conditio abſolutè extitura terminant decretum abſolutum; ergo circa eventum ſub tali conditione inutilè eſt; atqueadeò nequit dari decretum conditionatū. Pro ſecūda, & prima parte ſimul probatur: quia decernere obiectum ſub conditione nunquam ponenda, etiam imprudens, & inutilè eſt: certè imprudentię argueretur decernens aliquid ſub conditione, quam videt non purificandam, ſeù quam videt purificandam; quapropter hoc eſſet ſtultum decretum, *decerno ſtudere, ſi nunc exiſto*: & ſimiliter iſtud, decerno ſtudere cras, ſi nunc non exiſto; ergo inutile, & imprudens eſt decretum ſub conditione, quę videtur purificanda, & ſub conditione, quæ videtur nunquam extitura: qua etiam ratione Deus nihil ſub conditione neceſſaria decernit, nec ſub conditione impoſsibili.

20 Reſpondetur negando antecedens pro vtraque parte. Ad primam probationem reſpondent Recentiores quidam, decretum conditionatum glorię ſub conditione perſeverantię eſſe vtile, eo quod poteſt Deus moveri ad abſolutè decernendum gloriam, eo quod gloriam conditionatè decreverit, vt ſcilicèt gratia coniungatur cum bono gloriæ.

21 Sed hæc parva, aut nulla vtilitas: id enim, quod Deum poterat movere ad decernendam purificationem conditionis, eſt videre eventum futurum ſub conditione, ſivè bonum gratiæ eſſe coniungendum cum bono glorię, ſi perſeverantia ponatur: hoc autem in ſententia illorum independenter à decreto conditionato per Scientiam Mediam habetur; ergo decretum conditionatum vtile, aut neceſſarium non erit. Secundo: nam eodem modo movebit Deum ad decernendum purificationem conditionis, videre ſe decreturum eventum, ſi purificaretur conditio; atque videre ſe decreviſſe illum ſub conditione: ſed primum habet per Scientiam Mediam independenter à decreto; ergo decretum parum, aut nihil habet vtilitatis. Tandem: quia ſequitur, quod quando Deus non decernit abſolutè conditionem, nullam habeat decretum conditionatum vtilitatem.

22 Meliùs ergo reſpondetur; quod ſicut eventum eſſe abſolutè futurum, non reddit inutile eſſe etiam conditionatè futurum, eo quod ſunt veritates diſtinctæ contingentes, quarum ſaltim ſecunda ſine prima eſſe poteſt; pariter nec decretum abſolutum reddit inutile conditionatum; quælibet enim harum veritatem ſecum vēdicat decretum; veritas abſoluta abſolutum, & conditionata conditionatum. Ad ſecundæ partis probationem reſpondetur decretum conditionatum ſupponens purificationem conditionis inutile eſſe, imò impoſsibile; tale enim decretum connectitur cum exiſtentia abſoluta eventus, illamque abſolutè infert; cum ſupponat conditionem, ſub qua infallibiliter infert eventum, & conſequenter ſi datur, non eſt decretum conditionatum, ſed abſolutum. Similiter decretum conditionatum ſupponens non purificationem conditionis inutile eſt; eſt enim inconiungibile cum exiſtentia eventus ſub illa conditione; quia Deus per tale decretum vult ſaltim virtualiter non exiſtere conditionem; atqueadeò vult non exiſtere eventum ſub illa conditione: decretum autem præſcindens à purificatione, & non purificatione conditionis vtile eſt, & neceſſarium, vt exiſtat veritas conditionata, & vt nullus ſit ſtatus conveniens contingenter rebus, qualis eſt conditionatus, niſi à Deo diſponente ad nutum ſuæ voluntatis; eſt enim neceſſarium, quod voluntas divina ſit in actu ſecundo erga omnia obiecta, quę poſſunt illius volitionem, aut nolitionem terminare; cuius oppoſitum eſſet imperfectio.

23 Sicut ergo hæc de cauſa eſt neceſ-

ceſsitatis Deus ad habendum volitionem, aut nolitionem abſolutam, vel omiſsionem puram liberam illarum erga quodlibet obiectum potens abſolutè exiſtere, ſi hæc omiſsio eſt poſsibilis in Deo: pariter erga omnia obiecta, quę poſſunt eſſe conditionatè futura. Inſtaturque argumentum in promiſsione conditionata, quæ defacto datur in Deo, & non abſque vtilitate: & ſimiliter in Scientia Media, per quam Deus cognoſcit eventum ſub conditione futurum, etiam ſi videat per ſcientiam viſionis purificatam conditionem, & ſimul exiſtere eventum; eo quod ad omnem veritatem debet extendi ſcientia infinita Dei: pariter nos dicimus de voluntate divina, debere eſſe in actu ſecundo erga omne obiectum, ad quod poteſt ſe extendere.

24 Contra hæc tamen adhùc obijcies: ſi Deus decreviſſet gloriam ſub conditione perſeverantię, hoc decretum eſſet commune reprobis, & prædeſtinatis; cum conditionata promiſsio, ex qua decretum intulimus, communis ſit: hoc autem dici non poteſt; ergo nec admittendum eſt tale decretum. Minor probatur: nam exinde ſequeretur non dari in Deo erga prædeſtinatos decretum abſolutum intentivum gloriæ precedens electionem mediorum, & perſeverantiæ finalis: conſequens adverſatur doctrinæ Thomiſtarum, & communiori inter alios Theologos; ergo decretum illud non eſt commune reprobis, & prædeſtinatis. Aſſumptum probatur primo: quia decretum conditionatum tranſit in abſolutum purificata conditione; ergo ſi Deus haberet decretum cõditionatum erga gloriam ſub conditione perſeverantiæ, huiuſmodi decretum per purificationem conditionis tranſiret in abſolutum; & conſequenter non eſt neceſſarium aliud decretum abſolutum erga gloriam præcedens electionem mediorum: ex quo vlteriùs fieret, primam diſcretionem reprobi à prædeſtinato conſiſtere non in decreto gloriæ intentivo, ſed in purificatione conditionis. Secundo: quia Deus decernens dare gloriam ſub conditione perſeverantiæ debet præſtare purificationem conditionis, vt velit abſolutè dare gloriam; fruſtra enim conditionatè decernit, qui ante purificationem conditionis vult exiſtere eventum, quem conditionatè decernit; ergo conceſſo decreto conditionato, negandum eſt decretum abſolutum intentivum gloriæ præcedens electionem mediorum, & perſeverantię.

25 Argumentum fortiùs militat contra promiſsionem conditionatam, quã ſupponit: ad illud reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem: ad illius probationem nego maiorem, vel aſſumptum: & ad huius primam probationem admiſſo antecedenti, concedendum eſt etiam conſequens: ex quo ſolum infertur, quod vt homo conſequeretur gloriã, non eſſet neceſſarium decretum intentivum illius præcedens electionem mediorum, & perſeverantiæ; poſito enim decreto conditionato, & purificata conditione, teneretur Deus conferre gloriam, etiamſi non præceſiſſet decretum intentivum illius: non tamen exinde convincitur tale decretum non præcedere; cùm enim velle purificare cõditionem ſit electio abſoluta medij, cuius finis eſt gloria, ſupponit ſaltim naturaliter intentionem abſolutam gloriæ. Ad ſecundam probationem nego antecedens: cum enim Deus vtrumque conferat, gloriam, & perſeverantiam, & vtrumque in eius ſit poteſtate; ſit, poſſe incipere ab intentione gloriæ, vt exinde derivetur purificatio conditionis, & hoc exigit natura rerum; iuxta quam electio medij præſupponit intentionem finis. Vel diſtinguo antecedens, debet præſtare purificationem conditionis, vt velit abſolutè gloriam intentive, nego antecedens; vt velit decreto exequutivo, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

26 Ex his infertur, ſine fundamento aliquos Recentiores cum Suarez Prologomenon 2. de Gratia, cap. 8. limitare doctrinam noſtram, concedentes decretum cõditionatum in Deo; non tamen erga omnia futura conditionata; ſed ſolum erga illa, quorum conditio non dependet à ſola voluntate divina, ſed à libertate creata. Quorum fundamentum eſt: quia Deus nequit decernere aliquid ſub conditione, & ſimul pro ſua libertate conditionem excludere; non enim eſt paratus ad exequutionem rei, qui conditionem poſitam ad illam exequendam, quam pro ſuo poteſt ponere, pro ſuo libito excludit. Ex hac tamen doctrina ſequitur Deum nihil poſſe ſub conditione decernere; cum nulla ſit poſsibilis conditio, quæ pro nutu Dei non ſit, vel ab eſſendo deficiat, quantumvis dependeat à voluntate creata; non ergo poſſet Deus decernere ſub conditione, etiam dependente à voluntate creata, ſeù libertate,

tate. Vel aliter: Deus decernit sub conditione dependenti à voluntate creata, seù libertate, quam non purificat; cum possit hoc facilimè præstare; ergo poterit decernere sub conditione ab ipso solum dependente quamvis conditionem non purificet, quam ipse potest facilimè exequutioni mandare.

27 Argumentum autem in contra nullum est: Deus enim conditionatè decernens non est determinatus, seù paratus ex vi illius decreti ad rei exequutionem absolutè, sed sub conditione, à cuius positione decretum conditionatum omninò præscindit; quapropter manet indifferens illo posito ad purificandam, vel non purificandam conditionem. Et hæc de isto dubio.

DVBIVM VII.

Vtrùm decretum conditionatum necessarium sit, vt Deus cognoscat futura contingentia conditionata?

§. I.

Statuitur conclusio, & pro illa expenditur prima ratio.

1 CERTVM Est ex dictis, Deum posse cognoscere in decreto conditionato, & ex vi illius futurum contingens conditionatum; etenim Deus potest cognoscere veritatem ex vi medij cum illa infallibiliter connexi: at decretum conditionatum cõnectitur cum veritate futuri conditionati; quia cum tali decreto componi non potest purificari conditionem, & eventum non poni; potest ergo Deus ex vi talis decreti eventum cõditionatum cognoscere. Quod intelligendum est de decreto efficaci; de inefficaci enim oppositum dicendum est, scilicèt, ex vi illius non posse Deum cognoscere infallibiliter conditionatum. Quod ergo inquirimus est, an huiusmodi decreta necessaria sint, vt Deus cognoscat futura contingentia conditionata.

2 Non requiri ad prædictum finem decreta conditionata, in vniversum defendunt Defensores Scientiæ Mediæ præter Molinam, & paucos illum sequentes, qui 1. part. q. 14. art. 13. disp. 17. & in Concordia, disp. 50. & 52. limitat sententiam istam distinguens actus liberos creatos ab increatis; docet creatos posse vt futuros cognosci absque decreto existenti; increatos autem indigere decreto quasi reflexo, quo Deus decernat conditionatè illorum existentiam. Rationem autem eius desumptam ex supercomprehensione creaturæ, & non super comprehensione Dei, supra reiecimus. Sententia affirmativa est omnium Thomistarum, quos referunt PP. Salmanticenses disp. 7. & 10. M. Vives, disp. 3. distinct. 3. & disp. 14. dist. 2. M. Sancto Thoma, disp. 20. art. 3. & 6. Illos sequuntur plures ex Scotistis, quos refert, & sequitur Franciscus Fœlix, cap. 6. de Scientia Dei, difficultate 2. num. 4. & alij plures, qui apud ipsum videri possunt.

3 Sit nostra conclusio: Decretum conditionatum necessarium est, vt Deus futura conditionata cognoscat. Hæc conclusio ex dictis dubijs præcedentibus manifestè colligitur; Deus enim cognoscit huiusmodi futura: & non insuper comprehensione causarum secundarum, vt contra Molinam probavimus: non in decreto vt futuro, vt docebat Suarez: nec in idæis divinis præcisivè à decreto, vt aliqui ex Ægydio docuerunt: nec in veritate obiectiva, vt docent communiter Recentiores; quia veritas hæc obiectiva præcisivè à decreto actualiter existenti nulla est; ergo decretum conditionatum absolutè existens est omninò necessarium, vt Deus cognoscat huiusmodi futura.

4 Deindè ex Augustino nostra conclusio manifestè deducitur locis vbi supra adductis, & alijs alibi commodiùs adducendis: videatur lib. de Prædestinatione Sanctorum c. 10. sup. cap. 45. v. 11. vbi manifestè docet, Deum prædestinatione sua facere futura abæterno; quia scilicèt prædestinatione, hoc est decreto, abæterno futura constituuntur. Ex Div. Thoma etiam colligitur; quia, vt supra vidimus, iuxta ipsum rem esse futuram est extrinseca denominatio desumpta à decreto. Insuper,

per, quia vt docet hac quæst. artic. 5. & alibi sæpè, Deus seipsum videt in seipso; alia autem à se videt, non in ipsis, sed in seipso: vndè cum in essentia præcisivè à decreto non sit medium sufficiens ad intuendum futurum, necessariò asserendum est illa videre in essentia per decretum determinata: quod expressit Angelicus Magister in 1. dist. 39 quæst. 1. in responsione ad 5. & art. 2. ad 1.

5 Secundo ex dictis sic deducitur: vt Deus cognoscat aliquid esse conditionatè futurum, necessarium est esse conditionatè futurum: sed nequit esse futurum cõditionatè, nisi ratione decreti divini actualiter existentis; ergo existentia huius decreti est omninò necessaria ad cognitionẽ futuri conditionati. Consequentia constat: Maior est certa; & minorem supra efficaciter probavimus.

6 Solutio autem, quæ adhiberi solet, nulla est: nimirùm, quod futurum conditionatum non est, sed esset; & quod non constituitur per decretum, quod sit, sed ad summum per decretum quod esset. Hæc, inquam, solutio nulla est: quia futurum absolutum non est, sed erit: & tamen constituitur in ratione futuri per decretum actualiter existens, quo deficiente non est actu futurum; ergo etiam si futurum conditionatum non sit, sed esset, requirit, vt actu sit conditionatè futurum, decretum actualiter existens. Tùm etiam: quia licèt non sit, sed esset; tamen actu est conditionatè futurum; ergo actu debet dari forma, per quam futurum constituatur: quæ alia esse non potest. Quod constat eisdem rationibus, quibus probavimus futurum absolutum per decretum constitui: quia enim futurum absolutum est actu futurum, quamvis actu non existat, requirit formam actu existentem, qua futurum constituatur; quamvis quia res, quæ dicitur futura, non existit, non detur actu forma, qua constituatur existens. Tùm denique: quia licèt ad constitutionem futuri conditionati sufficeret decretum, quod esset; necessarium tamen est, vt actu sit conditionatè futurum, quod actu sit verum, quod esset tale decretum, si purificaretur conditio: at hoc verificari non potest absque decreto actualiter existente, quo Deus decernat, quod esset tale decretum, vt ex dictis constat, & amplius infra constabit.

7 Propter hæc Recentiores vtrumque purificant decretum, & asserunt, quod nec futurum absolutum requirit decretum absolutè existens tempore futuritionis, sed sufficere ad sui constitutionem in ratione futuri decretum futurum; sicut ad constitutionem futuri conditionati sufficit decretum, quod esset: ex perfectione tamen divina repugnat decretum esse absolutè futurum; ac proinde nequit dari futurum absolutum absque decreto abæterno existente: non autem repugnat divinæ perfectioni, quod eius decretum non sit, sed esset abæterno, si Deus decrevisset abæterno purificare conditionem. Quod à nobis concedendum est, vt asserunt; si enim Deus decrevisset abæterno Iudam in gratia perseverare, aliquomodo esset in Deo decretum conferendi gloriam; quod decretum defacto non est; est ergo admittendum à nobis decretum, quod esset abæterno, si aliqua purificaretur conditio; quod tamen defacto non datur.

8 Quod autem futurum absolutum ex se non requirat in Deo decretum abæterno existens, sibi persuadent; eo quod futurum solum requirit decretum titulo causæ, vel quia causa est futura: sed hoc titulo non requirit decretum abæterno existens; ergo illud non requirit. Minor probatur: quia futurum, dum tale est, solum requirit causas futuras; quamvis dum existit, requirat illas existentes; ergo titulo causæ non requirit decretum existens, sed vel existens, vel futurum. Confirmatur ex eo, quod futurum contingens à Deo simul, & creatura dependens, dum futurum est, non exigit creaturam existentem, sed vel existentem, vel futuram; ergo nec exigit decretum existens; sed vel existens, vel futurum. Nec sufficiens redditur disparitas per hoc, quod futurum dependeat essentialiter à decreto: nam actio creaturę dependet essentialiter à creatura; actio vitalis à principio vitali; vnio ab extremis, quæ vnit: & tamen dum futura sunt non requirunt existentiam illorum, à quibus dependent essentialiter, sed sufficit esse futuras huiusmodi causas, à quibus essentialiter dependent.

9 Hæc tamen doctrina ex dictis falsitatis convincitur: quamvis enim creatura, vt in tempore existat, non requireret decretum abæterno existens; vt tamen sit abæterno futura, illud necessario requirit; implicat enim in aliquo instanti,

ve

vel signo creaturam esse futuram, in quo ipsi non conveniat id, quo à purè possibili, & existente distinguitur: abæterno autem nihil potest illi convenire sic illam distinguens, si decretum abęterno non existat; ergo quamvis creaturam in tempore existere, non peteret in Deo decretum abæterno existens; ipsam tamen esse abæterno futuram illud requirit abæterno existens. Quo argumento etiam convincitur, rei, cui convenit actu esse conditionatè futuram, debere actu convenire id, quo à purè possibili distinguatur; futurum enim conditionatum non est purè possibile: cum autem hoc aliud esse non possit, quam decretum; manifestè convincitur debere dari actu decretum, vt actu illi conveniat esse conditionatè futurum. Qua ratione admittit Div. Thomas, vt supra vidimus, aliquid existere in tempore, de quo non fuit verum tempore antecedenti esse futurum comparative ad causas secundas: quia scilicèt non præcesserunt determinatæ ad illius effectus productionem. Et 1. parte, quæst. 16. artic. 3. ad 7. docuit: non esse futurum fieri creaturæ abęterno, si in causa sempiterna non erat abæterno, vt fieret.

10 Deindè falsum est creaturam in tempore existentem non petere decretum Dei abæterno existens. Quod sic probatur: creaturam existere in tempore exigit essentialiter, & per se determinationem causæ primæ ad dandum illi esse; ergo decretum abęterno existens. Consequentia probatur: nam determinatio primæ causæ vt talis, & vt ab alterius causæ determinatione distinguitur, excludit formaliter imperfectionem incipiendi in tempore; ergo si causę primę determinationem exposcit, illam exposcit, vt excludentem imperfectionem incipiendi in tempore; & consequenter abæterno existentem. Secundò: existentia creaturæ exposcit primam causam abæterno existentem; ergo decretum abæterno existens. Consequentia probatur: Tùm, quia causam primam, & illius decretum exposcit titulo causæ; quo non obstante creatura in tempore existens petit causam primam abęterno existentem; ergo etiam si decretum titulo causæ exposcat, illud abæterno existens petit. Tùm etiam: quia rationes probantes exigere causam primam abęterno existentem, idem convincunt de decreto.

11 Antecedens autem probatur primo: nam existentia decreti petit primam causam existere omninò independenter; & omnem inexistendo excludentem imperfectionem: hac enim ratione ex existentia creaturæ demonstrari à posteriori primam causam omninò independentem, & omnem excludentem imperfectionem, docent Theologi cùm Div. Thoma 1. part. quæst. 2. & 3. ergo existentia creaturæ exigit primam causam existentem absque imperfectione incipiendi; & consequenter abęterno existentem. Secundo probatur idem antecedens: nam creatura possibilis requirit per se causam existentem necessario abæterno; ergo à fortiori creatura in tempore existens petit causam existentem abæterno. Antecedens probatur à D. Thoma art. 3. citato ratione 3. vbi ex possibilitate rei infert aliquod ens necessario abæterno existens, & ex huius entis negatione infert negationem possibilitatis. Deindè probatur ad hominem contra Adversarios: ipsi enim docent creaturam esse possibilem, esse denominationem necessariam desumptam ab Omnipotentia necessario existenti; ergo creatura abæterno possibilis exposcit abæterno Omnipotentiam necessario existentem; qua deficiente creatura in ratione talis, vel possibilis deficeret.

12 Tertio probatur principale antecedens: si creatura in tempore existens non peteret per se causam primam abæterno existentem, esset abęterno futura, etiamsi per impossibile non esset abæterno Deus: consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela probatur: quia non exposcit decretum abæterno existens, iuxta Adversarios esset abæterno futura, etiamsi decretum non existeret abæterno, sed in tempore; ergo pariter si per se non exigeret Deũ abæterno existentem, etiamsi Deus abęterno non esset, sed in tempore, esset abęterno futura. Falsitas autem consequentis constat: nam vt docet D. Thomas loco citato, possibilitas creaturarum intelligi non potest non intellecto aliquo ente necessario existente; ergo à fortiori nec futuritio, quæ cum prædicatum contingens sit, potiori modo, seù titulo ens necessario existens supponit, quam possibilitas.

13 Ex dictis constat, solutionem Recentiorum nullius esse momenti: asserunt enim creaturã existere exigere per se decretum Dei; quod tamen hoc abæterno exis-

exiſtat, non petit per ſe, ſed ex ſuppoſitione, quod non poteſt decretum in tempore incipere. Hoc enim ex dictis reijcitur: creaturam enim exiſtere petit per ſe ſuppoſitionem illam, nimirum decretum ab illa exactum non inciperę; ergo illud exigit vt abæterno exiſtens. Antecedens probatur: nam exigit per ſe decretum, ſeù determinationem primæ cauſæ, proùt à determinatione alteriùs cauſæ diſtinguitur: at proùt ſic imperfectionem incipiẽdi excludit; ergo exigit per ſe ſuppoſitionem illam, nimirùm, decretum non incipere. Secundo creaturam incipere, imó eſſe poſsibilem exigit per ſe primam cauſam vt excludentem indifferentiam ad eſſe, & non eſſe; ergo vt neceſſario, & ſemper exiſtentem. Antecedens probatur: exigit primam cauſam vt dependentem ab alio; aliàs primam cauſam proùt à ſecunda diſtinguitur non exigeret: ſed cauſam excludere dependentiam ab alio excludit per ſe, & formaliter potentiam ad non eſſe; ergo exigit primam cauſam vt excludentem indifferentiam ad eſſe, & non eſſe. Minor probatur: indifferens ad eſſe, & non eſſe, per ſe petit dependentiam ab alio, vt ſit; ergo cauſa, cuius exiſtentia excludit dependentiam ab alio, per ſe excludit potentiam ad non eſſe.

14 Quod ampliùs confirmari poteſt; non magis petit per ſe vt ſui cauſam actio creaturæ creaturam, proùt à Deo diſtinguitur, quam omnis creatura Deum proùt à creatura diſtinguitur: ſed actio creaturæ petit vt ſui cauſam creaturam proùt à Deo diſtinguitur; ergo omnis creatura petit vt ſui cauſam Deum, proùt à creatura diſtinguitur: at per potentiam ad non eſſe conſtituitur creatura; cum per hoc exigat ab alio dependere, vt ſit; ergo exigit Deum vt excludentem potentiam ad non eſſe. Confirmatur ſecundo: ſi Deus non eſſet, per locum ab intrinſeco infertur nihil eſſe poſsibile; ergo exiſtentia, & poſsibilitas Deum exiſtentem expoſcunt. Antecedens probatur: nam ſi Deus non eſſet, nihil eſſet: ſed ſi nihil eſſet, nihil eſſet poſsibile; ergo ſi Deus non eſſet, per locum ab intrinſeco infertur nihil eſſe poſsibile. Minor probatur: nihil ab alio eſt incauſabile; ergo nihil eſſet poſsibile. Videatur D. Thomas vbi proxime citavimus.

15 Per quod oppoſitum fundamentum facilè ſolvitur negando maiorem; ad probationem diſtinguo antecedens; ſolùm requirit cauſas futuras, ex quarum determinatione, dum futurum eſt, denominatur, & eſt formaliter futurum, nego antecedens; alias cauſas, ad quarum determinationem futurum non eſt, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam: quia creatura dum futura eſt, non poteſt non eſſe futura à determinatione primæ cauſæ; atqueadeò non poteſt illam vt exiſtentem non exigere. Ad confirmationem diſtinguo antecedens, ſi dum futurum eſt, ſit formaliter tale non ſolum per ordinem ad Deum, ſed per ordinem ad cauſam creatam, & ex eius determinatione, nego antecedens; ſi ſolùm ſit futurum per ordinem ad Deum, & ex eius determinatione, concedo antecedens, & nego conſequentiam: futurum ergo, dum futurum eſt, ſemper exigit exiſtentiam cauſæ, ex cuius determinatione eſt formaliter futurum: quia tamen poteſt eſſe formaliter futurum ſolum ex determinatione cauſæ primę; fit, vt futurum poſsit dici, quin cauſa ſecunda exiſtat; non autem quin exiſtat cauſa prima, & eius determinatio: ſicut enim actio creaturę poſsibilis reſpectu cauſæ primę, & ſecundæ exigit vt talis exiſtentiam cauſæ primæ, non autem exiſtentiam cauſæ ſecundæ; pariter futurum eadem ratione exigit determinationem cauſæ primę, & eius exiſtentiam, non autem cauſæ ſecundę. Hinc conſtat, qua ratione creaturam in tempore incipere exigat antecedenter fuiſſe futuram; quia, ſcilicèt, creaturam exiſtere exigit determinationem abæterno exiſtentem, à qua ante eius exiſtẽtiam denominatur formaliter futura.

16 Sed adhùc contra dicta reſtat brevis obiectio: effectus poſsibilis vt talis ſolúm petit illam cauſam exiſtentem, cuius exiſtentia infertur ex eiuſdem poſsibilitate, qualis eſt Deus. Similiter futurum abſolutum vt tale, & dum futurum eſt, ſolùm petit determinationem illius cauſæ præſentem, quam abæterno exiſtere infertur ex eo, quod aliquando exiſtat, quale eſt decretum divinum; ergo aſſenſus conditionatè exiſtens, ſeù futurum conditionatum non poteſt petere exiſtentiam abſolutam decreti, niſi quando ex exiſtentia conditionata infertur abſoluta: at ex conditionata exiſtentia decreti non infertur abſoluta, cũ plura decreta cõditionata exiſtant (hoc eſt) eſſent, ſi aliqua poneretur conditio, quæ de facto non eſt, vt ſuprà aſſeruimus;

ergo

ergo futurum conditionatum non petit decretum absolutè existens ; licèt futurum absolutum illud abæterno existens supponat.

17 Respondetur concesso antecedenti, & etiam consequenti, distinguendo minorem subsumptam, ex existentia conditionata decreti, non infertur absoluta existentia eiusdem decreti, concedo minorem; alterius, nego minorem, & consequentiam : vel distinguo consequens iuxta distinctionem minoris : futuro ita que conditionato sufficit, quod esset decretum absolutum, tàm obiectivè, quàm subiectivè; nec est necessarium, quod tale decretum defacto existat: ex existentia tamen conditionata huius non infertur existentia absoluta eiusdem; infertur tamen alterius existentia, nimirùm, decreti conditionati obiectivè, vi cuius verùm est, quod esset illud alterum decretum, quod defacto non est : deficiente autem omni decreto nullum esset futurum adhùc conditionatè ; atqueadeò nec effectus conditionatè existeret.

18 Exemplo res fiet clara : effectus possibilis, vt talis solum petit decretum possibile, & non existens : requirit tamen existere aliquid defacto, nimirùm Deum, vi cuius est possibile tale decretum. Similiter actio creaturæ vt possibilis solum petit creaturam possibilem : requirit tamen aliquam causam existentem, scilicèt, primam, à qua possit creatura existentiam accipere. Similiter ergo nos dicimus, quod futurum conditionatum non petit decretum omninò absolutum existere, sed sat est, quod esset : requirit tamen aliquid existere, vi cuius non solùm sit possibile, sed esset ; quod non est Deus secundum se, qui est omninò indifferens, vt esset, & non esset decretum, si poneretur conditio ; sed est decretum conditionatum, quo Deus determinatus est, vt esset illud alterum decretum.

(((o)))

§. II.

Proponuntur aliæ rationes pro nostrâ conclusione.

19 TERTIO Probanda est conclusio ratione apud Thomistas communi; implicat aliquid transire de possibili in absolutè, vel conditionatè futurum, absque eo, quod detur causa talis transitus : sed futurum conditionatum transit de possibili inconditionatè futurum ; ergo debet huius transitus esse aliqua causa : at nulla esse potest nisi decretum divinum ; ergo hoc est omninò necessarium, vt aliquid sit conditionatè futurum. Maior probatur ; nam transitus ille est contingens, & accidentalis rei possibilis: sed illius, quod convenit contingenter rei, debet aliqua assignari causa ; ergo & illius transitus. Minor constans videtur ; id namque, quod conditionatè futurum est, solùm habet ex se, & ex suis prædicatis esse possibile, non verò esse conditionatè futurum; ergo de possibili transit ad esse conditionatè futurum. Quod autem nulla alia possit assignari causa, nisi decretum, etiam probatur; illius enim transitus debet esse causa Deus per suam voluntatem determinatus; ergo illius transitus est causa decretum.

20 Huic argumento, cui potissimè fidit nostra sententia, triplicem adhibet solutionem. P. Anatus disp. 1. cap. 2. & disp. 4. cap. 3. primo asserit maiorem, & minorem esse falsas; cum enim futurum, tàm cõditionatum, quàm absolutum sit abæterno tale, non potest transire de purè possibili in futurum; id enim, quod transit ab vno in alterum statum, necesse est priùs extitisse sub termino *à quo*, quàm sub termino *ad quem*; atqueadeò necessarium est aliquando caruisse futuritione, & fuisse purè possibile, quod de illo, quod est abæterno futurum, non verificatur.

21 Sed hæc solutio facilè reijcitur; quia vt dicatur aliquid trãsire de purè possibili in futurum, necessarium nõ est, quod aliquando caruerit futuritione, sed sufficit, si pro aliquo priori intelligatur futuritione non intellecta ; maximè, si esse possit sub carentia futuritionis; sed pro priori ad futuritionem res intelligitur possibilis, non intellecta pro illo signo futuritione, qua ex

ſe carere poteſt, cùm non ſit neceſſariò futura; ergo quantumvis abeterno ſit futura, poteſt de illa affirmari, tranſire de poſsibili in futuram. Maior probatur 1. Angelus abæterno creatus factus fuiſſet ex nihilo, cum creatio ſit productio entis ex nihilo, non quia præceſiſſet nihil, cum Angelus ſemper fuiſſet in illa hypotheſi, ſed quia pro aliquo priori naturæ Angelus non intelligeretur exiſtens, ſed indifferens ad eſſe, & non eſſe; & conſequeter ex ſe non habens eſſe, vt docet D. Tho. Opuſc. 27. & in 2. diſt. 1. q. 1. art. 5. ad 2. ergo vt res tranſeat de purè poſsibili in futuram, neceſſariũ non eſt, quod caruerit aliquando futuritione, ſed ſufficit, quod pro aliquo ſigno non intelligatur res futura, & quod ex ſe futura non ſit.

22 Secundo conſtat eadem maior; voluntas namque in eodem inſtanti tranſit de actu primo ad actum ſecundùm præciſè per hoc, quod pro aliquo priori intelligatur indifferens ad actum, & illius carẽtiam; ergo idem quod prius. Quod autem pro aliquo ſigno res intelligatur, non intellecta futuritione, conſtat; nam pro ſigno poſsibilitatis ſolum intelliguntur prædicata neceſſaria rei: futuritio autem non neceſſario, ſed contingenter convenit; ergo pro illo ſigno non intelligitur futuritio. Secundo; nam quidquid ſit de modo loquendi, an ſcilicèt, debeat dici tranſitus, vel non, argumento noſtro ſufficit, ſi futuritio ſit prędicatum contingens potens rei non convenire: vndè ſic inſtauratur argumentum factum; prædicati contingentis rei convenientis defacto, potentiſque rei non convenire, debet aliqua cauſa aſsignari; ſed rem eſſe futuram eſt prædicatum contingens defacto conveniens futuro, potenſque illi non convenire; ergo illius debet aliqua cauſa aſsignari, quæ alia eſſe non poteſt, quam voluntas divina per decretum determinata.

23 Secundo reſpondet admittendo totum primum ſyllogiſmum; negat tamen minorem ſubſumptam: fatetur itaque debere illius tranſitus cauſam aſsignari; hãc tamen non eſſe divinæ voluntatis determinationem, ſed poſsibilitatem cauſæ liberæ, & omnium neceſſariorum ad hoc, quod libere agat, quę etiam eſt abæterno; ſeù ſuppoſitionem poſsibilem, ex qua futurũ enuntiatur conditionatè extiturũ; ſicut enim (ait ipſe) huius futuri neceſſarij, *futuri eſſentialis dies eſſet, ſi alius crearetur ſol*, & hui⁹, *ſi Petrus prædeterminaretur ad conſenſum, conſentiret*, debet aſsignari aliqua cauſa, eſt tamen cauſa ſufficiens, ſecluſa determinatione Dei defacto exiſtente, alius ſol poſsibilis, & poſsibilis prædeterminatio; ita pariter futuri liberi, & contingentis aſsignari debet cauſa; hæc tamen non debet eſſe determinatio Dei defacto exiſtens, ſed ipſa voluntas completa ad libere operandum, non vt exiſtens, ſed vt poſsibilis.

24 Sed nec hæc ſolutio, quæ etiam diſplicuit Alderete, diſp. 31. ſect. 3. argumento facto ſatisfacit; cauſa enim poſsibilis vt talis tranſitum iſtum cauſare ſufficiens non eſt; quod ſic probatur: non poteſt tranſitum iſtum cauſare nec in genere cauſæ efficientis, nec in genere cauſæ formalis; ergo non eſt ſufficiens cauſa illius. Conſequentia patet; nam huius tranſitus debet cauſa formalis aſsignari, & ſi hæc aliquod creatum eſt, illius debet cauſa efficiens dari. Antecedens pro prima parte probatur; cauſa poſsibilis vt talis nequit efficienter cauſare; vis enim effectiva exiſtentiam cauſę ſupponit, vt cõmuni Philoſophia certum eſt; ergo cauſa poſsibilis vt talis non eſt eſt cauſa efficiens huius tranſitus. Præterquam quod, ſi efficienter hunc tranſitum cauſaret, aliquid ab ipſo cauſatum, & exiſtens deberet aſsignari, à quo eſſet formaliter iſte tranſitus: quod ab Adverſarijs non præſtatur. Pro ſecunda etiam parte probatur; cauſa poſsibilis vt talis ad ſummum poteſt effectui præſtare in genere cauſæ formalis eſſe poſsibilem; ergo non poteſt illum formaliter futurum conſtituere. Antecedẽs probatur; cauſam eſſe poſsibilem eſt omninò neceſſarium, & conſequenter ipſa proùt ſic ſolùm effectum neceſſario formaliter tribuere poteſt: at ſolùm eſſe poſsibilem effectum eſt neceſſarium; eſſe autem futurum eſt contingens effectui; ergo ad ſummum illum præſtare poteſt, & non iſtum effectum.

25 Secundo; ſi adhunc tranſitum eſſet ſufficiens cauſa ſolum poſsibilis, omne cõditionatum contingens de conditione poſsibili, & contingente, eſſet conditionatè futurum; cum omne ſic conditionatum cauſam, ſeú conditionem habeat poſsibilem; quod admitti non poteſt. Confirmatur 1. ſi voluntas completa, & potens in actu primo ad conſenſum, & diſſenſum ſolum vt poſsibilis eſſet cauſa ſufficiens, vt conſenſui conveniat tranſitus de poſsibili in futurum ſub conditione exiſtentiæ voluntatis, etiam eſſet ſufficiens, vt diſſenſus eſſet ſub

ca-

eadem conditione futurus; cum voluntas ſic completa æqualiter contineat diſſenſum, atque conſenſum, & vtriuſque ſit æqualiter cauſa, & ad vtrumque æqualiter indifferens: conſequens eſt falſum; aliàs vterquè eſſet ſub eadem conditione futurus; quod manifeſtè implicat; ergo.

26 Confirmatur ſecundo, vt conſenſui præ diſſenſu conveniat ex vi cauſæ poſsibilis eſſe conditionatè futurum, neceſſe eſt aliquid aſsignari in cauſa vt poſsibili, quod huius diſcriminis cauſa ſit: at in voluntate completa, & indifferenti ad vtrumque aſsignari non poteſt huius diſcriminis cauſa; ergo cauſa vt poſsibilis ſufficiens non eſt ad huiuſmodi tranſitum, nec ad hoc vt diſſenſui præ conſenſu conveniat eſſe conditionatè futurum. Confirmatur tertio; cauſa in actu ſecundo completa ad aliquem effectum nequit cum effectus carentia componi: ſed cauſa vt poſsibilis componi poteſt cum carentia huius tranſitus; cum ſtet cauſam eſſe poſsibilem, & effectum non eſſe ſub conditione futurum; ergo cauſa vt poſsibilis non eſt in actu ſecundo completa ad huiuſmodi tranſitum. Tunc ſic: ſed huius tranſitus debet cauſa in actu ſecundo completa aſsignari; ergo aliquid præter cauſam vt poſsibilem aſsignari debet. Antecedens probatur, tranſitus iſte de facto datur, & convenit futuro contingenti; ergo debet de facto cauſa illius aſsignari, non ſolùm completa in actu primo, ſed in actu ſecundo.

27 Si autem dicas, ad huiuſmodi tranſitum ſufficere cauſam in actu primo ſufficientem, nec requiri cauſam completam in actu ſecundo, eo quod huiuſmodi tranſitus de facto non datur, ſed daretur, ſi purificaretur conditio. In contra ſunt, quæ ſupra diximus, & infra contra tertiam ſolutionem adducemus: modo primo contra illam obſtat, quod iuxta hanc doctrinam falſa eſt minor primi ſyllogiſmi à nobis in principali argumento poſiti; quam tamen in hac ſecunda ſolutione, vt veram concedit Adverſarius: ſi enim tranſitus non datur, ſed daretur, verum eſſe non poteſt, quod conditionatè futurum tranſeat de poſsibili in futurum conditionatè, ſed ſolùm quod tranſiret.

28 Exemplum autem adductum de futuris conditionatis neceſſarijs, non eſt ad rem: futuritio enim neceſſaria nihil addit rerum eſſentijs, & earum obiectivæ poſsibilitati; eſt enim prædicatum non contingenter, ſed neceſſariò illis conveniens: quapropter ſicut rerum eſſentiæ, & earum poſsibilitas ſolùm exigunt primam cauſam exiſtentem; pariter huiuſmodi futuritio. Ex quo fit, de his conditionatis non verificari tranſire de ſtatu poſsibilitatis ad ſtatum futuritionis; tranſitus enim reſpicit terminum *ad quem* non præhabitum, & què poſsit non habere; cuius oppoſitum in futuris contingentibus accidit; hæc enim futuritio accidit eſſentiæ rerum, & earum poſsibilitati, quæ componi poteſt cum carentia futuritionis: quapropter futurum contingens tranſit de poſsibili in futurum; atqueadeò, vt rei ex ſe ſolùm poſsibili trãſitus iſte conveniat, neceſſarium eſt vltra exiſtentiam cauſæ primæ ad poſsibilitatem creaturarum requiſitam, aliquam eius determinationem de facto exiſtere.

29 Quod ampliùs explicatur; hoc conditionatum, *ſi Petrus prædeterminaretur ad conſenſum, conſentiret*, eſt verum, & futurum attenta præciſsè poſsibilitate phiſicæ prædeterminationis, & conſenſus, eo quod phiſica prædeterminatio ex prædicatis eſſentialibus habet connecti cum conſenſu, & quod ſine conſenſu eſſe non poſsit; atqueadeò ex illis habet, quod ſi eſſet prædeterminatio, eſſet conſenſus; & quod ſi hoc verum non eſſet, eius eſſentia non ſubſiſteret: hoc autem conditionatum contingens, *ſi Petrus poneretur in hac occaſione cum auxilio A indifferenti ad conſenſum, & diſſenſum conſentiret*, non habet eſſe verum, & futurum ex vi poſsibilitatis auxilij, aut conſenſus; cum hoc enim componi poteſt carentia futuritionis conditionatę, & veritatis illius; ergo ex eo, quod ad primam futuritionem ſufficiat poſsibilitas phiſicæ prædeterminationis, nullatenus infertur ſufficere ad ſecundam, poſsibilitatem auxilij, & conſenſus.

30 Tertia ſolutio, quæ apud Recentiores communis eſt, aſſerit, quod de his conditionatis non tàm dicendum eſt, quod ſunt futura, quàm quod eſſent; nec quod tranſeant de conditione poſsibilis in cõditionem futuri, ſed quod tranſirent; quam eſſe apertam ſententiam Auguſtini colligũt ex ipſo epiſt. 105. vbi docet, futura non eſſe, quę non erunt: id autem, quod eſt ſolùm conditionatè futurum, non erit; atqueadeò nec futurum eſt iuxta Auguſtini mentẽ. Ex quo vlteriùs inferũt, quod cũ effectus nullũ aliũ modũ exiſtentiæ prærequirat in cauſa,

quam in ſeipſo, ineptè exigitur cauſa exiſtens effectus, qui non eſt, ſed eſſet, ſed ſufficit cauſa, quæ eſſet.

31 Confirmatur, nam cauſa, quæ non eſt ſed eſſet, nequit eſſe cauſa effectus, qui eſt; quapropter Auguſtinus loco citato contra Pelagianos negat demerita, & peccata infantis, quæ non ſunt, ſed eſſent, ſi in vita perſeverarent, poſſe eſſe cauſam acceleratæ mortis ante baptiſmum. Rurſus confirmatur; quia quod faceret cauſa libera abſolutè futura, hoc faceret futura conditionatè; nam eſſet eiuſdem facultatis, & dominij; ergo ſi abſolutè futura datura eſt determinatam præſentiam effectui, & hoc verum eſt, atque affirmabile, ita verum debet eſſe, quod conditionatè futura daret determinatam præſentiam effectui; & conſequenter, quod effectus eſſet conditionatè illam accepturus; ideòque eſſet conditionatè futurus.

32 Sed neque hæc ſolutio ſatisfacit; & in primis falſum eſt de his conditionatis non verificari, quod erunt, ſi ponatur conditio, ſed quod eſſent: quod benè notavit M. Vives diſt. 18. quæſt. 1. §. 3. nam de revelatis in Scriptura ſæpiùs dicitur, quod erunt, ſi ponatur conditio; conſtatque ex 1. Regum 23. vbi David ſic dominum conſulenti, *ſi tradent me viri Ceylitæ in manus eius, & ſi deſcendet Saul*, reſpondit Dominus, *deſcendet*, & alteri interrogationi reſponſum eſt, *tradent*: vbi Deus enuntians deſcenſum, & tradditionem cõditionatè, non dicit deſcenderet, ſed deſcendet, nec quod tradderent, ſed traddent; rectè ergo dicitur de conditionato, quod erit, ſi ponatur, ſeù purificetur conditio. Videatur P. Alderete vbi ſupra, qui intelligentiam Auguſtini à Patre Anato allatam reijcit.

33 Secundo ex eo, quod futurum conditionatum non ſit, ſed eſſet, non infertur non tranſire de poſsibili in ſtatum contingentem, & conditionatè futurum; ergo malè intulit ex eo, quod non ſit, ſed eſſet, quod non tranſit, ſed tranſiret ſolum. Antecedens probatur. Futurum abſolutum non eſt, ſed erit: & tamen tranſit in ſtatum ſibi contingentem, & in abſolutè futurum; ergo etſi conditionatum non ſit, ſed eſſet, non infertur, quod non tranſit, ſed quod tranſiret. Si autem dicatur, quod nec de futuro abſoluto verificatur, quod tranſit in futurum, ſed quod tranſibit. Cõtra eſt; ex eo, quod futurum conditionatum non tranſit, ſed tranſiret, infert Author iſte, quod nõ eſt ſimpliciter futurum, ſed ſolùm eſſet futurum; ergo ſi futurum abſolutum non tranſit de poſsibili in futurum, ſed tranſibit, etiam debet inferri non eſſe ſimpliciter futurum, ſed quod erit futurum; cuius oppoſitum docet, reddens diſcrimen inter futurum conditionatum, & abſolutum, per hoc, quod primum non eſt futurum, ſed eſſet futurum; ſecundum autem eſt futurum; & nos diſputatione antecedenti dub. 1. efficacitèr, ni fallor, probavimus futurum abſolutum eſſe abæterno futurum, quod ſine tranſitu abęterno de poſsibili in futurũ, ſeù abſque eo, quod abæterno ſtatus aliquis contingens conveniat futuro, ſtare non poteſt: & quod magis eſt, illud docuit Auguſtinus vbi ſupra, adductus ab Adverſario, docens illud eſſe futurum, quod erit; vbi non dicit erit futurum, ſed eſt futurum; quod etiam ex D. Thoma non ſemel vidimus.

34 Secundo licèt poſsibile nihil ſit, ſed ſolùm poſsit eſſe, implicat aliquid defacto dici, & eſſe poſsibile, quin defacto exiſtat aliquid, quo diſtinguatur ab impoſsibili, licèt extrinſecè, & quo conſtituatur ſtatus poſsibilitatis, nimirùm Omnipotentia Dei; ergo licèt futurum, quod nõ eſt, neque erit, ſed ſolùm eſſet, nihil ſit, ſed eſſet, vt hoc verificetur, neceſſarium eſt, quod defacto exiſtat aliquid, quo ab illo, quod non eſſet, ſeù quod non eſt futurum conditionatè, diſtinguatur, & quo ſtatus futuri conditionati conſtituatur; quod aliud eſſe non poteſt, quam decretum divinum. Antecedens nequit negari ab Authoribus fatentibus connexionem Omnipotentiæ cum poſsibilibus, qui inter Aſſertores Scientiæ Mediæ ſunt præcipui, & videtur certum; cum eſſe poſsibile nihil aliud ſit, quam eſſe in potentia cauſæ; & quidem ſi accideret Omnipotentiæ rerum poſsibilitas, neque in ipſa, & ab ipſa oriretur, præter prædicata eſſentialia Dei, & eius providentiam creatura eſſet poſsibilis, & diſtinctio illius ab impoſsibili aliunde quam à prima cauſa eſſet; quod latè proſequuti ſumus cum de connexione Omnipotentiæ ageremus Tractatu præcedenti dub. 2. Conſequentia autem videtur nota; ſi enim, quod ſolùm poteſt eſſe, & non eſt, erit, aut eſſet, ſupponit prædicatum exiſtens, quo ab impoſsibili diſtinguatur; potiori titulo, quod eſſet ſub aliqua conditione, cum minus diſtet ab exiſ-

existentia, quam possibile. Tùm etiam, quia status ille conditionatus, neque oriretur à prædicatis essentialibus Dei, neque ab eius providentia, quod minus inconveniens non est, quam statum possibilitatis à prædicatis divinis, & eius providentia extrahere: tùm, quia aliàs scientia Dei extenderetur ad obiectum, ad cuius cognitionem movere non posset, neque essentia Dei, neque divinæ voluntatis dispositio; daretur que obiectum terminans cognitionem Dei, vt ipsi loquuntur, non terminans actualem eius providentiam; quod minus inconveniens non est, quam si diceretur aliquod possibile Deum cognoscere, quod tamen producere, & cuius possibilitas ex denominatione intrinseca potentis in Deo non infallibiliter inferatur; id enim, quod contingenter terminat cognitionem, non potest non habere aliquid præter puram possibilitatem; quod absque providentia Dei creaturæ convenire absurdum est; sicut & esse possibile ab alio, quam ab Omnipotentia.

35 Tertio falsum est, quod conditionatum transiret in futurum, si purificaretur conditio; defacto tamen non transit. Quod sic probatur; plura, & fortè omnia ex his conditionatis essent in eodem instanti, in quo purificaretur conditio: quod constat manifestè in hoc conditionato, si Petrus in tali occasione haberet auxilium *A*, consentiret; in eodem instanti, in quo purificaretur conditio, & esset verum Petrus habet auxilium *A*, & etiam esset verum, existit consensus; cum iste in eodem esset instanti, in quo auxilium; ergo si purificaretur conditio non transiret in futurum, sed in præsens. Et quidem purificata conditione transiret in futurum absolutum, non in conditionatum, si in futurum transiret.

36 Quarto; aliud est rem existere, & aliud esse futuram, sivè absolutè, sivè conditionatè; cum de re non existente vtraque possit verificari futuritio: imò per ipsam existentiam in se habitam solvitur futuritio; ergo ex eo, quod conditionatum non habeat, sed haberet existentiam, non infertur, quod non est futurum, sed & quod esset futurum: qua ratione de futuro absoluto, de quo non verificatur, quod est, sed quod erit, verificatur esse futurum, dum futurum est, etiamsi tunc existentiam non habeat; ergo licèt de conditionato nõ verificetur, quod est, sed tantum quod esset, defacto tamen est conditionatè futurum; hoc enim convenit rei, non quando habet existentiam, sed quando verum est, quod haberet: at esse conditionatè futurum est status accidentaliter competens rei; ergo quando de ipsa verificatur, quod esset, transit defacto in statum accidentalem, & contingentem.

37 Quinto; consensui futuro sub conditione auxilij *A*, aliquid defacto convenit, quod negatur de dissensu sub conditione eiusdem auxilij: sed hoc non est possibilitas, aut aliquid necessarium; ergo est aliquid contingens; & consequenter consensus sub conditione futurus, in statum transit contingentem. Assumptum probatur; nam de consensu sub conditione auxilij *A* futuro affirmatur defacto esse futurum sub conditione, quod de dissensu actu negatur; ergo. Sexto; si consensui non conveniret defacto aliquid, quod defacto dissensui non convenit, non esset nunc fundamentum, vt consensus diceretur sub conditione futurus, & non dissensus; ergo vel dicendum est, consensum non esse conditionatè futurum, vel quod absque fundamento ipse præ dissensu dicitur futurus. Si dicatur, ideó dici conditionatè futurum præ dissensu, quia esset, si purificaretur conditio; secus autem dissensus. Contra est; nam quod esset, si purificaretur conditio, idem est, atque esse futurum; ergo sine fundamento dicitur, quod esset, & quod est conditionatè futurus, vel neutrum verè dicitur.

38 Confirmatur; quod esset consensus iuxta Aduersarios, nihil est, sed esset, si purificaretur conditio, cum præter puram possibilitatem nihil detur consensus; ergo defacto non datur fundamentum, vt dicatur consensus conditionatè futurus. Confirmatur secundo; præter puram possibilitatem nihil datur consensus; ergo nihil datur, sed daretur, vt defacto dicatur conditionatè futurus; ergo defacto fundamentum non datur, & consequenter sine fundamento dicitur conditionatè futurus, expectandumque esset, vt non temere dicatur esse conditionatè futurum, quod existat consensus.

Tandem; si consensus est conditionatè futurus, verùs est esse conditionatè futurum; ergo defacto datur huiusmodi veritas obiectiva contingens: at sine decreto, & determinatione Dei implicat defacto existere veritatem contingentem; ergo

go implicat esse conditionatè futurum absque decreto Dei.

39 Dices; veritatem obiectivam à re non distingui: quapropter, sicut ipsa res non est, sed esset, nec etiam veritas obiectiva: si autem veritatis nomine, præter entitatem rei, significatur non repugnantia cognitionis circa huiusmodi rem, quæ sit eius cognoscibilitas, fatentur dari defacto huiusmodi non repugnantiam, quę non est futura tantum, sed existens. Sed contra est; vel ita est defacto, scilicèt, consensum esse conditionatè futurum, vel non? Si ita defacto est; ergo veritas obiectiva defacto est, & actu datur; obiectiva enim veritas nihil aliud est, quam ita esse obiectum, sicut per propositionem enuntiatur: si ita non est, propositio affirmans non potest esse vera; ergo vel propositio formalis non est vera, vel debet dari defacto veritas obiectiva.

40 Vlteriùs explicatur; ipsi probant, & benè, omnem propositionem conditionalem, vel esse determinatè veram, vel determinatè falsam, quia inter esse, & non esse non datur medium: vndè vel ita est, sicut per eam significatur, vel non; si ita est, est vera; si autem non ita, falsa; quod nobiscum deductum ex Philosopho in prędicamentis cap. de substantia, & ex D. Thoma 1. p. quæst. 16. art. 1. ad 3. obsérvat P. Alderete vbi supra, sectione 6. non dici propositionem veram ex eo, quod res est vera, sed solùm ex eo, quod ita est, vel non est: Tunc sic consensum esse futurum conditionatè defacto, & contingenter, & non esse futurum conditionatè defacto opponuntur contradictoriè, sicut esse, & non esse; ergo vnum è duobus defacto datur, & est verum; non secundum, aliàs falsum esset, quod consensus esset futurus conditionatè; ergo primum; & consequenter defacto datur hoc contradictorium, nimirùm consensum esse cõditionatè futurum, & potuit non dari; ergo veritas obiectiva defacto datur. Uel aliter proponi potest; illa sunt contradictoria; ergo aliquod ex illis defacto datur; vel si possibile est, quod neutrum defacto detur, possibile etiam erit, quod neutra ex propositionibus contradictorijs sit vera: & quidem si ex illis contradictorijs neutrum datur, sed pura indifferentia ad vtrumque, non est ratio quare vtraque propositio non sit defacto indifferens ad veritatem, vel falsitatem. Videantur dicta dubio 1.

41 Hic tamen prætermittere non possumus obiectionem istam, quæ contra solutionem maximè facit: hæc non repugnantia, quę defacto existit, iuxta solutionem non est prędicatum essentiale consensus; si enim consensus non esset sub conditione futurus, vt potuit, non existeret hęc non repugnantia, sed potiùs repugnaret, quod à Deo vt futurus adhùc sub conditione cognosceretur; ergo est aliquid contingens: tunc sic, sed nihil cõtingenter existens, existit defacto absque libertate divina; ergo absque libero decreto hæc non repugnantia non existit. Quod ampliùs explicatur; quidquid existit contingenter cum potentia ad nõ existendum, existit ex alicuius dominio, & determinatione: at huiusmodi non repugnantia existit, & potest non existere; ergo ex alicuius determinatione, & dominio; & consequenter ex dominio, & libertate Dei.

§. III.

Aliorum responsio refertur, & reijcitur.

42 VIDERVNT Difficultatem argumenti Recentiores; ideòque docent futurum conditionatum inesse veri transire in statum sibi contingentem; propterea quę necessarium esse dari aliquid defacto existens, à quo formaliter constituatur consensus conditionatè futurus inesse veri, & à quo esse conditionatè futurum sit formaliter verum; hoc tamen non esse determinationem voluntatis divinę, sed ipsam Scientiam Mediam, qua inesse veri formaliter constituitur; sicut ergo nos asserimus per decretum liberum defacto existens constitui formaliter verum obiectum hoc, scilicèt consensum esse conditionatè futurum; ita ipsi docent, tali obiecto veritatem ratione Scientię Medię Deo contingenter convenire.

43 Sed nec ista solutione solvitur argumentum; nam esto consensus sub cõdi-

ditione futurus transeat per Scientiam Mediam in statum contingentem, quatenus ab illa accipit esse cognitum vt futurum, quæ denominatio contingens est, & extrinseca, consensui; pro priori tamen ad Scientiam Mediam transit consensus in statum, & denominationem contingentem; ergo huius transitus alia debet assignari causa à Scientia Media distincta. Consequentia constat; tùm ex dictis: tùm etiã, quia ex eo, quod consensus transit in statum cogniti sibi contingentem, assignatur ab Adversarijs scientia defacto existens, à qua formaliter talem statum, & denominationem accipiat; ergo si antecedenter ad Scientiam Mediam transit in statum contingentem, debet assignari aliquid existens pro priori ad illam, à quo talem statum, & denominationem accipiat. Antecedens probatur. Nam transit ad esse conditionatè futurum: sed hoc contingenter convenit consensui; ergo transit in statum contingentem. Consequentia constat; minor ab Adversarijs negari non potest; nam esse conditionatè futurum connectitur essentialiter cum esse à Deo cognitum vt futurum per Scientiam Mediam; ergo si esse cognitum est denominatio contingens, pariter, & esse futurum. Maior autem probatur primo; nam iuxta Adversarios Scientia Media suum obiectum supponit: sed consensum esse conditionatè futurum est obiectum Scientiæ Mediæ; ergo supponit consensum conditionatè futurum. Secundo; quia consensus est conditionatè futurus, Deus cognoscit esse conditionatè futurum, & non è contra; ergo esse conditionatè futurum convenit consensui pro priori ad Scientiam Mediam.

44 Tertiò probatur eadem maior; consensui conditionatè futuro convenit pro priori ad Scientiam Mediam aliquid, ratione cuius est cognoscibilis à Deo, vt talis; quod dissensui sub eadem conditione non convenit, & ex cuius carentia hic, & nunc non est capax, vt à Deo cognoscatur, vt futurus: sed hoc nihil aliud est, quàm esse conditionatè futurum; ergo consensus pro priori ad Scientiam Mediã est conditionatè futurus. Maior, & minor indigent probatione. Maior sic probatur; si pro priori ad Scientiam Mediam non conveniret aliquid consensui præ dissensu, ratione cuius esset cognoscibilis vt futurus, non esset ratio aliqua vt Deus potiùs consensum, quàm dissensum, vel è contra, vt conditionatè futurum cognosceret; & consequẽter vtrũque, vel neutrum cognosceret sub eadem conditione futurum; ergo aliquid convenit consensui pro priori ad Scientiam Mediam, ratione cuius consensus est cognoscibilis vt futurus præ dissensu. Antecedens probatur; non posset ratio desumi ex parte obiecti, cum omninò pares essent pro priori ad Scientiam Mediam; non ex parte infinitæ actualitatis, & intellectualitatis Dei, quę infinitè cognoscitiva est tàm dissensus, quàm consensus; ergo nulla esset ratio, quare potiùs consensum, quàm dissensum cognosceret vt conditionatè futurum.

45 Minor autem principalis probatur; consensus, & dissensus in omnibus conveniunt, præterquàm inconditionata futuritione, quam consensui præ dissensu supponimus convenire; ergo nihil præ dissensu convenit pro priori ad Scientiam Mediam, præter esse conditionatè futurum. Nec solves repetita solutione asserendo pro priori ad Scientiam Mediam esse discrimen inter consensum, & dissensum per hoc, quod consensus esset sub illa conditione, secus autem dissensus. Contra enim est; nam quod consensus esset sub illa conditione, est esse conditionatè futurum; ergo si consensui pro priori ad Scientiam Mediam convenit, quod esset sub illa conditione, debet etiam pro illo priori ei convenire esse conditionatè futurum.

46 Quarto probatur eadem maior; propositio mentalis creata, qua quis affirmat consensum esse conditionatè futurum, est vera præcisivè à Scientia Media, qua Deus iudicat esse conditionatè futurum; ergo præcisivè à Scientia Media consensus est conditionatè futurus. Consequẽtia constat; quia si vera est præcisivè à Scientia Media, ita est illius obiectum, sicut per illam significatur præcisivè à Scientia Media: propositionem enim esse veram, in eo consistit, quod obiectum ita sit, sicut per illam significatur; ergo si præcisivè à Scientia Media ita est, sicut per illam significatur, in eadem præcisione erit vera; & consequenter cum per illam significetur consensum esse conditionatè futurum, ita est præcisivè à Scientia Media. Antecedens autem probatur; nam propositio mentalis creata idem enuntiat, atque Scientia Media; sed ex duabus propositionibus idem enuntiantibus, quælibet præcisivè ab alia est vera; ergo propositio mentalis creata

vc-

vera eſt præciſivè à Scientia Media. Minor probatur; nam quælibet habet eſſe veram ex conformitate ad obiectum, quam vna præciſivè ab alia obtinet, præcipuè ſi ex neutra aliquid in obiectum derivetur, ratione cuius ita eſt, qu aliter ab altera ſignificatur.

47 Si autem dicatur; obiectum propoſitionis creatæ eſſe ipſam Scientiam Mediam, qua conſenſus conſtituitur conditionatè futurus. Contra eſt, nam habet idem obiectum, ac Scientia Media: ſed Scientia Media ſeipſam, non reſpicit, tãquam obiectum directum; ergo nec propoſitio creata habet pro obiecto Scientiam Mediam. Et ex hoc efficax deſummitur argumentum; nam obiectum Scientię Mediæ eſt conſenſum eſſe conditionatè futurum: at obiectum illius ab illa diſtinguitur; ergo ipſa, non conſtituit conſenſum conditionatè futurum.

48 Dices duplicem eſſe futuritionem; alteram entitativam, alteram in eſſe veri: & primam eſſe obiectum vtriuſque cognitionis, creatæ, ſcilicèt, & increatæ, præſupponique ad vtramque; non autem ſecundam; hanc enim habet obiectũ formaliter à Scientia Media. Sed contra eſt; nam vel hæc futuritio entitativa facit differre inter conſenſum, & diſſenſum, quantum ad capacitatem terminandi hic & nũc Scientiam Mediam, vel non: ſi facit differre; ergo pro priori ad Scientiam Mediam convenit conſenſui aliquid ipſi contingens; id enim, quo à diſſenſu differt, ipſi hic, & nunc convenit, & contingenter convenit; cum potuerit non convenire, & conſequenter pro priori ad Scientiam Mediam tranſit in ſtatum contingentem: ſi autem dicatur ſecundum, ſequitur vtrunque Scientiam Mediam terminare, vel neutrum. Nec dici poteſt, differre hic, & nunc quantum ad capacitatem terminandi Scientiam Mediam; non tamen per aliquid defacto exiſtens. Nam contra eſt; ſi hic, & nunc differunt, hic & nunc ipſis cõvenit forma, per quam differunt; pro id enim, quod non eſt, ſed eſſet, differrent, non tamen differunt; vt ex terminis eſt notum.

49 Secundo; nam ſi futuritio entitativa, iuxta hanc doctrinam præſupponitur ad ſcientiam; ergo datur, & convenit conſenſui pro priori ad illam; ſi enim non eſt, quando exiſtit Scientia Media, nec exiſtit, quomodo poteſt ad Scientiam Mediam ſupponi? Tertio; futuritio entitativa conſenſus, ſaltim eſt fundamentum, vt cõſenſus concipiatur à Deo vt conditionatè futurus per iudicium verum; eſt enim quod ad Scientiam Mediam ſupponitur, & illam infallibiliter infert; ſed fundamentum, vt per iudicium verum concipiatur futurum, debet eſſe aliquid exiſtens connexum cum exiſtentia conſenſus purificata conditione; vt docent Adverſarij, tract. de Scientia, diſp. 3. cap. 2. ergo futuritio entitativa eſt aliquid defacto exiſtens connexum cum conſenſu.

50 Reſpondebis ex doctrina contrariorum; quod vt iudicium Dei ſit verum, non requirit fundamentum exiſtens; ſecus autem cognitio creata. Sed contra eſt; nam quod ſufficit ex parte obiecti, vt cognitio Dei verum enuntiet, ſufficit, vt cognitio creata idem enuntians ſit vera: tùm, quia implicat ex duabus cognitionibus idem enuntiantibus, vnam eſſe veram, quin altera ſit vera: tùm etiam, quia vt vera ſit cognitio Dei, requirit, quod obiectum ita ſit, ſicut per illam enuntiatur; hoc autem ſufficit, vt quælibet cognitio idem enuntians ſit vera; ergo ſi vt cognitio creata ſit vera, prærequirit fundamentum defacto exiſtens, etiam divina.

51 Tùm etiam; nam vt Scientia Media ſit vera prærequiritur, quod conſenſus eſſet, ſi poneretur conditio (in hoc enim futuritio entitativa conſiſtit) ſed vt cognitio, affirmans eſſe conditionatè futurum, ſit vera, etiam ſi creata ſit, ſufficit, quod eſſet ſi poneretur cõditio; ergo quod ſufficit ex parte obiecti, vt cognitio divina ſit vera; ſufficit etiam, vt creata cognitio vera ſit. Tùm denique; ſi ad veritatem Scientiæ Divinę nullum fundamentum requiritur exiſtens, defacto Deus cognoſceret diſſenſum, vt futurum ſub conditione, ſub qua eſt futurus conſenſus; quod manifeſtè implicat; nam purificata conditione vterque ſimul exiſteret; ergo falſum eſt, quod

divina cognitio fundamentum non requirat.

§. IV.

§. IV.

Alia ratio pro conclusione adducitur.

52 EX Dictis alia ratio pro nostra conclusione deducitur, quæ sic proponitur: Deus ex se est indifferens ad habendam scientiam conditionatam consensus futuri, sub auxilio *A*,& ad habendam scientiam oppositam dissensus sub eodem auxilio: sed ablato decreto divino nihil est potens Deum determinare ad habendam potiùs vnam scientiam, quam alteram; ergo absque decreto actualiter existēti, Deus non potest vnam scientiam, potiùs quam alteram habere. Consequentia ipsis Adversarijs est manifesta. Maior est certa; cum vtraque scientia sit contingens, vt ipsi loquuntur, & prædicata necessaria Dei cum qualibet illarum possint componi. Minor autem probatur; nam ex parte obiecti nihil est potens Deum determinare; cum neque ex parte consensus, aut dissensus aliquid sit præter puram potentiam obiectivam, & possibilitatem, quæ indifferentem relinquit consensum, & dissensum ad futuritionem conditionatam,& illius carentiam; ergo vt Adversarij fatentur nihil est ex parte obiecti præter puram possibilitatem, sed ad summum esset; & consequenter nihil est potens Deum determinare, sed esset, si purificaretur conditio; atqueadeò hac non purificata nihil est potens Deum determinare. Insuper ex parte Dei nihil est potens determinare; nam intellectus divinus, vt in maiori diximus, est omninò indifferens; neque suam indifferentiam potest determinare, cum liber non sit; ergo nihil est potens Deum determinare ad habendam hanc scientiam, potiùs quam oppositam.

53 Idem argumentum fit in futuris absolutis in tempore existentibus, quę à Deo videri non possunt sine illorum decreto efficaci; & sic formatur; nam Deus est indifferens, vt cognoscat existere in tempore consensum,& vt cognoscat non existere, vel existere dissensum,& abæterno præter decretum nihil est potens determinare intellectum divinum ad scientiam visionis consensus, potiùs, quam oppositam; cum abæterno nihil sit, nisi Deus; cuius intellectus est indifferens, & impotens ad se determinandum, quia liber non est; consensus autem abæterno nihil habet præter puram possibilitatem; ergo nihil est potens abæterno determinare intellectum divinum ad scientiam visionis consensus, potiùs, quàm ad oppositam.

54 Confirmatur primo; Scientia Media consensus indifferens est ex se, vt sit,& non sit quoad denominationem, seu terminationem: sed quidquid sic indifferens est, vt habeat esse præ non esse, indiget alteriùs libera dispositione; ergo Scientia Media consensus indiget, vt sit, alicuius libera dispositione. Tunc sic; sed ablato decreto non existit ex dispositione Dei; ergo debet existere ex alteriùs dispositione: vndè, vel admittendus est alius provisor à Deo ex cuius dispositione existat; quod maximum absurdum esset, vel dicendum in Deo non dari Scientiam Mediam; quod tutius est. Maior est certa; minor lumine naturæ nota; quia enim creatura indifferens est, vt sit,& non sit, indiget providentia Dei, ex cuius determinatione habeat esse prę non esse; ergo similiter. Tum etiam; quia cum id, quod sic indifferens est ex se non habeat esse, necessaria est, vt existat, alicuius libera determinatio; aliàs acasu,& fortuito existeret.

55 Confirmatur secundo; nam, vt ex Bætio 4. de Consolatione, docet Div. Thomas infra quæst. 22. art. 4. Providentia est ipsa divina ratio in supremo omniū Principe constituta, quę cuncta disponit, quæ vt in solutione ad 3. docet Angelicus Magister, præsupponit actum liberum voluntatis; quod verum non esset, si scientia contingens Dei, vt more ipsorum loquamur, esset in Deo absque eius libera determinatione. Est tamen advertendum, quod circa actus Dei sic contingentes non est propriè providentia; quia hæc solùm versatur erga ea, quæ ordinantur in finem; nihil autem divinum in finem ordinatur. Cæterùm quidquid contingenter existit, vel est ipsa providentia Dei, quæ actum liberum includit, vel debet esse aliquid creatum, erga quod providentia versatur: vndè vel Scientia Media est aliquod creatum, supponens providentiam, vt eius causam,

ſam, vel circa aliquid creatum, & contingens verſatur, includiturque in divina providentia, à qua creatura accipit ſtatum contingentem, & liberum Deo.

56 Confirmatur tertiò. Scientia Media conſtitui debet, ſicut conſtituitur actus liber, vt etiam ipſis Adverſarijs conſtans eſt: actus autem liber, iuxta Authores, contra quos diſputamus, conſtituitur per modum quendam intrinſecum diſtinctum à Deo, vt modus à re, qui potuit in nihilum tranſire, & qui defacto Deus eſt; & conſequenter Scientia Media per ſimilem modum intrinſecum etiam debet cõſtitui; quod licèt vt omninò falſum, & abſurdum à nobis tractatu de Voluntate Dei, dub. 2. ſuper articulum 3. §. 1. à nobis reijciendum ſit; modo tamen placet proponere aliqua inconvenientia, quæ neceſſario admittere debent huiuſmodi Authores; ſcilicèt, modum conſtituentem Scientiam Mediam de facto exiſtentem, qui etiam exiſtit, & eſt Deus, vt fatentur, potuiſſe eſſe nihil; & modum qui defacto nihil eſt, niſi ſolùm in pura potentia obiectiva, ſicut creatura purè poſsibilis, potuiſſe ad tantam dignitatem pervenire, vt eſſet Deus; & quod in præſenti dignum eſt admiratione, redditque Scientiam Mediam prorſus imperſuaſsibilem, eſt, quod totum hoc contingat abſque diſpoſitione divina, vel ex creaturę purè poſsibilis diſpoſitione, vel ex alicuius exiſtentis extra Deum, vel ex nullius diſpoſitione, ſed acaſu, & fortuito. Stupeſa ętæ mirantur, & merito, omnes creaturæ Omnipotentiam Dei, qui humanitatẽ Chriſti Dñi, quæ ex ſe eſt in pura potẽtia obiectiva, ad tantam dignitatem evehere dignatus eſt, vt per vnionẽ hypoſtaticã divinæ naturæ vniretur, eſſetque Deificata, nõ Dea, & Authores iſti concedunt, vel cõcedere tenẽtur modum, qui ex ſe nihil eſt, ad tantam pervenire dignitatẽ, vt ſit non Deificatus, ſed Deus; & hoc abſque interventu Omnipotentiæ, aut voluntatis divinæ, ſed vel diſpoſitione creaturæ, vel ex nullius diſpoſitione, ſed acaſu, & fortuito.

Deindè cum ſint poſsibiles infinitę aliæ Scientiæ Medię ab exiſtentibus diſtinctę, poſsibiles etiam ſunt infiniti, qui defacto nihil ſunt, & de quolibet verificatur poſſe eſſe Deum, & dignitatem, qua carent, & poſſunt habere, ipſis Deus non poteſt conferre; à quo ergo poſſunt illam accipere?

57 Fateor Adverſarios docere ad exiſtentiam actus liberi neceſſarium eſſe decretum efficax, quod concomitans appellant, cum quo conantur componere eſſe in poteſtate Dei impedire Scientiam Mediam, & facere, quod exiſtat. Sed præterquàm quod hæc doctrina plura implicat falſa, alibi diſcutienda, modi illi poſſibiles dignitate ſibi poſsibili carent abſque diſpoſitione divina, & qui exiſtunt, illam habent abſque decreto divino, aut exercitio divinæ Omnipotentiæ. Secundo; modi poſsibiles, ſi illam dignitatam haberent, illam haberent, qualiter exiſtentes: at iſti illam habent abſque decreto, & exercitio Divino Omnipotentiæ; ergo & illi haberent. Secundo, quod defacto independenter à decreto Dei exiſtit, ab ipſo impediri non poteſt; ſicut nec poteſt Deus dare exiſtentiam alicui, quod abſque eius decreto illa caret; quod de creaturis Adverſarij fatentur, & in vniverſum debet eſſe verum iuxta eorum principia, & veritatem.

Tertiò, vt Deus daret exiſtentiam modo poſsibili, quo conſtitueretur Scientia Media, qua cognoſceret, quod ſi Petrus poneretur in hac occaſione conſentiret, & qua defacto caret, neceſſarium erat, quod Deus poneret Petrum in illa occaſione: in intelligibile autem eſt, quod in illa occaſione ſit, quod independenter ab illa iam non eſt.

58 Tandem; ſaltim ſequitur iuxta horum principia, tàm eſſe in poteſtate creaturæ, quam Dei illum modum exiſtere; quod ſatis abſurdum apparet. Sequela eſt manifeſta; nam iuxta illos, Petrus poſitus in illa occaſione æquè potens eſt, atque Deus, ad ponendum conſenſum, vel eius omiſsionem: at eatenus Deus in ſua poteſtate habet Scientiam Mediam, quatenus eſt potens facere, quod exiſtat conſenſus, vel eius omiſsio; ergo ſi Petrus ad hoc eſt æqualiter potens, pariter ad exiſtentiam, vel non exiſtentiam Scientię Mediæ; & conſequenter modi illam conſtituentis. Quibus adde; quod modus, quo conſtituitur Scientia Media peccati exiſteret ex determinatione ſolius creaturæ; & licèt Deus poſſet impedire eius exiſtentiã, non tamen eſſet in illius poteſtate facere, quod modus ille exiſteret; cum ergo entitatem actus peccati negent, licèt non ſatis conſequenter, Authores iſti decretum concomitans. Et quidem ſi homo per peccatum facit, quod modus, qui ex ſe nihil eſt,

fat

sit defacto Deus,& qui deficiente peccato, esset in pura potentia obiectiva ; non benè percipitur, qualiter modus ille,qui Deus est beneficio peccati, displiceat in peccato sine nota ingratitudinis. Et vt alia omittamus ferè eadem inconvenientia sequuntur in sententia aliorum asserentium, decretum constitui, non modo, sed quadam facilitate identificata cum Deo,quæ etiam potuit esse nihil, vt facilè quis colligere ,potest : à quibus libenter abstinemus.

59 Confirmatur quarto;denominatio intrinseca potentis producere formicam; v.g.acasu,& fortuito Deo conveniret , sicut possibilitas creaturarum , si ex prædicatis necessarijs non oriretur necessario , vel illis constitueretur ; cum ex dispositione libera Dei non sit : quapropter Politiores Recentiores nobiscum fatentur connexionemOmnipotentiæ cum possibilibus ; ergo denominatio scientiæ,& conditionata futuritio acasu,& fortuito convenit Deo ; si neque prædicata necessaria cum illa connectuntur, neque ex dispositione Dei existit.

60 Confirmatur vltimo ; Deus supposita Scientia Media est absolutè impotens ad faciendum , quod existat consensus sub auxilio, sub quo previsa est voluntas dissensura; & hæc impotentia,quæ defacto datur in Deo,nullo modo potuit ab ipso vitari;potuit tamen ab ipso deficere : ex cuius ergo dispositione , nulla creatura existente , hæc impotentia existit in Deo ? quis possibilia, quæ intra sphæram Omnipotentiæ continentur, ab illa extraxit, aut quis eius ligavit Omnipotentiam? quod creatura non habeat possibilitatem ex prædicatis essentialibus Dei, sed ex se , necessario tamen , ita vt in nullius sit potestate possibilitas , aut impossibilitas rei,vtcumque,licèt ægrè, tolerari potest : quod voluntas creata existens,& indifferens ad consensum,& dissensum, per positionem liberam consensus determinet Omnipotentiam divinam ad positionem consensus, illam sibi subordinans,vt Adversarij pleno ore fatentur , absurdum apparet ; quod autem nulla existente extra Deum , reddatur Omnipotens impotens ad producendũ, quod intra sphæram Omnipotentiæ continetur,omninò impossibile est:vel enim creatura nondum existens potuit Dei Omnipotentiam ligare ; vel aliquid concedendum præter creaturam Deo potentius ; vel saltim fatendum Omnipotentiam Dei propria imbecillitate non posse,quæ ex terminis possibilia sunt. Quæ omnia absurdissima sunt, & alibi fusius ponderanda, modo ad argumenti solutionem accedamus.

§. V.

Aliquæ solutiones referuntur,& reijciuntur.

61 VISUM Est argumentum hoc Adversarijs valdè difficilè : inter quærendum tamen solutionem, quam nisi nimis fallor, adhûc invenire non potuerunt, sibi magnopere indulgent , quia inventum est , non à Thomistis, sed ab ipsis Scientiæ Mediæ defensoribus; nec mirandum aiunt, Thomistas hoc argumento non vti,quia in eorum sententia plures habet instantias. Alij ingeniosi Recentiores ante argumenti solutionem asserunt difficultatem nullius esse momenti, si supponatur communis sententia,quæ docet actus contingentes Dei constitui per ipsam sapientiam, & voluntatem necessariam Dei,& extrinsecè, vel intrinsecè compleri, seù constitui per aliquid creatum ; quam sententiam Thomistis valdè familiarem esse asserunt : sicut enim decretum conditionatum constituitur tanquam per extrinsecum connotatum, vel tanquam per formam inadæquatam, per consensum qui esset ; pariter Scientia Media ; & sicut consensus , quæ esset, est ratio, connotatum, vel causa, quare Deus constituatur , & sit volens sub conditione futurum ; pariter ipsi dicunt esse etiam connotatum, vel rationem,qua Deus est sciens consensum sub conditione futurum; & hæc ipsis videtur causa , quare neque Thomistæ , neque alij hoc argumento pro Scientia Media,vel contra illam vtantur. Et addunt difficiliùs constitui decretum per consensum,qui esset,quam scientia; nam decretum est causa iuxta Thomistas;non autem Scientia Media : causa autem difficiliùs per effectum constituitur , etiam inadæquatè, quam id,quod causa non est.

62 Secundo dicunt;quod in aliorum Thomistarum sententia constituentium actũ

liberum per æternas denominationes intrinsecas, sivè identificatas, sivè distinctas, sivè negativas, sivè positivas, nullum potest assignari prædeterminativum Scientiæ Mediæ, seu nihil defacto existens posse determinare intellectum divinum ad Scientiam Mediam; quod probant duplici ratione, iudicio eorum evidenti. Prima est; quia illud determinativum, quodcumque illud sit, sivè positivum, sivè negativum est contingens; ergo indiget alio determinativo, & sic in infinitum; vel si se solo sufficit ad seipsum determinandum, pariter Scientia Media. Secunda est; quia quælibet determinatio præcedens Scientiam Mediam sufficeret iam ad complendam per se Scientiam Mediam; & consequenter Deus haberet Scientiam Mediam ante Scientiam Mediam. Et vlteriùs; si ad omnem Scientiam Mediam requiritur aliqua prædeterminatio, ante quamlibet Scientiam Mediam requireretur alia per processum in infinitum: quæ inconvenientia sunt. Deindè post argumenti solutionem afferunt instantiam in sententia negante connexionem cum possibilibus, & in sententia, quam communem Thomistarum appellant, concedente connexionem cum speciebus, illam autem negante cum individuis.

63 His, & similibus plena sunt horum scripta, quibus haud difficilè iuvenum ingenia hallucinari possunt; neque mirum, cum docti Theologi studio defendendi propriam sententiam, in his etiam, vt credo, decepti sint: & in primis argumentum hoc aliud non esse à ratione communi Thomistarum primo à nobis adducta, illam videntis fiet clarum. Constat etiam ex solutione, ad quam Recentiores recurrunt, quæ alia non est ab illa, quam pro solvenda prima ratione adduximus, & reiecimus; & tandem constabit videnti Thomistarum scripta, qui toti sunt in probando in futuro conditionato nullam esse determinationem præcisivè à decreto, sed puram indifferentiam, vt exinde manifestè inferant Deum præcisivè à decreto non posse illorum veritatem potiùs, quam falsitatem cognoscere: ex defectu ergo determinationis ex parte obiecti inferunt non dari Scientiam Mediam; quod est argumentum propositum; cuius difficultatem noluerunt fateri Recentiores, quousque terminis aliquantulum variatis, adinventum gloriantur, quasi non nisi à seipsis vrgeri possint. Ad horum instantias infra fiet satis.

64 Aliorum Recentiorum primum dictum in eo deficit, quod asserunt Thomistas docere decretum constitui etiam inadæquatè per aliquid creatum; est enim inter nostros communis sententia, constitui adæquatè per aliquid intrinsecum: & licèt aliqui asserant creaturam ingredi vt connotatum, non tamen quod sit ratio, causa, vel quid simile respectu decreti; quod & ipsi Aduersarij fatentur; cum in hoc decretum Thomisticum à Scientia Media distinguant; quod decretum est causa, non autem Scientia Media: vndè iuxta Thomistas omninò precedit decretum adæquatè constitutum consensum eius connotatum, quod à priori ex decreto infertur, sicut Omnipotentia precedit creaturas possibiles: à quo autem determinetur decretum, seù voluntas divina ad illud habendum; statim dicemus.

65 Est etiam notandum, quod consensus, qui esset, est obiectum decreti conditionati, non tamen esset precisivè à decreto, sed ex vi illius, & ab illo tanquam à forma, quin ex parte consensus præsupponatur aliquid præter puram possibilitatem: neque vt Deus habeat decretum, necessarium est, quod ex parte consensus detur intrinseca variatio, sed sufficit, quod ex vi decreti variaretur; vt de futuro absoluto non semel explicuimus.

66 Ex Aduersarijs autem illi, qui constituunt actus contingentes inadæquatè per aliquid extrinsecum, valdè vrgentur; tenentur enim concedere Scientiam Mediam constitui inadæquatè per consensum, qui esset; & consequenter, quod Deus constituitur sciens per aliquid, quod nihil est. Secundo Deum scientem consensum futurum, à seipso non sciente, vel defacto non distingui vllo modo; vel distingui per aliquid, quod nihil est. Tertiò; cum Scientia Media consensus nihil aliud sit, quam scientia necessaria, & consensus, qui esset; & alias iste defacto nihil habeat præter puram possibilitatē, tenentur concedere omnia constitutiva Scientiæ Mediæ necessario dari; cum detur necessaria, & possibilitas consensus; quod & non aliud datur potens Scientiam Mediam constituere; cum consensus nihil aliud existat.

67 Tandem in sententia, quam ibi supponunt, & in qua putant argumentum nullius esse momenti, necessariò admittenda sunt decreta conditionata erga obiecta Scientiæ Mediæ, & quidem præcedentia scientiam illorum; cum quo, vt ipsi etiam fatentur, non stat non esse liberam; vtrumque facilè probatur; & primum sit; conno-

tatum ſufficiens ad conſtituendum, vel cõplendum Scientiam Mediam, ſufficiens eſt conſtituendum decretum, vel illud cõplendum, ſed conſenſus, qui eſſet, ſufficit ad cõſtituendam Scientiam Mediam; ergo ad conſtituendum decretum; ergo vbi dantur conſtitutiva Scientiæ Mediæ, dantur etiam conſtitutiva decreti; atque adeò erga obiecta ſcientiæ datur etiam decretum. Conſequentiæ rectè inferuntur. Maior autem, & minor in primo dicto continentur.

68 Secundum etiam probatur; nam ſi erga obiectum ſcientiæ conditionatę datur decretum conditionatum conſtitutum, vel completum per idem connotatum, neceſſariò decretum præcedit per rationem ſcientiam: quod conſtat in ſcientia viſionis, reſpectu cuius præcedit decretum cõſtitutum per idem connotatum, atque ſcientia viſionis; quapropter ipſa libera eſt. Et licèt Adverſarij erga actus liberos abſolutè futuros non concedant communiter decreta efficacia, vt neceſſaria, iuxta conſtitutionem illam decretorum, neceſſariò illa debent admittere, vt tractatu de Decretis, ſeù Providentia Dei oſtendemus: & patet; quia datur volitio neceſſaria, & connotatum creatum, quæ ſunt adæquata cõſtitutiva decreti efficacis. Cæterùm etiam ſi non ſit neceſſariò efficax, ſufficiens eſt, vt ſcientia viſionis libera ſit; ergo quamvis connotato Scientiæ Mediæ non conſtituatur decretum conditionatum efficax, ſufficeret ad inefficax conſtituendum, & ad hoc vt ſcientia conditionata libera ſit.

69 Secundum dictum etiam eſt falſum; nimirùm in ſententia conſtituentium actus contingentes per ęternas denominationes intrinſecas, non poſſe aſſignari determinativum ſcientiæ cõditionatæ. Prima ratio, qua id probant, omninò inefficax eſt; determinativum enim ſcientiæ conditionatæ, quamvis contingens ſit in ſenſu ſæpè explicato, alio determinativo non indiget, eſt enim conſtitutivum decreti, quod eſt prima determinatio primi liberi; quæ proinde alia non indiget: ſcientia autem conditionata contingens eſt quidem determinatio intellectus divini, non tamen libera ratione ſui, cũ intellectus divinus, cuius eſt determinatio, liber formaliter non ſit; atq; adeò indiget libera determinatione, quæ abſq; actu voluntatis, quę ſola, & prima libera eſt, intelligi nõ poteſt. Inſuper in ſententia Adverſariorum, determinatio libera creatæ volũtatis, non indiget alia determinatione, vt ſit, quia ſcilicèt, eſt ipſa determinatio libera: & tamen nullũ aliud ens contingens exiſtere poteſt ſine alicuius libera determinatione; determinatio ergo libera voluntatis divinæ, non ſolũ quia libera, ſed quia prima libera eſt, alia determinatione indigere non poteſt: ſcientia autem conditionata, cum libera non ſit ratione ſui, indiget determinatione voluntatis.

70 Non magis vrget ſecunda ratio; determinatio enim prȩcedens ſcientiã conditionatam pertinet formaliter ad lineam voluntatis; quapropter licet inferat determinationem intrinſecam, & pertinentem ad lineam intellectus, qua ſapientia neceſſaria conſtituatur in ratione contingentes ſcientis, non tamen poteſt illam cõſtituere; ſicut neq; actus voluntatis poteſt Deũ cõſtituere ſcientem; & licèt admitteremus ſapientiam neceſſariam conſtitui formaliter in ratione contingenter ſcientis per determinationem liberã voluntatis, nullũ ex illis inconvenientibus ſequeretur: non primum; tùm quia in caſu illo determinatio exiſtẽs, qua intellectus divinus ad ſcientiam cõditionatam determinaretur, non præcederet illam, niſi vt conſtitutivum; quapropter ante ſcientiã cõditionatam non daretur ſciẽtia cõditionata. Tùm etiam; quia in illa determinatione duplex munus eſſet diſtinguendũ; alterum, quo conſtitueret Deum libere volentẽ, & alterum, quo ipſum conſtitueret contingenter ſcientẽ; & primũ aliquo modo præcederet ſecundum; neq; primo conſtitueretur ſcientia cõditionata, ſed ſecundo. Ex quo non infertur dari Scientiã Mediam ante Scientiã Mediam; imò non eſſet media, ſed perfectiſsimè libera; cum ipſa libera determinatione voluntatis cõſtitueretur; quo etiam modo diſcurrendum eſſet in ſcientia viſionis. Non ſequeretur ſecundum inconveniens; nam ſcientia cõditionata in illa hypotheſi non præſuppone ret determinativũ ab eius conſtitutivo diſtinctum, niſi ad ſummum quoad munus, vt diximus; & cùm conſtitutivum eſſet prima determinatio libera, alia determinatione non indigeret.

71 Inſtantia deſumpta ex ſententia negante connexionem cum poſsibilibus nobis non nocet; nam ferè eodem argumẽto, noſtro iudicio, efficaci, ſententiam illam reiecimus; quamvis in præſenti maiorem vim habeat, vtſupra monuimus; quia denominatio Omnipotentiæ, & ſtatus poſsibilitatis ſunt omninò neceſſaria, quapropter

libera determinatione non indiget, secus autem ScientiaMedia. Existimo tamen Defensores Scientię Mediæ adstruentes cõnexionem Omnipotentiæ, qui inferiores notę non sunt, inter quos numerandi veniunt illi, contra quos modo disputamus, inconsequenter procedere, præcipuè, qui nostro argumento ad probandum connexionem vtuntur. Instantia adducta ex sententia cõmuni Thomistarum negante connexionem Omnipotentiæ cũ individuis possibilibus, minus nocet; est enim merè impostura; nullum enim ex Thomistis vidi sententiam illã defendentem; & merito nullus Thomista illam docet; quia in principijs Thomistarum defendi non potest. Sed his relictis veniamus ad argumenti solutionem.

72 Mirabiles Theologi, quos refert, & in margine citat P. Alderete disp. 31. sect. 4. & disp. 26. sect. 6. cum quibus hac de re pluries disputavit, vt difficultatem effugiant, ad futuritiones quasdam conditionatas recurrunt; asseruntque dari abęterno has futuritiones à Deo distinctas, ratione quarum Deus abæterno determinatur ad cognoscenda futura conditionata; & eodem modo philosophantur deabsolutis, quam sententiam tribuit etiam Patri Perez disp. 28. sect. 8. Sed hoc effugiũ facilè evanescit, non enim evacuat, & in nova incidit inconvenientia. Primũ probatur; quia futuritio, tàm absoluta, quàm conditionata abæterno existens esset contingens, & potens non esse, sicut ipsa Scientia Media; essetque distincta ab actu libero voluntatis divinæ, qui est prima libera determinatio; ergo indigeret alicuius libera determinatione, vt esset potiùs futuritio consensus, quam dissensus; non ergo solvitur argumentum, sed semper restat assignanda determinatio, vi cuius existat hæc determinata scientia, vel hęc determinata futuritio.

73 Secundum etiam est manifestum; nam futuritio extra Deum existens non est Deus, sed aliquid creatum; quod proindè abæterno existere, tutum non est. Insuper status ille futuritionis, vel ipsa futuritio, vel haberet esse à Deo, vel à creatura, vel à se: non à Deo propter dicta, & quia nihil extra Deum ab ipso procedit nisi libere: futuritio autem illa non est libera Deo, sicut neque Scientia Media: imò etiam si à Deo necessario procederet, non esset ratio, quare ab illa esset potiùs futuritio consensus, quam dissensus: non à creatura; quia nondum existit, nisi causa solùm possibilis potens sit ad operandum, & non vtcũque, sed operatione à Deo independenti, Deum determinante, & ligante eius Omnipotentiam, vt supra arguebamus: non à se; quia solus Deus habet esse à se; & nulla esset ratio, quare sicut futuritio consensus est, & à se; non sit futuritio dissensus, & etiam à se: vndè iuxta hanc positionem, vel asserendũ est, aliquid extra Deum esse à se, vel à Deo necessario procedere, vel creaturam non existentem operari.

74 Deindè omninò implicatorium est aliquid à Deo cognosci, ad cuius cognitionem obiectum primarium movere non posset: Deus autem ad hanc futurorum cognitionem movere non posset, neque ratione prædicatorum essentialium, neque prædicatorum contingentium; cum nihil in Deo præcedat cum existentia horum futurorum connexum.

Tandem; cum futuritio consensus existat absque libertate creaturæ, cuius determinatio non est ratio existentiæ ipsius in sententia relata, creatura in tempore existens non esset libera; quod sic patet; nam non posset vitare consensum; ad hoc enim erat necessarium eius futuritionem auferre; quod tamen in eius potestate non est. De quo videantur dicta disp. præcedenti, dub. 2. §. 4.

75 Fortasis propter hæc ingeniosi Recentiores sententiam mutarunt; in opere enim Posthumo disp. 2. de Providentia cap. 1. & disp. 3. cap. 3. oppositam sententiam defendunt; & convicti argumẽto nostro dubio 1. fusè explicato asserunt; futuritionem etiam cõditionatam esse aliquid defacto existens abæterno identificatũ cum Deo; differunt tamen à nobis; quia ipsi asserunt futuritionem conditionatam esse ipsam Scientiam Mediam, absolutam autem scientiam visionis.

Vt autem suorum argumentis satisfaciant, distinguunt in Scientia Media duplicem conceptum ex modo significandi; altero constituitur consensus conditionatè futurus, & altero Deus illum sciens: primusque ex modo significandi præcedit secundum, quo salvant Deum cognoscere consensum sub conditione futurum, quia sic futurus est, non è contra.

76 Facto autem argumento respõdent, Scientiam Mediam esse ab intellectu divino omninò indifferenti, quod inconveniens nõ est, dũmodo sit aliud principiũ, respectu cuius ScientiaMedia sit electio; &

pa-

patet in cognitione concurrente ad volitionem, quæ indifferens est, & ad volitionem concurrit sine inconvenienti ; quia voluntas etiam concurrit, vt libera, & vt eligens; & idem videre est in habitu voluntatis: principium autem liberum, & eligens, cuius actus, & electio est Scientia Media, vt futuritio cõditionata est ipsa voluntas creata, quæ licèt non existat phisicè, existit tamen intentionaliter in scientia simplicis intelligentiæ ; & sic intentionaliter existens eligit, cuius actus, & electio est Scientia Media, vt futuritio conditionata est, & media hac electione determinat intellectum divinum ad sciendum, sicut voluntas creata determinat habitum, & sicut agens per actionem facit, quod patiens patiatur absque reali distinctione inter actionem, & passionem, aut inter actionem voluntatis, & habitus; quia per hoc solum denotatur, quod agens dominatur passo, & voluntas vt domina attemperat habitum.

77 Hæc consulto apposui, vt vel hinc appareat argumenti facti difficultas, propter quam docti Recentiores, & vt testatur P. Alderete vbi supra, ingenio, & eruditione præstantissimi post longam de hac re consultationem, post plures disputationes, hinc, & inde agitati in hæc, ipsis etiam testantibus, obscurissima inciderunt ; mihi tamen omninò inintelligibilia videntur; & ni fallor, nulli persuasibilia : quis enim credet, quod creatura nondum existens, & dum nihil est, exerceat libertatem ; & determinet pro suo arbitrio intellectum indifferentem Dei ? Deindè prorsus chimæricum est, quod actus intellectus divini sit actus, & electio, qua voluntas purè possibilis eligit, se, & Deum libere determinat: in hoc enim non solùm asseritur creaturam possibilem sibi subijcere Deum, quem determinat ; sed id, quo Deum sibi subijcit, esse ipsum Deum, & actum intellectus divini ; qui proindè principalius est à creatura possibili, quam á Deo ; cum ab ipsa sit tanquam à Domina, & tanquam ipsius dominium in actu secundo.

78 Insuper; quod creatura existens per actum suę voluntatis Deum determinet, vt concurrat ad eundem actum, sibi subijciat Omnipotentiam, satis durum est, cuius durities, parum, aut nihil lenitur, vt alibi demonstravimus, per hoc, quod totum hoc ex libera voluntate Dei procedat, qui voluit liberam creaturam producere, & in actu primo expeditam ad se determinandum constituere ; consuetudo tamen illud audiendi minus dissonum fecit. Cæterùm quod à creatura, dum nihil est, independenter à voluntate Dei ita potens sit, vt sibi Deum subijciat, non solùm in in concursu creato, & ad actum creatum, sed in eliciendo actum increatum intellectus divini, omninò inintelligibile est.

79 Deindè ex hac doctrina sequitur, quod Deus magis subijciatur in intelligendo creaturæ possibili, quam creata voluntas in libera operatione subijciatur Deo ; Deus enim in concursu actuali, & in actu secundo, non sibi subordinat creaturam, sed è contra, vt ipsi affirmant: voluntas autem purè possibilis sibi subordinat intellectum divinum, cum ipsum ad intelligendum pro sua electione determinet ; & non in potestate Dei, sed solùm in potestate creaturæ possibilis sit ipsum determinare ad hanc scientiam, potiùs quam ad alteram.

80 Rursus ; quis non ægrè ferat, quod ad salvandam libertatem creatam necessarium sit asserere, quod Deus non potest sibi subijcere voluntatem in formali concursu in actu secundo ad actum liberum ? Et quod actus liber, qui etiam reduplicata libertate est creatura, si ad existendum indiget voluntate divina, à qua cuncta procedunt, destruatur, & simul creaturę purè possibili tantam tribuere potentiam, quod pro sua electione determinet hunc actum intellectus divini existere, potiùs quam oppositum ? quod dispositioni, & providentiæ creaturæ nondum existentis vnicè relinquatur existentia, & non existentia actus divini?

81 Deindè necessarium est asserere, quod Deus, qui est ipsum esse per essentiam non possit facere, quod voluntas creata medio auxilio *A*, v. g. eliciat actum, quem ipsa medio illo auxilio potest elicere; & quod peius est, quod hæc impotentia, quam Deus vitare non potest, ipsi conveniat ex arbitrio creaturæ nondum existentis, ipsumque determinantis ad sciendum, quod medio auxilio *A* creata voluntas non est elicitura talem actum.

Tandem ex hac solutione sequitur inter alia illud absurdum, scilicèt, creaturam possibilem dignam esse pœna; Deum enim libere determinare ad scientiã peccati sivè absolutam, sivè conditionatam, turpe est, & contra rationem : quapropter vt Deus ab hac impuritate liberetur, asse-

runt Adversarij scientiam peccati non esse ex determinatione Dei; & quidem videtur gravissimum peccatum creaturam possibilem pro suo arbitrio auferre à Deo potentiam ad producendam creaturam sibi possibilem.

82 Sed quamvis alia ommittamus, prætermittere non possumus in doctrina hac obscurissima, illius Authores inconsequenter processisse; nam iuxta illorum principia scientia conditionata existit in Deo ex determinatione voluntatis divinę. Quod sic probatur; nam priùs intelligitur Deus libere volens conditionatè consensum, quam sciens illum futurum; ergo scientia existit ex determinatione libera Dei. Consequentia constat, & in eorum principijs negari non potest; etenim, quia creatura prius intelligitur eligens, & determinans Deum ad intelligendum ipsa Scientia Media, vt futuritio conditionata est, scientia illa existit ex determinatione creaturæ. Antecedens probatur; Deus, iuxta illorum principia, intelligitur libere volens consensum, eo ipso quod intelligatur volitio necessaria, & connexio in Deo cum consensu conditionatè futuro: at antequam intelligatur Deus sciens consensum conditionatè futurum, intelligitur volitio necessaria, & connexio intrinseca in Deo cum consensu conditionatè futuro; ergo priùs intelligitur libere volens consensum, quam sciens.

83 Maior est ipsorum doctrina; & minor ab ipsis negari non potest, nam volitio necessaria præcedit prædicata contingentia; & connexio etiam præcedit Deum vt scientem; scientia enim vt futuritio cõditionata est, præcedit seipsam, secundum quod constituit Deum scientem; at vt futuritio conditionata connectitur cum consensu; ergo tàm volitio, quàm connexio intelliguntur in Deo, ante quam intelligatur sciens; & consequenter, si intellecta volitione necessaria, & connexione intrinseca intelligitur Deus libere volens, antequam intelligatur sciens, intelligitur libere volens. Et sanè propinquior est voluntas divina, vt possit esse principium liberum determinans intellectum indifferentem Dei, quam creatura possibilis: ipsa Scientia Media vt futuritio conditionata est minus imporportionata, vt sit electio, seù complementum volitionis liberæ Dei, quam ad hoc vt sit electio creaturæ non existentis; hoc ergo dicendum videbatur, non solùm, vt starent proprijs principijs, sed vt eorum doctrina minus in intelligibilis esset.

84 Si autem dicatur, Scientiam Mediam esse sufficiens complementum, vt volitio necessaria sit volitio conditionata consensus; sicut & scientia visionis, vt sit volitio absoluta eiusdem; hoc tamen esse, non ex electione voluntatis divinæ, sed creaturę possibilis: si, inquam, hoc dicatur, infertur creaturam possibilem sibi subijcere, nedum intellectum Dei, sed voluntatem divinam, Deumque non velle libere, sed necessario consensum, & dandum esse actum volũtatis divinę contingentem, & non liberum, sed medium; sicut ab ipsis conceditur scientia; sed de his pro nunc satis.

85 Vnum tamen notare oportet; difficultatem non auferri, si asseratur in creatura possibili non esse libertatem physicam, sed intentionalem; nam vel libertas intentionalis est vera libertas, vel non? Si primum; inconvenientia non vitantur, vt patet; secundum autem, neque est ad intentum solutionis, neque argumentum solvit. Primum probatur; nam ipsi fatentur, & benè, principium indifferens non liberum non posse elicere actum, nisi adsit aliud principium libere ipsum determinans, quod verum est, & exempla ab ipsis adducta demonstrant. Quod autem argumentum non solvant, si asseratur secundum, probatur; nam si non est propria libertas, sed metaphorica; ergo acasu, & fortuito existit hæc Scientia Media præ alia; quod enim contingens est, & existit, & non ex alicuius libera dispositione, acasu, & fortuito existit.

Exemplum ex fine desumptum non est ad rem; finis enim in apprehensione existens allicit, & movet in actu primo; est tamen aliud principiũ, nimirùm voluntas potẽs illum prosequi, aut fugere, ex cuius libera determinatione movet, aut non movet in actu secundo. Quare autem ad hoc sufficiat existentia finis in apprehensione, ex natura intellectus, & voluntatis desumendum est; vt alibi explicuimus.

§. VI.

§. VI.

Aliorum solutiones referuntur, & reiiciuntur.

86 ALIORVM Responsio est; intellectum divinum non esse omninò indifferentem, sed aliquomodo determinatum; quatenus petit cognoscere futurum sub conditione, quod in tempore existat pro illa temporis differentia; non tamen expectat conditionem, vt sit abæterno determinatus, quia conditio non est ponenda abæterno, sed in tempore: & similiter exigit cognoscere futurum conditionatum, v.g. conversionem Tyriorum, sub conditione, quod essent convertendi, si ipsis conferrentur talia auxilia.

87 Hæc tamen solutio, vt testatur P. Alderete disp. 26. sect. 5. continet doctrinam omninò inintelligibilem, & ratio est; quia omnis potentia, seù facultas conditionata manet suspensa donec purificetur conditio; si enim solum potest prorũpere in effectum, si ponatur conditio; ergo quandiù non ponitur, non transit in absolutam, sed manet suspensa, & in actu primo. Quod in futuris conditionatis difficiliùs est; cum intellectus divinus sit solùm determinatus sub duplici conditione; nempè, sub conditione, quod Tyrij, v.g. essent convertendi, si ipsis conferrentur hæc auxilia, quarum neutra defacto datur, neque aliquando est purificanda; nunquam enim sunt convertendi, & nunquam ipsis conferenda sunt auxilia, quibus essent convertendi.

88 Post relatas, & reiectas plures solutiones, propriam satis prolixe semel, & iterum tradit P. Alderete locis citatis. Primo asserit, intellectum divinum non esse abæterno proximè indifferentem ad habẽdam hanc cognitionem, vel aliam oppositam; quia de se est determinatus, & necessitatus ad habendum illam notitiam, quæ de se est repræsentativa obiecti, sicut obiectum ipsum se habebit tempore, & modo importato per enuntiationem; & quia Antichristus, v.g. tali tempore peccaturus est, ideò Deus est necessitatus ad affirmandum peccaturum pro illo tempore, & ad non habendam oppositam cognitionem. Asserit insuper, Deum esse indifferentem præcisivè, non positivè; est ex se indifferens, quia præcisivè ab statu, quem habebit, vel haberet obiectum tempore importato per copulam, indifferens est: positivè tamen, & proximè non est indifferens, quia est determinatus ad habendam determinatè notitiam repræsentativam obiecti, sicuti se habebit, vel se haberet in tempore.

89 Secundo asserit numero 13. intellectum divinum non esse absolutè indifferentem, etiam quantum est ex se ad hanc, vel illam cognitionem; benè tamen remotè, & secundum quid. Primum explicat, quia intellectus divinus petit determinatè cognitionem repræsentativam obiecti, vt erit in tempore, vel esset: hæc autem non est quælibet ex illis, sed vna. Secundum autem probat; quia intellectus divinus de se non petit, vt obiectum hoc, vel illo modo se habeat: vndè ab illo statu præscindendo, nulla est in Deo determinatio; atqueadeò secundum quid est indifferens.

Tandem addit numero 16. oppositam cognitionem non esse posibilem proximè, sed tantùm remotè; quia abæterno nulla est potestas habendi illam cognitionem: tempore autem importato per copulam, seù purificata conditione, est in homine potestas efficiendi, vt Deus abæterno habuerit scientiam oppositam, & potestas se tenens ex parte Dei dimanat à potestate se tenente ex parte hominis. Vel potest dici (ait ipse) oppositum actum abæterno non esse posibilem, sed in tempore esse potestatem, vt abæterno fuerit posibilis.

90 Eandem solutionem expeditius tradidderunt Recentiores alij, asserentes nihil dari ex parte obiecti determinans potiùs ad vnam cognitionem, quam ad alteram, sed ipsa Scientia Media, seipsam movet, & seipsam abæterno determinat: ad quod distinguunt in ipsa duplicem conceptum; alterum, quo determinat, & alterum à primo determinatum: quod suadent; quia obiectum, quod esset, supponit in Deo determinationem cognoscendi, quod esset; quia habet necessitatem sciendi per infinitam suam sapientiam, quidquid est, erit, aut esset; siquidem ignorare

non

non potest id, quod esset, vel pro suo libito, vel ex imperfectione suæ scientiæ, vel ex non determinatione obiecti, si ipsum determinatè esset.

Alij hoc ipsum explicant, asserendo duplex esse determinativum huius scientiæ; aliud physicum, & aliud logicum: necessitas ex parte Dei iam explicata determinat physicè; logica autem determinatio est cõversio, quæ esset, si tale auxiliũ conferretur; & ex vtroque coalescit adæquatum determinativum, cum discrimine adducto; quod necessitas se tenens ex parte Dei determinat physicè per modum formalitatis physicè existentis in Deo abæterno, reddentisque ipsum omninò determinatum, vt percipiat quidquid ex qualibet suppositione contingeret: conversio autem, quæ esset, determinat Logicè per modum rationis obiectivę inferentis Logicè, suppositа infinitate intellectus divini, Deum habere scientiam conditionatam affirmativam præ negativa.

91 Neque requiritur existentia conversionis abæterno, vel in tempore, vt determinans logicè scientiam affirmativam præ negativa; nam licèt determinativum, quod exerceat munus determinandi per modum influentis physicè requirat coexistentiam sui cum existentia illius, ad quod determinat: alia tamen est ratio de determinativo, quod exercet munus determinandi per modum rationis logicè inferentis existentiam illius, ad quod determinat, in quo munere physica existentia determinativi non involuitur; sufficit enim conversioni, quod esset; non tamen requiritur, quod iam sit, vt ex illa per bonam consequentiam inferatur suppositа efficacia intellectus divini, Deum habere prædictam scientiam: & videtur clarum; id enim sufficit, vt Deus habeat illam scientiam, quod sufficit, vt sit verissima; Deus enim est necessitatus ad habendam omniũ verissimam scientiam: at vt sit verissima, sufficit, quod conversio esset; ergo vt existat, aliud determinativum necessarium nõ est; neque vt defacto talis conversio terminet huiusmodi scientiam, aliud necessarium est, quam quod hęc scientia existat: terminare enim scientiam est extrinseca denominatio ab ipsa scientia; non enim est aliud quam dari scientiam terminatam ad illam.

92 Sed quantumvis verba multiplicentur; argumentum non solvitur: & in primis omnes isti solum concedunt facultatem conditionatè determinatam in intellectu divino ad scientiam affirmativam præ negativa; & ratio est evidens; nam intellectus divinus attentis prædicatis essentialibus æquè est indifferens ad vtramque scientiam, & æqualiter cum qualibet coniungibilis; ergo nisi ex aliqua suppositione extra prædicata essentialia non est magis ad vnam, quam ad alteram determinatus; ergo solum est determinatus ex suppositione contingenti, & extra prædicata essentialia; & consequenter solùm est determinatus conditionatè, scilicèt, sub conditione hypothesis contingentis; atqueadeò hæc solutio iuxta P. Alderete continet doctrinã omninò inintelligibilem, nimirùm facultatem solum sub conditione determinatam transire in absolutam, non purificata conditione, & patet; nam hypothesis contingens est conditio: sed hæc abæterno non datur, sed in tempore; ergo facultas solùm sub conditione determinata transit inabsolutam non purificata conditione, sed ante purificationem conditionis.

93 Secundo reijcitur doctrina P. Alderete; quia falsum est Deum abæterno non esse indifferentem proximè, & simpliciter, quantum est ex se ad scientiam affirmativam, vel negativam; & probatur: nam prædicata essentialia Dei possunt componi cum qualibet seorsim; neque abæterno assignatur determinativum ad hanc scientiam prælia; cum omnia abæterno existentia indifferentia sint; ergo abæterno est proximè, & simpliciter indifferens. Neque hæc indifferentia minuitur per hoc, quod Deus sit determinatus ad scientiam veram: & patet; nam Deus per sua prædicata essentialia est determinatus ad habendam scientiam veram, & non falsam: & tamen in prędicatis essentialibus nihil datur minuens indifferentiam; ergo ex eo, quod sit determinatus ad habendam Scientiam veram, nullomodo minuitur indifferentia; & ratio est; nam quælibet scientia Deo possibilis est essentialiter vera; ergo si plures sint possibiles, ex determinatione ad scientiam veram non aufertur indifferentia ad hanc, vel illam.

94 Si autem dicas; quod si altera scientia existeret defacto, non esset vera, atqueadeò Deus iam est determinatus ad hanc scientiam, & non ad illam: imò altera scientia, vel abæterno est impossibilis remotè, vel absolutè impossibilis, vt Autho-

res

res isti asserunt. Contra est primo; nam sicut ex prædicatis essentialibus Dei non habetur, quod sit hæc scientia potius quam altera, neque etiam habetur, quod si altera existeret, esset falsa; alias nunquam posset esse vera, neque aliquo modo existere: vndè ergo habetur? Non enim ex prædicatis essentialibus; non ex dispositione libera Dei; neque abæterno datur aliquod, quod potuerit res ita disponere; neque abterno aliqua supponitur dispositio; ergo falsum est, quod si altera scientia existeret, esset falsa.

95 Secundo; altera scientia est abæterno possibilis solùm remotè, seù absolutè impossibilis, vt aiunt; cum tamen potuerit abæterno esse proximè possibilis, imò existere: quis ergo res ita disposuit, vt scientia ex se possibilis, seù non impossibilis, facta sit impossibilis; si autem factum est absque alicuius dispositione; ergo acasu, & fortuito.

96 Tertiò; scientia opposita non est abeterno impossibilis ex prædicatis essentialibus; aliàs esset chimæra; neque eius impossibilitas infertur ex prædicatis essentialibus Dei; ergo abæterno est impossibilis ex aliqua suppositione contingenti: at abæterno nulla datur suppositio contingens; ergo id, quod est impossibile solùm ex suppositione, seù conditionatè, est absolutè impossibile non purificata conditione: quod omninò inintelligibile est iuxta Adversarios. Neque suppositio, ex qua est impossibilis, potest esse existentia scientiæ oppositæ; nam id, quod determinat existentiam huius, reddit alteram impossibilem: at hæc seipsam non determinat iuxta hos Authores; ergo non est conditio, ex qua altera redditur impossibilis; ergo abæterno est impossibilis, quin abæterno sit conditio, ex qua redditur impossibilis.

97 Quartò; ex hac doctrina sequitur dari aliquod possibile ex terminis, præter actum liberum creatum; quod tamen Deus non possit facere, vt sit; nimirùm Scientiam Mediam, qua Deus defacto caret, quę possibilis est ex terminis; Deus tamen nulla potentia potest res ita disponere, vt sit; quod est contra conceptum Omnipotentiæ, de cuius ratione est posse quidquid non implicat contradictionem: & quidem de actu libero creato, ex Adversarijs plures hoc admittunt, nimirùm dari aliquem, quem Deus nulla potentia facere potest, quod existat; & omnes teneri admittere, disputatione sequenti, §. 1. & tractatu de Decretis, seù Providentia Dei, disp. 1. dub. 3. §. 1. demonstrabimus: tamen saltem Deo concedunt potentiam ad faciendum, quod non sit: cęterùm respectu scientiæ, neque adhúc potentiam Deo relinquunt, in cuius potestate non est esse alteram Scientiam Mediam, aut hanc non esse. Insuper inintelligibile est, quod aliquis possit facere, quod Omnipotens non potest facere, vt faciat, vel permittere, vt faciat: sed Deus nullo modo potest facere, aut permittere, quod existat Scientia Media opposita; ergo nullus potest facere; ergo ipsa ex se non est possibilis; quidquid enim possibile est, vi alicuius potentiæ est possibile.

§. VII.

Solvuntur argumenta.

98 ARGVVNT Primo ratione, quam vocant à priori: vt Deus cognoscat futurum conditionatum, duo sufficiunt: Primum, quod Deus sit summè intellectualis: Secundum, obiectum conditionatè existere: sed vtrumque salvatur sine decreto; ergo decretum necessarium non est. Maior probatur: eo ipso, quod intellectus divinus habeat, quod sufficit ex parte sui, & ex parte obiecti, vt cognitionem exerceat, non potest Deus pro suo libito ignorare, quod scibile est: at illis duobus positis habet intellectus divinus quod sufficit ex parte sui, & ex parte obiecti ad illius cognitionem; ergo hæc duo sufficiunt ad cognitionem futuri conditionati. Minor pro prima parte patet: Deus enim est summè intellectualis.

99 Pro secunda probatur: Nam ex duplici capite per obiectum stare potest, quod à Deo non cognosceretur: vel quia non habet absolutè entitatem: vel quia si Deus tali, vel tali cognitione illud cognosceret, falleretur Deus: at eo præcisè, quod conditionatè existat, nullo ex his titulis

per ipsum stat, quominus á Deo cognoscatur cognitione enuntiante conditionatè existere; ergo. Minor pro prima parte probatur exemplis. Primo; quia Omnipotentia terminatur ad creaturas possibiles, quæ absolutè non existunt. Secundo, in scientia divina, ad eadem possibilia terminata. Tertio in decreto Thomistico, quo Deus decernit, quod Tyrij converterentur, si viderent miracula Christi, quod terminatur ad conversionem Tyriorum, & illam non cognoscit vt absolutè existentem. Pro secunda parte, scilicèt, non stare per obiectum conditionatè existens, quod non cognoscatur à Deo cognitione præcisivè asserente, quod existit conditionatè, per hoc, quod Deus falleretur, si talem haberet cognitionem; probatur: quia contradictionem implicat existere conditionatè obiectum, & nihil aliud affirmare cognitionem, quam existere conditionatè, & tamen cognitionem esse falsam; ergo non ideò cognitio illa ex parte obiecti repugnat, quia esset falsa.

100 Confirmatur primo in futuro absoluto; nam præcisivè per hoc, quod Deus sit infinite intellectualis, & Petrus peccet, Deus est determinatus abæterno ad iudicandum Petrum peccaturum eras, sine eo, quod sit necessarium decretum actualiter existens; ergo ad hoc, quod Deus cognoscat, quod Petrus peccaret, si in tali occasione poneretur, nihil aliud requiritur, quam infinita intellectualitas Dei, & quod peccatum Petri conditionatè existat. Antecedens probatur. Nam vt Deus iudicet abæterno Petrum peccare cras, nihil aliud requiritur ex parte obiecti, quam Petrum cras peccare; nec ex parte Dei aliud requiritur, quam eius summa actualitas, & intellectualitas, quæ ab aliquo creato non completur, sed ex se sufficientissima est ad intelligendum non dato in rerum natura impedimento.

101 Confirmatur secundo: eo ipso, quod Deus est summè intellectualis, habet necessitatem disiunctivam, vt habeat abæterno, vel notitiam, qua cognoscit Petrum sub conditione peccare, vel qua cognoscat Petrum sub illa conditione non peccare; ergo hac necessitate supposita sufficienter determinatur ad cognoscendum sub conditione peccare, per hoc præcisivè, quod absolutè peccet. Consequentia probatur: quia Deus ex summa intellectualitate est necessitatus ad hoc, quod non ignoret quid eveniret Petro sub illa conditione: eveniret autem vnum è duobus, vel sub illa conditione peccare, vel sub illa cõditione non peccare. Antecedens autem probatur: nam qui necessitatus est, vt habeat alterum è duobus, determinatus est, vt habeat vnum præ altero, eo præcisivè quod impeditus sit ad hoc, quod habeat alterum: sed Deus est necessitatus ad iudicandum Petrum sub illa conditione peccare, vel sub eadem non peccare: & eo præcisivè, quod Petrus conditionatè peccet, impeditus est, vt iudicet Petrum non peccare conditionatè; ergo eo præcisivè quod conditionatè peccet, nequit in Deo existere notitia infallibilis, qua iudicet Petrum non peccare conditionatè; ergo posita necessitate disiunctiva cognitionis Dei, determinatus est sufficienter, vt cognoscat Petrum conditionatè peccare.

102 Hoc argumentum est præcipuum pro Scientia Media: ex dictis tamen facilè diluitur, negando minorem pro secunda parte; quæ non convincitur argumento facto; illo enim solum probatur, quod obiectum conditionatè existens, seù futurum conditionatum potest à Deo cognosci, etiamsi non sit, aut existat absolutè, nec habeat subiectivè, nec absolutè entitatem. Insuper probatur: quia Deus affirmans sua cognitione conditionatè existere, si semel conditionatè existit, non fallitur; & eius cognitio est vera; quod libenter fatemur: sed necessarium est, vt obiectum conditionatè existat, seù vt sit futurum conditionatè, decretum defacto existens: cuius oppositum affirmat secunda pars minoris, quam probandam suscipiunt; ad cuius probationem nullum medium assumitur in argumento; nec mirum; cum non sit facilè invenire, etiam apparenter.

103 Addendum tamen est propositionem assumptam, nimirùm implicationem involuere obiectum conditionatè existere, & nihil aliud cognitionem affirmare, quàm conditionatè existere, & tamen cognitionem esse falsam, esse ex terminis evidentem: In sententia tamen Recentiorum veritatem non habere; aliqui enim eorum, quorum supra meminimus, asserunt propositionem naturalem affirmantem futurum esse Anti-Christum, non esse veram; sed partim veram, & partim falsam; idem à fortiori dicturi de futuro conditionato. Et in sententia aliorum, quos supra retulimus, vt propositio de futuro sit vera, vltra hoc, quod est obiectum condi-

tio-

tionatè existere, seù cras existere, requiritur aliquid defacto existens connexum cum existentia obiecti, vel absolutè, vel conditionatè futura. Inquiro ergo, an ratione huius prædicati connexi defacto existentis constituatur obiectum conditionatè existens, vt ipsi loquuntur, vel non? Si non constituitur; ergo vt propositio sit vera, vltra hoc, quod est conditionatè existere, aliquid aliud requiritur; quod implicationem involuit, vt ipsi docent, & benè: Si per prędicatum existens, & connexum constituitur conditionatè existens; ergo vt Deus, vel intellectus divinus determinetur ad illud cognoscendum, vt conditionatè existens, requiritur quod prævie sit aliquid existens connexum cum existentia conditionata obiecti: Quod negant.

104 Insuper, vel esse conditionatê existens est esse futurum inesse entitativo, vel inesse veri formaliter, aut fundamentaliter; si solùm inesse entitativo, hoc non sufficit in obiecto, vt propositio sit vera, iuxta hos Authores; cum vltrà hoc requiratur fundamentum existens connexum cum existentia conditionata. Si esse conditionatè existens, est esse conditionatè futurum inesse veri, probant Scientiam Mediam per ipsam Scientiam Mediam; cum futuram inesse veri per Scientiam Mediam constituatur. Tandem, vt suprà arguebamus, id, quod sufficit ex parte obiecti, vt cognitio divina sit vera, sufficit, vt creata idem enuntians sit vera: vt autem creata vera sit, non sufficit obiectum conditionatè existens, loquendo de futuritione entitativa, vt expresè fatentur; ergo vt increata vera sit, hoc ex parte obiecti non sufficit. Ex his apparet quam imbecille sit argumentum à priori, & præcipuum pro Scientia Media: cum ex vna parte non assumatur medium ad probandum minorẽ, quam probandam suscipiunt: & ex alia assumunt propositionem, quæ licèt in se vera sit, in illorum principijs non potest esse vera.

105 Ad primam confirmationem nego antecedens: Idem enim dicimus de futuris absolutis, atque de conditionatis: cum enim peccatum constituatur phisicè futurum quoad materiale per decretum prædefinitivum materialis, & logicè formaliter futurum per decretum permissivũ formalis malitiæ, non potest Deus cognoscere esse abæterno futurum præscindendo à decretis, quibus constituitur abæterno futurum. Deindè absque decreto abæterno existente, nequit Deus abęterno cognoscere peccatum existere in tempore, propter duo: primo, quia Deus omnia in seipso tanquàm in obiecto priùs cognito cognoscit: peccatum autem existens in tempore nequit Deus in seipso tanquàm in obiecto priùs cognito cognoscere præcisivè à decretis prædictis; cum Deus præcisivè à decretis nullam dicat connexionẽ cum existentia peccati, nec logicam, nec phisicam. Secundo; quia cum Deus ex se sit indifferens vt cognoscat peccatum existere in tempore, vel non existere, necesse est, vt determinetur ad cognoscendum determinatè existere in tempore, quod existat abæterno aliquid, vi cuius determinetur indifferentia Dei: quod nihil aliud esse potest, quàm decretum. Deindè; quia hæc suppositio abæterno non datur, nisi admittatur decretum. Deniquê: quia cum hæc cognitio, qua Deus, verbi gratia, cognoscit peccatum esse futurum, seù peccatum in tempore existere, nequit dari, nisi ex providentia Dei; quæ absque decreto non subsistit. Ad probationem antecedentis nego antecedens.

106 Posset etiam dici esse disparitatem inter futura absoluta, & cõditionata, præcipuè iuxta sententiam Recentiorum. Nam iuxta eorum principia, quamvis non existat abæterno determinatio aliqua, qua determinetur intellectus divinus ad cognoscendum peccatum in tempore existere; ipsum tamen peccatum in tempore existens determinat Deum in tempore, vt abæterno habuerit cognitionem talis peccati. Iuxta quam doctrinam, quamvis non detur determinatio existens abęterno; datur tamen aliquid in tempore existens determinans indifferentiam Dei, vt abæterno cognoscat peccatum in tempore existere: in futuro autem conditionato hæc determinatio nunquam datur, sed daretur; atqueadeò indifferentia Dei non determinatur, sed determinaretur; & consequenter absolutè indifferens manet, & non cognoscit absolutè, sed cognoscet, si existeret determinatio. Tùm etiam: quia futurum absolutum, quamvis non existat absolutè abæterno; existit tamen in æternitate, quamvis non abæterno: atqueadeò non mirũm, quod Deus in sua æternitate illud abæterno cognoscat. Futurum autem conditionatum nunquam existit; atqueadeò nec in æternitate existit, sed existeret; atque:

queadeò non cognoſcitur, ſed cognoſceretur. Quæ doctrina videtur conformis Div. Thomæ in hac 1. parte, quæſt. 14. docenti Deum cognoſcere futurum in idæis, vt per decretum determinatis, & in eorum præſentialitate: quorum vtrumque in futuro conditionato deficit, & requiritur.

107 Secunda confirmatio eodem vitio laborat, atque argumentum: eſtque concedendum antecedens, & conſequens: cum enim peccatum conditionatè exiſtere idem ſit, atque peccatum extiturum eſſe ſub conditione, quod probandum erat; nõ eſt quod ex ſuppoſitione, quod peccatum exiſtat, Deus cognoſcit conditionatè exiſtere; ſed probandum erat, quod abſque decreto exiſtente peccatum exiſtit conditionatè: quod tamen nunquam præſtabũt. Noſque ex illa indifferentia Dei ad cognoſcendum, vel quod conditionatè exiſtit peccatum, vel quod non exiſtit conditionatè, quamvis Deus neceſsitatus ſit ad vnum é duobus vagè, rectè intulimus aliquam eſſe aſsignandam determinationem, qua intellectus divini auferatur indifferentia: quæ determinatio, cum contingens ſit, ſi datur, ex alicuius dominio datur.

108 Dicere autem non dari determinationem, ſed dandam fore, iam vidimus non ſufficere. Tùm; quia hoc, quod ſignificatur per *ly dandam fore*, & per ly daretur, eſt contingens; etenim omninò indifferens eſt, & contingens, quod ſit verum, quod daretur; vel quod verum ſit, quod non daretur; propterea que huius indifferentiæ altera debet aſsignari determinatio, ratione cuius ſit verum determinatè, quod daretur, vel vt ſit determinatè verum, quod non daretur. Tùm etiam, quia per ſe evidens eſt, quod determinatio, quę daretur, & non datur, ſufficiens non eſt ad determinandum defacto, & conſequenter nec ad auferendam indifferentiam Dei. Deindè inquiro: quis impedivit Deum, nè cognoſceret, peccatum exiſtere conditionatè; præcipuè ſi nullæ eſſent creaturæ exiſtentes? In quo caſu Deus eſſet impeditus, vt aſſerit argumentum; & conſequenter eſſet impedimentum, & non à Deo, ſed aliundè. Dicendum ergo eſt, quod ex vi ſuæ determinationis Deus ſeipſum impedit: aliàs impedimentum eſſet, & non ex Dei providentia; ſed vel alterius proviſoris libere impedientis Deum, vel abſque aliqua providentia, & à caſu: quorum vtrũq; abſurdiſsimũ eſt; nec admitti poteſt.

109 Et vt doctrina noſtra amplius declaretur, prę oculis habendum, quod ex ſuppoſitione, quod Petrus exiſtat in tempore, rectè infertur, quod Deus cognoſcat in tempore exiſtere tali, ſeù quod extiturus eſt in tali tempore: Cæterũm eo eſt, quia exiſtere in tali tempore ſupponit eſſentialiter decretum Dei abæterno exiſtens, quo Deus vult exiſtere in tali tempore. Quod ſi ſupponatur, Petrum exiſtere in tempore abſque eo, quod abæterno ſit huiuſmodi decretum; ex tali ſuppoſitione vtrumque ſequitur, nimirùm Deum cognoſcere abæterno exiſtere in tali tempore: quia cum ſummè immaterialis, & intellectualis ſit, implicat aliquid exiſtere in tempore, & quod Deus abæterno non cognoſcat in tali tempore exiſtere. Sequitur etiam oppoſitum, nimirùm Deum non cognoſcere abæterno, Petrum in tali tempore exiſtere: quia cum Deus indifferens ſit, vt cognoſcat exiſtere in tempore, vel cognoſcat oppoſitum; eius indifferentia auferri non poteſt, niſi per determinationem aliquam, quæ abæterno in illa ſuppoſitione non datur; atqueadeò abæterno neutrum ex illis poteſt determinatè cognoſcere: In noſtra autẽ ſentẽtia indifferẽtia, intellectus divini aufertur per decretum divinum abæterno exiſtens, quo cõſtituatur futurũ, & intellectus divinus determinatur, vt cognoſcat certo, & infallibiliter eſſe futurum, ſeù in tali tempore ſub æternitate contento exiſtere.

110 Sed dices: eoipſo, quod in tempore exiſtat abſolutè, exiſtit phiſicè in æternitate abæterno; quod eſt ſufficiens determinatio, vt intellectus divinus cognoſcat exiſtere in tali tempore, ſeú extiturum in tali tempore. Sed contra eſt: nam ſi ſupponatur non eſſe abęterno prædictum decretum, quantumvis exiſtat Petrus in tempore, non exiſtit phiſicè in æternitate: vel ſaltim vtrumque ſequitur, exiſtere, & non exiſtere in ęternitate abęterno: & ratio eſt; nam ęternitas indifferens eſt ex ſe, vt actu contineat, & menſuret hoc, quod eſt Petrum exiſtere in tali tempore; atqueadeò vt abęterno contineat; & menſuret Petrum exiſtere in tempore, neceſſarium eſt, quod abęterno detur aliquid, ratione cuius determinetur: quod non datur ſi auferatur decretum, quo in noſtra ſententia determinatur æternitas ad actualiter abæterno menſurandum.

111 Ex quo infertur, idem omninò dicendum eſſe, etiamſi erga futura abſo-

ſoluta aſſeratur eſſe neceſſarium decretum; vt futura ſint,& vt cognoſcantur à Deo abæterno,ſi aſſeratur ſufficere,quod decretum ſit inefficax, ſicut aſſerunt communiter Authores Scientiæ Mediæ erga liberum conſenſum: docent enim ad exiſtentiam liberi in tempore,& vt futurus ſit abæterno, requiri decretum aliquod abæterno; non tamen eſſe neceſſarium tale decretum eſſe efficax conſenſus,v.g.ſed ſufficere inefficax,vt conſenſus ſit futurus, & vt Deus cognoſcat eſſe futurum,aut in tempore exiſtere: iuxta hos ergo Authores idem omninò dicendũ eſt, nimirûm Deum abæterno non poſſe cognoſcere futurum conſenſum, ſeù quod in tempore exiſtat:Et ratio eſt; quia decretũ inefficax non aufert indifferentiam intellectus divini: cum tale decretum poſsit cum vtroque extremo componi.

112 Meliùs tamen hæc eadem doctrina explicatur, abſolutè aſſerendo, quod ſi ſupponatur Petrum exiſtere abſque eo,quod in Deo detur decretum efficax abæterno de eius exiſtentia, Deus non cognoſcit abæterno exiſtere in tempore, nec eſſe futurum abęterno. Hoc ſecundum eſt manifeſtũ iuxta dicta: in illa enim ſuppoſitione nunquam eſſet futurum Petrum exiſtere:non enim eſſet futurum ante eius exiſtẽtiam; cum anteà non ſit forma conſtitutiva futuritionis,ſcilicèt decretum.Ex quo infertur Petrum exiſtere in tempore abſque eo, quod abæterno fuerit futurum: quod etiamſi impoſsibile ſit; ex ſuppoſitione facta, quæ impoſsibilis eſt,infallibiliter infertur: ſi enim ante eius exiſtentiam non datur forma conſtituens futurum, implicat eſſe futurum ante eius exiſtentiam; atqueadeò exiſtit in tempore abſque eo,quod fuerit anteà futurum. Ex quo etiam evidenter infertur non cognoſci abęterno Petrum eſſe futurum ante eius exiſtentiam.

113 Primum autem,ſcilicèt, Deum abæterno non cognoſcere in illa ſuppoſitione Petrum in tempore exiſtere,manifeſtè conſtat vt ſupra:Deus enim omnia cognoſcit in ſeipſo tãquàm in obiecto priùs cognito: ſed in illa ſuppoſitione Deus in ſeipſo nõ poteſt cognoſcere Petrum exiſtere; ergo illud non cognoſcit.Minor probatur:nam Deus in illa ſuppoſitione nullum habet prædicatum neceſſarium,aut liberum, non indifferens adeſſe,& non eſſe Petri: ſed in indifferenti vt tali nihil poteſt determinatè cognoſci;vt certum eſt apud Adverſarios contra Molinam; ergo Deus in ſeipſo non poteſt cognoſcere Petrum exiſtere; & conſequenter nullo modo poteſt.Imò etiam iuxta præfatũ Authorẽ, quamvis in indifferenti ſupercomprehenſio poſsit determinatè aliquid cognoſci:in indifferenti tamen non ſupercomprehenſo nihil poteſt:Deus autem non ſupercomprehendit ſeipſum,etiam iuxta Molinam;ergo in ſeipſo indifferẽti ad eſſe, & nõ eſſe Petri nõ poteſt determinatè cognoſcere Petrũ exiſtere.

114 Nec ex infinita virtute intellectiva Dei infertur Deũ in illa ſuppoſitione cognoſcere Petrũ exiſtere: vis enim intellectiva Dei quantumvis infinita non extenditur ad contingẽtia,quæ ſubterfugiunt diſpoſitionẽ divinam: cumque Petrũ exiſtere in illa ſuppoſitione eſſet,& non ex diſpoſitione divina;virtus intellectiva Dei non extenditur ad illud cognoſcendum:Neque enim virtus intellectiva Dei magis infinita eſt;quam virtus eius ad providendum, & diſponendum de contingentibus; imò vtraq; virtus invicem proportionantur:vnde ſi ſu ſupponatur providentiam Dei ad illud contingens non extendi,vtpotè Petrus exiſtit ſine diſpoſitione & providentia Dei, neceſſariò fatendũ erit virtutẽ intellectivam Dei ad illud nõ extẽdi.

115 Quod vlteriùs explicatur: Nam contingens exiſtere abſq; Dei providentia eſt impoſsibile defacto, & abſolutè: virtus autẽ intellectiva Dei ex intrinſecis eſt impotens ad cognoſcendum,vt contingens,quod impoſsibile eſt defacto. Nec hoc eſt imperfectio virtutis divinæ intellectivæ: ſicut non eſt imperfectio Omnipotentiæ non poſſe ex prædicatis intrinſecis producere id, quod defacto non eſt intra collectionem omnium poſsibilium. Undè ſi fingatur, dari aliquid poſsibile,& non ex Omnipotentia Dei, ſed aliundè;neceſſariò,& conſequenter dicendũ eſſet,in illa ſuppoſitione Deum nõ cognoſcere huiuſmodi poſsibile: quia quantumvis ſcientia Dei ſit infinita, vt omninò fatendũ eſt;eſt tamẽ ex intrinſecis impotens ad cognoſcendum aliquid eſſe poſsibile, & non ex vi Omnipotentiæ.Undè ſi fingatur dari poſſibile aliquod extra Omnipotentiam,vel extra collectionem poſsibilium, quæ defacto datur,nõ poſſet vt poſsibile á Deo cognoſci.

116 Ex quibus evidenter etiam infertur, quod ſi verum eſt hoc futurum conditionatum: *Si Petrus vocaretur auxilio A ex ſe indifferenti, conſentiret.* Si;inquam,verum eſt abſque diſpoſitione, & decreto Dei defacto exiſtente,à Deo nõ cognoſcitur: Cum enim hoc, ſi verũ eſt,non eſt verũ ex vi Omnipotentiæ Dei; cum non ſit verum neceſſariò:

nec ex vi providentiæ Dei; cum nulla in hac ſuppoſitione detur Dei diſpoſitio, aut decretum, non poteſt cognoſci à Deo, nec per ſcientiã ſimplicis intelligentiæ, vt patet; nec per aliam ſcientiam; omnis enim alia ſcientia contingentium non extenditur ad verum contingens, quod eſt, aut fingitur tale abſque providentia Dei; ſicut ſcientia ſimplicis intelligentiæ non extenditur ad poſsibile, quod fingitur tale extra Omnipotentiam, & collectionem poſsibilium. Deus ergo in noſtra ſententia ſolùm cognoſcit poſsibile, quod ex vi Omnipotentiæ poſsibile eſt, & impotens eſt ad cognoſcendum vt poſsibile, id quod ex vi Omnipotentiæ non eſt tale: Et ſimiliter ſolùm cognoſcit verum contingens, quod ex vi ſuæ providentiæ, & diſpoſitionis habet veritatem contingentem; eſtque impotens ex intrinſecis ad cognoſcendum cõtingens, quod habeat veritatem contingentem extra ipſius providentiam.

117 Deindè: veritas futuri conditionati non poteſt à pura poſsibilitate extrahi, niſi ab illo, vi cuius eſt poſsibilis: at eſt poſsibilis vi Omnipotentiæ; ergo non poteſt niſi ab Omnipotentia extrahi à pura poſsibilitate. Tunc ſic: præciſa diſpoſitione divina, vel illa excluſa, veritas illa ſolum eſt intra poſsibilitatem; & conſequenter ſolum poteſt cognoſci à Deo vt poſsibilis, non tamen vt defacto exiſtens. Ex quo infertur, quod licèt Deus præciſa diſpoſitione divina poſsit cognoſcere hoc conditionatum: *Si Petrus vocaretur auxilio A conſentiret* habere veritatem poſsibilem; non tamen poteſt cognoſcere illud habere defacto veritatem.

118 Ex his etiam infertur, quod ſi per impoſsibile Deus inciperet in tempore velle, non cognoſceret abæterno Petrum in tempore exiſtere, aut eſſe abæterno futurum. Conſtat hoc ſecundum vt ſuprà; quia, ſcilicèt, non eſſet abæterno futurum. Conſtat etiam primum, ſcilicèt, non cognoſcere Deum abæterno Petrum in tempore exiſtere: quia abæterno eſſet Deus indifferens, vt dicebamus; nec cognoſceret abæterno, ſe eſſe in tempore voliturum Petrum exiſtere: in indifferenti enim non ſupercomprehenſo non poteſt aliquid determinatè cognoſci, etiam iuxta Molinam. Tùm etiam; quia ſi Deus abæterno cognoſceret Petrum in tẽpore exiſtere, huiuſmodi ſcientia eſſet in Deo neceſſaria; cum non exiſteret in ipſo ex libera eius determinatione, nec ex alterius determinatione: niſi fingamus dari abæterno aliquid extra Deum determinans intellectum divinum ad hanc cognitionem.

119 Secundo arguunt: difficiliùs eſt cognoſcere futura, quam præſentia; paſsim enim in Scriptura dicitur Deum ſcrutari renes, & corda, & ſemitas noſtras inveſtigare; per quod ſignificatur altitudo acuminis intellectus divini, qui mirabiliter extẽditur ad futura: at non eſſet ita mirabile acumen intellectus divini, ſi præciſè cognoſceret futura, ex vi decreti divini connexi eſſentialiter cum ipſis, ac ſi ea cognoſceret prę̃ſcindendo à medio præſenti; ergo Deus illa cognoſcit præſcindendo à tali medio. Minor prob. Nã Deo facilè eſt cognoſcere futura in decreto, & medio præſenti, & exiſtenti eſſentialiter connexo cum futuris, & cognoſcere medium præſens; & conſequenter aliud mirabilius divino acumini eſt concedendum.

120 Confirmatur ſupponendo priùs Deum imprimere potentiæ viſivæ ſpeciem claram albedinis nõ exiſtente albedine. Tũc ſic; non minus completiſsimus eſt Deus ſine obiecti creati iuvamine, vt cognoſcat Petrũ peccare cras, quam in ſuppoſitione facta, potẽtia viſiva, vt albedinem videat, tametſi per viſionem fallacem; ergo divina mẽs abę̃terno completa eſt, vt videat Petrum cras peccare viſione veriſsima: cum non deficiat Petrum peccare cras; quod ex parte obiecti requiritur, vt viſio ſit vera.

121 Reſpondetur negando minorem: nam etiamſi Deus in decreto cognoſcat futura, eſt mirabile illius acumen multis ex titulis: Et vt alia omittamus, eſt mirabile in eo quod futura abſoluta intuitivè cognoſcat, eo quod exiſtunt in æternitate præſentia phiſicè: quod creaturæ ex ſe convenire non poteſt. Eſt etiam mirabile, quod ex ſe, & in ſeipſo ſine alteriùs iuvamine, aut determinatione, futura cognoſcit: quod creaturæ convenire non poteſt, quæ aliundè determinationem ſupponit. Eſt etiam mirabile, quod nullum futurũ, ſivè abſolutè, ſivè conditionatè ſit, quod eius acumen ſubterfugiat: quod itidem creaturę non convenit. Eſt etiam mirabile, quod acumen Dei eſſentialiter petat habere apud ſe rationes rerum, ſeù idæas per decreta ſufficienter determinatas, vt vi illarum poſsit futura cognoſcere, quin, vt diximus, ab alio extra ſe ad illorum cognitionem determinetur.

122 Nec obſtat, quod prę̃ciſivè á decreto, ſeù illo excluſo, mirabilius eſſet illa cognoſcere: eſſet enim mirabilius, quia impoſsibile,

&

& arguens imperfectionem in Deo multis ex titulis: tùm; quia eius cognitio ſpecificaretur à futuro, ſi non in ſeipſo; vt per decretum determinato, illud cognoſceret. Tùm etiam; quia præciſivè ab eius prouidentia determinaretur eius acumen ad cognoſcenda futura contingentia; & conſequenter ex vi prouidentiæ alteriùs eius indifferentia auferretur: quod eſt alteriùs prouidentiæ ſubiectum Deum conſtituere: Tùm etiam; quia Deum ſcire præciſivè à decreto aliquid eſſe futurum, eſt diminuere prouidentiam Dei; cum præciſivè ab illa aliquid intelligatur futurum, & præviſum; quapropter communiter negant Adverſarij, vt ſupra vidimus, Deum cognoſcere futura abſoluta pro priori ad decretum. Hac etiam ratione, licèt mirabilius eſſet Deum cognoſcere futura inſuper comprehenſione cauſarum ſecundarum: Deo tamen non conceditur, quia implicatorium eſt.

123 Eſt etiam mirabile; quod Deus cognoſcat omnia poſsibilia; quæ tamen in ſeipſo cognoſcit tanquam in obiecto præcognito connexo cum illis. Eſſet etiam mirabile; quod Deus pro priori ad decretum cognoſceret futura abſoluta; & etiam poſſibilia ab alio, quam à ſeipſo: quod quia omninò impoſsibile eſt, Deo merito denegatur. Et quidem Scriptura, & PP. mirabilè prædicant acumen Dei, eo quod ſe extendit ad futura; vndè quælibet cognitio futuri eſt digna admiratione: & tamen in ſententia arguentium datur cognitio in Deo attingens futura abſoluta in decreto; ergo illa cognoſcere in decreto non aufert, quominus illorum viſio digna ſit admiratione.

124 Ad confirmationem, omiſſo, quod ſupponit, reſpondetur, vltra completiſsimam intellectualitatem Dei, & vim ſufficientiſsimam, vt cognoſcat futura, neceſſarium eſſe, quod ſupponantur futura, vel quod ſupponatur Petrum exiſtere in tempore, quæ ſuppoſitio ſuppoſito decreto, etiam mirá eſt. Eſt inſuper neceſſarium, intellectum diuinum quantumvis completiſsimum, indifferentem tamen ex ſe ad cognoſcendum Petrum exiſtere in tempore, vel non exiſtere in tempore, determinari abæterno ab aliquo, vt abæterno cognoſcat vnum ex illis determinatè: potentia autem viſiva, informata ſpecie albedinis, eſt determinata ad cognoſcendum albedinem exiſtentem, ſivè exiſtat, ſivè non exiſtat albedo. Et ſi paritas aliquid convinceret, ſicut potentia viſiva determinaretur ex ſpecie ad videndum albedinem, etiam ſi non exiſteret; etiam intellectus diuinus non indigeret præter completiſsimam ſufficientiam alteriùs determinatione ad cognoſcendum Petrum exiſtere in tempore; & conſequenter cognoſceret Petrum exiſtere in tempore, etiam non exiſtente Petro in tempore: Imò ſimul etiam cognoſceret non exiſtere in tempore; cum habeat virtutem intellectivam completiſsimam ad hoc cognoſcendum. Et hęc de iſto dubio.

DVBIVM VIII.

Vtrùm vt Deus cognoſcat futura conditionata contingentia requiratur decretum conditionatum obiectivè, & abſolutum ex parte actus?

§. I.

Aliqua præmittuntur ex dictis.

1 EX Dictis ſatis conſtat, requiri decretum abſolutum efficax ad cognitionem infallibilem futuri abſoluti: cum enim ſine decreto, non ſolùm ſubiectivè, ſed obiectivè abſoluto efficaci, non ſit infallibiliter futurum, ſed indifferens, vt ſit, & non ſit futurum, implicat, quod ſine decreto abſoluto, & efficaci Deus cognoſcat futurum abſolutum. Secundò, intellectus diuinus eſt indifferens ex terminis, & ex ſe, vt cognoſcat actum, v. g. eſſe futurum, vel non eſſe futurum, vt conſtat: nullum enim ex prædicatis eſſentialibus determinatum eſt ad cognoſcendum eſſe futurum, potiùs quam non eſſe futurum: poteſtque Deus coniungi cum cognitione futuri, & cum carentia cognitionis illius; & conſequenter neceſſarium eſt, vt determinetur ad cognoſcendum eſſe futurum, quod detur aliqua determinatio: at non eſt alia, niſi decretum efficax; ergo neceſſarium eſt, vt Deus cognoſcat actum, v. g. eſſe futurum, decretum efficax. Minor probatur; intellectus diuinus nó poteſt ſeipſũ

determinare, quia non est potentia libera, nec potest ab aliqua creatura determinari: Tùm, quia creaturam determinare intellectum divinum ad cognoscendum futurum, est contra perfectionem divinam, & eius vniversalem providentiam; essetque subijcere creaturæ prædicata divina, & ante dispositionem Dei esset determinatum, & dispositum à creatura, quod Deus cognoscat futurum, quod potuit non cognoscere: Tùm, quia esto creatura hoc posset præstare; non tamen creatura nondum existens, & oppositum esset subijcere prædicata divina creaturæ nondum existenti; quod quis non videat, quot absurda, & dissona contineat? Restat ergo vt determinetur à decreto diuino, quod est prima determinatio, & exercitium voluntatis primi liberi.

2 Nec potest determinari à creatura eliciente in tempore actum; tùm, quia indifferentia Dei determinari non potest à creatura, vt diximus: tùm, quia cum Deus abæterno sit determinatus ad cognoscendum futurum, abæterno debet esse determinatio ad talem cognitionem: actus autem creaturæ, non abęterno, sed in tempore existit. Dicere autem, quod actus, non vt in tempore existens, sed vt vt abæterno futurus determinat intellectum divinum, vel non sufficit, vel est in nostram transire sententiam; quia vel esse futurum est aliquid abæterno præter actum, qui in tempore, & non abęterno est, vel non? si primum, datur aliqua futuritio abæterno determinans intellectum divinum; quæ cum non sit prædicatum essentiale Dei, neque ipse actus, aut eius possibilitas, debet esse decretum: si autem esse futurum nihil est abęterno, non potest ratione facta actus etiam vt futurus determinare intellectum diuinum. Nec recurri potest ad futuritionem intentionalem in ipsa cognitione Dei consistentem; hęc enim futuritio est ipsa cognitio, quæ, quia indifferens est, vt sit, & non sit, indiget determinatione, vt sit.

3 Restat tamen examinare, an ad cognoscenda futura conditionata contingentia, requiratur decretum; & apud omnes est certum; quod si Deus cognoscit futura conditionata, quæ absoluta non sunt, non requiritur decretum omninò absolutum, tàm ex parte actus, quam ex parte obiecti; & ratio est clara; nam erga huiusmodi conditionata, quæ simul absoluta non sunt, Deus non habet decretum omninò absolutum de eorum absoluta existentia; ergo si illa cognoscit, sine decreto absoluto illa cognoscit.

4 Deindè ex principijs adductis satis constat horum conditionatorum cognitionem haberi non posse sine decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti: tùm, quia sine huiusmodi decreto non sunt futura conditionata, quæ decreto conditionato constituuntur futura; quod etiam convincunt rationes suprafactæ de futuro absoluto. Tùm etiam, quia propositio enuntians actum, verbi gratia, esse futurum sub conditione indifferenti, vt sit, & non sit, est contingens, ex se nullam habens veritatem, aut falsitatem, sed est indifferens, vt sit vera, vel falsa; & consequenter vt sit vera determinatè, necessarium est decretum divinum, eius indifferentiam determinans. Insuper cum contingens sit eius veritas, illam debet habere, vel illa carere ex dispositione divina, cui omnia contingentia subduntur. Et tandem; quia intellectus divinus, vt nuper dicebamus, indifferens est, potestque coniungi cum cognitione affirmante actum esse futurum sub conditione, vel cum cognitione, enuntiante non esse futurum sub eadem conditione; atqueadeò indiget decreto determinante eius indifferentiam, rationibus supra, & dubio præcedenti factis, & recolendis. Quia tamen Authores Scientiæ Mediæ veritatem istam impugnare conantur, vt magis appareat, quam solida sint eius fundamenta, quæ faciliùs propter materiæ difficultatem implicari, & confundi possunt, quam labefactari, placuit dubium hoc examinare.

Pro quo sit.

§. II.

Statuitur prima concluſio, quæ in principijs Scientiæ Mediæ non probatur.

5 DEVS Cognoſcit futura conditionata contingentia, quę abſoluta non ſunt. Hanc concluſionem tenent communiter Thomiſtæ, quos refert Illuſtriſs. Godoy tract. 4. diſp. 34. Pro cuius intelligentia advertendum eſt aliqua eſſe conditionata, quorum conditio nunquam purificatur, atqueadeò, nec eventus abſolutè datur ſub illa conditione; vt eſt illud Chriſti Domini, *ſi in Tyro, & Sydone, &c.* Matthæi 11. & Lucę 13. quæ, quia abſoluta non ſunt, nec ponitur conditio, vocantur purè conditionata: alia ſunt conditionata, quæ ſunt ſimul abſoluta, & ſunt illa, quorum conditio purificatur, & eventus ſub illa ponitur; ſicut de Petro conſentiente defacto hoc auxilio ſufficienti, dicitur, quod ſi ipſi conferretur tale auxilium, conſentiret. Noſtra concluſio procedit de purè conditionatis.

6 Illam probant Recentiores; quia inter fore, & non fore ſub conditione non datur medium, vtpotè contradictoriè oppoſita; ergo neceſſe eſt, quod vnum è duobus contradictorijs conditionatis ſit verum, & alterum falſum; & conſequenter neceſſarium eſt, quod Deus, quem latere nihil poteſt, cognoſcat vnum illorum eſſe verum, & alterum falſum; Deus ergo cognoſcit omnia futura conditionata contingentia.

7 Sed hæc probatio in principijs Scientię Mediæ, quam Recentiores amplectuntur, efficax non eſt: nam inter fore, & non fore conditionatè datur mediũ, imó idem omninò ſunt; tantum deeſt, vt contradictoriè opponantur. Quod ſic probatur; nam fore actum, v.g. conditionatè, nihil eſt præter puram poſsibilitatem illius, & ſimiliter non fore actum ſub conditione, nihil eſt præter potentiam ad non exiſtendum; vt ipſi paſsim docent; ergo non ſunt contradictoria; imò idem ſunt, nimirum poſsibilitas ad eſſendum, & nõ eſſendum; & vtrumque conditionatum erit verum; cum poſsibilitas ad eſſendum, & poſsibilitas ad non eſſendum ſimul ſint, imó idem omninò.

8 Dices, quod licèt defacto nihil ſit; foret tamen, vel non foret; atqueadeò opponuntur contradictoriè. Contra tamẽ eſt; quia per *ly foret* intelligitur poſsibilitas, vt ſit, vel aliquid aliud: ſi intelligitur poſsibilitas, idem eſſet, atque afferere eſſe poſsibilem; quod non contingens, ſed neceſſarium eſt; & conſequenter non fore non contingens, ſed impoſsibile eſſet: ſi aliquid aliud intelligatur per *ly fore*, non poteſt non eſſe decretum; quod ipſi non concedunt. Secũdo; quia ſi defacto fore nihil eſt, ſed foret, non ſunt contradictoriæ, ſed forent; ſi ergo modo non ſunt contradictoriæ, non eſt neceſſariũ, quod modo vna propoſitio ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa.

9 Exemplum ſit in futuris abſolutis: eſſe futurum abſolutè actum, nihil eſt defacto, ſed erit; & ſimiliter non eſſe futurũ, nihil eſt etiam negativum defacto, ſed erit; & defacto ſolum datur poſsibilitas vtriuſque in principijs Adverſariorum; ergo defacto non eſt aliquod ex extremis contradictionis: quapropter in ſententia etiam Adverſariorum frequenti, pro ſigno prę-ſcindenti à decreto abſoluto, & eius carentia, non datur actum eſſe futurum, cuius non eſſe futurum ſit contradictorium, ſed pura indifferentia ad vtrumque; atqueadeò, non magis vnum, quam alterum.

10 Explicatur; ſi fore, & non fore cõditionatè opponuntur contradictoriè; atqueadeò vna ex propoſitionibus debet eſſe determinatè vera, & altera falſa; eo debet eſſe, quia fore ponit aliquid eſſe, quod deſtruitur per non fore, & neceſſariũ eſt, quod illud eſſe ſit, vel non ſit; & propterea neceſſarium eſt, quod vna ex propoſitionibus contradictorijs ſit vera, vel affirmans tale eſſe, vel illa, quę illud negat: at in ſententia contraria *ly fore* non affirmat dari aliquod eſſe, quod deſtruatur per non fore; ergo nõ opponuntur contradictoriè. Minor probatur: nam vel affirmat dari poſsibilitatẽ, vel aliquid aliud; ſi poſsibilitatem, quæ ſola datur; propoſitio negativa, hoc eſſe negãs, erit impoſsibilis, & affirmativa neceſſaria; ſi aliquod aliud eſſe affirmat, cum nullum aliud detur in ſententia Adverſariorum, & pro illo ſigno dari non poſsit, affirmativa erit impoſsibilis, & negativa neceſſaria; quod ipſi concedere non poſſunt. Reſtat er-

go, vt non opponantur contradictoriè, & quod vna non affirmet esse, quod per alteram negatur; sed ad summum essent contradictorię.

11 Dices, posibile, & non posibile opponuntur contradictoriè: & tamen posibilitas creaturæ nihil est, nisi tantum posibiliter; ergo fore, & non fore opponuntur contradictoriè; etiam si fore nihil sit defacto, sed foret. Sed contra est; nam si posibile, & non posibile opponuntur contradictoriè, etiam si posibilitas creaturæ intrinseca nihil sit, nisi solum posibiliter; eo est, quia defacto datur Omnipotentia necessario existens, vi cuius posibilis est; ergo vt opponantur contradictoriè fore, & non fore conditionatè, necessarium est, quod detur aliquid defacto, vi cuius foret potiùs, quam non foret, vel ècontra; & cum in sententia contraria nihil detur, vi cuius potiùs foret, quam non foret; hinc est, quod non opponantur contradictoriè, sed ad summum opponerentur, si purificaretur conditio.

12 Imò ex hoc desumimus argumentum; si per impossibile non existeret Omnipotentia, non essent contradictoria posibile, & non posibile; nec homo esset posibilis, aut non posibilis, & saltem neutra ex propositionibus contradictorijs esset determinatè vera; cum deficiente prima veritate, nulla detur veritas, & chimæra nec esset posibilis, nec impossibilis; & si contradictoriè opponuntur, & vna determinatè est vera; eo est, quia licèt creatura non existat, nec eius intrinseca posibilitas, est tamen defacto, & necessario Omnipotentia, vi cuius defacto habet, quod sit posibilis potiùs, quàm impossibilis, & chimæra, quod sit impossibilis potiùs, quàm posibilis.

13 Dices secundo, dari futuritionem intentionalem, nimirùm ipsam Scientiam Mediam, vi cuius foret conditionatè actus. Contra tamen est; quia præcisivè ab illa scientia probari debet veritas conditionati, ex qua inferant scientiam illam: imò in ipsa Scientia Media argumentum factum non vrget; nihil enim datur defacto, vi cuius potiùs existat scientia, qua Deus cognoscit actum esse sub conditione futurum potiùs, quam non futurum; ergo adhùc si formentur propositiones contradictoriæ in ipsa Scientia Media, dum non assignent decretum determinans intellectum divinum ad vnum ex extremis, nulla ex propositionibus erit vera.

14 Dices tertio, futuritionem conditionatam nihil esse, sed esset futuritio absoluta, si purificaretur conditio; ac proindè non requiritur, vt defacto enuntietur, aliquid existens, vi cuius potiùs sit verum, quod esset, quam quod non esset. Sed contra est primo; quia futuritio absoluta aliquid est, quod datur abæterno, & non est aliud in eorum sententia, quam scientia visionis, qua cognoscitur actum esse absolutè futurum: sed apud ipsos datur Scientia Media affirmans actum esse futurum conditionatè; ergo debent admittere futuritionem conditionatam, sicut absolutam.

15 Quod ampliùs explicatur; scientia, affirmans actum esse futurum absolutè, est futuritio absoluta; ergo affirmans esse futurum conditionatè, est futuritio cõditionata: quod si futuritio conditionata nihil est, non dabitur Scientia hæc Media. Er quidem cum Recentiores, præter scientiam visionis, nõ concedant abæterno existere aliquid in Deo connexum cum actu libero necessarium ad eius existentiam, præter scientiam visionis, non possunt aliã futuritionem actus liberi assignare abæternõ præter scientiam visionis: quo concesso eadem ratione concedere tenentur scientiam conditionatam esse futuritionem cõditionatam. Quare non video qua ratione negent futuritionem conditionatam, & concedant absolutam; nisi fortè cum alijs Recentioribus affirment ad existentiam actus liberi necessarium esse decretum, vel regulatum per Scientiam Mediam, vel constitutum ex Scientia Media, & decreto purificandi conditionem: quod tamen prꝫterquàm quod plures involuit difficultates, principijs Scientiæ Mediæ non satis cohærere ipsi vident; de quo alias.

16 Secundo, quia hoc ipsum est fundamentum contra ipsos; si enim futuritio conditionata, quæ enuntiatur, nihil est, sed esset; ergo defacto non affirmatur dari aliquod esse excludens non esse contradictoriè oppositum, nimirùm, non esse futuritionis conditionatæ; quod excluditur per negativam propositionẽ. Tandem assumptum nostrum probatur; purificata conditione, nulla ex his propositionibus, *Petrus consentit*, *Petrus non consentit*, est vera pro signo antecedenti exercitium voluntatis illius, eo quod pro illo nihil datur non indifferens ad consensum, & dissensum: sed defacto nihil concedunt non indifferens, vt

foret, aut non foret conſenſus conditionatè; ergo debent concedere nullam ex illis habere veritatem determinatè, aut falſitatem, nec ibi exerceri contradictionem; cum nullum ex extremis detur.

§. III.

Aliæ rationes examinantur.

17 SECUNDO Probant concluſionem; quia eſt contra divinæ maieſtatis perfectionem, quod ipſe aliquid ignorate poſſit, ſeù neſcire, ſivè quod ipſe non ſciat ſolutionem cuiuſcumque dubij à nobis propoſiti: at ſi Deus non cognoſceret omnia futura conditionata contingentia, hoc eveniret; ergo omnia illa cognoſcit. Confirmatur; nihil nobis magis ingenitum, & religioſum, quàm firmiter credere à Deo cognoſci, quid vnuſquiſque noſtrum faceret, vel omitteret quocumque caſu, & in qualibet rerum ſerie: hoc enim vel ipſis ruſticis notum eſt, qui rogati, quid ipſi agerent, ſi in tali loco, occaſione, vel officio conſtituerentur; reſpondent, ſoli Deo notum eſſe; ergo Deus omnia conditionata cognoſcit.

18 Sed nec hoc argumentum apud ipſos convincit; licèt enim verum ſit antecedens aſſumptum, ideò tamen ingenitum eſt omnibus, Deum omnia contingentia cognoſcere, quia ingenitum eſt omnia cõtingentia eſſe futura, vel non futura iuxta diſpoſitionem voluntatis divinæ, quæ ipſi nota eſt, atqueadeò præſcindendo ab eius voluntate, & diſpoſitione inconveniens nõ eſt, pro illo ſigno non eſſe futurum, ſicut non eſt inconveniens Deum non cognoſcere futura: ſic D. Auguſtinus libro 6. de Geneſi ad litteram cap. 17. & alijs in locis fatetur ſe ignorare, quid ſit futurum, vel non, quia ipſum latet voluntas divina, & pro certo habere, illud eſſe futurum, quod diſpoſitum eſt in divina voluntate, vt ſit; quod de futuris conditionatis conſtat ex eorum contingentia. Hac ratione inconveniens non eſt Deum non cognoſcere futura abſoluta pro ſigno antecedenti eius diſpoſitionem; videlicèt, quia pro illo nihil datur non indifferens ad futuritionem, & non futuritionem.

19 Et quidem docti Recentiores ex vna parte docent, argumenta hæc tenere, etiam ſi neceſſarium ſit decretum divinum Thomiſticum ad exiſtentiam actus liberi, & ex alia affirmant, Deum non cognoſcere ante decretum ſuæ voluntatis futura conditionata involuentia ex parte eventus decretum divinum: non inquam, cognoſcere ante decretum ſuæ voluntatis abſolutum non purificandi conditionem: ſi autem purificetur, docent non cognoſci talia conditionata ante decretum purificãdi conditionem, qua purificata, non per ſcientiam conditionatam, ſed per ſcientiã viſionis cognoſcit: quæ non benè cohærent; neque video, quid reſponderet Deus, ſi de huiuſmodi futuro conditionato interrogaretur pro ſigno pręſcindente à purificatione conditionis, aut qualiter eſſet vera vna ex contradictorijs, præſcindendo à decreto; imò Deus in his conditionatis, quorum purificatur conditio, neſcit quid eſſet ſub illa conditione, antequam factum ſit.

20 Confirmatur; iuxta ipſos ſcientia reflexa conditionatorum, quæ à Deo ponenda ſunt, non datur; eo quod talis ſcientia non eſt neceſſariã, vt dirigat Deum ad decernendum, neque ad conſervandam libertatem creatam: ex quo infertur, argumenta facta, quæ fieri poſſunt in his conditionatis, ab ipſis debere ſolvi; vt illa conſideranti conſtabit. Secundo infertur, quod cum conditionata, in quibus ex parte eventus ponitur actus liber creaturę, ſint à Deo ponenda iuxta noſtram ſententiam, & veritatem; iuxta horum principia non cognoſcuntur à Deo, & vt probetur à Deo cognoſci, prius deberi probari ab his Recentioribus non poni à Deo ex vi decreti efficacis actum liberum creaturæ; imò debent probare contra ſanam doctrinam, Deum non facere, vt faciamus, nec nobis donare conſenſum; cum conditionata, quorum eventus ponuntur à Deo, non cognoſcantur ab ipſo per ſcientiam conditionatam, aut ante decretum abſolutum ſuæ voluntatis.

21 Deindè in ſententia Molinæ, quam traddit in Concordia, diſp. 49. & 50. & 1. parte, quæſt. 14. art. 13. diſp. 14. & 15. quem ex parte ſequuntur Recentiores relati, Deus non cognoſcit hanc propoſitionem eſſe veram, *ſi creavero Adamum, peccat-*

peccavit, quia ex parte conditionis non ponuntur requisita omnia à Deo ponenda, vt existat peccatum: videant ergo an sint contradictoriæ; *si creavero Adamum, peccabit, si creavero Adamum non peccabit*, & dicant nobis, quid Deus responderet, si interrogaretur ab homine de huius propositionis veritate, & an sit insitum omnibus, & religiosum etiam rusticis Deum non posse nō scire talis propositionis veritatem, vel falsitatem.

22 Vndè licèt certum sit, Deum cognoscere futura conditionata contingentia; his tamen argumentis, in eorum principijs non probatur; non quia argumenta inefficacia sint; sed quia principia falsa, in quibus Deo tribuentes scientiam istam, ab ipso auferunt aliam magis necessariam, & sine qua eius perfectio existere non potest; nimirùm Deus non sciret, quod si Petrus poneretur in tali occasione, cum tali auxilio sufficienti faceret, quod Deus ipse disponeret: hanc, inquam, veritatem ignoraret Deus, & cognosceret esse ponendum eventum purificata conditione, sine eius voluntate, & ex alterius determinatione; Deus ergo præscindendo à decreto præsenti non scit posita conditione ponendum esse talem eventum, sed cognoscit esse ponendum, si ipse voluerit; quæ est scientia necessaria, quam ipsi negant.

23 Deindè; iuxta hos Recentiores Deus non sciret omninò infallibiliter, tám obiectivè, quàm subiectivè hanc veritatem conditionatam, si hic ignis applicaretur in tali occasione per approximationem huic passo, combureret; cum enim ex parte eventus involuatur decretum divinum necessarium ad combustionem, & Deus non cognoscat sua decreta conditionata futura, ante illorum existentiam, aliàs libera non essent; consequens est, vt tale conditionatum non cognosceret: quod si hoc inconveniens non est; nec oppositum convincunt argumenta facta, nihil convincunt.

24 Tandem conclusionem probant; quia scientia horum conditionatorum præscindendo à decreto, nullam dicit imperfectionem, sed est perfectio simpliciter simplex; ergo Deo concedenda est. Hoc argumentum satis efficax est, si probetur antecedens; quod tamen non facilè suadetur; plures enim hæc scientia involuit imperfectiones, quas ponderare specialem petit tractatum: aliquas numerare modo sufficiat. Prima est, quod sit aliquid futurum sub conditione, quod potuit non esse futurum absque dispositione voluntatis divinæ; quod est contra eius vniversalē providentiam. Secunda, quod in Deo existat scientia, quæ potuit non esse in ipso, vel acasu, vel ex alterius determinatione. Tertia, quod cum ad huiusmodi scientiam nō determinent prædicata divina necessaria, vt vidimus, vtpotè indifferentia ad hanc, & eius oppositam, necessarium est, quod ab alio speciem, & determinationem accipiat: qua ratione, vt creatura cognoscat posibilia in Omnipotentia contenta, indiget determinatione ab ipsa essentia divina, si in ipsa cognoscenda sunt; vel si extra Deum, indiget specie habente determinationem ad illa cognoscenda ex participatione Dei, in quo non solum relucet imperfectio in providentia; sed in ipsa scientia divina. Quod explicatur exemplo possibilium; si Deus sciret aliquid posibile, quod ex vi Omnipotentiæ non esset posibile; non solùm argueretur imperfectio in Omnipotentia, eo quod tale posibile non contineret, sed in ipsa scientia, quæ non posset illud cognoscere, nisi aliundè haberet speciem, & determinationem ad illud cognoscendum, nimirùm ab illo, in cuius potentia contineretur.

§. IV.

Efficaciter probatur conclusio.

25 OMISSIS Scripturæ locis, quibus efficaciter satis probatur conclusio, & quæ supra dubio 3. §. 3. latè ponderavimus; probatur modo argumento facto, nimirùm, quia inter fore, & non fore conditionatè non datur medium; ergo necessarium est, quod absolutè vnum ex illis sit determinatè verum, & alterum determinatè falsum; & consequenter necessarium est, quod Deus, quem nulla veritas latere potest, cognoscat vnum esse determinatè verum, & alterum determinatè falsum. Hac ratione idem convincitur de futuris absolutis, in quibus vna ex duabus contradic-

torijs debet esse determinatè vera, & altera determinatè falsa; licèt hoc non sit necessarium pro omni signo, sed absolutè, & in instanti reali: quod si fore, & non fore, vel absolutè, vel conditionatè, non importarent esse, & non esse, vt in sententia contraria, argumentum vim non haberet; nec inter illas exerceretur oppositio, ex qua, quod vna esset determinatè vera, & altera determinatè falsa, deducitur. Ex quo rursus infertur; quod cum sit omninò certum, & lumine naturali notum esse contradictorias, fore conditione importat esse decreti, quod esse negat non fore conditionatè.

26 Confirmatur; quia vel quod enuntiatur per conditionalem, ita est, sicut per illam significatur, vel non, inter quæ non datur medium: si ita est, vera est determinatè; si non ita, est falsa, & eius contradictoria vera: ab eo enim, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa; ergo necessarium est, quod Deus veritatem illam, & falsitatem alicuius contradictoriæ determinatè cognoscat, & formaliter. Secundo, vel Deus habet decretum ponendi eventum, si ponatur conditio, vel non? si habet decretum, absque dubio poneretur eventus, si purificaretur conditio; si non habet, cum non detur aliquid, vi cuius poneretur eventus, si purificaretur conditio, falsum est, quod poneretur; atque adeò verum, quod poneretur; ergo necessarium est, quod aliquod illorum determinatè sit verum.

Contra nostram conclusionem difficilia sunt argumenta desumpta ex principijs Scientiæ Mediæ; nobis tamen lævia, qui talia principia negamus. Sunt insuper argumenta etiam efficacia ad hominem contra Recentiores admittentes aliquas cõditionales à Deo non cognosci, & alia desumpta ex imposibilitate, & superfluitate decreti necessarij ad conditionalium veritatem, & consequenter ad hoc, vt illa Deus illa cognoscat: hæc tamen infra commodiùs adducemus.

§. V.

Statuitur secunda conclusio.

27 PRIMA Conclusio. Deus cognoscit futura conditionata, quę simul absoluta sunt; non tamen necessariò illa cognoscit per scientiam conditionatam purè præcedentem, & separabilem ab absoluta. Hæc conclusio quoad primam partem probatur argumentis factis, quæ convincunt æqualiter de omnibus futuris conditionatis. Quoad secundam probatur. Nam potest Deus decernere conditionem, & conditionatum absolutè, quin præcesserit decretum eventus conditionatum obiectivè, & subiectivè absolutũ: sed in tali casu Deus non cognoscit conditionatè eventum futurum sub conditione ante decreta recensita omninò absoluta; ergo potest Deus non cognoscere purè conditionatè talia futura scientia antecedenti decreta absoluta, sed solùm scientia supponente illa; quæ proindè non erit separabilis à scientia absoluta, & decretis absolutis. Consequentia probatur: scientia enim supponens decretum absolutum non est separabilis à tali decreto, nec à scientia visionis, quæ ex vi talis decreti habetur, imò indistincta est à scientia visionis. Præmissæ sunt probandæ; & maior, quæ communiter traditur à Thomistis, probatur; licèt enim Deus possit decernere eventum sub conditione decreto conditionato pro signo præscindenti à purificatione conditionis, & posteà in signo sequenti decernere purificationem conditionis, & eventum decreto omninò absoluto; non tamen hoc est necessarium, sed potest Deus immediatè vtens suo dominio absoluto, omisso decreto conditionato, absolutè decernere conditionem, & eventum sub illa. Minor etiam probatur; nam in tali casu nihil est antecedens decreta absoluta, non indifferens, vt sit, & non sit eventus sub illa conditione; sicut enim Deus supponitur pro signo sequenti decernere conditionem, & eventum, potest nullum

PROPIEDAD INTELECTUAL

lum illorum decernere, vel decernendo purificationem conditionis, non decernere eventum; ergo Deus in tali casu pro signo antecedenti decreta absoluta, non cognosceret eventum sub conditione futurum; quod ex conclusione sequenti amplius constabit.

28 Si dicas: pro signo antecedenti decreta absoluta intelligitur in casu posito omissio decreti conditionati, quo constituitur eventus sub conditione futurus; ergo intelligitur carentia futuritionis conditionatę eventus; & consequenter intelligitur, eventum non esse futurum sub conditione. Ex quo duo inferuntur; primum est, Deum pro illo signo cognoscere, eventum non esse futurum conditionatè; siquidem pro illo signo intelligitur carentia futuritionis conditionatæ. Ex quo secundo infertur, Deum non posse, supposita omissione decreti conditionati, decernere absolutè eventum, & conditionem; cuius oppositum in probanda conclusione diximus; & sic patet, nam falsificaretur scientia Dei, qua cognoscit, eventum non esse futurum sub illa conditione; si enim Deus purificat conditionem, & ponit eventum sub illa, qualiter potest esse verum, quod si poneretur conditio, non poneretur eventus.

29 Respondetur primo, negando antecedens; non enim est necessarium, quod omissio decreti conditionati præcedat absolutum purificandi conditionem, & ponẽdi eventum sub illa; sed omissio decreti conditionati potest haberi ex vi decreti absoluti purificandi conditionem, & evẽtum, quod potest esse talis naturæ, & tendentiæ, vt aiunt, quod ratione illius excludatur conditionatum; sicut licèt præcedat decretum intentivum gloriæ decretum absolutum meritorum; non tamen est necessarium, quod si Deus, vt potest, omittat decretum illius intentivum, decernens absolutè merita, prius intelligatur omissio decreti intentivi, quam decretum absolutum meritorũ, sed Deus potens vtroque modo conferre merita, & gloriam, potens est se primo determinare ad conferendum merita, vi cuius decreti excludatur decretum intentivum gloriæ præcedens merita; & decretum illorum; sic ergo Deus potens decernere conditionatè eventum, & pro signo sequenti purificare conditionem, & ponere eventum sub illa, etiam est potens se primo determinare ad purificandam conditionem, vi cuius excludatur decretum conditionatum præcedens; ac proindè non est necessarium, quod Deus pro signo illo ante decreta absoluta cognoscat non esse futurum eventum.

30 Secundo respondetur admisso antecedenti; quia revera potest Deus antequam se determinet ad purificandam conditionem, velle non habere decretum conditionatum; qua volitione, seù omissione supposita, adhùc remanet indifferens ad purificandam, vel non purificandam conditionem. Respondetur, inquam, admisso, vel concesso antecedenti, distinguendo consequens, intelligitur carentia futuritionis purè conditionatæ, concedo consequentiam, intelligitur carentia futuritionis, quæ in absoluta futuritione involuitur, & continetur, nego consequentiam. Pro cuius intelligentia advertendum est, quod decretum conditionatum non est necessarium ad absolutam existentiam eventus; ac proindè vt eventus absolutè sit posita conditione, non est necessarium, quod aliquando intelligatur purè conditionatè futurus; sed sufficit, vt diximus in conclusione, quod Deus immediatè purificet conditionem, & ponat eventum: vndè carentia decreti conditionati non constituit non futurum eventum sub conditione absolutè, sed solùm pro illo signo, & ex vi illius providentiæ, quod est non esse futurum secundum quid: sicut in futuris absolutis, non esse futurum actum pro signo præscindenti à decreto, non est non esse futurum absolutum absolutè, sed solùm non esse futurum pro illo signo; quod absolutam futuritionem non aufert.

31 Exemplum sit iam adductum; intentio efficax glorię per modum coronæ constituit merita futura saltim radicaliter, & omissio huius decreti constituit merita non futura radicaliter, & ex vi intentionis efficacis gloriæ; non tamen non futura absolutè; eo quod adhúc intellecta hac omissione, potest Deus, vt diximus, absolutè decernere merita, vi cuius constituuntur absolutè futura: sic similiter intellecta omissione decreti conditionati, quo constituitur actus conditionatè solùm futurus, intelligitur carentia futuritionis conditionatæ purè: hæc tamen non constituit actum non futurum sub conditione absolutè, sed solùm non futurum ex vi decreti conditionati: qua futuritione deficiente, potest aliam habere, non quidem purè conditionalem; hæc enim solùm habetur ex vi decreti conditionati, sed conditionalem inclusam in absoluta; qua-

quatenus si verum est, quod datur conditio absolutè, & sub illa ponitur eventus, verum est, quod si daretur, poneretur eventus: in casu tamen defectus decreti conditionati, cum vsque proveniamus ad absoluta, nulla detur determinatio, & omnia sint indifferentia, nulla datur veritas in illis propositionibus, quousque intelligantur decreta absoluta.

32 Ex quibus ad primum, quod inferebatur, dicendum: pro illo signo Deum cognoscere non esse futurum purè conditionatè; cum intelligatur omissio decreti conditionati, quod est adæquata forma cõstituens illud futurum purè conditionatè; non tamen cognoscit nullo modo esse futurum sub conditione; cum non intelligatur positivè exclusa alia forma, qua potest constitui conditionatè futurum, licèt non purè conditionatè, nimirùm, decreta absoluta.

Ad secundum negandum est falsificandam fore in casu illo scientiam conditionatam: vtrumque enim est verum; non esse purè conditionatè futurum, seù non esse futurum pro illo signo, & absolutè esse futurum sub conditione pro alio signo decretorum absolutorum.

33 Ex quibus infertur, in casu posito scientiam futuri conditionati non posse dirigere, aut movere Deum ad purificandam conditionem: quod patet; quia illam supponit purificatam; neque scientia futuritionis conditionatę ad hoc est necessaria, sed sufficit scientia, simplicis intelligentiæ. Secundo infertur, quod eventus, qui sub aliqua conditione ponitur, non necessario pro priori ad decretum purificandi conditionem est futurus conditionatè; cum non necessariò præcedat decretum purè conditionatum, quo solo potest ante decreta absoluta constitui conditionatè futurus.

34 Tertiò infertur in casu posito scientiam futuri conditionati non distingui à scientia visionis, qua Deus cognoscit extiturum esse absolutè conditionem, & eventum sub illa, ex vi decreti absoluti illorum, sed eadem scientia affirmat eventum inferri ex conditione, ex vi decretorum Dei. Nec inconveniens est, quod Deus pro signo antecedenti decreta absoluta, nihil illorum determinatè cognoscat; cum nullum illorũ sit verum pro illo signo, sed indifferens ad veritatem, & falsitatem: & in sententia Recentiorum conditionata involuentia ex parte eventus decretum divinum, deficiente decreto conditionato non habent veritatem determinatè ante purificationem conditionis, & à Deo non cognoscuntur ante talem purificationem conditionatè, vel ante exclusam purificationem conditionis; quod vltimum sine fundamento dicitur, cum equè sint indifferentia ante, & post non purificatam conditionem: nos autem nostris principijs inhærentes pro omni signo, pro quo non intelligitur aliquod determinatum ad vnum, potiùs quam ad alterum, non habere veritatem determinatam asserimus, quousque ad decreta Dei determinantia proveniatur. Sed de his iterùm redibit sermo.

§. VI.

Solvuntur argumenta.

35 CONTRA Nostram conclusionem arguitur primo argumento Adversarijs familiari. Scientia purè conditionalis non est Deo libera, sed purè contingens: at scientia purè contingens Deo non libera impediri non potest ex voluntate divina omittente decretum conditionatum, vel absolutè decernente, vt constat, & est per se notum; ergo scientia purè conditionalis semper existit, etiam supposita scientia absoluta.

36 Respondetur negando maiorem, quæ ab ipsis nunquam probatur, nec probari potest; cum enim sit contingens, & potens non esse, vt supponitur, non potest esse nisi ex determinatione voluntatis divinæ, quæ est primum determinans omnem indifferentiam. Omitimus, quod ipsi docent, Scientiam Mediam esse contingentem, & eam existere, vel non existere nullis existentibus creaturis; & consequenter ipsis non potest esse libera, & tamen invenerunt modum, quo sibi persuaderent posse impediri, & acquiri per determinationem creaturæ, non quidem abæterno existentem, sed in tempore.

37 Secundo arguitur; nam actus purè conditionatus peccati, v.g. Anti-Christi est prior, & independens ab statu eiusdem peccati absoluto, vtpotè posteriori; ergo

prius

priùs debet cognosci futuritio conditionata, quam absoluta; priùs enim à posteriori impediri non potest, nec independens præoccupari, vel excludi à dependenti; ergo scientia conditionalis, quæ sine absoluta existeret, per eandem absolutam impediri non potest.

38 Respondetur, distinguendo antecedens, est prior necessarió, nego antecedens, ex suppositione, quod detur talis status, transeat antecedens, & distinguendum est consequens eodem modo. Si detur futuritio conditionata distincta ab absoluta, & separabilis ab illa, concedo consequentiam, aliàs, neganda est consequentia: itaque verum est, quod si detur decretum conditionatum coniunctum cum absoluto, vt potest dari; tunc status conditionatus constitutus per decretum conditionatum prior est statu absoluto; quia tamen non necessarió præcedit decretum conditionatum decreta absoluta, vt vidimus, non necessarió præcedit status conditionatus absolutum: nec piget sæpiùs asserere; quod vltrà prędicata essentialia rei, status posibilitatis illius est Omnipotentia: status contingens futuritionis tàm conditionatæ, quàm absolutæ constituitur per decretum divinum: vndè cum Deus posit omittere decretum conditionatum, & transire immediatè ad absoluta, sine statu purè conditionato res potest esse in statu futuritionis absolutæ.

39 Et quidem mirùm est, quod ita fidenter ab ipsis proferatur hęc propositio, nimirùm, prior à posteriori impediri non potest, nec independens præoccupari, & excludi à dependenti: mirùm, inquam, est; cum ipsi asserant Scientiam Mediam dirigẽtem Deum ad conferendum auxilium sufficiens, & consequenter præcedentem auxilium, & exercitium liberum voluntatis creatæ consequutum ad auxilium, posse acquiri, aut impediri exercitio consequuto ad tale auxilium sufficiens: & similiter sæpè asserunt Scientiam Mediam existere independentem à voluntate creata, & eius libero exercitio, cum existat eodem modo, etiam nulla existente creatura, & consequenter sine vllo libero exercitio voluntatis creatæ: & tamen cum independentia hac docet, Scientiam Mediam præoccupari posse, & excludi per liberum arbitrium, & exercitium creaturæ in tempore existentis.

40 Secundo mirùm mihi est; quod cum futuritio conditionata nihil sit ab absoluta distinctum, vt sepè inculcant; & similiter status conditionatus nihil sit ab absoluto distinctum, nobis persuadere velint, futuritionem conditionatam præcedere absolutam, & statum conditionatum absolutum, & vnum sine alio dari, quæ in intelligibilia sunt; & habemus instantiam argumenti, qua non indigemus: in sententia enim Recentiorum, status conditionatus actus liberi Dei, v.g. decreti dandi gloriam Petro sub conditione, quod perseveret, seù habeat merita, præcedit absolutum: & tamen non necessariò præcedit, aliàs necessarium esset, quod Deus sua decreta libera conditionatè cognoscerет, aut negatam, vel purificatam conditionem; quod tamen ipsi negant.

41 Deindè hæc argumenta communiter asserunt Deum cognoscere Petrum peccantem, vel alia futura conditionata, quę sunt actus liberi creati, etiam si ad illorum existentiam requiratur decretum efficax absolutum: cum tamen ipsi doceant actus proprios, & decreta libera non cognoscere Deum, nisi post negatam, aut purificatam conditionem; quæ constat non sibi cohærere, vt infra amplius constabit.

42 Tandem arguitur scientia conditionalis, vel est incomposibilis cum absoluta, vel composibilis: si dicatur incomposibilis, iam non est conditionalis, de cuius ratione est posse componi cum absoluta, ad quam tendit, & esset chimærica penitus scientia conditionalis impotens componi cum scientia existentium; maximè cũ illa etiam importet, & supponat scientiam posibilium: si verò dicatur composibilis cum absoluta; iterùm rogo, vel debet ea conditionalis scientia præcedere absolutam, vel tantum potest? Si debet, habetur intentum: si tantum potest; ergo iam in primis Deus potest non præscire plura conditionata, & quidem non tantum ea, quæ absoluta sunt, sed purè conditionata; cuius oppositum supponitur ex supradictis; & ratio est, nam decretum, quod excludit scientiam conditionalem, non ex connexum cũ scientia, & voluntate absoluta; aliàs non esset conditionale, sed verè absolutum. Deindè, nihil inutiliùs decretis conditionalibus, si voluntas divina, non debet moveri, vt benè supponitur, ex conditionatis ad absoluta.

43 Hoc argumentum ex Recentioribus fideliter relatum, nimis subtilia cõtinere affirmant, quantumvis subtilé, infirmum nobis videtur; & ex dictis habetur solutio. Et in primis, quod sit chimerica scięcia conditionalis incomposibilis cum abso-

lu-

luta, certum nobis videtur; ipsis tamen debet esse falsum: cum in Deo concedant scientiam conditionatam suorum decretorum, cum absoluta incomposibilem; concedunt enim scientiam illorum, quæ tantum supponant essentialiter non purificatam conditionem; quæ proindè cũ scientia absoluta componi non potest, quæ supponit essentialiter purificatam conditionem. Ad argumentum ergo respondetur, quod scientia conditionalis non debet præcedere absolutam, sed tantùm potest; sicut decretum conditionatum non necessariò præcedit absolutum, sed tantum potest. Ad consequentiam illatam, nimirùm, posse Deum non cognoscere plura futura conditionata, non solùm existentia, sed purè conditionata; dicendum est, plura conditionata existentia posse non cognoscere scientia purè conditionata, & quæ absolutam præcedit, quod in conclusione docuimus: illa tamen cognoscit scientia inclusa in absoluta; quatenus ex vi decretorum absolutorum vtrumque verum est, scilicèt, quod existit conditio, & eventus sub illa, & similiter, quod si poneretur conditio, poneretur eventus. De futuris autem conditionatis, quæ simul absoluta non sunt, idem proportionaliter dicimus; nimirùm ex vi omissionis decreti conditionati, posse Deũ scire non extiturum eventum sub illa conditione, non absolutè, sed non extiturum ex vi illius: si autem præter omissionem decreti conditionati Deus omitteret absoluta, seù vellet non existere absolutè conditionem, & conditionatum, ex vi horum absolutè verum esset non extiturum eventum sub conditione; datur enim carentia omnis formæ constituentis futurum eventum sub conditione, & consequenter Deus cognoscit non esse sub conditione futurum: si autem detur carentia decretorum absolutorum, & decretum conditionatum eventus, Deus cognoscit esse absolutè futurum sub conditione, & simul non esse futurum sub conditione, non absolutè, sed non esse futurum sub conditione ex vi decretorum absolutorum.

Quod nititur in eo, quod duplex est futuritio conditionata, vt diximus, alia purè conditionata, alia conditionata inclusa in absoluta: ex quo fit, quod vt non sit effectus purè conditionatè futurus, sufficit defectus decreti conditionati, quod constituitur purè conditionatè futurus: vt autem nullo modo sit conditionatè futurus, requiritur insuper omissio decretorum absolutorum.

44 Sed dices; posito præcisè decreto conditionato, eventus est absolutè futurus conditionatè; ergo posita omissione decreti conditionati, erit absolutè non futurus conditionatè; & similiter si decretis absolutis redditur futurus conditionatè, præcisè per carentiam illorum erit non futurus; & consequenter nullus eventus erit purè conditionatè futurus.

Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam: nam effectus formalis potens à duplici forma præstari, quælibet posita ponitur, quin sit necessarium, quod vtraque ponatur: vt autem effectus formalis deficiat necessarium est, quod vtraque deficiat; & quia eventus redditur conditionatè futurus, licèt diverso modo, decreto conditionato, & decretis absolutis, hinc est, quod posito solùm decreto conditionato, sit conditionatè futurus, & similitar positis solùm decretis absolutis: ex quo etiam fit, quod vt nullo modo sit conditionatè futurus, necessarium sit, quod detur omissio decreti conditionati, & absoluti.

45 Si autem ex hoc inferas Deum non cognoscere plura decreta non existentia: neganda est consequentia iuxta nostra principia; si enim Deus omittit decretum conditionatum, & absoluta, tunc cognoscit eventum non esse futurum sub conditione, nec absolutè: si autem solum omittit absolutum, cognoscit eventum futurum sub conditione iuxta determinationem decreti conditionati: at iuxta Recentiores, Deus ante decreta absoluta non cognoscit, vt diximus, conditionata involuentia ex parte eventus decretum liberum Dei; nec infallibiliter cognoscit, quod si hic ignis applicetur huic passo, illud combureret: vndè infertur, quod per decreta absoluta non impeditur scientia conditionata, quæ habetur ex vi omissionis decreti conditionati; impeditur tamen illa, quæ haberetur ex vi omissionis decretorum absolutorum.

((0))

§. VII.

Statuitur tertia concluſio.

46 AD Cognitionem conditionatorum, quæ abſoluta non ſunt, neceſſarium eſt decretum conditionatum obiectivè, & ſubiectivè abſolutum, vel libera omiſſio decretorum, quæ neceſſaria ſunt ad hoc, vt eventus ſit conditionatè futurus: ad cognitionem autem conditionatorum, quæ ſimul ſunt abſoluta, ſufficiunt decreta abſoluta. Hæc vltima pars concluſionis ex dictis in concluſione conſtat; cuius veritas ex probatione primæ partis ampliùs conſtabit. Prima ergo pars, quæ etiam habetur ex dictis, & in qua ab Authoribus Scientiæ Mediæ præcipuè diſcriminamur, probatur iterùm adducendo propria noſtra; nam hęc futura conditionata, indifferentia ſunt ex ſe ad veritatem, & falſitatem; aliundè ergo debent determinari ad veritatem, vel falſitatem: quod omninó neceſſarium eſt, vt à Deo cognoſcantur, vt determinatè vera, vel vt determinatè falſa; at non aliundè, niſi à decreto divino defacto exiſtenti; ergo hoc neceſſarium eſt, vt à Deo cognoſcantur.

47 Quod hæc conditionata ex ſe indifferentia ſint ad veritatem, & falſitatem, conſtat; nam quod poteſt eſſe verum, vel falſum, non habens ex ſe determinationem potiùs ad veritatem, quam ad falſitatem, indifferens eſt ex ſe: at hæc conditionata ſunt huiuſmodi; ergo ſunt indifferentia ad veritatem, & falſitatem. Minor autem ſubſumpta probatur; non habent determinationem ex prædicatis eſſentialibus Dei, quæ ex ſe indifferentia ſunt, vt conditionatum ſit verum, vel falſum: non ex prędicatis eſſentialibus creaturæ, quę ſimiliter indifferentia ſunt: non ex determinatione libera creaturæ, quæ nondum eſt: non ex ipſa Scientia Dei, qua vnum præ alio cognoſcitur futurum: Tùm, quia hæc ſupponit veritatem, ex qua determinatur intellectus divinus ad eius cognitionem; & conſequenter aliam ſupponit determinationem, vi cuius conditionalis cognita vt vera, habet determinatè veritatem potiùs, quam falſitatem. Tùm etiam; quia cum ſcientia hæc indifferens ſit ad hoc, vt ſit, & non ſit; cum potuerit eſſe oppoſita ſcientia, ex alicuius determinatione debet eſſe; reſtat ergo, quod ex vi voluntatis divinæ decernentis vnum potiùs, quam alterum, determinationem accipiat conditionalis propoſitio, & intellectus divinus vt potiùs veritatem illius, quam falſitatem cognoſcat: quod ſi deficiat decretum conditionatum, deficit requiſitum ad veritatem illius; quæ proindè erit falſa, & contradictoria vera.

48 Confirmatur; quia ſicut veritas creata nulla poſsibilis poteſt eſſe talis, aut à Deo cognoſci, niſi ratione Omnipotentiæ, cuius neceſſaria exiſtentia eſt fundamentum, & radix omnis poſsibilitatis; ita vt omninó chimæricum ſit, veritatem aliquam creatam poſsibilem eſſe, aut à Deo cognoſci, quæ non ſit poſsibilis ex vi Omnipotentiæ, extra quam nihil poſsibile datur; pariter omnis veritas contingens, quæ ex ſe indifferens eſt, vt ſit, & non ſit, debet fundari in providentia, & diſpoſitione Dei, quæ extenditur ad omnia contingentia, & extra quam nihil contingens habet determinationem, ſeù eſſe; ergo cum futura conditionata, de quibus loquimur, ſint contingentia, & ex ſe veritatem, aut falſitatem non habeant, neceſſarium eſt, vt illam habeant, quod ex diſpoſitione Dei illam accipiant.

§. VIII.

Solvuntur argumenta.

49 PRIMUM Desumitur ex impossibilitate decreti conditionati Thomistici ; si enim decretum conditionatum impossibile sit; cum Deus cognoscat futura conditionata ante decreta absoluta , necesse est illa cognoscat sine decreto conditionato;atqueadeò hoc non erit necessarium ad illorum cognitionem. Sic ergo arguitur;nullum decretum incompossibile cum ipsius conditionati existentia,est conditionale,aut constitutivum futuri conditionati in ratione talis:sed omne decretum conditionatum Thomisticum circa conditionata est incompossibile cum futuri conditionati existētia; ergo nullum decretum conditionatum Thomisticū est verè conditionale,seù futuri conditionati constitutivum. Maior,quæ iuxta Recentiores est lumine naturali nota , ab ipsis ratione probatur primo; quia decretum conditionatum iuxta Thomistas constituit statum conditionatum practicum; nullus autē status conditionatus practicus est incompossibilis cum sui conditionato,vt absolutè existenti , sed potiùs est præparativus , & dispositio, vt existat conditionatum ; quod tamen ipsi conuenire non potest,nisi possit cum conditionato existere; nihil enim potest esse dispositio, aut vis, vt aliquis effectus producatur , nisi coexistere possit effectus productioni. Secundo probatur maior, decretum conditionatum obligat Deum ad dandum esse conditionato, si ponatur conditio; & consequenter purificata conditione, Deus vi decreti conditionati obligatur ad ponendum effectum : implicatorium autem est Deum se sentire obligatum posita conditione, ad ponendum conditionatum per decretum , quod non est , atqueadeò nec extitisset ; est ergo omne decretum conditionatum cum eventu conditionato compossibile. Tertiò eadem maior probatur omne decretum conditionatum est amor efficax conditionatus producendi effectum : at omnis amor conditionatus est compossibilis cum conditione , à qua præscindit ; alioquin non amor, sed odium esset conditionis, & conditionati;siquidem illa excluderet, & reijceret.

50 Minor autem principalis sic probatur ; si est possibilis ea decreti conditionalis cum conditionato coexistentia, est debita , & necessarium , quod quoties datur decretum absolutum purificandi conditionem , & ponendi conditionatum, præcedat , & coexistat decretum conditionatum : at absurdum omninò est , vt decretum absolutum nostræ operationis necessario ante conditionatum eiusdem ; ergo absurdum est , quod sit possibile tale decretum compossibile cum absoluto. Maior, & minor sunt probandæ. Et maior probatur primo, quia pro signo , pro quo potest decerni futurum conditionatum decerni debet ; sed quoties datur decretum absolutum conditionis , & eventus conditionati , pro signo antecedenti potuit conditionatè decerni ; ergo necessario pro illo signo decernitur; atqueadeò quoties purificatur conditio, & datur eventus , pro signo antecedenti decreta absoluta intelligitur decretum conditionatum. Maior huius syllogismi constat; quia pro signo,pro quo potest decerni futurum absolutum , decernitur determinatè; ergo pro signo,pro quo potest conditionatè decerni.

51 Secundo probatur minor;quod Deus potest conditionaliter præscire , debet ita præscire, aliàs iam non haberet circa creaturas , & circa seipsum , omnem scientiam,quam sine imperfectione potest habere : sed quoties dantur decreta absoluta conditionis , & conditionati , potuit pro priori habere scientiam conditionatam illius ; ergo illam necessario habet , quam sine decreto conditionato , in principijs Thomistarum habere non potest; & consequenter necessarium est , quod detur tale decretum.

52 Tandem , quia iuxta communem Theologorum doctrinam Thomistis satis familiarem decreta diuina complentur , constituuntur , vel denominantur de obliquo ipsis creaturis; ergo repugnat,quod non compleatur decretum, quod constitui, vel compleri poterat,nisi deficiat, vel deficeret aliqua creatura: si enim omnia , tàm intrinsecè, quàm extrinsecè constituentia, eodem prorsus modo se habeant,repugnat quod modo sit cōstitutivum, & modo non non sit: sed vbi est decretum absolutū pœnitentiæ Petri ; verbi gratia, adsunt omnia

constitutiva, & connotata decreti conditionalis; ergo si hoc est possibile, existere debet, quoties existit decretum absolutum.

53 Quod autem absurdum sit, vt decreto absoluto nostræ operationis necessario præcedat conditionale eiusdem; & consequenter quod sit possibile, & compossibile cum absoluto; probatur primo; quia nullum decretum absolutum circa actiones nostras esset Deo immediatè liberum; cum præsupponeret decretum conditionatum purificandi conditionem, ex quibus infallibiliter infertur. Secundò; quia nec decretum absolutum conditionis esset Deo immediatè liberum, imò nullum aliud; atqueadeò præter divina libertas; quandoquidem omnis Dei libertas debet resolvi in aliquam certi decreti immediatam libertatem. Assumptum hoc constat; quia sicut Deus indiget decreto conditionali pœnitentiæ, vt sciat an foret pœnitentia sub tali conditione, quo indiget, ad hoc vt decernat absolutè conditionem, ita indiget alio decreto conditionali, vt sciat, vel cognoscat, an prædiffiniatur conditionatè pœnitentia, decernenda esset conditio absolutè; quo concesso, necessariò dandus est processus in infinitum, & nullum dabitur decretum immediatè liberum.

54 Deindè, quod absurdum sit asserere decreta absoluta indigere conditionatis prævijs ad ipsa, inde constat; quia nec est de conceptu libertatis in communi: nam humana absolutè decernit, quamvis sæpè non decernat conditionaliter: nec est de conceptu libertatis divinæ, quia Deus plura absolutè tantum decernit, vt ipsam productionem mundi, Christum Dominum, & alia: Tùm etiam, quia decreto absoluto sufficit scientia repræsentans, nimirùm efficacitèr res istas posse, voluntati Dei, aut sibi adesse media necessaria, & efficacia ad finem consequendum: sed scientia ista iuxta Adversarios est simplex intelligentia, quę decretis conditionalibus non eget; ergo neque decreta conditionalia, neque scientia illis innitens necessaria est ad absoluta decreta.

55 Respondetur concedendo, vt suprà, quod decretum conditionale possit coniungi cum existentia conditionati, & eius absoluto decreto: negamus tamen decretum absolutum necessario supponere conditionatum, aut sine illo esse non posse; quod presumere probare, ex eo, quod præcedat aliquando decretum conditionale absoluta, cum quibus aliquando coniungitur, ita dissonum mihi videtur, vt non credam doctos Recentiores sibi persuasisse ab ipsis consequi posse: & instantiæ sunt manifestæ; decretum intentivum gloriæ per modum coronæ, præcedit decretum meritorum, cum quo defacto coniungitur; & tamen non necessariò præcedit, nec decretum meritorum illud essentialiter supponit, aut sine illo esse non potest: posset que simile argumentum formare Adversarius, decretum intentivum gloriæ per modum coronæ, si hoc decretum daretur, posset coniungi cum meritis, & cum decreto illorum, vt est per se notum: sed si posset coniungi, necessarium esset, quod merita, & eorum decretum supponerent decretum intentivum gloriæ, & quod merita esse non possent sine decreto intentivo gloriæ per modum coronæ, quod absurdum, & impossibile est; ergo impossibile etiam est, quod detur decretum intentivum gloriæ.

56 Similiter prædiffinitio efficax consensus liberi creati supponens Scientiam Mediam, & regulatum per illam defacto præcedit decretum collativum auxilij, & ipsum consensum in sententia ipsorum: & tamen in eorum principijs non necessario præcedit, neque consensus illud essentialiter supponit, aut sine illo esse non potest. Potestque formari simile argumentum ad probandum impossibilitatem prædiffinitionis hoc modo; decretum prædefinitivum consensus liberi prædiffinitivum, & efficax potest coniungi cum consensu, & cum decreto conferendi auxilia, quibus voluntas prævisa est consensura; quo nihil clariùs: sed si semel potest coniungi, consensus illud essentialiter supponit, & similiter decretum conferendi auxilia, quibus prævisa est voluntas consensura; & absurdum est consensum præsupponere essentialiter prædiffinitionem in eorum principijs; ergo absurdum, & impossibile est, quod detur talis prædiffinitio.

57 Sed videamus efficaciam probationum, quas adducunt: ad primam negamus, quod vbi proximè potest decerni conditionatè consensus, debeat decerni; sicut non vbi decerni potest gloria per modum coronæ, necessariò decernitur; potest enim decerni ante decretum meritorum, non tamen necessariò decer-

nit

hitur, etiam exiſtentibus meritis, & eorum decreto: & ſimiliter, quoties datur conſenſus liber potuit pro priori ad illum, & decretum collativum auxilij decerni: & tamen non eſt neceſſarium, quod ſi exiſtat cõſenſus, præcedat, aut exiſtat illius prędiffinitio, &c. Ad huius probationem deſumptam ex futuro abſoluto, quod decernitur determinatè, vbi proximè poteſt decerni, negamus antecedens, quod etiam ipſis falſum eſt, cum pro ſigno antecedenti conſenſum, & collationem auxilij poſsit prædiffiniri cõſenſus abſolutè futurus; non tamen eſt neceſſarium: & in noſtra, & in communi ſententia, merita poſſunt decerni pro ſigno non poſteriori decreto intentivo gloriæ; & tamen non neceſſario decernunt pro ſigno non poſteriori, ſed poſſunt in ſigno poſteriori decerni, & defacto decernuntur.

58 Et ratio horum eſt; quia effectus in tempore exiſtens petit quidem eſſentialiter vt ſit, quod Deus velit illi dare exiſtentiam: at Deo liberum eſt ex hac, vel illa intentione illum producere, & provenire ad illum decernendum ex alijs Dei diſpoſitionibus, & decretis. Deindè, cum ipſa decreta conſtituant ſigna priora, & poſteriora, vbi deficit decretum conditionatum, nullum datur ſignum inter abſoluta decreta, & prędicata neceſſaria, niſi ſolùm in potentia: ſicut vbi deficit intentio efficax gloriæ, & Deus incipit in ſua diſpoſitione à decreto meritorum, inter merita, & prædicata neceſſaria Dei non datur ſignum medians, niſi ſolùm in potentia; & quia Deo liberum eſt provenire ad decreta abſoluta ex conditionatis, ipſi liberum eſt, quod inter prædicata neceſſaria, & decreta libera abſoluta mediet, vel non mediet conditionatum; ſicut etiam liberum eſt, quod inter prædicata neceſſaria, & decretum meritorum mediet, vel non mediet intentio gloriæ. Inter decreta autem neceſſaria ad exiſtentiam effectus, & illa, quæ neceſſaria non ſunt, hæc eſt differentia, quod decreta neceſſaria, quibus effectus extiturus eſt, neceſſariò præintelliguntur ad ipſum, at quæ concipi poſſunt iuxta diſpoſitionem, & providentiam Dei, aliquando immediatè ad prædicata neceſſaria, aliquando verò mediante alia diſpoſitione divina; quod penſandum eſt ex voluntate Dei: at decreta non neceſſaria, etiam ſi effectus ſit futurus, non neceſſario intelliguntur; cum non neceſſario ſint, etiam ex illa ſuppoſitione.

59 Secunda probatio adhùc minoris eſt ponderis; non enim eſt neceſſarium, quod Deus erga creaturas, & veritates contingentes habeat omnem ſcientiam, quam abſolutè poteſt habere, & pro omni ſigno, pro quo poteſt illam habere, ſed ſolùm illam, quam habere poteſt ex vi ſuæ diſpoſitionis; quod nititur principijs ſupra adductis; nimirùm, quia iſtę veritates dantur, vel non dantur ex diſpoſitione divina; & exemplis adductis evidenter conſtat: Deus pro ſigno antecedenti collationem auxilij, quo prævisa eſt voluntas conſenſura, poteſt prævidere conſenſum abſolutè futurum ratione prędefinitionis pro illo ſigno exiſtentis; & tamen poteſt pro illo adhuc non ſcire, cum poſsit non eſſe pro illo ſigno prædiffinitio: ratione decreti intendentis gloriam per modum coronæ, poteſt Deus pro priori ad decretum meritorum cognoſcere eſſe futura abſolutè: & tamen ſine imperfectione Deus omittens intentionem gloriæ non cognoſcit pro illo ſigno merita futura. Eadem ratione Deus potens cognoſcere alium mundum futurum non cognoſcit futurum; quę eſt Div. Thomæ doctrina pluribus in locis; & vt diximus ex ſententia Adverſariorum, vt Deo concedant ſcientiam, qua carere imperfectio non eſt, illi negant ſcientiam neceſſariam, vt ſit omnipotens, nimirùm, illam, qua cognoſcit, quod poſita conditione futurum eſt, quod ipſe voluerit, vel promiſerit,

60 Tertia probatio, quæ emendicatam habet difficultatem ex obſcura, & difficili conſtitutione actus liberi Dei, ſi per ipſos licet importuna nobis videtur: habet enim eaſdem inſtantias, quas ipſi ſolvere debent: nam vbi eſt liber conſenſus creaturæ medio auxilio ſufficienti, dantur omnia conſtituentia, & connotata prędiffinitionis efficacis; & tamen illis omninò eodem modo exiſtentibus poteſt dari prædefinitio, vel deficere; aliàs ad exiſtentiam actus liberi eſſet neceſſaria prædiffinitio, quod non concedunt, & quo admiſſo Scientia Media neceſſaria non eſſet exiſtentibus eiſdem meritis: Et eadem gloria poteſt eſſe, vel deficere intentio efficax gloriæ ante prævisa merita; imò nullis exiſtentibus creaturis; ac proindè nulla variatione facta ex parte connotati, potuit eſſe, vel non eſſe Scientia Media, quæ defacto datur,

in eorum principijs, quæ eadem tatione, qua decretum, imò, & vrgentiori per connotata compleri debet; vt ipsi dicunt; quod in Scientia Media inintelligibile est, cuius existentiæ determinativum assignari non potest; quod in decreto non contingit, quod aliundè determinationem non desiderat, cum ipsum sit prima determinatio primi liberi.

61 Modo pro solutione argumenti negamus constitutionem illam actus liberi, vt ab ipso intelligitur; sed iuxta Thomistas, & veritatem adæquatè intelligitur constitutum decretum ante connotata, quæ ex illo complete constituto, adæquatè inferuntur iuxta naturam decreti, vel absolutè, vel cõditionatè, vt docebimus Tractatu de Voluntate Dei: si quod autem connotatum admittatur, quo constituatur, denominetur, vel compleatur decretum, non est ipsa creatura in seipsa, sed secundum quod accipit denominationem contingentem à decreto: & patet in decreto conditionato, quod existere potest constitutum, & completum nulla existente creatura, non tamen sine creatura futura conditionatè: patet etiam in ipsa Scientia Media, quæ constituta intelligitur nulla existente creatura in seipsa; ac proindè connotatum, quo completur, seù constituitur, non potest esse creatura in se, sed vt cognita, vel futura intentionaliter, vt ipsi loquuntur. Et tandem in decreto absoluto, quod existit abæterno completum, & constitutum: & tamen creatura non est abæterno, nisi solùm volita, seù futura: vndè non ipsa in se complet, aut constituit, sed vt futura: connotatum ergo, quo completur decretum conditionatum, seù constituitur in sensu, in quo hoc potest esse verum, non est creatura, seú consensus in tempore, antequam datur completum, seú constitutum decretum conditionatum; sed consensus vt futurus purè conditionatè, non puritate excludente absolutam futuritionem absolutè, sed solùm illam excludente pro illo signo: hoc autem connotatum deficere potest, etiã existente consensu, & decretis absolutis; quippè potest consensus, vt diximus, non esse, aut non intelligi pro alio signo purè conditionatè futurus, etiam si existens sit.

Undè negamus, etiam in hoc modo loquendi, seù constituendi actum liberum, existente consensu, & conditione, necessariò existere connotatum, quo completur decretum conditionatum; est enim consensus, vt purè conditionatè futurus, qui potest existere absolutè, quin fuerit purè conditionatè futurus. Si qua autem est difficultas in huiusmodi constitutione decreti, non est præsentis loci, nec contra decretum conditionatum Thomisticum.

62 Sed videamus, an ab ipsis probetur, esse absurdum, & impossibile, quod decretum absolutum nostræ operationis, & conditionis præsupponat decretum conditionatum: prima ratio est, quia decretum absolutum nostrarum operationum non esset immediatè liberum Deo, eo quod præsupponeret duo decreta, ex quibus infallibiliter infertur, nimirùm conditionatum evẽtus, & absolutum conditionis. Hæc autem ratio non convincit, primò; quia post decretum conditionatum, ex quo solo non infertur absolutum, potest Deus immediatè decernere nostras operationes; atqueadeò hoc decretum non supponeret necessariò duo, ex quibus infallibiliter inferretur, & sic defacto contingit; ex decreto enim consensus movetur Deus ad purificandam conditionem, & ferenda auxilia sufficientia, in eorundem sententia; Deus enim prædiffinit nostram operationem, & exinde movetur ad conferenda auxilia, cum quibus prævisa est ponenda.

63 Secundo, quia iuxta nostram sententiam, & veritatem libertas immediata decreti non aufertur, ex eo, quod præsupponatur aliud, ex quo infallibiliter inferatur; vt patet in decreto exequutivo gloriæ, ad quod præsupponitur imperium, & electio efficax, ex quibus infallibiliter infertur; & tamen est immediatè liberum; infallibilitas enim actus eius libertatem non aufert, dummodo ex meritis obiecti non rapiatur voluntas, & infallibilitas oriatur, & derivetur ex aliquo continente actum, & eius libertatem. In sententia autem Recentiorum infertur, decretum absolutum consensus liberum non esse; nam posita Scientia Media, & decreto purificandi conditionem, infallibiliter infertur decretum consensus, non ex decreto purificandi conditionem, quæ indifferens est, & potens coniungi cum decreto consensus, & illius carentia; sed ex Scientia Media, quæ Deo contingenter convenit, & sine eius libertate; ac proindè infallibilitas, ex qua infertur decretum consensus non est ex voluntate Dei, sed aliundè; ac proindè libertatem decreti aufert. Et si negetur decretum, vt ipsi negant necessarium, saltim consensus non est Deo voluntarius, nec creaturæ liber; non Deo voluntarius; quip-

pè

pè ex eius voluntate,& intentione non procedit; cum voluntas divina indifferens sit; vt sit, vel non sit talis consensus : non est liber creaturę, quia infallibilitas ad consensum præsupponitur ad ipsum, & non oritur ex voluntate divina continente consensum, & eius libertatem ; sed aliundè, & non ex libertate creaturę ; quippè hæc infallibilitas antecedit liberum exercitium voluntatis creatæ.

64 Secunda autem probatio,si concedamus convincere processum in infinitum : concedere ipsi debent processum in infinitum in Scientijs Medijs ; sicut enim decretum conditionatum consensus sub cõditione horum auxiliorum præcedere debet aliud, quo Deus decernat sub conditione primi decreti conditionati purificandi conditionem , & sic in infinitum : pariter,supposito, quod per Scientiam Mediam Deus cognoscat esse futurum consensum sub conditione horum auxiliorum , etiam cognoscere debet per aliam Scientiam Mediam, quod si ponatur prima scientia , purific nda est conditio,& sic in infinitum: quem processum in Scientijs Medijs,vt mihi videtur, non recusant plures ex Recentioribus concedere; ex his enim principijs aliqui eorum deducunt,Deum ante decretum suæ voluntatis cognoscere futura absoluta ; inter quos P.Alderete 1.p. disp.9.de Prædestinatione, sectione 2.& disp.11.sectione 6. & alibi. Quod hoc modo facilè deducitur ; cognoscit Deus per hanc Scientiam Mediam, hanc propositionem, si creavero Adamum , peccabit; cognoscit insuper per aliam reflexam hanc propositionem,si habuero prædictam Scientiam Mediam, creabo Adamum : ex quibus existentibus in Deo ante eius determinationem infertur infallibiliter Adamum esse extiturum. Hęc,& similia ex prædictis principijs inferuntur , quæ , quam absurda sint, cognoscunt Recentiores, contra quos modo disputamus , & de quibus posteà agendum nobis est.

65 In summa quælibet propositio, supra quam potest cadere decretum conditionatum, est contingens , & in sententia ipsorum cognosci debet à Deo per Scientiam Mediam , quod si loco decreti , quod ponitur ex parte conditionis, ponatur Sciẽtia Media, tot possunt formari propositiones contingentes supra se reflectentes, quot confici possunt, si decreta ponantur ex parte conditionis; atqueadeò idem datur processus in infinitum in Scientijs Medijs , atque ipsi contendunt in decretis , quem ipsi negare non possunt,vt posteà videbimus,& quem concedere nos non teneri , mostrabimus infrà,& partim constat ex solutione argumenti : pro nunc autem si ipsis licèt sciẽtias reflexas vsque in infinitum concedere; cur alijs licitum non erit multiplicare decreta in infinitum, quibus scientia conditionata nitatur, nè temere , & sine fundamento dicatur Deum scire,quod scibile non est? Imò decretorum aliquale potest esse fundamentum,quod in Scientia Media,non adest, nimirum omnia contingentia,& indifferentia ad esse,& non esse , à Deo esse determinata,& vnum è duobus habere ex dispositione divina.

66 Vltima probatio etiam deficit iuxta ipsos ; quos similiter interrogamus, quare scientia Dei absoluta , indiget alia scientia conditionata,& quare non poterit Deus immediatè , & absolutè cognoscere contingentia sine prævia scientia conditionata; sicut homo potest absolutè contingẽtia cognoscere , quin prævièconditionatè illa cognoscat? Quod si respondeatur, Deum debere omnia scire ; & consequenter non solùm veritates absolutas contingentes , sed etiam conditionatas; etiam dici posset omnia contingentia, tàm absoluta , quàm conditionata habere veritatem , & determinationem ad vnum, potiùs quam ad alterum ex dispositione divina; atqueadeò Deus non solùm debet determinare contingentia absoluta, sed conditionata.

67 Hęc dixerim , non vt defendam decretum conditionatum necessario præcedere absolutum; quod falsum existimo ; sed vt magis appareant principia Scientię Mediæ ita à veritate distare, vt veritas illa,quã evidentem censent Recentiores cum illis nõ cohæreat,& ex illis non probetur. Tandem non est prætereundum, non nisi indigentiã coegisse Recentiores ad vtendum hoc argumento tot titulis inefficaci; non enim ignorare potuerunt manifestam habere instãtiam in ipsorum speciali sententia iam supra relata; asserunt enim decretum conditionatum erga eventum à Deo ponendum esse posibile,& illud optimè de facto concedunt de donanda gloria sub conditione meritorum, quod in promissione conditionata illius includitur,seù prę supponitur.

68 Ex quo contra ipsos sic arguitur; decretum hoc conditionatum potest intelligi ante decreta absoluta meritorum , & gloriæ : sed decretum vbi intelligi potest,

nec-

neceſſariò intelligitur, vt patet in futuris abſolutis; ergo hoc decretum conditionatum neceſſariò præſupponitur ad abſoluta: quod ſi concedatur, omnia inconvenientia ab ipſis allata debent admittere: ſi autem negetur, tenentur fateri ſui argumenti ineffaciam. Similiter; quod Deus poteſt conditionaliter præſcire, debet ita præſcire; aliàs iam non haberet circa creaturas, & circa ſeipſum omnem ſcientiam, quam ſine imperfectione poteſt habere: ſed quoties datur decretum gloriæ, & meritorum abſolutum, potuit pro priori habere ſcientiam cõditionatam illius vi decreti conditionati ergo illam neceſſario habet; quam tamen iuxta Recentiores ſine decreto conditionato habere non poteſt; & conſequenter iuxta ipſos, non eſt efficax argumentum, neceſſario præcedit decretum conditionatum gloriæ decretum abſolutum illius. Et tandem omnia connotata decreti conditionati gloriæ dantur, quoties dantur merita, & propter illa gloria; decretum ergo conditionatum gloriæ neceſſario præſupponitur ad abſolutum.

69 Secundum argumentum ab inutilitate decreti deſumuntur, & ſic formatur; quod actu nihil magis habet eſſe in ſua cauſa, quam eſſe poſsibile, non requirit vt tale, niſi quæ ſufficiunt, vt ſit poſsibile: ſed conditionatè futurum, vt tale nihil magis habet actu etiam in ſua cauſa, quam eſſe poſsibile: ergo conditionatè futurum vt tale non requirit, niſi quæ ſufficiunt vt ſit poſsibile; & conſequenter cum vt ſit poſsibile non requiratur decretum conditionatum, nec ad hoc vt ſit conditionatè futurum: ex quo etiam manifeſtè colligitur Deum ſine decreto conditionali defacto exiſtenti futurum conditionatum cognoſcere. Maior eſt nota; nulla enim denominatio, vel effectus formalis ampliùs requirit, vt ſit, quam quæ ſufficiunt vt ſit. Minor in qua ſola eſt difficultas probatur; futurum eſſe conditionatè, nihil aliud eſt, niſi quod id quod eſt poſsibile, foret ſub aliqua cõditione, ſi hæc exiſteret: ſicut enim futurum abſolutum eſt poſsibile, quod exiſtet, ſic futurum conditionatum eſt poſsibile, quod exiſteret, ſi exiſteret eius conditio: ſed quod aliquid foret ſub conditione, & licèt cauſa exiſteret, nihil magis eſt actu etiam in ſua cauſa, quã eſſe poſsibile; ergo conditionatum futurum vt tale, nihil magis eſt actu, etiam in ſua cauſa, quam eſſe poſsibile.

70 Omnia præter minorem conſtant: illa autem ſic probatur; eo ipſo, quod poneretur conditio, vel cauſa libera, etiam ſi nullo modo circa illam defacto aliquid decernatur, ipſa determinanda foret (à ſe ſola, vel etiam à Deo) vel ad conſenſum, vel ad diſſenſum: & ratio eſt; nam de eſſentia libertatis ad conſenſum, & diſſenſum eſt, & vt ipſa ſit neceſsitas vaga, ſeù disiuncta ad aſſenſum, vel diſſenſum; ita quidem, vt ſicut libertas poſsibilis eſt ea neceſsitas poſsibilis, & libertas abſoluta eſt ea neceſsitas abſoluta; ita libertas conditionata, ſeù libertas conſiderata vt conditio, eſt neceſsitas conditionans. Adeſt exemplum in cauſa neceſſaria, quæ in quocumque ſtatu ſivè poſsibili, ſivè abſoluto, ſivè conditionato eſt cauſa neceſſaria. Eſt etiam ratio à priori; quia quælibet res in quolibet ſtatu ſervat prædicata eſſentialia; quapropter homo poſsibilis eſt animal rationale poſsibile, homo futurus animal rationale futurum, & homo exiſtens animal rationale exiſtens. Verum igitur, & evidens eſt eo præciſsè, quod poneretur cauſa libera, & conditio, ponendum fore conſenſum, vel diſſenſum liberum, quãvis Deus modo, & veluti anticipate non determinet decreto conditionato ponendum tunc eſſe conſenſum, vel diſſenſum; ergo extiturum eſſe conſenſum, vel diſſenſum ſub aliqua conditione, nihil modo, & actu magis eſt, quam eſſe poſsibile.

71 Ex quo iterùm ſubſumunt: at non aliter exiſteret conſenſus, vel diſſenſus, niſi quatenus vnus determinatè exiſteret; ergo quod vnus determinatè foret ſub conditione, nihil magis eſt actualiter, quam eſſe poſsibile. Antecedens probatur primo, quia nec neuter, nec vterque poneretur. Secundo; quia neceſsitas vaga ad exiſtentiam vnius ex duabus contradictorijs exerceri nõ poteſt, nec poſſet, niſi per exiſtentiam vnius determinatè. Tertiò, quia id haberet libertas, ſi daretur, quod habet, vel habebit eadem libertas, quæ datur, vel dabitur: ſed libertas, quæ datur, vel dabitur, habet, vel habebit, quod ponat, vel poſitura ſit conſenſum, vel diſſenſum determinatè; ergo libertas, quæ daretur, haberet vt determinatè poneret conſenſum, vel diſſenſum.

72 Confirmatur; eo ipſo, quod Deus daret Petro auxilium efficax converteretur: ſed vt daret auxilium efficax, non debet priùs, & modo conditionaliter illud decernere; ergo vt Petrus converteretur, non debet Deus converſionem conditionaliter decernere. Conſequentia eſt legitima, ma-

ior eſt evidens præcipuè ex Thomiſtarum ſententia : minor etiam admittitur à Thomiſtis; vt enim ſæpè vidimus,non requiritur decretum conditionatum, vt Deus purificet conditionem,& conſenſum decernat.

73 Hoc argumentum non magis efficax eſt, quam præcedens ; & in primis,ſi maior, in qua conſiſtere difficultatem aſſerunt Recentiores , vera eſt , evidenter (ni fallor) infertur ex argumento vtrumque contradictorium eſſe conditionatè futurum; ſcilicet conſenſum , & diſſenſum : quod ſic patet ; nam tàm conſenſus , quàm diſſenſus non requirit, etiam in ſua cauſa , ad hoc vt ſit conditionatè futurus, niſi quæ ſufficiunt, vt ſit poſsibilis : ſed tam conſenſus , quam diſſenſus habet, quod requiritur, vt ſit poſſibilis ; ergo habet, vt ſit conditionatè futurus; & conſequenter vterque eſſet conditionatè futurus : nihil autem abſurdius, quã aſſerere vtrumque ſub eadem conditione eſſe conditionatè futurum. Conſequentia eſt evidens ; maior eſt argumenti doctrina. Minor etiam eſt evidens,vterque enim,tàm conſenſus,quàm diſſenſus eſt poſsibilis;vterque enim habet,quod requiritur vt ſit poſſibilis : implicat enim aliquid eſſe poſſibile , ſi ipſi deficiat aliquod requiſitum, vt ſit poſsibile; ſicut implicat eſſe album , ſi ipſi deficiat aliquid requiſitum , vt ſit album.

74 Inſuper , vt ipſi aſſerunt nulla denominatio, ſeù effectus formalis ampliùs requirit , vt ſit, quam quæ ſufficiunt, vt ſit: ſed vt conſenſus ſit conditionatè futurus, ſufficiunt illa,quæ requiruntur, vt ſit poſsibilis; ergo vt ſit conditionatè futurus,ſolùm requirit, quæ requiruntur , vt ſit poſsibilis; & idem eſt de diſſenſu : at vterque habet actu omnia illa,quæ requiruntur, vt ſit poſſibilis; ergo vterque habet actu , quæ ſufficiunt,vt ſit conditionatè futurus. Tunc ſic; ſed implicat habere actu,quæ requiruntur, vt ſit conditionatè futurus , quin ſit conditionatè futurus; ſicut implicat aliquid habere omnia , quę requiruntur vt ſit album, quin ſit album ; ergo implicat iuxta argumentum,non eſſe vtrumque contradictorium conditionatè futurum.

75 Inſuper , vt ipſi in argumento præcedenti aſſerebant, implicat, quod dentur omnia requiſita ad denominationem, quin detur denominatio: ex quo inferebant implicare decreta abſoluta conditionis , & conditionati non preſupponere decretum conditionatum , ſi hoc ſit poſsibile ; nam exiſtentibus decretis abſolutis exiſtunt , & dantur omnia requiſita ad decretum conditionatum, ſeù ad hoc, vt Deus determinetur,& ſit conditionatè decernens; ergo cum defacto dentur omnia requiſita, vt vterque, tàm conſenſus, quàm diſſenſus ſit conditionatè futurus, vterque erit conditionatè futurus ſub eadem conditione. Ex quo rurſus infertur Deum vtrique contradictorio aſſentiri,& cognoſcere eſſe conditionatè futurum conſenſum , & non eſſe conditionatè futurum; quo nihil abſurdius.

76 Neganda eſt ergo minor. Ad cuius probationem iterùm,neganda eſt minor; ſicut enim,quod aliquid poſsibile exiſtat,aliquid eſt præter puram poſsibilitatem, vt ipſi admittunt; pariter,quod aliquid poſſibile foret, aliquid eſt præter puram poſsibilitatem : vtrumque enim eſt aliquid contingens ; ac proinde aliquid addens ad poſſibilitatem , quæ neceſſariò convenit. Ad cuius probationem admittimus libertatem creatam determinandam fore ad conſenſum, vel diſſenſum,eo quod ſit neceſsitas ad aliquem illorum vage ; ac proindè Deum cognoſcere ſic determinandam fore ; ad quam cognitionem neceſſarium non eſt decretum defacto exiſtens : ſuppoſita enim neceſsitate libertatis ad aliquem illorum vage , ex libertate neceſſario infertur aliquis illorum vage ; eſtque bona conſequentia, ſi ponatur libertas ad diſſenſum,& conſenſum, eſſet conſenſus , vel diſſenſus ; eſtque veritas huius propoſitionis neceſſaria, atqueadeó non indigens decreto , vt à Deo cognoſcatur ; ſicut neque iſta , ſi daretur prædeterminatio ad conſenſum , eſſet conſenſus.

77 Admiſsimus determinandam fore ad conſenſum,vel diſſenſum;quia quãtum ad preſens nihil intereſt examinare, in quo ſenſu verum ſit : ſi enim per conſenſum,& diſſenſum intelligantur actus poſitivi, ex libertate,& indifferentia ad illos,non infertur aliquis illorum etiam vage , ſi ſit poſsibilis omiſsio illorum , & ſimul exiſtat indifferentia ad illam : Et quamvis ex parte conditionis ponatur libertas ſolum ad vnũ ex illis vage , non infertur illatione metaphiſica aliquis illorum vage, ſed ſolum phiſica; ſicut ex igne applicato ad comburendum infertur combuſtio : poteſt enim Deus poſita libertate,& indifferentia ad ſolos illos actus negare concurſum ad vtrumque, in quo caſu eſſet libertas ſine aliquo illorum ; licèt tunc omiſsio illorum non eſſet

set libera voluntati. Sed de his satis.

Illo ergo admisso, rectè infertur, quod vt vnus illorum vage nihil esset magis actu, quam esse posibile, sicut quod poneretur consensus, si poneretur prædeterminatio ad illum, nihil actu magis est, quam esse posibilem; sicut etiam, quod si homo est, est animal rationale, nihil magis est actu, quam esse posibilem hominem.

78 Sed non video, qua consequentia inferatur, quod esse consensum conditionatè futurum, nihil magis sit actu, quam esse posibilem; ex vaga enim, & indefinita ad determinatam nulla est illatio. Nec obstat, quod subsumitur; dicimus enim esse verum, quod non aliter existeret consensus, vel dissensus, nisi quatenus vnus determinatè existeret: hoc tamen indifferentiam ad vnum, & alterum non tollit; cum enim consensus, & etiam hic consensus sit aliquid determinatè, & similiter dissensus, seù hic dissensus, dandum esse vnum determinatè, non determinat consensum, sed relinquit indifferentiam ad vnum, & alterum; sicut quod aliquis homo determinatè existat, adhùc non determinat hunc hominem, designato Petro, sed relinquit indifferentiam ad omnes; potestque purificari, quod aliquis homo determinatè existit, vel per hoc, quod Petrus existat, vel Franciscus: sicut enim datur individuum vagum, datur vaga determinatio. Nec oppositum infertur, ex eo, quod posita libertate, nec neuter, nec vterque poneretur, sed solùm aliquem vage ponendum. Similiter, nec ex eo, quod necessitas illa vaga ad existentiam vnius è duobus contradictorijs exerceri non potest, nec posset, nisi per existentiam vnius determinatè, sed solùm ponendum esse vnum determinate, consensus scilicèt, vel dissensum, quod aliquid vagum est, & indifferens ad vtrumque: qua ratione ex hac veritate necessaria, Petrus est, vel Petrus non est, nulla ex partibus determinatè infertur. Similiter ex eo, quod libertas, quæ defacto datur, habet ponere vnum determinatè, solùm infertur vnum ex illis existere, non tamen quisnam illorum; similiter ex libertate, quæ daretur, solùm infertur ponendum fore vnum ex illis, non tamen quisnam illorum præ alio.

79 Et argumentum habet plures instantias. Independenter à decreto defacto existenti, & pro priori ad illud libertas Dei talis est naturæ, vt sit determinata, & necessitata ad vnum ê duobus vage, nimirùm, ad volendum creare mundum, & ad huius volitionis omissionem; estque prædicatum essentiale libertatis divinæ in actu primo hæc indifferentia ad vnum è duobus, & determinatio, & necessitas ad aliquod vage: & tamen independenter à decreto, seù exercitio voluntatis divinę defacto existenti, aut pro signo antecedenti exercitium suæ voluntatis, Deus non cognoscit, quodnam ex illis erit pro signo posteriori; aliàs antecedenter ad decretum liberum Deus cognosceret futura, nedum libera creaturæ, sed quę solùm in potestate Dei sunt; quod Recentiores non concedunt, & merito.

80 Similiter vt sit verum pro signo indifferentiæ voluntatis divinæ, seú pro signo antecedenti decretum, extiturum esse decretum creandi mundum pro altero posteriori, nihil aliud requiritur actu pro illo signo, nisi quæ requiruntur ad posibilitatem decreti; sed pro illo signo dantur requisita ad posibilitatem; ergo requisita, vt sit verum pro illo signo extiturum esse decretum pro altero posteriori. Maior probatur ex necessitate vaga libertatis divinæ, & etiam ex eo, quod vt decretum existat pro altero posteriori non requiritur aliud decretum antecedens, & existens pro priori. Minor autem est evidens; & tamen consequẽs falsum est, & ab ipsis non admittitur, neque admitti potest, vt alibi videbimus: & pro nunc eius falsitas satis apparet, ex eo, quod, cum decretum divinum ex illa cognitione infallibiliter, & à priori inferatur liberum non esset, & prima determinatio ad existentiam creaturę non ex voluntate divina, sed aliundè esset; quod chimęricum est.

81 Aliter etiam explicatur, & instatur in futuris absolutis, quæ sine aliquo decreto abęterno existenti intelligi non possunt abæterno futura, sivè decretum sit efficax, sivè inefficax; sicque potest formari argumentum; vt consensus, v.g. sit absolutè futurus, nihil ampliùs requiritur, quam illa, quæ ad eius posibilitatem requiruntur: sed pro priori ad omne decretum habet requisita ad posibilitatem; ergo requisita ad futuritionem. Minor est certa, & maior probatur. Ex indifferentia Dei, quæ est necessitas ad vnum è duobus: & similiter, quia vt existat in tempore futurum, non requiritur aliquid aliud dari pro signo antecedenti decretum, præter requisita ad posibilitatem: ex quo tamen nullatenus convinci potest futura absoluta esse, aut intelligi futura antecedenter ad decretum.

Ha-

82 Habet etiam instantiam manifestam in sententia Recentiorum, iuxta quam conditionata dependentia immediatè à voluntate divina non cognoscuntur à Deo, nec vt futura etiam conditionatè ante purificationem conditionis, v. g. gloria Petri erit, si ipse illam meruerit, seù conferam gloriam Petro sub conditione meritorum ipsius, quæ quidem gloria, nec futura est conditionatè, nec à Deo proùt sic cognosci potest ante purificationem conditionis, & decretum absolutum illam conferendi, si non adsit decretum conditionatum illam conferendi, qualiter defacto datur inclusum in promissione conditionata: iuxta quam sic formatur argumentum; vt gloria Petri sit futura sub illa conditione, nō magis requiritur, quam vt sit possibilis; sed vt sit possibilis, non requiritur decretum conditionatum, aut absolutum; ergo nec vt sit futura conditionatè, nec ad hoc, vt à Deo cognoscatur futura.

83 Nec ipsi Recentiores aliquam excusationem habere possunt; cum ipsi argumentum conficiant, & convincere intendant, etiam si voluntas nostra sit determinanda ad consensum prędeterminatione Thomistica: in qua suppositione consensus liber creaturæ dependet essentialiter, & immediate à Deo medio decreto efficaci absoluto; ac proindè probare intendunt independenter à decreto conditionato, vel absoluto defacto existenti cognoscere conditionatè futurum; quod à Deo vt immediato Domino dependet; & consequenter cognoscere suum decretum absolutum, & efficax, vt conditionatè futurum, seù extiturum per scientiam conditionatam ante purificationem conditionis; quod ipsi exprofesso impugnant.

84 Ad confirmationem concessa maiori, distinguenda est minor, vt verum sit pro priori ad decreta absoluta, quod daret auxilium efficax, nego minorem, ad dādum absolutè auxilium efficax, concedo minorem; & distinguatur consequens eodem modo. Dicimus ergo, quod vt Deus det auxilium efficax ad consensum, necessarium non est, quod illud conditionatè decernat: ad hoc autem vt verum sit pro signo antecedenti decretum absolutum, dandum fore conditionatè, necessarium est decretum conditionatum; sicut ad hoc, quod Deus conferat Petro merita, necessarium non est decretum intentivum gloriæ per modum coronæ; ad hoc autem vt merita intelligantur futura pro signo antecedenti decretum illorum, necessarium est decretum intentivum gloriæ, vel aliud simile connexum cum eorum existentia. Similiter ad hoc, vt Deus decernat Petrum existere, non est necessarium aliud decretum reflexum præcedens decretum directum: & tamen vt pro priori ad decretum directum producendi Petrū, sit verum Deum producturum esse Petrū, necessarium est decretum reflexum præcedens directum, vel aliud simile connexum cum illo, & cum existentia Petri in tempore.

85 Insuper, si Deus vellet conferre gloriam Petro propter merita, conferret illam, & daretur gloria, vt præmium meritorum: at vt Deus vellet dare gloriam propter merita, necessarium non est decretum conditionatum, scilicèt dandi illam sub conditione meritorum; ergo vt Deus daret gloriam propter merita, non est necessariū decretum conditionatum; & consequenter nec ad hoc, vt verum sit indepenter à decreto conditionato, & pro priori ad absoluta Deus vellet conferre illa. Ecce argumentum ipsorum, in quo maior est evidens, minor eodem modo probatur, atque ipsi probant suæ confirmationis minorem, scilicèt, quia vt Deus vellet conferre gloriam, necessarium non est decretum conditionatum, vtpotè Deus potest velle absolutè conferre gloriam sine prævio decreto conditionato: & tamen consequens ab ipsis negatur; argumentum ergo in eo peccat, quod minor est equivoca, habetque duplicem sensum supra explicatum.

86 Sed contra hanc solutionem insurgunt Recentiores: & primo ex illa sic inferunt; iam ergo Deus nunquam peiungit, aut iungit conditionatum cum absoluto; iam ergo coniunctio illa esset superflua; siquidem nec conveniens est, vt Petrus convertatur; neque vt converteretur; quando quidem, quia ipse converteretur, conveniens non est, vel ipsi Petro, quia satis convertitur, aut convertetur, quamvis non converteretur; vel Deo convertenti, quia vt summè potens, sapiens, & amans sit, non debet prius disponere, quod Petrus converteretur, quam quod convertatur; iam ergo illa decretorum coniunctio est etiam repugnans, vtpotè superflua, nullique bona, aut conveniens: at hoc ipso decretum conditionale præstare non potest, vt Petrus converteretur, seu vt conversio Petri esset conditionate futura.

Se-

87 Secundo; eo præcisè, quod Deus in statu absoluto decernat consensum nostrum, est consensus determinatè absolutè futurus; ergo eo præcisè, quod Deus absolutè decerneret consensum, consensus esset absolutè determinatè futurus: at vt Deus absolutè decerneret consensum, non debet priùs illum conditionaliter decernere; vt ipsi Thomistæ merito fatentur; ergo vt consensus esset absolutè determinatè futurus, non debet Deus priùs illum conditionaliter decernere: sed consensum forè absolutè futurum est, esse cõditionaliter futorum; ergo vt consensus sit conditionatè futurus, non debet priùs conditionaliter decerni.

88 Tertio; à parte rei in existendo, seù formaliter in seipso nihil est, aut esset vagum, aut disiunctum, sed determinatum: omnis enim disiunctio consistit vno ex tribus modis; primo intentionaliter, nempè in nostro conceptu nesciente determinare, aut designare quidquid re ipsa determinatum est, aut foret: Secundo causaliter, nempè in causa, quæ cum nullo determinatè effectu connectitur; & tamen nequit sine omnibus, seú cum eorum carentia existere, vt libertas nostra; atque etiam divina, quæ sine omni libero exercitio repugnat. Tertio effectivè, nempè in effectu, qui cum vna causa secunda determinata non connectitur; sine omni tamen existere non potest; sicut visio corporea, respectu cuius aliquis oculus dicitur requisitus, non tamen dexter, aut sinister determinatè, & in singulari: in presenti autem futurum conditionatum, exempli gratia, talis conversio Iudæ non est indeterminatus effectus, siquidem est, aut esset effectus cum determinata, & singulari causa connexus; est ergo indeterminatum primo, aut secundo modo, nempè intentionaliter, aut causaliter, quatenus nec intellectus noster decernit quale futurum sit, vel esset; nec voluntas Iudæ habet ex se connexionem potiùs cum vna, quam cum alia, quamvis ipsa vnum duorum extremorum determinaret; & propterea quale illud sit, aut foret.

89 Quarto, quia argumentum factum non intendit ex necessitate vaga ad vnum è duobus, vnum determinatè, & in singulari præ alio inferri; quippè hoc plures habet instantias, tàm in libertate divina, in qua Deus non cognoscit pro signo libertatis illius extremum determinatè, ad quod determinanda est; quam in libertate creata, in qua Deus non cognoscit extremum, ad quod est determinanda, sed in ipsa determinatione creata; in indifferenti enim vt indifferens est, non potest aliquod determinatè cognosci; sed solùm intendit necessitatem illam vagam reperiri non posse sine veritate determinata: Sicut libertas creata, v. g. quæ est necessitas vaga ad vnum è duobus, dari non potest, quin detur vnum ex illis determinatè absolutè, licèt non pro signo necessitatis vagæ, seú libertatis in actu primo; at Thomistæ arbitrantur, & merito, posse Deum simpliciter nihil conditionatè circa conditionata decernere; ergo iam tunc, non tantum in aliquo signo, sed realiter in tota æternitate esset conditionatè, aut per modum conditionis necessitas vaga consensus, vel dissensus, quin etiam realiter esset determinata conditionatè ad vnum.

90 Sed istę impugnationes non vrgent. Et prima illatio primæ impugnationis vndè inferatur ignoro; ex eo enim, quod non sit necessaria coniunctio decreti conditionalis, & absoluti, etiam ex suppositione absoluti, nullatenus infertur, nunquam cõiungi; sicut ex eo, quod non sit necessaria coniunctio decreti intentivi gloriæ cum decreto meritorum, adhúc ex suppositione decreti meritorum, nullatenus infertur nũquam coniungi: nec ex eo, quod non sit necessaria coniunctio decreti prædiffinitivi consensus cum decreto auxiliorum, quibus voluntas prævisa est consensura, non infertur nunquam coniungi huiusmodi decreta in sententia Recentiorum.

91 Secunda illatio etiam deficit; ex eo enim, quod non sit necessaria coniunctio ad existentiam absolutam consensus, non infertur esse superfluã; vt patet in exemplis adductis. Nec oppositum convincitur ex eo, quod decretum conditionatum non sit necessarium, vt Petrus convertatur; quamvis enim non sit necessarium, seù exactum ex parte consensus, conveniens est, vt Deus possit prævio decreto conditionato illum convertere; quod quidem Deus potest habere propter plures fines suæ providentiæ habetque instantias adductas; & insuper in statu conditionato gloriæ sub conditione, scilicèt, meritorum, quod admittunt Adversarij, & sine quo potest quis consequi absolutè gloriam. Nec hoc decretum sic à nobis constituitur, quasi sine illo Deus non esset summè potens, & sapiens; quamvis si non posset conditionaliter decernere, minus esset potens, & non tam ampla eius

pro-

providentia,vt in exemplis adductis cõstat.

92 Ad secundam impugnationem etiam constat, concedimus enim primum enthymema,& ad propositionem subiunctam,dicendum vtsuprà ; quod vt sit verum pro illo signo,quod Deus decerneret consensum,necessarium est decretum conditionatum ratione sæpè dicta ; quod etiam docent Recentiores,asserentes Deum non cognoscere per Scientiam Mediam sua decreta ante purificationem conditionis : ad hoc autem,vt absolutè decernat, necessariũ non est;& ratiò est,quia potest absolutè decernere , quin fuerit verum pro signo antecedenti decretum esse extiturum sub illa conditione;sicut ad decernendum Petrum, non est necessarium aliud decretum reflexum præcedens directum : vt autem pro signo antecedenti sit verum , quod decernet, necessarium est reflexum, vel aliud simile connexum cum decreto directo , & existentia Petri.

93 Ad tertiam admissa distinctione disiunctionis vagæ , Deus solùm sciret quod posita voluntate Iudæ indifferenti, foret aliquod extremum vage , & quod esset aliquod,quod Deus disponeret : quod autem Deus in tali hypothesi disponeret, non scit ante eius determinationem , quæ est prima,& ante quam omnia indifferentia sunt.

94 Ad quartam , quæ non in alio vim argumenti ponit,quam in nude vagis,& in eo consistit, quod necessarium est dari in re,& à parte rei vnam ex propositionibus contradictorijs esse veram determinatè , & alteram determinatè falsam,quę proindè à Deo ignorari non potest.Respondetur concedendo necessarium esse,alteram esse determinatè veram , & alteram determinatè falsam in re,nec à Deo ignorari posse,quęnam illarum sit determinate vera:hoc tamẽ ideò est,quia etiam est necessarium Deum determinare consensum,v. g. sub conditione,vel illum non determinare ; si determinet , verum est extiturum consensum sub conditione;si non determinet,est falsum:sicut necessariũ est, quod aliqua ex his propositionibus sit abæterno vera in re , & à parte rei,Petrus consentiet,Petrus non cõsentiet,& quęnam sit vera à Deo ignorari non potest ; ideò tamen est, quia etiam est necessarium,Deum abæterno decernere,vel non decernere cõsensum; & si decernit,erit vera affirmativa,& negativa falsa;si autẽ nõ decernit,è contra; habetque instantiam adductam in sententia Recentiorum , iuxta quam posita conditione meritorum,voluntas divina est determinata ad dandam gloriam propter illam, vel non dandam. De quo iterùm sermo dubio sequenti , & hæc de isto sufficiant applicanda litteræ M. vbi suprà dubijs præcedentibus.

DVBIVM IX.

Vtrùm erga futura conditionata possit manere suspensus , saltim per volitionem, qua velit circa illa nihil decernere.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi pro vtraque parte.

1 QUANTUM Ad præsens institutum est ratio dubitandi,quia iuxta dicta, Deus cognoscit futura conditionata contingentia : at illa cognoscere non potest sine decreto conditionato ; ergo necessarium est, quod Deus erga omnia conditionata contingentia habeat decretum conditionatũ. Pro opposita parte etiam est ratio dubitandi, nam iuxta dicta , potest Deus omittens decretum conditionatum eventus,purificare conditionem , & decernere eventum: sed in tali hypothesi Deus non habet decretum conditionatum eventus,quia absolutè datur,vt supponimus;nec habet decretum conditionatum eventus oppositi ; quia decretum conditionatum dissensus,v.grat. componi non potest cum eo, quod purificata conditione absolutè sit consensus;ergo potest Deus decernens purificare conditionem,& ponere sub illa consensum, omittere decretum conditionatum consensus : & similiter omittere decretum conditionatũ dissensus,& omissionis consensus;& consequenter potest omittere omne decretum conditionatum erga consensum,vel dissensum sub conditione libertatis ad illa.

2 Vt explicetur veritas supponendũ est; dupliciter posse dici divinam voluntatem manere suspensam erga aliquod obiectum: vel per omissionẽ omnis actus erga illud; vel per hoc , quod Deus positivè velit erga

illud obiectum nihil decernere. Primum docuerunt posibile in voluntate divina, Durandus, Ferrara, Catherinus, M. Curiel, Illustris. noster Herrera in manuscriptis, quos refert, & sequitur Illustris. Godoy de Voluntate Dei, tract. 6. disp. 55. §. 1. quem etiam sequitur M. Gonet de Libertate Voluntatis Divinæ, art. 3. eamque supponit disput. 5. de Scientia Media, §. 5. Secundum autem docuere Recentiores, quos referunt Salmanticenses, tractatu 4. disp. 5. dub. 3. Horum autem differentia ad præsens parum interest; sivè enim omisio sit purè decreti conditionati, sivè orta ex actu positivo, quo Deus nihil erga illud vult decernere, eadem nobis videtur resultare difficultas. Alij verò Thomistæ negant, voluntatem divinam vllo ex illis modis posse manere suspensam. Sic Navarrete, Nazarius, Albelda, & alij extra Scholam D. Thomæ, quos referunt, & sequuntur PP. Salmanticenses vbi suprà.

3 Secundo supponendum est, nos in præsenti non disputare absolutè, vtrùm voluntas divina potuerit manere suspensa, seù omittere omnem actum positivum; sed solùm circa conditionata contingentia, & hoc præcipuè ex principijs iactis: qualiter scilicèt componatur cum suspensione decreti conditionati doctrina à nobis stabilita; quæ suspensio, seù omisio posibilis constat ex dictis: si enim Deus potest omittere decretum conditionatum, purificare conditionem, & decernere eventum, certum est non habere decretum aliquod cõditionatum erga eventum sub illa conditione, vt ex ratione dubitandi constat.

4 Tertio est supponendum, voluntatem liberam in actu primo, quæ ex parte conditionis ponitur in his conditionatis posse considerari indifferenter ad consensum, & dissensum, & puram vtriusq; omissionem, iuxta sentẽtiam probabilem omissionis puræ. Secundo potest ex parte conditionis poni libertas creata, seù voluntas indifferens solùm ad consensum, vel dissensum, & determinata, seù necesitata ad vnũ ex illis vage. Tertio potest constitui ex parte conditionis voluntas indifferens ad consensum, & dissensum, & omisionem illorum non pure, sed occasionatam, seù causatam ex aliquo actu positivo inferenti omisionem tàm consensus, quàm dissensus.

§. II.

Deciditur Quæstio nostra.

5 PRIMA Conclusio, si ex parte conditionis ponatur libertas indifferens ad consensum, & dissensum, & puram omisionem illorum, determinata, seù necesitata ad vnum ex illis tribus vage, & Deus omittat decretum positivum tàm assensus, quàm dissensus, propositio affirmans consensum sub illa cõditione est falsa in sensu purè conditionali, & similiter affirmans dissensum: est tamen vera negativa dissensus, & consensus, & affirmans vtriusq; omisionem: v.g. si Petrus constituatur in hac occasione indifferens ad consensum, & dissensum, & ad puram omissionem, consentiret. Et similiter ista, si Petrus in prædicta occasione constitueretur prædicto modo indifferens, dissentiret; hęc autem vera; si Petrus constitueretur in occasione prædicta, non consentiret, neque dissentiret, sed purè omitteret. Prima pars probatur: vt sit futurus consensus sub conditione, & vt sit verum esse futurum in sensu purè conditionali, necessarium est decretum conditionatum, quo Deus decerneret sub illa conditione eius existentiam; ergo hoc deficiente non est futurus conditionatè, nec potest esse verum, esse sub illa conditione futurum: & eodem modo probatur de dissensu per actum positivum, de quo loquimur, ad cuius futuritionem etiã est necessarium decretum conditionatum illius; atqueadeò illo deficiente, conditionaliter non est futurus. Ex quo manifestè infertur illas propositiones esse falsas: tùm; quia propositio in re, & à parte rei non potest non esse determinatè vera, aut determinatè falsa; ergo si non est vera, erit determinatè falsa: tùm etiam, quia si non est vera in re, ideò est, quia non ita est in re, sicut per illam significatur. Nam inter ita esse, quod ad veritatem sufficit, & non ita esse, non datur in re medium: si autem in re non ita est, erit falsa.

6 Quod autem alia propositio in qua negatur sub illa hypothesi consensus, & dissen-

ſenſus,& affirmatur eorum omiſsio ſit vera;patet: tùm,quia contradictoria eſt falſa: tùm,quia ita eſt,ſicut per illam ſignificatur; negatur enim eorũ conditionata futuritio, quę non eſt;vtpotè deficit decretum conditionatum,in quo conſiſtit, ſicut deficiente albedine,quæ album conſtituit,verè negatur album. Quod autem verè affirmetur omiſsio libera vtriuſq; etiã patet: tùm;quia vt ſit futura omiſsio conditionatè, ſufficit negatio decretorum conſenſus,& diſſenſus: tùm;quia ex neceſsitate vaga ad vnum ex illis tribus exercitijs voluntatis, & ex negatione decreti conſenſus,& diſſenſus, infertur futuritio conditionata omiſsionis; & eſt infallibile argumentum, idemque ac ſi argueretur à diſiunctiva conſtante ex tribus propoſitionibus, cũ negatione duarum ad poſitionem alteriùs; ex neceſsitate enim vaga rectè infertur hæc diſiunctiva; *ſub illa conditione erit conſenſus, vel diſſenſus, vel omiſsio vtriuſque*; & in omiſsione decreti conſenſus,& diſſenſus, infertur negatio futuritionis, tàm conſenſus, quàm diſſenſus; atqueadeò infertur tertia propoſitio, nimirùm, quod erit omiſsio vtriuſque: & idem dicendum eſt de voluntate determinata, & neceſsitata ſolùm ad cõſenſum,vel omiſsionem illius, ita vt nulla ſit potentia in voluntate ad alterum exercitium. Hæc omnia intelligenda ſunt iuxta ſupradicta, & in ſenſu purè conditionali:quod infra ampliùs explicabitur.

7 Secunda concluſio: ſi ex parte conditionis ponatur voluntas indifferens ſolum ad conſenſum, & diſſenſum, & neceſsitata ad vnum è duobus, impotens ad omittendum vtrumque, tám omiſsione pura, quàm occaſionata ex alio actu, & Deus omittat decretum conditionatum, tàm conſenſus, quàm diſſenſus, cognoſcit, quod ſi Petrus conſtitueretur cum tali indifferentia, attenta natura rerum eligeret vnum è duobus, ipſumque Deum decreturum vnum illorum, quem ipſe vellet; nullum tamen determinatè cognoſcit futurum conditionatè prę alio attenta rerum natura: abſolutè tamen cognoſcit ex vi omiſsionis decretorum nullum eſſe futurum conditionatè futuritione omninò infallibili ex vi illius providentiæ,ſeù futuritione purè conditionata.

8 Hæc concluſio explicatur ſimul, & probatur.Prima pars ſic: voluntas cum illa indifferentia, neceſsitata vage, non poteſt naturaliter exiſtere ſine aliquo ex illis actibus; ergo Deus ex vi illius indifferentiæ, ſic determinatè cognoſcit, quod attenta natura rerum ipſe determinaturus eſſet voluntatem ad vnum illis: eadem enim exigentia, qua voluntas ſic determinata exigit vnum ex illis vage, exigit determinationem Dei ad vnum ex illis; ſicut ex neceſsitate naturali ignis ad comburendum, cognoſcit, quod ſi hic ignis applicaretur huic paſſo, attenta natura rerum eſſet futura combuſtio, etſi ignis conſtituatur indifferens ad plures combuſtiones, ſeù actiones numero diſtinctas,etiam Deus cognoſcit, quod attenta natura rerum decerneret cõbuſtionẽ,quã ipſe vellet.

9 Quod autem nullum ex illis determinatè cognoſcat futurum: probatur; quia neceſsitas illa vaga ſolùm connectitur cum aliquo vage, non cum aliquo determinatè: & idem contingit in exemplo ignis; ſi enim Deus omitteret decretum cõditionatum combuſtionis, cognoſceret, quod attenta natura rerum concurreret; non tamen cognoſceret,qua actione ſingulari; quia nihil datur connexum cum vna determinatè præ alia; ſed cognoſceret ab ipſo forè determinandam pro ſua voluntate: in quo ſemper debet ſervari diſparitas in eo, quod ignis eſſet indifferens ad plures numero combuſtiones purè paſsivè, & ſine potentia ad ſe determinandum: voluntas autem eſſet indifferens,& à Deo determinanda;cum potentia tamen, & dominio ad ſe determinandam.

10 Tandem,quod cognoſceret abſolutè in tali caſu,nullum ex illis actibus eſſe futurum conditionatè futuritione omninò infallibili,& purè conditionata,patet etiam; quia cognoſceret deficere formam vnicè conſtituentem tàm conſenſum, quàm diſſenſum conditionatè infallibiliter futurũ, nimirùm,decretum conditionatum vtriuſq; ergo cognoſceret nullum eſſe purè conditionatè infallibiliter futurum.Ex quo etiam deducitur,quod cognoſceret eſſe futuram conditionatè carentiam vtriuſque actus,nõ abſolutè, ſed ex vi illius providentiæ, & quantum eſt ex meritis omiſsionis vtriuſque actus; vt infra explicabimus.

11 Ex dictis ſequitur tertia concluſio: ſi voluntas conſtituatur ex parte conditionis indifferens ad conſenſum,& diſſenſum, & ad omiſsionem vtriuſque, non puram, ſed occaſionatam ex alio actu, & Deus ſuſpendat, vel omittat decretum omne conditionatum, cognoſcit ex natura

rei, ſub conditione voluntatis ſic conſtitutę futurum eſſe aliquod ex illis exercitijs vage; non tamen vnum determinatè prę alio. Quod ex neceſsitate vaga probatur vt ſupra: ex vi tamen omiſsionis omnis decreti conditionati cognoſcit nullum illorum eſſe conditionatè infallibiliter futurum futuritione purè conditionali,& ſimul cognoſcit extituram omiſsionem illorum, non abſolutè, ſed ex vi illius providentiæ, & in ſenſu infrà explicando.

§. III.

Solvuntur argumenta.

12 CONTRA Primam concluſionem arguitur: ſi in prædicta hypotheſi eſſet verum, quod nec conſentiret, nec diſſentiret, & eſſet falſum, quod conſentiret, & falſum,quod diſſentiret,non poſſet Deus in illa hypotheſi decernere abſolutè conditionem,& conſenſum ſub illa: ſed poteſt vt ſupra diximus,in tali hypotheſi,& omiſſo omni decreto conditionali, purificare conditionem,& decernere conſenſum, vel etiam diſſenſum, vt ſibi placuerit; ergo non eſt verum, in hypotheſi illa, quod nec diſſentiret, nec conſentiret; neque falſum, quod conſentiret, & quod diſſentiret. Minor conſtat ex dictis; & maior facilè probatur; quia manifeſtè implicat, quod purificetur conditio,& ſub illa decernatur abſolutè conſenſus, v. g. & quod ſit verum, quod ſub illa conditione non eſſet conſenſus,& falſum,quod eſſet.

13 Reſpondetur diſtinguendo maiorem, ſi eſſet verum in ſenſu purè conditionali,quod non conſentiret, & falſum, quod conſentiret,nego maiorem; ſi eſſet verum abſolutè, tàm in ſenſu purè conditionali,quàm in ſenſu conditionali, incluſo in abſoluto,concedo maiorem; & conceſſa minori,diſtinguendum eſt conſequens eodem modo.Pro cuius intelligentia recolēda ſunt ſupra dicta, & iterùm advertendum, quod hæc propoſitio *Petrus in illa hypotheſi conſentiret*,in ſenſu purè conditionali,ſignificat verum eſſe, quod conſentiret ex vi illorum, quæ intelliguntur pro priori ad decreta abſoluta: eſſe enim verum in ſenſu purè conditionali; eſt eſſe verum independenter á purificatione conditionis, & decreto abſoluto eventus; atqueadeò eſt eſſe verum ex vi illorum,quæ pro ſigno antecedenti,ſeù præſcindenti à decretis abſolutis intelliguntur: in ſuppoſitione autem facta omiſsionis decreti conditionati, non datur pro illo ſigno,& præciſivè à decretis abſolutis aliquid,ratione cuius poſsit eſſe verū, quod cōſentiret;atqueadeò falſum eſt,quod conſentiret in ſenſu purè conditionali; cum quo componitur, quod poſsit eſſe verum, quod conſentiret pro ſigno poſteriori ſub illa hypotheſi, non in ſenſu purè conditionali,ſed in ſenſu conditionali incluſi in abſoluto;quatenus pro ſigno poſteriori poteſt intelligi decretum abſolutum conditionis, & conſenſus ſub illa; vi quorum decretorū iam conditio connectitur cum conſenſu, licèt non ratione ſui; eſtque bona conſequētia à conditione ad conſenſum, non ex vi terminorum,ſed extrinſecè ratione decretorum;atqueadeò vera eſt conditionalis, licèt illius cognitio,vtpotè ſupponens decreta abſoluta non poſſet dirigere Deum ad purificandam conditionem, & decernendum abſolutè eventum.

14 Sit exemplum in futuris abſolutis: hæc propoſitio *Antì Chriſtus erit*,pro ſigno antecedenti ad decretum abſolutum de producendo Anti-Chriſtum non eſt vera, ſed indifferens pro illo ſigno ad veritatem,& falſitatem: ſi tamen ſignificatur in propoſitione, quod pro ſigno antecedenti decretum, verum eſt, quod Anti-Chriſtus erit,eſt falſa; quia ſignificat dari pro priori ad decretum aliquid,ratione cuius ſit vera; quod falſum eſt,& impoſsibile: cum quo componitur,quod propoſitio illa,quæ non eſt vera pro ſigno antecedenti decretum,ſit vera pro ſigno decreti: ſic ſimiliter hæc propoſitio *Petrus in illa hypotheſi conſentiret*,in ſenſu purè conditionali ſignificat dari pro ſigno antecedenti decreta abſoluta aliquid,ratione cuius ſit vera; quod in hypotheſi facta falſum eſt; id enim ratione cuius poterat verificari pro illo ſigno, eſt ſolùm decretum conditionatum,quod ſupponitur omiſſum: cum quo componitur, quod pro ſigno ſequenti ſit vera, licèt non in ſenſu purè conditionali.

15 Quare autem in ſenſu purè conditionali faciat illum ſenſum, eſt, quia vt diximus, ſenſus purè conditionalis ſig-

significat veritatem conditionalis dari independenter à purificatione conditionis, à qua præscindit: ex quo nascitur, quod cognitio veritatis purè conditionalis potest dirigere Deum ad purificationem conditionis; atqueadeó propositio in sensu purè conditionali significat esse verum ab ipsa enuntiatum independenter à purificatione conditionis.

16 Sed dices, quia propriori ad decretum absolutum producendi Anti-Christum, non datur aliquid, ratione cuius sit verum, quod Anti-Christus erit, non solùm est falsum, quod Anti-Christus est futurus pro illo signo, sed impossibile: esset enim pro signo antecedenti decretum forma futuritionis: hoc autem implicatorium est; ergo similiter, quia pro signo antecedenti decretum, seù præscindente à decretis absolutis, non datur aliquid, ratione cuius sit consensus conditionatè futurus, propositio affirmans illum esse conditionatè futurum in sensu conditionali non solùm est falsa, sed impossibilis: at hoc falsum est, cum hæc propositio: *Si Petrus poneretur in hac occasione, seù hypothesi consentiret*, etiam in sensu conditionali sit possibilis, esto in illa suppositione sit falsa.

17 Sed facilè respondetur, antecedens esse verum, si intelligatur de signo antecedenti omne decretum cum Anti-Christo connexum; sic enim impossibile omninò est dari pro illo signo formam constituentem Anti-Christum futurum; vnica enim forma est decretum connexum cum eius existentia in tempore; & consequenter impossibile est omninò dari pro signo antecedenti omne decretum cum Anti-Christo connexum, formam constituentem ipsum futurum: si autem intelligatur pro signo antecedenti ad decretum directè terminatum ad existentiam Anti-Christi, non est impossibile dari pro illo signo formam constituentem ipsum futurum, saltim radicaliter; quod ad veritatem propositionis, etiam pro illo signo sufficit; nimirùm decretum aliquod intentivum connexum cum decreto directè terminato ad existentiam Anti Christi, quale fortè est decretum intentivum Christi Redemptoris, vel decretum conditionatum illum producendi, quod, addito decreto conditionato purificandi conditionem, connectitur cum existentia Anti-Christi, vel aliud simile præcedens decretum absolutum directè terminatum ad existentiam Anti-Christi, & cum illo connexum. Proportionaliter dicẽdum est in nostro casu, scilicèt, quod prædicta propositio est possibilis in sensu purè conditionali, eo quod pro priori ad decreta absoluta, & independenter ab illis potest dari decretum conditionatũ consensus, quo constitueretur futurus conditionatè, etiam pro signo antecedenti decreta absoluta. In suppositione tamen facta, quod scilicèt pro priori ad decreta absoluta nõ esset decretũ conditionatum, est falsa, & impossibilis ex illa suppositione: quia tamen suppositio accidentalis est, & contingens, porensque non dari, propositio non est impossibilis ex terminis, sed possibilis, & esset vera, si deficeret, vt potest, omissio decreti conditionati.

18 Secundo arguitur contra tertiam partem eiusdem cõclusionis, in qua asserimus in hypothesi facta verè affirmari futuram esse conditionatè omissionẽ vtriusque actus, nempè consensus, & dissensus: ex nostra enim doctrina infertur vtrumque contradictorium, nimirùm, esse futuram conditionatè omissionem vtriusque actus, quod convinci videtur argumento facto in probatione cõclusionis. Insuper, quia omissio decreti constituentis actũ futurum cõstituit futuram omissionem actus; vt patet in decretis absolutis; quia enim Anti-Christus constituitur futurus ex vi decreti dandi illi existentiam, omissio huius decreti constituit futuram absolutè carentiam existentiæ Anti-Christi in tempore; ergo si decretum conditionatum consensus constituit ipsum conditionatè futurum, & idem est de dissensu, omissio vtriusque decreti constituit cõditionatè futuram omissionẽ vtriusque actus. Insuper etiam sequitur oppositũ, nimirùm, non esse futuram conditionatè omissionem vtriusque actus: & manifestè patet; si enim cõstitueretur omissio vtriusque actus conditionatè futura, posita omissione vtriusque decreti, implicatoriũ esset, quod Deus absolutè purificaret conditionẽ, & decerneret consensum: & idem est de dissensu: & tamen posita omissione vtriusque decreti, potest Deus purificare conditionem, & ponere consensum sub illa; vt sæpè diximus; ergo falsũ est, quod ex vi omissionis decreti vtriusque actus, constituitur futura cõditionatè omissio vtriusque actus. Consequentia cõstat; minor à nobis admittitur: & maior probatur; nam implicatoriũ est, quod omissio sit conditionatè futura, & quod posita conditione non detur talis omissio: sicut impossibile est, quod cõsensus

sit conditionatè futurus, & quod purificata conditione non detur talis consensus, qui sub illa erat futurus; ergo implicatorium est, quod omissio sit conditionatè futura, & quod purificata conditione Deus decernat actum, cuius est omissio.

19 Hoc argumentum petit, vt explicemus sensum, in quo asseruimus in hypothesi illa esse futuram conditionatè omissionem vtriusque actus: propterea addidimus, *ex vi illius providentiæ, & in sensu purè conditionali.* Dicimus ergo esse futuram conditionatè ex vi illius providentię; hoc est, esse futuram conditionatè, si aliud decretum non superaddatur: si enim nullum aliud detur, ex vi providentiæ, & dispositionis Dei, quæ pro illo signo intelligitur, esset futura cõditionatè omissio actus; quia tamen pro altero posteriori admittitur alia dispositio, nempè decreta absoluta conditionis, & cõsensus, non verificatur absolutè esse futuram omissionem conditionatè, sed solùm cum prædictis limitationibus, & in sensu contradictorio ad alteram propositionem.

20 Quod alijs terminis fortè potest faciliùs explicari: advertendo iterùm, quod hæc propositio Petrus constitutus in illa hypothesi consentiret, in sensu purè conditionali facit hunc sensum; verum est independenter à decretis absolutis, & præcisive ab illis, quod Petrus consentiret sub illa hypothesi; ac proindè facit sensum, quod pro signo præscindenti ab illis datur forma futuritionis conditionatæ: & idem est de dissensu; est ergo verùm omissionem esse futuram in sensu contradictorio; & propterea ex illo veritatẽ illius probavimus: sensus autem contradictorius non est, esse absolutè omissionem sub conditione futuram: & ratio est, quia esse absolutè sub conditione futuram, negat saltim virtualiter omnem futuritionem conditionatam consensus sub illa hypothesi, omnem ipsam, tàm purè conditionatam, quàm conditionalem ipsam inclusam in absoluta; atque adeò non est pura negatio illius, quod affirmatur per alteram propositionem, affirmantem futuritionem consensus purè conditionatam, quod ad contradictionem requiritur; propterea què potest vtraque esse falsa. Sensus ergo cõtradictorius est, esse futuram omissionem, quatenus ex vi illius dispositionis non est futurus conditionatè consensus, aut dissensus; atque adeò ex vi illius neuter esset: si autem faciat sensum, quod ex vi illius dispositionis datur aliquid, ratione cuius infallibiliter esset omissio vtriusque actus, est falsa, & non contradicit alteri: sicut istæ non sunt contradictoriæ, pro signo præscindenti à decretis absolutis: datur aliquid, ratione cuius sit futurus consensus, pro signo eodem datur aliquid, ratione cuius est futura omissio consensus; vtrumque enim est falsum in hypothesi facta.

21 Cæterùm, quia hæc propositio, omissio vtriusque actus est futura conditionatè ex vi omissionis vtriusque decreti non est vera, nisi tot explicationibus: vt meliùs percipiatur doctrina hęc, mihi videtur dicendum esse absolutè falsam; facit enim sensum, quod in propositione illa pro signo præscindenti à decretis absolutis, datur aliquid, scilicet omissio vtriusque decreti, ratione cuius sit futura omissio actus: hoc autem est falsum; omissio enim vtriusque decreti conditionati componitur cum decretis absolutis conditionis, & consensus; ac proindè non infert infallibiliter omissionem consensus sub illa hypothesi.

22 Ad argumentum ergo negandum est esse absolutè futuram omissionem pro signo antecedenti decreta absoluta, sicut negandum est dari pro illo signo aliquid connexum cum omissione vtriusque actus sub illa conditione. Ad probationem, quæ in argumento adducitur, dicendum est, non quamlibet omissionem decreti constituentis futurum actum, constituere absolutè futuram omissionem actus, nisi sit omissio decreti necessarij, vt actus sit futurus: stat autem benè, quod actus constituatur futurus per decretum connexum cum existentia actus, non tamen necessarium ad illius futuritionem; vt patet in decreto intentivo gloriæ per modum coronæ, vi cuius verum est extitura esse merita; quia tamen hoc decretum non est necessarium, vt merita sint futura, omissio huius decreti non constituit futuram absolutè omissionem meritorum.

23 Et quia decretum producendi Anti-Christum, necessarium est ad illius existentiam, & futuritionem, omissio huius decreti constituit futuram carentiam existentem Anti-Christi in tempore: omissio autem decreti connexi cum existentia Anti-Christi, & constituentis ipsum futurum, non tamen necessarij ad Anti-Christi existentiam, qualia sunt decreta supra recensita, non constituit futuram carentiam existentiæ Anti-Christi in tempore: & quia

decretum conditionatum conſenſus neceſſarium non eſt, vt poſita conditione ponatur conſenſus, ſed ſolùm vt ſit verùm pro ſigno antecedenti decreta abſoluta, carentia huius decreti non conſtituit abſolutè futuram conditionatè omiſsionem conſenſus, ſed ſolùm ſecundum quid, & in ſenſu contradictorio; hoc eſt, ex vi diſpoſitionis, quę pro illo ſigno intelligitur, non eſt futurus conſenſus. Et ratio eſt ſupra adducta; quia vt verum ſit abſolutè, quod in illa hypotheſi poneretur conſenſus in ſenſu abſtrahenti á pure conditionali, & incluſo in abſoluto, ſufficit vnum è duobus, vel decretum conditionatum, vel decreta abſoluta: vndè ex omiſsione decreti conditionati non infertur, niſi ſolùm, quod non eſſet conſenſus ex vi decreti conditionati, ſeù quod non erit in ſenſu purè conditionali, non autem, quod abſolutè non erit.

24 Aliter etiam explicari poteſt differentia inter decretum conditionatum, & omiſsionem illius: cum enim per decretum conditionatum determinetur Deus ad dandam exiſtentiam conſenſui ſub conditione, hac purificata, tenetur Deus decernere conſenſum, nè ſibi contradicat; ac proindè decretum conditionatum conſtituit futurum actum conditionatè; at per omiſsionem decreti conditionati non determinatur Deus ad non purificandam cõditionem, aut non ponendum ſub illa conſenſum; ſed ſolùm ad non decernendum illum conſenſum conditionatè. Quapropter ex omiſsione decreti conditionati ſolùm infertur non extiturum conſenſum ex vi decreti conditionati; non verò non extiturum abſolutè: ſicut ex vi decreti intentivi glorię per modum coronæ determinatur Deus ad decernendum merita; quapropter illo poſito, non poteſt non dari decretum meritorum: at ex omiſsione decreti intentivi gloriæ non infertur non eſſe danda merita, ſed ſolùm non eſſe danda ex illa intentione.

25 Reſtat explicare argumentum, quod deſumpſimus ex neceſsitate vaga, metaphiſica ad vnum ex illis tribus vage. Dicimus ergo, quod ex illa cum negatione futuritionis conditionatæ conſenſus infertur futuritio omiſsionis in ſenſu contradictorio, ni mirùm, neutrum illorum extiturum eſſe ex vi providentiæ, quæ intelligitur pro ſigno præſcindenti à decretis abſolutis: ſicut ex falſitate huius, Anti-Chriſtus eſt futurus pro ſigno antecedenti decreta, ſolũ ſequitur veritas huius; ergo nõ eſt futurus pro ſigno antecedẽri decreta; nõ autem ſequitur; ergo non eſt futurus abſolutè. Similiter ergo ex neceſsitate vaga ad vnum ex illis tribus infertur; ergo eſt futurus conſenſus purè conditionatè, vel eſt futurus diſſenſus purè conditionatè, vel non eſt futurus aliquis illorum purè conditionatè: ex qua disiunctiva cum negatione duarum partium ſequitur veritas tertiæ; nunquam tamen infertur omiſsionem eſſe abſolutè futuram conditionatè, & in hoc ſenſu procedit argumentum à nobis factum.

26 Sed dices; ex neceſsitate vaga non ſolùm infertur disiunctiva illa in ſenſu prædicto, ſed infertur hæc disiunctiva abſolutè; ergo vel conſenſus eſt conditionatè futurus, vel diſſenſus eſt conditionatè futurus, vel omiſsio vtriuſque conditionatè eſt futura: implicat enim, quod purificetur conditio, & quod non ſit aliquod ex illis exercitijs: at ab hac disiunctiva cum negatione duarum partium eſt infallibile argumentum ad tertiam; ergo ſequitur omiſsionem eſſe abſolutè futuram ſub illa conditione, & non ſolùm in ſenſu purè conditionali.

27 Reſpondetur; quod ſi loquamur de futuritione purè conditionata, non infertur disiunctiva illa; neutrum enim ex illis exercitijs eſſet purè conditionatè futurum; cum poſsit nihil dari antecedenter ad decreta abſoluta inferens aliquod illorum determinatè: vndè in ſenſu purè conditionali tertia propoſitio, quę infertur, eſt iſta: neuter ex illis actibus eſt purè conditionatè futurus; & conſequenter ex disiunctiva cum negatione duarum partium ſolùm infertur hæc tertia. Si autem ſummatur conditionalis illa, non in ſenſu purè conditionali, ſed abſtrahenti, infertur disiunctiva illa, & cum negatione duarum partium infertur tertia: in hypotheſi autem illa non verè negantur duæ primæ partes, quouſque intelligatur carentia decreti abſoluti vtriuſque actus: hac autem intellecta, vera eſt tertia propoſitio, quę, negatis primis, infertur, nimirùm eſſe futuram ſub illa conditione omiſsionem vtriuſque actus.

§. IV.

§. IV.

Ex dictis aliqua inferuntur.

28 EX Dictis infertur ſenſus, & veritas primæ concluſionis, ſcilicèt, quod ſi ponatur ex parte conditionis libertas, & indifferentia ſolùm ad cõſenſum,& diſſenſum,& puram omiſsionem vtriuſque cum neceſsitate vaga ad vnum ex illis, quæ non poteſt non eſſe metaphiſica in hypotheſi facta, in qua, ſi daretur carentia vtriuſque actus, non poſſet non eſſe omiſsio libera,& omittat Deus decretum conditionatum vtriuſque actus, vel per puram ſuſpenſionem, vel medio decreto, quo Deus nollit purificare conditionem, quo etiam nollit ſub illa conditionatè decernere: in hac,inquam, hypotheſi propoſitio conditionalis in ſenſu purè conditionali affirmans conſenſum,eſt falſa; quia affirmat dari pro ſigno præſcindẽti à decretis abſolutis aliquid, ratione cuius ſit futurus conſenſus; quod in hypotheſi facta falſum eſt. Similiter iſta eſt falſa in eodem ſenſu, & eadem ratione, ſub illa hypotheſi eſt futurus diſſenſus: & ſimiliter iſta, ſub illa conditione eſt omiſſio futura: quorum eadem eſt ratio; non enim datur pro illo ſigno forma futuritionis alicuius horum; cum nihil detur connexum etiam conditionatè cum aliquo illorum determinatè.

29 Si autem conditionalis ſumatur in ſenſu abſtrahenti à purè conditionali,& conditionali incluſo in abſoluto, in hypotheſi illa pro ſigno prę ſcindente à decretis abſolutis nulla eſt determinatè vera, nec determinatè falſa; & ratio eſt, quia pro illo ſigno omnia ſunt indifferentia ad veritatem,& falſitatem, ſicut hæc Anti-Chriſtus eſt futurus, non eſt determinatè vera, aut determinatè falſa pro ſigno præſcindẽti à decreto abſoluto,& eius omiſsione: abſolutè tamen,& in re, quælibet ex illis cõditionalibus eſt determinatè vera, aut determinatè falſa, & nulla datur indifferens ad veritatem, & falſitatem, etiam in hypotheſi omiſsionis decretorum conditionatorum: & ratio eſt; nam vel datur decretum abſolutum conditionis,& conſenſus, & eſt vera conditionalis affirmans conſenſum: vel datur decretum conditionis, & diſſenſus,& eſt vera affirmans diſſenſum; hæc enim decreta extrinſecè connectunt conditionem cum conſenſu: vel omittit decretum abſolutum, & eſt vera conditionalis affirmans omiſsionem vtriuſque, ſivè purificetur conditio, ſivè non: ſi enim purificatur conditio, non poteſt ſub illa eſſe conſenſus, qui exiſtere non poteſt ſine decreto abſoluto, cuius omiſsio ſupponitur: nec poteſt eſſe diſſenſus eadem ratione; & conſequenter eſſet vtriuſque carentia, quæ in ſuppoſitione facta non poteſt non eſſe omninò libera; vtpotè ſupponitur ex parte conditionis potentia, & indifferentia ad conſenſum,& diſſenſum, & puram omiſſionem illorum: ſi autem purificatur conditio, etiam eſt vera; quia ex omiſsione decretorum conſenſus,& diſſenſus, etiam ſi purificaretur conditio, nullus illorum eſſet; & conſequenter eſſet illorum carentia, quæ vt dictum eſt, in ſuppoſitione facta, eſſet libera omiſsio.

30 Si dicas; ſi Deus purificaret conditionem, poſſet decernere conſenſum, & fortè decerneret; ergo ſi purificaret conditionem, non eſſet verum, quod eſſet omiſsio illius determinatè. Concedimus, quod ſi Deus purificaret conditionem, ex vi huius poſſet decernere conſenſum; ex purificatione enim conditionis ad neutrum neceſsitatur: vndè ex vi illius non eſt verum, quod eſſet omiſsio conſenſus: adiuncta autem carentia decreti abſoluti conſenſus, Deus iam eſt impotens ad decernẽdum conſenſum; & conſequenter cognoſcit non eſſe futurum conſenſum, ſed eius omiſsio: ſi verò purificata conditione, Deus decerneret conſenſum, iam eſſet verum, quod eſſet conſenſus ſub illa conditione; ſed ex vi carentiæ huius decreti, quæ ſupponitur, falſum eſt, & verum, quod eſſet omiſsio illius; nec mirùm, quod propoſitio, quæ modo falſa eſt ex carentia decreti, eſſet vera, ſi poneretur decretum: ſicut iſta alius mũdus eſt futurus, eſt falſa ex vi omiſsionis decreti illum creandi, quæ tamen eſſet vera, ſi daretur decretum.

31 Deindè advertendum eſt circa ſecundam concluſionem; quod in illa loquimur de neceſsitate metaphiſica ad vnum è duobus, conſenſum, ſcilicèt, & diſſen-

diſſe nſum; quæ contingere poteſt, vel quia non eſt poſsibilis pura omiſsio libera, & non datur iudicium indifferens ad actum, illam occaſionantem, vel quia licèt poſsibilis ſit, iudicium tamen eſt determinatum ad conſenſum,& diſſenſum vage, ſine aliqua indifferentia ad omittendum vllo modo; an autem hoc ſit poſsibile, modo non diſputamus. In qua hypotheſi nullus illorum actuum eſſet purè conditionatè infallibiliter futurus, ſi Deus omittat decreta conditionata, ratione ibi facta; eſſetque futura illorum carentia in ſenſu contradictorio, quatenus nullus illorum eſſet purè cõditionatè futurus,& abſolutè eſſet falſum, eſſe infallibiliter purè conditionatè futuram carentiam vtriuſque actus; nihil enim datur pro ſigno præſcindenti à decretis abſolutis in ſuppoſitione facta connexum infallibiliter cum aliquo ex actibus, aut illorum carentia: ſi autem ſupponatur omiſsio decreti abſoluti vtriuſque actus, eſt infallibiliter futura carentia vtriuſque,non tamen libertate, quæ à voluntate eſſet,ſed ſolùm à Deo; eſſetque vtrumque verum, & quod attenta natura rerum eſſet aliquis illorum actuum,& ſimul eſſet infallibile ex vi omiſsionis omnium decretorum, quod nullus eſſet: ſicut abæterno verum eſt, quod iſte ignis applicandus in tempore paſſo huic illud comburet; ſi autem deficiat decretum combuſtionis, eſt omninò infallibile ex vi carentiæ decreti, quod non comburet.

32 Eſt tamen hæc differentia,quod caſu, in quo ignis defacto applicandus ſit, eſt miraculoſa omiſsio decreti abſoluti cõbuſtionis, ſicut ipſa carentia combuſtionis: in noſtro autem caſu, ſi non purificatur conditio, miraculoſa non eſt; non enim eſt miraculum, quod Deus non decernat ignem comburere, ſi non decernat ipſum exiſtere, aut applicari: ſi autem purificatur conditio, quę ſupponat omiſsionem decreti abſoluti combuſtionis; tunc,vel ſtabit miraculum in purificatione conditionis, quæ ſupponit decretum non comburendi, vel in omiſsione huius decreti taliter, quod promittat purificationem conditionis, vel in vtriuſque coniunctione,vt videre eſt diſcurrendo per ſingula decreta huiuſmodi.

§. V.

Cætera argumenta ſolvuntur.

33 CONTRA Noſtram doctrinam,quam ex Caietano,& Ferrariẽſi deſumpſit Illuſtriſ. Godoy vbi ſupra, à quo illam accepimus, & à quo alij Recentiores ex noſtris illam mutuarunt cumM. Gonet diſp. 6. de Scientia Media art. 7. diſput. 3. de Voluntate Dei art. 3. inſurgunt Recentiores 1. Si Deo nihil determinante, Petrus ſub tali libertate conſtitutus nõ conſentiret,ipſe diſſentiret,& ſimiliter ſi nõ diſſentiret,conſentiret;& ratio eſt in prõptu; quia non aliter Petrus tunc non conſentiret,niſi diſſentiendo, nec aliter non diſſentiret, niſi conſentiendo: ſicut neceſſe eſt, vt in ſtatu abſoluto non conſentiens diſſentiat, & non diſſentiens conſentiat: iam igitur ambæ ſunt veræ propoſitiones negativæ de obiectis contradictorijs formaliter, aut æquivalenter, & certè ſummè contrarijs, qua chimæra nihil inſignius fingi poterat: & cum aliundè ambæ illæ propoſitiones falſæ non ſint; vt etiam fatentur Thomiſtæ; ſit, vt vna ſit vera,& alia falſa: & ſimiliter demonſtratur abſurdum eſſe, quod falſæ ſint illæ propoſitiones affirmativę, nempè Petrus conſentiret, Petrus diſſentiret. Etenim ſi falſum eſt, quod Petrus conſentiret,iam etiam ſufficienter indifferenter vocatus à Deo, nec conſentiret, nec diſſentiret; maneret igitur ſuſpenſus inter conſenſum,& diſſenſum.

34 Explicatur argumentum, & tacita reſpõſio pręoccupatur;pro quo ſupponendum eſt non loqui de qualibet ſuppoſitione, vel hypotheſi quavis remota ad cõſenſum, vel diſſenſum; ſed tantum de proxima, nempè de libertate, & facultate indifferenti ad conſenſum, vel diſſenſum, & vtriuſque omiſsionem imputabilem; etenim ſub conditione remota,nempè nudæ, & aridæ, vel etiam fallacis vocationis,& cognitionis; omnes fatentur poſſe voluntatem conſentire, quamvis non diſſentiat;

&

& posse non dissentire, quamvis non consentiat; atque etiam posse nec consentire, nec dissentire, quamvis nec omittat libere, neque nollit consensum, nec dissensum; quia negatio ea omnium istorum vniversalis, & non libera voluntati nostræ consistit in negatione libertatis, seù decreti indifferentis præparantis Omnipotentiam ad vtrumlibet, seù dantis veram potentiam, & libertatem benè, aut malè operandi, seù benè, & malè omittendi: at sub hypothesi illa proximę libertatis, evidens omninò est Deum non posse prænoscere non consensurum, nisi prænoscat dissensurum, vel libere omissurum, aut reiecturum consensum; quippè si est libertas contrarietatis, est necessitas vaga ad consensum, & dissensum liberos; ergo non potest prænosci vt non fictus consensus, nisi prænoscatur dissensus vt fictus: si autem sit libertas contradictionis, exempli gratia, ad consensum, & liberam eius carentiam, est necessitas metaphisica ad actum positivum, & liberam eius omissionem: in sensu autem contradictionis æquivalentis, necessitas est ad actum, seú actus positivos amoris, & odij, & nolitionem eorum reflexam: Deus igitur si cognoscit Petrum non consensurum, seù omissurũ, libere cognoscit eum libere dissensurum, seù omissurum: etenim omnibus evidens est, quod alioquin Deus cognosceret coniungenda fore duo exercitia libera contradictoria, vel contraria; ergo debet Deus cognoscere vnum determinatè futurum, & alterum non futurum.

35 Totum hoc clariùs proponitur exemplo; etenim instante obligatione, seú præcepto, v.g. amandi Deum, sub ea hypothesi Deus, vel agnoscit Petrum satisfacturum obligationi, & præcepto, atque ita amaturum; vel agnoscit non satisfacturum, atque ita odio habiturum; supponimus enim non esse libertatem contradictionis, sed purè contrarietatis: quod si etiam sit libertas contradictionis, iam Petrus, qui prænoscitur non satisfacturus præcepto, prænoscitur illud violaturus; atque adeò, vel odio, vel positiva volitione, vel pũra omissione, iuxta varias sententias, & species libertatis, quæ in hypothesi supponi possunt.

36 Hoc argumentum ex dictis facilè solvitur; estque negandum assumptum; nec video vndè inferatur, quod Deo nihil determinante, si Petrus in illa hypothesi non consentiret, dissentiret per actum positivum, vel è contra: Deo enim nihil determinante, nec conditionatè, nec absolutè aliquod illorum esset; omnes enim, qui asserunt non posse existere aliquem actum etiam liberum sine decreto divino, Deumque non cognoscere nisi in sua prædestinatione existentiam alicuius creaturæ; quippè, vt dixit Augustinus, in prædestinatione sua cognoscit, quæ fuerat ipse facturus, asserunt, & merito, quod Petrus constitutus in illa hypothesi nullum actum eliceret deficiente decreto divino, & sicut in statu absoluto Petro constituto sub illa libertate, deficiente decreto, non potest esse verum, quod consentit, nec quod dissentit; pariter deficiente decreto, non potest esse infallibiliter verum, quod consentiret, nec quod dissentiret.

37 Quid ergo esset, constat ex dictis; si enim ex parte conditionis ponatur indifferentia solum physica ad positivos actus consensus, & dissensus cum necessitate physica ad vnum ex illis sine potentia ad omittendum libere vllo modo, nec per puram omissionem, nec per omissionem occasionatam ex alio actu, diximus esse verum attenta natura rerum, extiturum esse vnum ex illis actibus, & esse infallibile nullum extiturum: esseque etiam infallibile ex vi carentiæ omnium decretorum, extituram esse carentiam vtriusque actus, quæ in suppositione facta non esset libera, sed purè á Deo, ad quam merè passivè comparetur voluntas: si verò supponatur ex parte conditionis libertas solùm remota, ipsi concedunt, quod posset non consentire, nec dissentire actibus positivis, & liberis, sed posset vtroque carere carentia ipsi non libera.

38 Si autem ex parte conditionis ponatur indifferentia ad prædictos actus positivos, & insuper ad actum reflexum, vel occasionantem omissionem cum physica necessitate ad vnum ex illis tribus, sine potentia ad purè omittendum libere, etiam diximus esse verum attenta natura rerum, Petrum sub illa hypothesi constiturum habiturum aliquem ex illis actibus, & ex vi carentiæ omnium decretorum esset infallibile, quod nullum haberet, sed carentiam trium illorum, quæ non esset libera, sed purè à Deo: si autem ponatur ex parte hypothesis cum indifferentia ad actum amoris, & eius omissionem puram, & liberam; cum ex parte conditionis nulla sit necessitas ad amorem, sed pura indifferentia, ex

vi

vi illius, nec attenta natura rerum eſſet verum, quod Petrus amaret, ſed omninò infallibile ex vi carentiæ decretorum, quod omitteret libere; ſicut in ſtatu abſoluto Petro conſtituto in illa indifferentia, Deo non determinante eſſet verum, Petrus omittit libere amorem, & falſum Petrus amat.

39 Nec propoſitiones illæ Petrus conſentiret, Petrus diſſentiret, ſunt contradictorię ſicut in ſtatu abſoluto, Petrus conſentit, Petrus diſſentit, non ſunt contradictoriæ, ſed ſimul falſæ Petro non conſentiente, nec diſſentiente, ſed vel omittente vtrumque actum libere, vel patiendo carentiam vtriuſque: nec inconveniens reputamus, quod Petrus indifferenter vocatus, nec conſentiret, nec diſſentiret, ſed pateretur carentiam vtriuſque actus à Deo; ſicut in ſtatu abſoluto contingeret, Deo omittente decretum vtriuſque actus, quod non eſſet verum, quod conſentit, nec quod diſſentit.

40 Sed videamus, quid dicendum ſit, ſi ponatur ex parte conditionis indifferentia ſolum ad conſenſum, & diſſenſum poſitivum cum neceſsitate metaphiſica ad vnum ex illis: vel ſi ponatur indifferentia ad conſenſum, & diſſenſum, & omiſsionem vtriuſque non puram, ſed occaſionatam, & cauſatam ex alio actu, cum neceſsitate metaphiſica ad vnum ex illis tribus: & in primis hæc ſuppoſitio à nobis non admittitur; non enim admittimus in cauſa ſecunda efficiente, etiam libera, & indifferenti ſolùm ad conſenſum, & diſſenſum poſitivum, niſi ſolùm neceſsitatem phiſicam ad vnum ex illis, qualem concedimus in igne ad comburendum, & eadem ratione; etenim quia ignis indiget concurſu Dei, & eius decreto ad comburendum, quantumvis neceſsitatus ad vnum ex illis duobus actibus vage, poteſt contingere, vt neutrum habeat deficiente decreto divino; nec maiorem neceſsitatem concedimus in voluntate ad vnum ex illis, quàm in igne ad comburendum, & in Beato ad amandum Deum.

41 Et quidem hæc neceſsitas metaphiſica, qualiter ab Adverſarijs adſtruitur, eſt impoſsibilis, & nobis prorſus abſurda: aſſerunt enim voluntatem præventam iudicio indifferenti ad conſenſum, & diſſenſum, conſtitui complete, & proxime liberam in actu primo per decretum indifferens, quo Deus confert concurſum ad vnum ex illis, & quo poſito voluntas poteſt eligere vnum ex illis: eſt tamen impoſsibile, quod vtrumque omittat; qua ſupponitur ſolùm cum potentia, & indifferentia ad vnum ex illis, ſine potentia ad omittendum vtrumque; vel ex defectu iudicij indifferentis ad omittendum, vel quia Deus vult, quod eligat aliquem illorum, relinquendo arbitrio ſuo eligere, quod voluerit: in quo caſu ipſa non poteſt vtrumque omittere, nec Deus poteſt facere, quod non ſit aliquis ex illis actibus; quippè non eſt in poteſtate Dei, non conferre concurſum, quẽ obtulit: imò nec eſt in eius poteſtate, quod ſit conſenſus præ diſſenſu; cum tamen ipſa voluntas habeat in ſua poteſtate eligere, quem voluerit.

42 Quæ doctrina plura involuit abſurda: Deus enim ſubijcit ſuam Omnipotentiam creaturæ, quæ pro ſuo libito illa vtitur, tanquam eius domina, qualiter vtitur habitibus; & voluntate creata potente eligere vnum ex illis præ alio, & determinare indifferentiam, ſeù contingentiam illam; Deus impotens eſt ad illam determinandam, ſubterfugitque eius diſpoſitionem, & providentiam, quod vnus exiſtat præ alio; & defacto exiſtit conſenſus, v. g. præ diſſenſu, cum potuerit oppoſitum contingere, non ex arbitrio, & voluntate Dei, ſed creaturæ: ex quibus plura alia abſurda inferuntur contra providentiam, omnipotentiam, & ſupremum dominium Dei: de quibus alibi agendum eſt.

43 Modo ſufficiat notare, quod argumentum factum, viſum ab ipſis inſolubile, fundatur in principio omnibus Thomiſtis merito inviſo: ſed vt appareat veritas doctrinæ Thomiſticæ, ſupponamus neceſsitatem metaphiſicam; non illam, quã confingunt, cum qua veritas pugnat, & cũ qua nihil componere poſſumus, nec volumus: ſupponamus, inquam, neceſsitatem methaphicam, quę in determinatione cauſę liberæ ad vnum ex illis exercitijs vage conſiſtit talis naturæ, quod cauſa in actu primo ſic conſtituta connectatur eſſentialiter cum aliquo, ita vt poſsit eligere, quod voluerit, non ſibi ſubordinando Omnipotentiam, ſed cum ſubordinatione ad Deũ, vt decet, qui vt primus Dominus, poſsit, & debeat facere, quod voluntas eligat, & velit, quod Deus ipſe voluerit illam eligere, & velle: quam ſuppoſitionem libenter admittimus; quia licèt in cauſa efficienti creata etiam libera hoc non poſsit reperiri; in alijs tamen poteſt idem argumentum fieri;

eſt enim probabile naturam ſine ſubſiſtentia exiſtere non poſſe de potentia abſoluta, poteſt tamen ſine hac, aut illa determinatè, & Deus ſub conditione meritorum Petri; verbi gratia, neceſsitatus eſt metaphiſicè ad conferendum gloriam propter illa, vel ad non conferendum: in quibus Recentiores debent ſolvere argumentum inſolubile in ſuis principijs, vt videbimus.

44 Hac ergo neceſsitate ſuppoſita, aſſerendum eſt primo, quod hæc propoſitio *ſi Petrus conſtitueretur in illa hypotheſi, conſentiret*, in ſenſu illativo eſt falſa; & ſimiliter iſta, *Petrus diſſentiret*; quod Adverſarij non negant; & ratio eſt manifeſta, quia falſum eſt, quod ex illa ſuppoſitione inferatur conſenſus, & falſum eſt, quod inferatur diſſenſus; licèt ſit verum, quod aliqua illarum inferatur vage. Secundo aſſerendum eſt, conditionales illas, non in ſenſu illativo, ſed de conditione conducente, non inferente in ſenſu purè conditionali, qui denotat, & ſignificat, vt diximus, pro priori ad decreta abſoluta, & independenter ab illis eſſe veras, non habere veritatem, ſed falſitatem; pro ſigno enim præſcindenti nihil datur, ratione cuius ſint veræ. Tertio aſſerendum eſt, in ſenſu conditionali incluſo in abſoluto etiam eſſe falſas; & ratio eſt, quia deficit decretum abſolutum conſenſus, & conditionis, & ſimiliter diſſenſus: vndè non poteſt conſenſus ratione illorum, nec extrinſecè cum conditione connecti.

45 Ex quibus infertur in ſenſu conditionali abſtrahente à purè conditionali, & incluſo in abſoluto, abſolutè eſſe falſas; quia in illis propoſitionibus denotatur dari aliquid, ratione cuius, ſi poneretur conditio, eſſet verum, & infallibile, quod poneretur conſenſus; & hoc falſum eſt: cum enim ex vi conditionis non poſsit eſſe verum, quod poneretur; quippè eſt indifferens ad conſenſum, & diſſenſum, nec eſt verum ratione decreti conditionati, quod non datur, nec ratione abſoluti eadem ratione, abſolutè defacto, & in re falſum eſt, quod poneretur conſenſus: & principium Thomiſticum, cui hæc nititur doctrina eſt omninò inconcuſum; quidquid enim verum eſt neceſſariò eſt verum ratione Omnipotentiæ; & virtutis increatæ Dei; quidquid contingenter eſt verum, eſt tale ratione diſpoſitionis divinę, & veritatis increatæ liberæ: nec aliud datur verum, & ſcibile, niſi quod eſt poſsibile ratione Omnipotentiæ, vel ratione providentiæ, & diſpoſitionis Dei habet denominationem aliquam contingentem.

46 Sed inquires; quid dicendum ſit de his propoſitionibus pro ſigno præſcindenti ab omni decreto tàm abſoluto, quàm conditionato, & eorum carentijs? Reſpondetur, non habere determinatam veritatem, aut falſitatem, ſed eſſe indifferentes: & ratio eſt; quia pro illo ſigno omnia ſunt indifferentia; ſicut pro ſigno præſcindenti à decreto abſoluto, propoſitio affirmans extiturum alterum mundum eſt indifferens ad veritatem, & falſitatem; & ſicut pro ſigno, pro quo intelligitur conditio, non intelligitur aliquis determinatè extiturus, quia pro illo omnia ſunt indifferentia: pariter, quia pro ſigno præſcindenti à decretis, & eorum carentijs, omnia, quæ intelliguntur, indifferentia ſunt, non eſt determinatè verùm; quod exiſteret conſenſus, nec determinatè falſum; licèt ſit verum, & neceſſarium, quod aliquis illorum vage exiſteret: abſolutè tamen, & in re falſas eſſe aſſerimus; quia in re deficit requiſitum ad earum veritatem.

47 Inquires ſecundo: quid ergo Deus ſcit pro ſigno illo? Reſpondetur, ſcire, quod ex vi conditionis neceſſarium eſt alterum illorum vage exiſtere, & ipſum poſſe facere, quod ſub illa exiſtat conſenſus, vel quod exiſtat diſſenſus, vt ſibi placuerit; nam pro illo ſigno ſolùm intelligitur natura conditionis, quæ eſſentialiter connectitur cum aliquo ex illis vage: & prædicata neceſſaria Dei ex vi conditionis, & ex vi Omnipotentiæ includentis eius naturam, & eſſentiam, cognoſcit eſſe neceſſarium, quod ſi ponatur conditio, alterum illorum ponatur ratione ſuæ Omnipotentiæ, & ratione ſupremi Dominij cognoſcit eſſe in ſua poteſtate facere, quod voluntas ſub illa conditione eligat, quod voluerit ipſam eligere.

48 Ex quibus ad argumentum, ſuppoſita neceſsitate metaphiſica vaga ad conſenſum, & diſſenſum, cum ſola indifferentia ad illos, dicendum: quod licèt

cèt falsum sit, quod consentiret; non tamen infertur, quod sit verum, quod dissentiret: & ad probationem, qua dicitur, quod in illa hypothesi non posset non consentire, nisi dissentiendo: distinguendum est, non posset, nisi dissentiendo per dissensum, qui modo sit futurus absolutè, vel conditionatè, nego antecedens; nisi per dissensum, qui tunc, si purificaretur conditio, & maneret omissio decreti consensus, esset futurus, concedo antecedens; & neganda est consequentia, scilicèt, si modo verum est, quod non consentiret, modo verum est, quod dissentiret; sed solùm infertur, quod si purificaretur conditio, & esset verum, sicut modo est, quod non consentiret, dissentiret; quia his positis verum esset, quod Deus decerneret dissensum; non tamen sequitur, quod modo verum sit.

49 Sed dices; ergo si purificaretur conditio, esset verum, quod dissentiret. Distinguendum est consequens, si purificata conditione, maneret carentia decreti consensus, concedo consequentiam; ex vi purificationis conditionis præcisè, nego consequentiam: cum enim ex vi conditionis inferatur aliquis illorum vage, & ex vi carentiæ decreti, excludatur consensus, rectè infertur dissensus, & eius decretum: at si defacto purificaretur conditio, cum ex vi purificationis non teneatur Deus ad aliquem ex illis determinatè, sed ad aliquem vage; in illa præcisione, & ex vi illius, non cognoscit Deus aliquem illorum determinatè extiturum, sed solùm extiturum ex illis, quem ipse velit. Insuper cum modò, licèt detur carentia decreti consensus, non detur purificatio conditionis, non dantur omnia, quæ requiruntur, vt inferatur, quod modo verum sit, quod dissentiret.

50 Dices iterum; ergo non potest esse verum, quod esset carentia dissensus, & simul verum, quod esset carentia consensus: posita enim conditione, implicat vtramque carentiam existere. Respondetur negando consequentiam; licèt enim posita conditione, implicet vtraque carentia; tamen quando non purificatur conditio, potest esse verum, quod esset carentia consensus, & simul verum, quod esset carentia dissensus: & ratio est, quia non purificata conditione non tenetur Deus aliquem illorum vllo modo decernere; atque adeò modo, quando non purificatur conditio, potest deficere aliquod requisitum, vt aliquis illorum sit, aut esset; quod tamen purificata cõditione nõ deficeret; atqueadeò si purificaretur conditio, non esset vtraque carentia decreti, nec esset vtraque propositio falsa: modo tamen vtraque falsa est, vt vidimus.

51 Sed vt clariùs percipiatur solutio, advertendum est, quod hæc propositio, *si Petrus poneretur sub illa libertate, eliceret aliquem illorum actuum, consensum, scilicèt, vel dissensum*, est propositio necessaria, & vera pro signo possibilitatis rerum; ac proindè compossibilis eius veritas cum prædicato contingenter conveniente consensui, & similiter dissensui: cum prædicato (inquam) negativo; qua ratione componitur cum carentia existentię illorum; illa enim propositio est vera, etiam non existente aliquo extra Deum: at sicut existere est prædicatum contingens, pariter esse futurum tàm absolutè, quàm conditionate: quapropter componitur, etiam cum carentia futuritionis illorum tàm absoluta, quàm conditionata; licèt si defacto purificaretur conditio, poneretur aliquod contingens connexum cum aliquo illorum vage; atqueadeò cum negatione vnius alterum inferretur; quod quidem non fit ex veritate illa necessaria præcisè.

52 Sit exemplum in hoc argumento: si datur visio datur aliquis oculus: sed non datur dexter; ergo siniſter: in quo nulla existente potentia visiva, maior, & minor sunt veræ, & consequens falsum. Et ratio est eadem, scilicèt, quia veritas illa necessaria, quę in maiori enuntiatur, componitur cum carentia visionis, & cum carentia potentiæ visivæ: vndè vt argumentum teneat, addendum est, quod datur defacto visio; ex qua, & negatione oculi dextri, rectè infertur siniſter. Similiter in nostro casu, vt argumentum teneat, debet supponi, non solùm veritas illa necessaria, sed absoluta purificatio conditionis; ex qua, & negatione existentiæ, vel futuritionis consensus, rectè infertur existentia, vel futuritio dissensus. Fatemur ergo, quod si purificaretur conditio non posset vtraque

propoſitio eſſe falſa ; modo tamen quando non purificatur, poteſt vtrique deficere requiſitum ad veritatem,& conſequenter eſſe falſa : ſicut cum exiſtentia viſionis non componitur, quod vtraque hæc propoſitio ſit falſa, datur oculus dexter , datur oculus ſiniſter ; defacto tamen quando verè profero , ſi datur viſio , datur oculus , poteſt vtraque eſſe falſa , deficiente nimirùm potentia viſiva.

53 Tandem advertendum eſt;quod hoc argumentum , *ſi Petrus poneretur cum illa libertate,eſſet aliquis illorum actuum: ſed non eſſet conſenſus; ergo diſſenſus*; etiam deficit , ſi minor ſumatur illative , & faciat hunc ſenſum , *non ſequitur , quod non eſſet conſenſus; ergo ſequitur, quod eſſet diſſenſus*: arguitur enim à confuſa ad determinatam; ſicut in hoc argumento , requiritur oculus ad videndum: ſed non dexter;ergo ſiniſter. Quia plus iuſto immorati ſumus in his,quę difficultatem non habent diſtinctam ab obſcuritate terminorum ; omittimus inſtantiam argumenti in Recentiorum ſententia , quæ ex dictis non difficilè colligitur , & infra iterùm attingemus.

Et hæc de iſto dubio.

DIS-

DISPUTATIO TERTIA

DE IMPOSSIBILITATE SCIENTIÆ MEDIÆ.

QUAMVIS Ex dictis satis constet Scientiæ Mediæ impossibilitas; illam ab inconvenientibus, quæ ex huius scientiæ positione sequuntur ostendere in hanc Disputationem remisimus, simulque illius inutilitatem ad finem, propter quem à suis Authoribus est inventa; quam necessitate coacti, breviùs, quàm putavimus, absolvemus, & pro explicatione sit.

DVBIVM VNICVM.

VTRVM EX INCONVENIENTIBVS, QVÆ EX SCIENTIA Media sequuntur, eius impossibilitas ostendatur.

§. Primus.

Proponitur primum inconveniens.

CONCLVSIO Est affirmativa: pro qua primum inconveniens desumitur ex læsione Divinę Omnipotentię, & summæ libertatis Dei; quorum neutrum Scientia Media potest illæsum attributum servare, & sic proponitur: ex positione Scientiæ Mediæ sequitur aliquid possibile ex habitudine terminorum, & non implicans contradictionem, fieri Deo omninò impossibile ex suppositione Deo non libera, & independenter ab eius determinatione, & libertate: at hoc derogat Omnipotentiæ Divinæ, & summæ Dei libertati; ergo ex positione Scientiæ Mediæ vtrumque attributum læditur; ergo ipsa Scientia Media est impossibilis. Secunda consequentia ex prima infertur; prima ex præmissis, quarum vtraque probanda est.

Maior negari non potest; nam Petrum in hac occasione vocatum cum his auxilijs consentire, est ex habitudine terminorum possibile: at ex suppositione, quod Deus viderit per Scientiam Mediam Petrũ in tali occasione vocatum, & cum his auxilijs non cõsensurum, quæ suppositio in potestate Dei non est, nec ipsi libera, fit omninô impossibile Deo, Petrum in tali occasione vocatum, & cum his auxilijs consentire; ergo id, quod ex terminis est possibile, fit Deo impossibile, ex suppositione ipsi non libera, & independenter ab eius determinatione. Minor ista probatur; nam posita Scientia Media supradicta, non est positum in potestate Dei coniungere cum illa consensum Petri; aliàs posset falsificare Scientiam Mediam, quod est omninò impossibile: nec potest ponere consensum divisum à tali Scientia: cum abijcere á se non possit Scientiam Mediam; cum non sit in potestate Dei habere talem Scientiam, vel non habere.

2 Minor principalis pro prima parte probatur; etenim agens, quod redditur impotens ad ponendum effectum sub eius sphæra contentum, quod, inquam, redditur impotens absque propria libertate, & ex suppositione sibi non libera, imperfectam habet potentiam; ergo si Deus redditur impotens ex suppositione sibi non libera ad ponendum consensum sub sphęra Omnipotentię Divinæ contentum

eius omnipotentia imperfecta est. Anteced. prob. tùm; quia imperfectio agentis creati, ignis; v.g. rectè arguitur ex eo, quod indigeat ad ponendum effectum aliquo, cuius existentia, vel ablatio in eius potestate non est; ergo si Omnipotentia Divina indiget, quod auferatur suppositio ad ponendũ consensum, cuius suppositionis existentia, vel ablatio in Dei potestate nõ est, rectè arguitur eius potẽtiam imperfectã esse. Tùm etiam; quia agens, quod redditur impotens ad ponendum effectum ex suppositione sibi non libera, impeditur ab alio ad effectum ponẽdum, nimirùm, á positione suppositionis, quæ absque eius libertate ponitur: sed agẽs ab alio impeditum ad ponendum effectum imperfectam habet potentiam; ergo.

Tùm etiam; nam si ex suppositione sibi non libera redditur impotens ad effectũ, aliàs sibi possibilem, sequitur Deum alteri subdi, & ab alio eius potentiam ligari: quod manifestè eius perfectioni repugnat. Antec. prob. nam iuxta Adversarios volũtati creatæ deficere physicam prædeterminationem necessariam ad actum absque eius libertate, arguit in illa summã subiectionem ad Deum, & eius potentiam ad actum eliciendum à Deo ligari: quapropter asserunt hominem sine prædeterminatione esse ligatũ, & quasi catenis vinctum, nè possit elicere actum; quia nimirùm, habet impedimentũ, quod auferre in eius potestate non est, & cum quo nequit actum coniungere: sed Deus posita Scientia Media, habet impedimentum, cuius ablatio in eius potestate nõ est, & cum quo consensum coniungere non potest; ergo eius Omnipotentia est ligata. Secundo probatur idem hoc antecedens; nam Divinam Omnipotentiam esse impeditam ad ponendum effectum, aliàs sibi possibilem, est effectus formalis contingens qui defacto est, non qui esset, vt asserunt de futuro conditionato; & consequenter positus ex alicuius providentia: nõ Dei, cum absque eius libertate ponatur; ergo alteriùs; ergo Deus, & eius Omnipotentia alteri Provisori subditur, & ab alio Dei Omnipotentia ligatur.

3 Secunda pars minoris principalis, nimirùm, destrui summam Dei libertatem, ex dictis constat; posita enim Scientia Media dissensus, Deus non potest cum illa cõiungere consensum, nec à se removere Scientiam Mediam; ergo non habet potentiam expeditam ad ponendum consensum; & consequenter ipsi liberum non est non ponere consensum, sed manet necessitatus ad non ponendum. Confirmatur; Deus nõ habet in sua potestate omnia requisita ad ponendum consensum; ergo in eius potestate non est consensus. Antec. probat. ad positionem consensus necessarium est non esse Scientiam Mediam dissensus; sed hoc in potestate Dei non est; ergo non habet in sua potestate omnia requisita ad cõsensum ponendum. Conseq. autem prob. ex illorum principijs, iuxta quæ, si prædeterminatio est necessaria ad existentiam actus liberi, actus liber non est in potestate hominis nõ prædeterminati, nec illi liberum est actum non ponere, quia in sua potestate nõ habet prædeterminationem, qua caret, requisitam ad actum; ergo si Deus non habet in sua potestate omnia requisita ad consensum, non habet in sua potestate consensum.

4 Nec dici potest, quod in nostra sententia voluntas creata carens prædeterminatione ad actum, est potens expedite ad actum, & eius carentia est ipsi libera; atque adeò similis defectus in Deo non obstabit, quominus sit potens expedite ad consensũ, & libera sit ipsius omissio. Contra enim est primo; quia saltim in principijs Adversariorum est efficax argumentum. Secundo; nam licèt ex eo, quod voluntati nõ prædeterminatæ deficiat aliquod requisitum ad actum, cuius acquisitio in eius potestate non est, nõ inferatur non esse liberam; infertur tamen eius libertatem non esse primam, nec eius dominium in actũ esse supremum, sed alteri subditum; ergo licèt argumento facto nõ inferatur immediatè Deum non esse liberum; infertur tamen nõ esse liberum prima libertate, nec supremum dominium actus: ex quo per mediatam saltem consequentiã deducitur nullam habere libertatem; cũ vel nulla, vel summa ponẽda sit in Deo libertas.

Tertio, Scientia Media consensus liberi est requisita ex parte actus primi, vt Deus velit efficacitèr consensum creaturæ; cum illum dirigat ad efficacitèr decernendum; atqueadeò illa Scientia Media deficiente deficit Dei libertas ad volendum efficacitèr consensum; cum deficiat aliquid requisitum ex parte actus primi ad decernendum; prædeterminatio autem, & illius carentia non se tenent ex parte actus primi, sed ex parte actus secundi, in sententia Thomistarũ; ergo etiam si defectus prædeterminationis non auferat potentiam expeditam ad actum, illã debet auferre defectus Scientiæ Mediæ.

§. II.

§. II.

Solutio Recentiorum rèijcitur.

5 ARGVMENTO Facto ſatisfacere conantur Recentiores aſſerendo Divinam Omnipotentiam non minui per hoc, quod non poſsit Deus ponere conſenſum liberum Petri ex ſuppoſitione Scientiæ Mediæ diſſenſus; quia hoc non tollit quominùs poſsit conſenſum liberum ponere medijs alijs auxilijs, quibus vidit Petrum conſenſurum; qua etiam ratione illæſa videtur manere divina libertas.

Contra hanc tamen doctrinam obſtat primo; nam quidquid ſit, an poſsit Deus alijs auxilijs conſenſum liberũ Petri ponere, per hoc non vitatur, quominùs aliquid ex habitudine terminorum poſsibile, fiat Deo impoſsibile ex ſuppoſitione ſibi non libera; ergo per hoc non ſalvatur illæſa Divina Omnipotentia. Conſequentia ex dictis eſt nota, & inſuper probatur; quia Deum non poſſe facere aliquid, quod ex terminis eſt poſsibile, etiam ſi vtatur ſua Divina Omnipotentia, ſeù abſoluta potentia, eſt non eſſe Omnipotentem; vt conſtat ex Div. Thoma in hac 1.p.quæſt.25.art. 3. vbi Deum eſſe Omnipotẽtem in eo conſiſtere docet, quod poſsit quidquid non implicat eſſe, & non eſſe: ſed Deus non poteſt facere vtens ſua abſoluta potentia id, quod ex terminis eſt poſsibile, ſi ipſi fiat impoſsibile ex ſuppoſitione ſibi non libera; cum non poſsit illud coniungere cum ſuppoſitione, nec poſsit auferre ſuppoſitionem, etiam ſi vtatur ſua abſoluta potentia; ergo ex eo, quod Deus non poſsit facere aliquid poſsibile ex ſuppoſitione ſibi non libera, eius deſtruitur Omnipotentia.

6 Antecedens autem probatur primo; complexum hoc; Petrum libere conſentire in hac occaſione medio hoc auxilio, eſt poſsibile ex terminis, nullam involuens implicationem: ſed ex ſuppoſitione Scientiæ Mediæ diſſenſus in illa occaſione, & ſub auxilio eſt impotens Deus ad ponendum complexum illud; ergo non vitatur in doctrina traddita; quominùs aliquid ex habitudine terminorum poſsibile, fiat Deo impoſsibile ex ſuppoſitione ſibi non libera. Secundò, idem antecedens probatur in ſententia probabili apud Adverſarios, aſſerente conſenſum hunc liberum determinatum, & in ſingulari dependere eſſentialiter ab hac numero libertate, & auxilio, ita vt non poſsit eſſe hic numero conſenſus Petri etiã de potentia abſoluta ſine hoc numero auxilio, & libertate: in hac, inquam, ſententia, hic numero conſenſus Petri eſt poſsibilis ex terminis: & tamen Deo fit impoſsibilis ex ſuppoſitione ſibi non libera; ergo verum eſt antecedens. Minor probatur; ex ſuppoſitione, quod Deus viderit Petrum non conſenſurum ſub hac numero libertate, & auxilio, hic numero conſenſus Petri eſſentialiter dependens ab hoc auxilio, & libertate fit Deo impoſsibilis; cum hunc numero conſenſum non poſsit coniungere cum hac numero libertate, & auxilio; aliàs poſſet falſificare Scientiam Mediam; nec iſtum numero conſenſum poſsit alio auxilio extorquere; cum ab hoc eſſentialiter dependeat auxilio; ergo.

Et ſi loquamur non de conſenſu, ſed de actione productiva conſenſus, quæ in ſententia ipſorum ab actu voluntatis, ſeù à conſenſu diſtinguitur, non ſolùm eſt poſsibile apud Adverſarios, hanc numero actionem dependere ab hoc numero auxilio, ſed eſt communis ſententia inter illos, & valdè probabilis apud omnes, ſuppoſita diſtinctione actus voluntatis ab actione productiva illius: de qua actione idem fit argumentum, nimirùm, non poſſe à Deo cauſari vllo modo ex ſuppoſitione ſibi non libera; cum non poſsit illam cauſare his auxilijs, quibus prævidit eſt voluntas non conſenſura; nec alijs auxilijs, cum eſſentialiter dependeat ab hijs.

7 Tertio probatur idem antecedens; etiam ſi admittamus eundem numero conſenſum, ſeù actionem poſſe procedere, & cauſari à diverſis auxilijs, & libertatibus; probatur, inquam, poſſe dari actum aliquem non implicantem ex terminis, quem Deus nullo modo poſsit producere, ex ſuppoſitione ſibi non libera. Supponamus claritatis gratia Deum ſcire per Scientiam Mediam, Petrum cum hoc auxilio, & in hac occaſione, ſub hacque libertate non cõſenſurum; in quo caſu nõ negant, nec

negare possunt, esse possibile ex terminis, Petrũ sub eadem auxilio, & in eadẽ occasione esse consensurum, & consequenter potest esse vera ex terminis hæc propositio; *si Petrus poneretur in hac occasione sub hoc auxilio, & libertate, consentiret.*

Tunc sic argumentor; eo ipso, quod propositio possit esse vera ex terminis, est possibilis ex terminis actus supernaturalis infallibiliter, & essentialiter connexus cum veritate illius propositionis, seù cum eo, quod sit actualiter vera; quo iudicio Paulus, v. g. cognoscat, seù assentiatur huic propositioni; *si Petrus poneretur in hac occasione sub hoc auxilio, & sub hac libertate consentiret*: sed istum actum Deus causare non posset, nec á possibilitate extrahere ex suppositione sibi non libera; ergo concedendus est actus, ex terminis possibilis, quem Deus causare non possit vllo modo ex suppositione sibi non libera. Maior, & minor sunt probandæ: & maior sic probatur; nam circa quamlibet veritatem possibilem possibilis est actus supernaturalis, fidei, v.g. quo quis existentiæ talis veritatis assentiatur: cum enim veritas sit possibilis, potest dari defacto actus fidei, vel alius supernaturalis, quo quis assentiatur tali veritati, & connexus essentialiter cum eius existentia, seù cum eo, quod talis veritas datur: quo circa, quia possibilis est alius mundus, potest esse verum, quod datur alius mundus; & consequenter potest dari ex terminis iudicium infallibile, quo quis iudicet esse alterum mundum.

8 Minor autem probatur; nam implicat dari iudicium infallibile, quo quis assentiatur huic propositioni, seù quo quis iudicet, *quod si Petrus poneretur in hac occasione sub hoc auxilio, & sub hac libertate, consentiret, quin sit verum, quod si poneretur in illa occasione consentiret*: sed Deus non potest facere hoc esse verum ex suppositione sibi non libera, nimirùm ex suppositione facta, quod Deus per Scientiam Mediam previderit non esse consensurum sub illo auxilio, & libertate in illa occasione; ergo non potest Deus facere, quod actus ille ex terminis possibilis, detur ex suppositione sibi non libera. Quo argumento convincitur, infinitos dari possibiles actus, quos Deus á pura possibilitate extrahere non potest, etiamsi sua vtatur absoluta potentia; & consequenter dari defacto infinitas creaturas possibiles, imó infinities infinitas, quas Deus non potest producere; non quia non vult, sed quia non potest, nec etiam illas velle producere, nec aliquas illarum; quod cum Omnipotentia Dei componere in intelligibile mihi videtur.

9 Tertiò impugnatur solutio; nam saltim est possibilis metaphisicè casus, in quo Deus non possit facere Petrum, v. g. libere consentire aliquo ex auxilijs possibilibus, etiá si sua vtatur absoluta potentia; ergo vel per hoc, quod Deus non possit facere de potentia absoluta Petrum libere consentire aliquo ex auxilijs possibilibus, Divina Omnipotentia non minuitur, quod videntur renuere Authores solutionis, vel ex Scientia Media Omnipotentia destruitur. Consequentia est bona, & antecedens probatur; nam ea ratione, qua Deus vidit Petrum sub hac vocatione, & auxilio non consensurum, potuit videre illum nullo ex possibilibus, & in nulla occasione consensurum; cum nec hoc, nec illud, nec tota collectio auxiliorum inferat infallibiliter consensum; ergo possibilis est casus saltim metaphisicè, in quo Deus non possit facere Petrum libere consentire, aut Petrum ad ipsum per liberum actum convertere.

10 P. Suarez lib. 13. de Auxilijs, cap. 14. quem plures Recentiores sequuntur, non renuit concedere esse metaphisicè possibilem hominem, quem Deus non possit convertere, aut ab illo extorquere consensum, aut ad gloriam per merita perducere; quod quam absurdum sit, constat ex Augustino lib. de Correctione, & Gratia, cap. 14. vbi docet, magis habere Deum in sua potestate hominum voluntates, quam ipsi suas; si ergo non est possibilis homo, nec etiam metaphisicè, qui non possit auxilio Dei liberum elicere consensum, non erit possibilis aliquis homo, à quo non possit Deus liberum extorquere consensum; aliàs talis homo magis haberet in sua potestate propriam voluntatem, quam Deus. Constat insuper ex eodem D. Augustino in Enchyridione cap. 97. illis verbis: *Quis tàm impiè desipiat, vt Deus malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & vbi voluerit, non possit in bonum convertere*; cuius oppositum videntur docere præfati Authores.

Secundo reijcitur doctrina; nam vel intra collectionem possibilium continetur homo, quem Deus non possit convertere, vel

vel non ? Si primum, non in casu metaphisico, sed defacto est possibilis homo, quem Deus non possit convertere ; si non continetur, casus est metaphisicè impossibilis; cum nullus sit casus etiam metaphisicè possibilis homini intra collectionem possibilium non contentus.

11 Si dicatur, hominem intra collectionem possibilium contineri, casus tamen, quo non possit à Deo converti, defacto non dari; esse tamen metaphisicè possibilem. Contrà est primo ; nam si casus est possibilis, vndè constat defacto non dari? Secundo; nam si est possibilis, non tamen defacto datur, ab aliquo est possibilis, & aliquod datur principium potens casum illum ad actum reducere; quod nō est Deus; si enim casus ille posset à Deo in actum reduci, solùm esset impotens Deus ad convertendum illum hominem ex suppositione casus sibi libera. Nec illud principium est aliud extra Deum; tùm quia illud aliud potentius esset Deo ; Deum enim impediret, & eius potentiam ligaret, vt suprà vidimus. Tùm etiam ; quia creatura non posset casum illum ad actum reducere ; ergo nihil extra Deum posset reducere ad actum casum illum, nisi alterum primum principium à Deo, & à creatura distinctum admittatur. Antecedens probatur ; nam vel posset creatura existens, vel purè possibilis ? non creatura existens, quia si casus ille semel daretur, existeret independenter ab existentia creaturæ, & daretur, etiam si nulla existeret creatura: non creatura purè possibilis; aliàs id, quod non est, posset aliquid possibile ad actum reducere, Dei Omnipotentiam impedire, & quod mirabilius est, posset creatura non existens reducere aliquod possibile ad actum, quod Omnipotens non posset. Tertiò; id, quod Deus facere non potest, aut permittere de potentia absoluta, implicat esse, & non esse; vt ex D. Thoma vidimus : sed casum illum dari Deus non potest facere, aut permittere; ergo casus ille implicat esse, & non esse.

12 Tandem solutio involuit contradictoria; si enim casus ille intra collectionem possibilium non continetur, eo est, quia importat esse, & non esse, seù quia implicat ex terminis, quidquid enim non implicat ex terminis intra collectionem possibilium continetur : si autem continetur, defacto est possibilis ; & consequenter defacto datur possibilis. Quod vltra explicatur ; vel status ille, quo Petrus non est consensurus sub aliquo auxilio ex possibilibus, est solùm possibilitas casus, vel addit aliquid supra possibilitatem ? Si solùm est possibilitas casus, defacto datur ; cum defacto sit possibilis : si addit aliquid supra possibilitatem status ille, vel casus, quid contingens est, & assignandum, à quo principio hoc prædicatum superadditur possibilitati; quod cum Deus non sit, vt asserunt, aliud principium à Deo distinctum assignare debent, à quo casus ille, ex se solum possibilis, reducatur ad actum. Ex quo sequitur, assignanda esse duo prima principia : aliud, quod possibilia ad actum existentiæ reducere possit, quod est Deus; aliud verò, quod Deo possibile non est, sed potest esse, impossibile faciat Deo : quæ & similia absurda facilè inferuntur ex prædicta doctrina, & sententia, quæ omittimus.

14 Secundo alij negant casum esse, etiam metaphisicè possibilem; licèt enim non repugnet, quod homo prævideatur dissensurus huic, & illi auxilio ; repugnat tamen, quod prævideatur dissensurus huic, & illi auxilio, & possibilibus omnibus; non enim tanta est resistentia voluntatis, vt licèt possit vni, vel alteri resistere, possit omnibus, quæ infinita sunt : quod videtur deduci ex Div. Thoma, quæst. de Veritate; artic. 3. vbi certitudinem prædestinationis non reducit ad efficaciam intrinsecam auxilij, sed ad auxiliorum multitudinem ; ad hoc scilicèt, quod Deus tot conferat auxilia prædestinato, & adminicula, quod vel non cadat, vel si cadit resurgat.

Sed hoc etiam insufficiens est, & reijcitur primo argumento facto ; ideò enim vni, vel alteri auxilio potest prævideri resistens, quia auxilium non infert infallibiliter consensum, sed libertati voluntatis quoad operari subijcitur : sed nullum est intra collectionem inferens infallibiliter consensum, aut non subiectum quoad vsum libertati voluntatis; ergo non est impossibile omnibus resistere. Secundo non est metaphisicè impossibile Deum nolle conferre Petro auxilium aliquod ex infinitis, quę prævidit efficacia ; nolle, inquam, aliquod ex illis conferre in aliqua occasione ex possibilibus ; ergo poterit Petrus nullo ex auxilijs possibilibus consentire. Probatur consequentia ; ideò enim primum

mum est verum, quia Deus in qualibet occasione est indifferens ad conferendum auxilium, quod prævidit efficax, vel quod prævidit inefficax, vel nullum conferre, potestque pro suo nutu inefficax eligere; sed Petrus quolibet auxilio ex possibilibus indifferens est ad consentiendum, vel non consentiendum, potestque pro suo nutu non consentire; ergo poterit nullo ex auxilijs possibilibus consentire.

15 Sed relicto pro nunc examine huius impossibilitatis; impugnatur tertio solutio; nam admissa Scientia Media, inconveniens, quod apparet in casus possibilitate, necessariò devorandum est; ergo frustra quæritur impossibilitas casus. Antecedens probatur; inconveniens, quod apparet est, quod aliquid ex habitudine terminorum possibile, & non implicans esse, & non esse, nimirúm, Petrum libere consentire, aut gloriam per merita consequi, non possit fieri à Deo vtente sua absoluta potentia: sed admissa Scientia Media necessario fatendum est, dari aliquid ex terminis possibile, quod Deus facere non possit, vtendo sua absoluta potentia; ergo inconveniens, quod apparet in casus possibilitate, necessariò à Scientia Media est devorandum. Minor probatur vt suprà; hoc enim complexum, Petrus in hac occasione, & cum hoc auxilio libere consentire est possibile ex terminis; quod tamen Deus non potest facere, quod existat ex suppositione Scientiæ Mediæ Deo non liberæ, qua prævidit Petrum cum illo auxilio, & in illa occasione non consensurum.

Nec in vno magis, quam in alio inconveniens reperitur; Omnipotentia enim Dei ad omnia possibilia æqualiter extenditur: vndè non minus repugnat, quod vnum possibile à Deo fieri non possit, quam aliud. Præterquam quod huiusmodi possibilia, quæ Deus facere non potest in sententia contraria, infinita sunt; vt ex dictis patet. Nec D. Thomas doctrinæ solutionis favet; vt alibi est explicandum; ibi enim non negavit efficaciam intrinsecam auxilij in ordine ad consensum, sed in ordine ad consequendam salutem, ad quod non sufficit consentire, sed necessarium est perseverare, aut surgere, ad quod plura auxilia necessaria sunt.

16 Tertio alij respondent; quod licèt possibilis sit homo, de quo sit verum, quod sub quolibet auxilio, & sub qualibet occasione est dissensurus; potest tamen Deus illum convertere, si sua vtatur absoluta potentia; eo quod licèt verum sit, & Deus illud sciat independenter à propria determinatione; potest tamen in qualibet occasione, & posito quolibet auxilio sufficienti ad cõsensum, efficacitèr decernere consensum decreto concomitanti infallibiliter cum cõsensu connexo; quod necessarium esse existimant ad existentiam actus liberi: quo posito non esset verum, quod sub auxilio esset dissensurus, sed oppositum; eo sanè modo, quo de ipsa voluntate creata affirmant communiter posse in qualibet occasione, & cum quolibet auxilio consentire; atqueadeò facere, quod non existat in Deo Scientia Media dissensus: vndè quamvis Deus ex suppositione non possit illum hominem convertere, absolutè tamen potest; quia potest facere decernendo efficacitèr consensum, quod suppositio illa non existat, seù quod non extitisset. Sic aliqui Recentiores argumento facto convicti, quos tractatu de Providẽtia Dei, disp. 1. dubio 2. & 3. latiùs impugnabimus.

17 Modo tamen breviter reijcienda est hæc doctrina, licèt magis ad veritatem accedere videatur: reijcitur ergo primo; quia deserit suorum communem sententiam, & ad nostram videtur confugere: his enim admissis decretis, ad nihil est necessaria Scientia Media; tùm, quia hæc inventa est ad difficultatem in componendo efficaciam decreti necessarij ad actum liberum cum eius libertate, quam difficultatem solutio ista non vitat. Tùm etiam; nam his decretis admissis, Deus intelligitur perfectissimus provisor, & non cæco modo procedens absque Scientia Media; cum in sua Omnipotentia videat media efficacia ad extorquendum liberum consensum independenter à Scientia Media, sciatque in sua habere potestate facere hominem consentire absque læsione libertatis, sivè Scientiæ Mediæ speculatione. Nec ad hoc, vt sit perfectus provisor, necessarium est, quod sciat, quid faceret homo cum hoc, vel illo auxilio, sed sufficit scire hominem facturum, quod ipse Deus voluerit.

18 Secundo deficit hæc solutio in eo, quod asserit Deum per decretũ concomitãs con-

consensum posse facere, quod non fuerit verum, Petrum sub illo auxilio non consensurum, & quod huius non existat in Deo Scientia Media: nam in sententia horum Authorum Scientia Media dissensus, seù Scientia Media consensus existit in signo apto, vt possit Deus illa dirigi ad decernendum occasionem, & auxilium, & ad concipiendum decretum concomitans; ergo per illud decretum nequit acquiri Scientia Media consensus, nec impediri Scientia Media dissensus: id enim, quod præsupponitur ad actum, acquiri nó potest per actum, nec eius oppositum destrui. Nec obest, quod decretum sit incompossibile cum Scientia Media dissensus, & connexum cum Scientia Media consensus; licèt enim hoc verum sit, non inde colligitur, per decretum posse acquiri vnam scientiam, & destrui alteram: nam præter incompossibilitatem cum vna, & connexionem cum altera, requiritur præcedentia in decreto, quam in præsenti non dari, ratione facta convincitur, & infrà §. sequenti numero 20. & tract. de Providentia Dei disputa 2. iterùm ostendemus probantes non esse in potestate voluntatis creatæ existentiam Scientiæ Mediæ, & illius carentiam.

19 Tertio reijcitur solutio; eo quod huiusmodi decreta prædiffinitiva asserunt concomitantia, non antecedentia: decretum enim liberi consensus applicat divinam Omnipotentiam ad concurrendum cum creatura; sicut decretum de producendo Angelum, illam in sua sententia applicat ad Angeli productionem; & consequenter sicut hac ratione decretum de producendo Angelum antecedit illius productionem; & consequèter sicut hac ratione decretum de producendo Angelum antecedit illius productionem; pariter decretum concurrendi cum creatura ad liberum consensum, debet præcedere concursum Dei: cumque concursus ille, & concursus creaturæ idem sint, evidenter inferri videtur, debere præcedere concursum creaturæ, & consequenter actum liberum illius. Deficit quarto; eo quod decreto concomitanti dominium supremum Dei non salvatur, si semel concomitans est, & non antecedens; non enim per illud magis subijcitur determinatio creaturæ determinationi Dei, quam è contra; cum vtraque determinatio sit simul; & sicut determinatio creaturæ est in manu Dei, pariter, & determinatio Dei in manu creaturæ; vt ipsi fatentur.

§. III.

Alia inconvenientia proponuntur.

20 SECVNDVM Inconveniès, quod etiam insinuavimus, sumitur ex læsione divinę Providentię; & sic proponitur: Providentia iuxta Bœtium 4. de Consolatione relatum à D. Thom. 1. p quæst. 22. art. 1. est ipsa divina ratio in summo omnium Principe constituta, qua cuncta disponit: sed hæc in Deo non subsistit admissa Scientia Media; ergo. Minor probatur; nam Scientia Media, cum contingenter existat, non existit ex dispositione Dei; ergo ratio divina non cuncta disponit; atqueadò nec providentia est. Ex quo aliud deducitur inconveniens, nimirùm, Scientiam Mediam fortuito, & acasu Deo evenire: sed implicat aliquid acasu, & fortuito evenire respectu Dei; ergo impossibilis est Scientia Media. Minor est certa; aliàs Deus esset casui, & fortunæ subiectus. Minor autem probatur; id, quod alicui præter intentionem evenit, fortuito, & acasu evenit: sed Scientia Media consensus præ dissensu, v.g. contingenter Deo evenit, & præter eius intentionem: ergo fortuito, & acasu.

21 Respondebis: Divinam rationem in mente Dei existentem cuncta creata disponere, in ordine ad quæ definita est providentia: vndè per hoc, quod Scientia Media ex dispositione Dei non sit, non sequitur non dari, aut diminutam esse providentiam. Et ad secundum inconveniens dices cum Adversarijs, in quodam sensu verum esse, acasu Deo evenire Scientiam Mediam, casualitas tamen illa contra perfectionem Dei non est; non enim est contra divinam perfectionem aliquid contingenter existere, quin Deus efficacitèr eius existentiam decernat: quod patet in malitia peccati, quæ absque decreto Dei existit sine imperfectione divina; atqueadeò etiam si Scientia Media casualiter existat, seù eveniat, quatenus existit absque Dei decreto, cum possit non existere; hæc tamen casualitas

litas imperfectionem non dicit: casualitas verò imperfectionem dicens, & Deo repugnans, iuxta quam communiter iudicatur impossibile aliquid respectu Dei acasu evenire, in eo sita est, quod aliquid existat, in scio Deo, vel ipso efficacitèr nolente talem existentiam: huius tamen casualitatis expers est Divina scientia; licèt in existendo Scientia Media à decreto Dei sit independens, non tamen existit in scio Deo, aut efficaciter nolente eius existentiam.

22 Sed contra primum obstat primo; nam licèt divina providentia primo, per se, & vt quod solùm sit respectu creaturarum, vt quo tamen est etiam respectu sui ipsius; in quo sensu extenditur ad omne id, quod indiget alicuius dispositione, vt habeat esse præ non esse: sed talis est Scientia Media; ergo vt diminuta non sit divina providentia, ad illam debet extendi; ita vt existat ex Dei dispositione, vel sit ipsa dispositio libera Dei. Minor probatur; eo creatura, vt sit, indiget alterius dispositione, quia ex se non est, nec est ipsa dispositio libera Dei, sed est indifferens ad esse, & non esse: at Scientia Media consensus ex se non habet esse, sed est indifferens, vt sit, & non sit, (intellige quoad terminationem, seù denominationem) nec est ipsa dispositio libera; ergo indiget alicuius dispositione, vt sit. Hæc ratio à priori est clara; id enim, quod indifferens est ad esse, & non esse, ex se non est; ergo indiget aliquo, ex cuius dispositione, aut determinatione sit, vel est prima determinatio primi providentis.

Secundo, Providentiam Divinam non extendi ad omnia prædicata, quæ contingenter conveniunt creaturę, esset imperfectio in Divina Providentia; ergo non extendi saltem *vt quo* ad prædicata sibi cõvenientia contingenter, etiam erit imperfectio. Consequentia probatur; tùm, quia maior apparet imperfectio in eo, quod summo Provisori absque eius providentia eveniat prædicatum contingens, seipso nõ disponente, quam quod eveniat in creaturis sibi subditis. Tùm etiam; quia maior apparet imperfectio in eo, quod Deus alteri subijciatur, quam in eo, quod non sibi in omnibus creaturam subijciat: sed providẽtiam non extẽdi ad omnia prædicata creaturæ, est illam non perfectè sibi subijcere; contingenter autem Deo prædicata convenire absque eius dispositione est subijci alteri talia prædicata disponenti; ergo ad illa saltem vt quo non extendi Providentiam Divinam, imperfectio erit.

23 Contra secundum obstat primo; quia licèt peccatum existere absque dispositione Dei, seú absque decreto, quo velit eius deformitatem non sit casualitas arguens in Deo imperfectionem; si tamen esset absque dispositione Dei permittente ipsum, aut absque indigentia alicuius decreti, casualitas peccati imperfectionem in Deo argueret; ergo similiter Scientiam Mediam existere absque aliquo decreto, aliquo modo disponente saltim permissivè eius existentiam, casualitas eius imperfectionem arguit in Deo. Secundo, si peccatum existeret, ita tamen, vt in manu Dei non esset illud vitare, aut permittere, acasu existeret casualitate arguente imperfectionem in Deo; ergo si Scientia Media cõtingenter existit, quin Deus possit eius vitare existentiam, aut aliquid erga illam disponere, casualitas illius imperfectionem involuit Deo repugnantem.

Tertio, etiam si creatura non possit existere Deo in scio, aut affectu suo nolente efficacitèr existere, si tamen ex dispositione Dei non esset, acasu existeret respectu Dei, casualitate arguente imperfectionem; ergo ex eo, quod Scientia Media non existat Deo in scio, aut affectu suo efficacitèr nolente, non rectè deducitur, eius casualitatem in existendo imperfectionem non arguere, si semel existit, & non ex dispositione Dei. Quarto, si Scientia Media existeret, Deo affectu suo efficacitèr nolente eius existentiam, eius casualitas argueret imperfectionem, scilicèt imprudentiæ, eo quod Deus decerneret non esse, quod vitare non potest; sic Authores solutionis: at existere contingenter; quin Deus possit vitare eius existentiam, imperfectio est virtutis in Deo non potentis vitare, quod potest non esse; nec enim minor est imperfectio in potentia Dei, non posse, quod possibile est, quam imprudentia illius velle efficacitèr ex parte sua, quod adimplere non potest.

24 Dices: Latam esse disparitatem inter creaturam, & Scientiam Mediam; illa enim, vtpotè ens finitum, & limitatum, exigit essentialiter esse ex influxu primi entis, qui non præstatur à Deo, nisi iuxta placitum suæ voluntatis, & oppositum esset maxima imperfectio in Deo: cæterùm Scientia Media, vtpotè à Deo indistincta, non exigit existere ex alicuius influxu, sed

potiùs illi eſſentialiter repugnat ; atqueadeò dummodo exiſtat,non in ſcio Deo, & Deo non renuente, nulla arguitur in Deo imperfectio. Contra hanc tamen doctrinam,quæ videtur ſolvere noſtram tertiam impugnationem, obſtat primo ; nam deformitas peccati ex influxu Dei non eſt: & tamen non exiſtere in ſcio Deo, aut efficacitèr renuente,non ſufficit, vt caſualitas illius non arguat in Deo imperfectionem,ſi ipſum vitare non poſſet ; ergo ſimiliter dicendum eſt de caſualitate Scientiæ Medię. Secundo; nam ſi ſemel aliquid contingens exiſtere abſque Dei ordinatione , non eſt caſualitas arguens imperfectionem , nec erit imperfectio influere in creaturam abſque ordinatione propria ; ſi enim recipere , aut quaſi accipere Scientiam Mediam abſque ordinatione Dei non eſt imperfectio in Deo ; nec erit imperfectio ſuum influxum in creaturam præſtare abſque ordinatione Dei.

Inſuper; ſi prædicatum divinum potens non eſſe,eſt abſque Dei providentia, quare influxus Dei non poterit eſſe abſque providentia Dei,& ſine aliqua imperfectione. Tandem; creatura ex parte, qua contingens,eſt ad eſſe,& non eſſe , indiget alicuius providentia, vt ſit , nimirùm Dei, ex parte autem limitationis indiget influxu Dei ad eſſendum : ſi autem hac ſuppoſitione facta, maneret finita, & limitata indigeret influxu Dei præſtito abſque Dei providentia ; ergo Scientia Media , quia contingens, indiget ordinatione Dei , vt ſit, licèt quia illimitata eſt , vtpote cum Deo identificata , non indigeat Dei influxu.

25 Tertium inconveniens ex Scientia Media deductum deſumitur ex læſione libertatis creatæ ; quod ex dictis clarè deducitur : ex læſione enim primę libertatis ſecundam deſtrui neceſſe eſt. Modo tamen probandum eſt ex Scientia Media immediatè deduci deſtructionem libertatis creatæ, & non ſolum mediatè ex deſtructione libertatis divinæ ; quod quidem præſtandum eſt duobus modis;primo ex principijs Adverſariorum , & ſecundo abſolutè.

Probatur ergo primo ex Scientiæ Mediæ præmiſsis;eo ipſo,quod Deus cognoſcat per Scientiam Mediam , quod ſi Petro cóferatur auxilijs *A* cõſentiet,Petrus prævẽtus tali auxilio nõ eſt liber in cõſentiendo; ergo Scientia Media tollit libertatem creaturæ.Antecedens probatur; nõ eſt potens ad diſſentiendum ; ergo non eſt liber in conſentiendo ; libertas enim neceſſariò requirit potentiam expeditam ad extrema oppoſita. Antecedens probatur;non eſt potens ad coniungendum diſſenſum cum Scientia Media conſenſus , nec ad illum dividendum à tali ſcientia ; ergo non eſt potens ad diſſenſum.Cõſequentia apud Adverſarios eſt nota : & antecedens pro prima parte etiam eſt certum ; nam huiuſmodi coniũctio falſam redderet Scientiam Mediam;pro ſecunda parte probatur; nam non eſt potens facere , quod non exiſtat ſcientia conſenſus ; ergo non eſt potens ad diſſenſum dividendum à Scientia Media conſenſus.

Antecedens probatur primo:Deus hoc non poteſt facere ; ergo nec voluntas creata antecedens eſt communis doctrina Adverſariorum aſſerẽtium,Deum nõ poſſe facere , quod non exiſtat Scientia Media conſenſus.Conſequentia verò mihi videtur evidens ; id enim etiam quod ſubterfugit Omnipotentiam Dei , implicatorium eſt ex terminis : ſed ad id quod implicat ex terminis, non eſt potens voluntas creata ; ergo ſi Deus non poteſt facere, quod non exiſtat Scientia Media conſenſus, nec voluntas creata. Secundo probatur idem antecedens;Petrus præventus auxilio *A* , non poteſt facere , quod exiſtat Scientia Media diſſenſus ; ergo nec poteſt facere,quod exiſtat Scientia Media conſenſus. Conſequentia eſt bona , & admittitur ab Adverſarijs. Antecedens autem probatur ; & quia eadem eſt ratio, quantum ad acquiſitionem,de Scientia Media diſſenſus,ac de Scientia Media conſenſus, claritatis gratia probandum eſt,non poſſe acquiri per voluntatem creatam Scientiam Mediam.

Quod ſic probatur ; nullum exercitium liberum eſt poſsibile Petro, per quod huiuſmodi ſcientiam acquirere poſsit;ergo non poteſt. Antecedens probatur ; Petrus hic,& nunc præventus auxilio *A* , ſolum poteſt elicere,vel conſenſum , vel diſſenſum : ſed per nullum horum poteſt Scientiam Mediam acquirere ; ergo verum eſt antecedens. Quod non poſsit per diſſenſum , clariùs eſt, quam probatiõne indigeat ; diſſenſus enim incompoſsibilis eſt cum Scientia Media conſenſus. Quod autem per conſenſum non poſsit , ſic patet exiſtentia abſoluta conſenſus ſupponit eſſen-

sentialiter Scientiam Mediam illius; ergo per consensum absolutè existentem acquirere non potest Scientiam Mediam consensus. Consequentia probatur; nam quia auxilium sufficiens supponitur essentialiter ad consensum; non potest per consensum acquiri, & idem dicendum est de voluntate; idemque Adversarij dicunt de physica prædeterminatione, si essentialiter præsupponatur ad actum; ergo si existentia absoluta consensus supponit essentialiter Scientiam Mediam illius, non potest Petrus per consensum absolutè existentem acquirere Scientiam Mediam consensus.

26 Respondebis primo, esse disparem rationem; quia auxilium sufficiens, voluntas, & physica prædeterminatio antecedunt consensum per modum causæ; secus autem Scientia Media. Respondebis secundo, non posse voluntatem Scientiam Mediam acquirere per consensum absolutè existentem; benè verò per consensum conditionatè futurum. Sed contra primam responsionem stat, quod ideò causa per effectum acquiri non potest, quia eo quod causa, antecedit effectum, nec aliter explicari potest, qualiter causa per effectum acquiri non possit, nisi quia causa essentialiter præsupponitur existens ad effectū; ergo si Scientia Media præsupponitur existens ad consensum, quocumque titulo hoc habeat, per consensum acquiri non potest.

Contra secundam obstat; quod voluntas absolutè existens non potest, absolutè non potest; non enim exercetur libertas, nisi in statu absoluto; ergo quod non est in eius potestate, quando absolutè existit, non est in eius potestate: & ex oppositio fieret, Petrum dum nihil est, habere in sua potestate existentiam Scientiæ Mediæ, quam potestatem non habet, quando existit; & quod mirabilius est, in Petro purè possibili esset potestas ad faciendum, quod existat hęc Scientia Media prę alia, quæ potestas in Deo summo non reperitur.

Confirmatur, Petrus in statu conditionato adhùc conditionatè non facit, quod purificata conditione absolutè non facit; ergo si Petrus purificata conditione, scilicèt, collato auxilio, quo prævisus est consentire, non facit Scientiam Mediam consensus existere, nec in statu conditionato hoc adhùc conditionatè facit. Ex quo vlteriùs infertur; quod in statu conditionato consensus sub conditione futurus non antecedit Scientiam Mediam; nihil enim habet consensus in statu conditionato, quod non habeat in statu absoluto purificata conditione; ergo si in statu absoluto non antecedit Scientiam Mediam, nec in statu conditionato.

27 Propter hæc alij ex Adversarijs negant antecedens; nimirùm, quod existentia absoluta consensus supponat essentialiter Scientiam Mediam, contra quos probatur antecedens, scilicèt, consensum absolutè existentem supponere Scientiam Mediam; sic ergo probatur; implicat existere absolutè consensum, quin pro priori ad illius existentiam intelligatur in Deo existentia Scientiæ Mediæ, seù Scientia Media consensus; ergo consensus absolutè existens supponit in Deo Scientiam Mediam illius; quidquid sit, an hoc exigatur ex meritis consensus, vel ex alio capite; ex quocumque enim capite proveniat, quod consensus vt absolutè existens supponat in Deo Scientiam Mediam, non potest voluntas per consensum acquirere talem scientiam. Assumptum probatur primo; quia implicat consensum existere in tempore, quin abætetno extiterit Scientia Media illius; ergo consensus in tempore existens necessariò supponit abæterno existētem Scientiam Mediam; & consequenter illam in tempore acquirere non potest. Huius consequentiæ efficaciam latè explicat, & prosequitur Magister à S. Thoma tomo 2. in 1. partem, quæst. 28. disp. 8. articulo 3.

Secundo probatur assumptum; implicat existere consensum, quin pro priori ad illum, nedum vt existentem, sed pro priori ad illum vt futurum, seù illius futuritionem, intelligatur in Deo Scientia Media; ergo ante futuritionem consensus intelligitur Scientia Media; & consequenter implicat, quod per consensum acquiratur. Antecedens probatur; implicat consensum existere, quin pro priori ad decretum collativum auxilij, quo prævidetur voluntas consensura, intelligatur in Deo Scientia Media; ergo, ante futuritionem consensus intelligitur in Deo Scientia Media: futuritio enim absoluta consensus, vel stat in decreto collativo auxilij, vel tale decretum supponit; ergo si ante decretum collativum auxilij intelligitur in Deo Scientia Media, etiam intelligitur ante futuritionem consensus.

Solùm restat probandum, pro priori ad decretum collativum auxilij intelligi Scien-

Scientiam Mediã;quod ex eorum principijs ſic oſtẽditur:quotieſcumq; exiſtit conſenſus, Deus confert auxilium ex motivo efficaciæ, ſeù quia efficax eſt;& cõſequenter pro priori ad decretum cognoſcit efficaciam auxilij; Deus enim non poteſt moveri ad decernendum ex motivo non præcognito ; atqueadeò nec decernit,non cognita auxilij efficacia , à qua movetur ad decernendũ auxilium : at ejus efficaçiam cognoſcere idem omninò eſt, atque cognoſcere voluntatem eſſe conſenſuram,ſi illi conferatur auxilium,quæ cognitio eſt ipſa Scientia Media ; ergo illa præcedit decretum collativum auxilij. Idem argumẽtum conficitur in ſententia adſtruẽnte efficacem prædefinitionem conſenſus, ad quam Deus dirigitur Scientia Media : hęc autem prædefinitio præſupponit Scientiam Mediam, à qua dirigitur , & antecedit decretum collativum auxilij , vel eſt ipſum decretum collativum auxilij ; & conſequenter Scientia Media antecedit huiuſmodi decretum.

28 Sed reſpondent : verum eſſe Scientiam Mediam præſupponi ad decretum collativum auxilij ; non tamen eſſentialiter , ſed accidentaliter , ſcilicèt , quia Deus poteſt decernere auxilium, etiam non præeunte Scientia Media conſenſus : quod patet ex eo, quod Deus multoties confert auxilium, cui homo non conſentit , ſed diſſentit, in quo caſu certum eſt non præcedere decretum collativum auxilij Scientiam Mediam conſenſus, vtpotè, quæ in caſu illo non datur : præcedere autem peraccidens Scientiam Mediam conſenſus decretum collativum auxilij, non obeſt,quominùs per conſenſum poſsit acquiri. Sed hæc doctrina ſuſtinenda non eſt,& reijcitur primo ; nam cõſenſus exiſtere non poteſt abſque eo , quod in Deo exiſtat ſpecialis benevolentia erga conſentientem præ non conſentiente : ſed hæc ſpecialitas in ſententia contrariorum, in alio non poteſt conſiſtere,quam in prædiffinitione efficaci conſenſus , vel in eo , quod Deus confert auxilium, quia efficax eſt , vel ſaltim,quia illud confert prævidendo voluntatem ſub illo eſſe conſenſuram; ergo cõſenſus,& decretum collativum auxilij , quo quis conſentit , aliquid horum eſſentialiter præſupponit ; & conſequenter Scientiam Mediam , ſine qua neutrum intelligi poteſt.

29 Secundo reijcitur;vt exiſtat conſenſus,requiritur eſſentialiter Deum donare conſenſum conſentienti , quem non donat non conſentienti : ſed hoc intelligi non poteſt in ſententia contrariorum , niſi Scientia Media præcedat decretum collativum auxilij; nam præciſa Scientia Media, nihil eſt in Deo erga conſentientem præ non conſentiente, ratione cuius de Deo verificari poſſit donare conſenſum vni,& non alteri; ergo idem,quod priùs. Tertiò ; nam licèt Scientia Media non præſupponatur eſſentialiter , defacto tamen præcedit decretum collativum auxilij, & ipſum conſenſum ; ergo defacto hic , & nunc homo præventus tali auxilio non poteſt acquirere Scientiam Mediam. Conſequentia probatur ; quod hic, & nunc independenter à voluntate creata præcedit actum liberum , hic , & nunc per actum liberum, acquiri non poteſt : ſed hic, & nunc decernente Deo efficacitèr conſenſum , vel conferente auxilium ex motivo efficaciæ, Scientia Media præcedit conſenſum liberum independenter à voluntate creata ; ergo hic, & nunc per conſenſum liberum acquiri non poteſt.

30 Quarto ; etiam ſi non preſupponatur ad conſenſum eſſentialiter Scientia Media, vt quid neceſſarium eſſentialiter ad exiſtentiam conſenſus ; Deum tamen poſſe efficacitèr prædiffinire conſenſum , ſeù poſſe decernere auxilium ex motivo efficaciæ, neceſſario fatendum eſt præſupponi ad collationem auxilij,ſi efficax eſt, aut ſi homo cum illo conſentit; ergo neceſſario fatendum eſt, per conſenſum acquiri non poſſe Scientiam Mediam. Antecedens probatur ; licèt non ſit eſſentialiter neceſſarium ad exiſtentiam conſenſus,Deum efficacitèr illum prædefinire, aut dirigi á Scientia Media ad decernendum auxilium ; implicat tamen conſenſum exiſtere,quin Deus pro priori ad conſenſum ſit potens expedite ad ipſum efficacitèr decernendum, vel ad conferendum auxilium ex motivo efficaciæ: ſed huiuſmodi potentia expedita non poteſt intelligi non intellecta Scientia Media; ergo implicat exiſtere conſenſum,quin pro priori ad illum intelligatur Scientia Media.

Maior probatur; Implicat exiſtere conſenſum,quin Deus poſsit ipſum decernere, ſeú conferre auxilium ex motivo efficaciæ: ſed hæc potentia præcedit exiſtentiam conſenſus ; ergo implicat exiſtere conſenſum, quin huiuſmodi potentia exiſtat in Deo pro priori ad conſenſum.Minor etiam probatur; potentia expedita ad decernendum efficacitèr conſenſum, ſeù auxiliũ ex motivo efficacię dicit eſſentialiter,iuxta principia Adverſariorum,omnia requiſita ad huiuſmodi decretum non acquiſibilia per ipſum decretũ; ſicut in homine potentia expedita ad cõſenſum dicit formaliter , & conſtitutivè omnia re-

requisita ad consensum non acquisibilia per ipsum: sed Scientia Media est requisita ad decernendum efficacitèr consensum, vel auxilium ex motivo efficaciæ;& aliàs per huiusmodi decretum non est acquisibilis; cũ Scientia Media in potestate Dei non sit;ergo vt intelligatur prædicta potentia expedita in Deo,debet intelligi Scientia Media.

31 Confirmatur 1. scientia per consensum acquisita,nequit Deum constituere potentem expedite ad decernendũ consensum: sed implicat Scientiã Mediam existere, quin Deus per illam constituatur potens expedite ad decernendũ cõsensum;ergo implicat existere Scientiam Mediam acquisitam per consensum. Consequentia est bona, & minor est cõmunis Adversariorum sententia:maior autem probatur;implicat potentia expedita ad decernendum consensum expeditione consequuta ad consensum, seú ad existentiã consensus; potentia enim, cuius actus præcedit essentialiter consensum,nequit habere expeditionem, ad talem actum requisitam, per consensum,& pro posteriori ad consensum: sed actus potentiæ expeditæ ad decernẽdum efficacitèr consensum est decretum, de cuius essentia est existere pro priori ad consensum; ergo potentia ad tale decretum, nequit expectare expeditionem post decretum; & cõsequenter nequit constitui perscientiam acquisitã per consensum,& post ipsũ existẽtẽ.

Confirmatur 2; scientia visionis consensus,quia per illum acquiritur in sententia cõtraria,nequit existere in signo apto ad dirigendum Deum,vt decernat consensum, aut vt conferat auxilium ad illum, sed potiùs independenter à tali scientia, & pro priori ad illam intelligitur potens decernere; ergo si Scientia Media existit in signo apto, vt Deũ dirigat ad decernendum,illumque constituit potentem expedite decernere, nequit existere per consensum acquisita.

Confirmatur tertio;si voluntas per consensum posset acquirere Scientiam Mediam eo esset, quia consensus est acquisitio,seù determinatio præcedens existentiam Scientiæ Mediæ, illamque inferens; vt enim voluntas per consensum hanc scientiam acquirat,non sufficit consensum cum illa connecti, vt patet in actu connexo cum physica prædetermination, per quem voluntas non potest acquirere prædeterminationem physicam; & consequenter necessarium est Scientiam Mediam existere ex determinatione existentiæ consensus, vt aliquo modo possit per consensum acquiri: sed consensus non est acquisitio,nec determinatio,vt Scientia Media existat;ergo voluntas non potest per consensum Scientiam Mediam acquirere.

Minor probatur; nam si consensus esset acquisitio,seù determinatio inferens à priori,vel quasi à priori Scientiam Mediam, habens in sua potestate consensum eodem modo haberet in sua potestate Scientiam Mediam; qui enim potest ponere acquisitionem rei,eodem modo potest ponere rem ipsam: sed Deus habet in sua potestate consensum creaturæ, qui tamen non eodem modo habet in sua potestate Scientiam Mediam; cum hæc nullo modo subdatur potestati Dei;quod de consensu Adversarij non audent affirmare; ergo consensus non est acquisitio Scientiæ Mediæ,aut determinatio, ratione cuius existat. Ex quo principio, evidenter, ni fallor,infertur,vel Deum nullo modo habere in sua potestate consensum creaturæ; quod absurdissimum est; vel habere in sua potestate existentiam Scientiæ Mediæ; quod negant Adversarij: vel asserendum, consensum non esse acquisitionem Scientię Mediæ.

32 Restat modo breviter probandum Scientiam Mediam auferre libertatem creatam, non solúm ex principijs Adversariorũ, sed absolutè. Probatur ergo sic; complexum constans ex Scientia Media consensus, & auxilio sufficienti ad illum,antecedit consensum ex parte actus primi, illumque infallibiliter infert;ergo aufert libertatẽ consensus. Consequentia est bona,& antec.prob.& in primis, quod auxilium sufficiens præcedat ex parte actus primi,etiam est certũ; quod autẽ præcedentia Scientiæ Mediæ, quã iam probavimus,se teneat ex parte actus primi, probant aliqui sic;quidquid necessariò præsupponitur ad actum coniungibile cum carentia actus,se tenet ex parte actus primi ad actũ: quapropter, quia breviarium, v. g. prærequiritur ad recitandum,& est coniungibile cum carentia recitationis, præsupponitur ad illam ex parte actus primi: & quia carentia catenarum prærequiritur ad ambulandum, & est coniungibilis cum carentia deambulationis, prærequiritur ex parte actus primi ad deambulandum; quo circa carens breviario, necessario non recitat,& ligatus catenis, quas excludere non potest, necessariò non deambulat: sed Scientia Media præsupponitur ad consensum, & est coniungibilis cum illius carentia; ergo præsupponitur ex parte actus primi ad consensum.

Sed hoc argumentũ non vrget; & maior videtur falsa;nã carentia prædeterminationis ad odiũ est requisita ad amorẽ,& est cõiũgibilis cũ carẽtia amoris:& tamẽ nõ præsupponitur ex parte actus primi ad amorem; aliàs prædeterminatus ad odiũ nõ haberet potẽtiã

ad

ad amandum;cum illi deficeret aliquid prærequisitũ ex parte actus primi ad amandum, nimirùm carentia physicę prædeterminationis ad odium. Cui argumento, seù instantiæ responderi potest ; quod carentia prædeterminationis ad odium,prærequisita ad amandum, non est quæcumq; carentia,sed carẽtia prædeterminationis inducta ex vi prædeterminationis ad amorem,quæ proùt sic nõ est coniungibilis cum carentia amoris , & se tenet ex parte actus secundi ad amorem , sicut prædeterminatio ad amorem , ex qua infertur, sed quidquid sit de hoc.

33 Meliùs probatur propositio assumpta sic : primo; Scientia Media præcedit auxilium,cum ex directione illius Deus conferat auxilium,vel saltim Deus possit dirigi ex Scientia Media ad conferendum auxiliũ; ergo si auxilium præcedit consensum ex parte actus primi,à fortiori ipsa ScientiaMedia; id enim,quod præcedit actum primũ , non potest se tenere ex parte actus secundi;& cõsequenter ad actum primum spectat. Secundo,voluntas non intelligitur potens in actu primo ad actum secundum, non intellecta Scientia Media; ergo Scientia Media se tenet ex parte actus primi. Antec.probat. voluntas non intelligitur potens in actu primo ad actum secundum , non præintellecta in Deo potentia expedita ad eundem actum secundum ; sed hæc potentia non intelligitur in Deo, non intellecta in ipso Scientia Media,vt ipsi concedunt ; ergo nequit intelligi voluntas potens in actu primo ad consensum, non præintellecta Scientia Media consensus.

34 Tertio probatur assumptum ; eo ipso quod detur aliquid antecedens inferens infallibiliter consensum,inferens, inquam, vi alicuius nõ orti ex dominio primi,aut secundi domini,& ex libera determinatione creaturæ,aut Dei, consensus evadit necessarius: sed data Scientia Media,datur aliquid antecedens consensum , illum infallibiliter inferens vi alicuius non orti ex dominio primi, aut secundi domini ; ergo aufertur libertas consensus.Minor prob. complexum ex auxilio,& Scientia Media antecedit consensum, illumque infallibiliter infert: sed illum infert ratione Scientiæ Mediæ;ergo vi alicuius non orti à primo , aut secundo domino. Minor probatur primo;auxilium,aut decretum collativum illius potest componi cum carentia consensus;ergo non ratione sui , sed ratione Scientiæ Mediæ infert infallibiliter consensum. Secundo probatur minor; auxilium infert consensum ea ratione,qua efficax est; sed constituitur efficax, in sententia Adversariorum,per Scientiam Mediam; ergo infert cõsensum ratione Scientiæ Mediæ: hæc autem, vt vidimus,non oritur ex dominio Dei , aut creaturæ.

Sed probemus maiorem principalem; auferre suspensionem voluntatis , illesa libertate creata,& eius indifferentia, solùm pertinet ad voluntatem,quę est sui domina,vel ad supremum dominium:sed id,quod antecedit actum,illumque infert, aufert suspensionem voluntatis,& non est à primo , aut secundo domino;cum Scientia Media à nullo illorum sit;ergo aufertur indifferentia voluntatis , & eius libertas.Confirmatur primo ; quotiescũque voluntas determinatur ad actum ab alio, quam à se,vel à supremo domino actus, non potest actus esse liber ; solùm enim propria determinatione supremi domini,ex qua derivatur determinatio voluntatis , illius libertatem non lædit: sed voluntas præventa auxilio sufficienti,per additionẽm Scientię Mediæ determinatur ad actũ , & non determinatur à se,aut à primo domino; cum scientia hæc,qua determinatur voluntas , à neutro domino sit;ergo tollitur libertas actus.Confirmatur 2. ideó physica determinatio non lædit libertatem,quia licèt inferat infallibiliter actum,& in potestate voluntatis non sit; est tamen id , medio quo à primo domino derivatur actus,& eius libertas : sed Scientia Media,vi cuius actus infallibiliter infertur, nec est in potestate creaturæ, nec in potestate Dei;cum ex voluntate Dei non sit, nec est medium,quo á Deo derivatur in actum libertas;ergo tollit libertatem actus.

35 Sed obijcies primo; scientia connotat libertatem in actu; ergo non potest illam auferre. Consequentia constans videtur ; id enim,quod connotat libertatẽ , illam infert; ergo illam non destruit : qua ratione physica prædeterminatio libertatẽ non tollit,vt communitèr docent Thomistæ. Antecedens autẽ etiã videtur certum; nam per Scientiã Mediã cognoscit Deus futurum esse liberum consensum,si ponatur conditio ; ergo connotat libertatem in consensu.Secundo obijcies; id, quod prævidetur sub conditione futurum, existit posita conditione,hoc est,quod existit conditionatè,est,quod postèà purificata conditione,existit in statu absoluto:sed perScientiam Mediam prẽvidetur consensus liber sub conditione futurus; ergo purificata conditione existit consensus liber ; ergo Scientia Media libertatem non aufert.

36 Respondetur iuxta Adversariorum

doctrinam omisso antecedenti, negando cõsequentiam ; iuxta illam enim dicendum est, Scientiam Mediam inferre libertatẽ consensus, quia illam connotat; & inferre necessitatem consensus, quia complexum inferens consensum, illum antecedit, & in potestate voluntatis non est existentia complexi ; eo modo, quo in sententia Adversariorum decretum efficax independens à Scientia Media, quo Deus decernat actum, & eius libertatem, vtrumque infert, & libertatem actus, & eius necessitatem : primum, quia libertatem connotat, & cum illa connectitur; secundum autem, quia tale decretum infert consensum, & in potestate voluntatis non est: cæterùm sicut ipsi hac de causa negant illius decreti possibilitatem, debent similiter negare possibilitatem Scientiæ Mediæ : & sicut ex admissione illius decreti inferunt libertatem auferri (quidquid sit, an ex alio capite illã inferat) pariter, & nos ex eorũ principijs inferimus, Scientiam Mediã libertatem auferre, etiam si ex alio capite oppositũ inferatur.

Ad secundum distinguo maiorem, si consensum in statu absoluto præcedat aliquid inferens illum infallibiliter, quod non præcedit in statu conditionato, nego maiorẽ, aliàs cõcedo maiorẽ; & omissa minori, nego consequentiam ; nam in statu conditionato nihil præcedit illum infallibiliter inferens, quod in potestate voluntatis non sit ; secus autem in statu absoluto: sicut consensus liber in statu possibilitatis idem est, atque ille, qui absolutè existit; si tamen ipsum in statu absoluto existentiæ præcedat decretum efficax non regulatum Scientia Media, illius libertatem aufert in statu existentiæ, in sententia Adversariorum ; pariter dicendum est, quod licèt idem sit consensus in vtroque statu; si autem ponatur præcedere consensum in statu absoluto aliquid illum inferens, quod in potestate voluntatis non est, illius necessario aufert libertatem.

37 Secundo respondetur ad primum, distinguendo antecedens, connotat libertatẽ in actu, illum infallibiliter inferens per modũ actus primi, concedo antec, non constituens actum primum ad consensum, nego antec. & consequentiam ; id enim, quod per modum actus primi infert actum, quantumvis connotet libertatem, & illam inferat, simul destruit illam: ex quo solùm sequitur, positionẽ illam, ex qua infertur duplex contradictoriũ, esse impossibilem. Ad secũdum respondetur eodem modo, si consensum in statu absoluto præcedat aliquid ex parte actus primi, illum infallibiliter inferens, nego maiorem, si non sit aliquid sic præcedens, concedo maiorem, & omissa minori, nego consequentiam; quia vt suprà instatur.

Sed dices ; implicat Scientiam Mediam præcedere essentialiter consensum in statu absoluto, & non in statu conditionato : sed non præcedit consensum in statu conditionato, sed potiùs subsequitur ; ergo nec in statu absoluto. Respondetur, argumentũ convincere, in vtroque statu debere præcedere, vel in vtroque subsequi : cæterùm, iuxta Adversarios, subsequitur statum conditionatũ, & præcedit absolutum, cum dirigat Deum, vel saltim possit dirigere ad decernendum consensum, & auxilium sufficiens ad illum: & insuper, quia perfecta Dei providentia præcedit consensum in statu absoluto ; nequit autem intelligi perfecta Dei providentia, non intellecta Scientia Media, iuxta Adversarios. Ex quibus nos argumentum deducimus ad probandum libertatem auferre; etiam si ex hoc inferatur ipsos inconsequenter loqui: quod argumento facto cõvincitur.

38 Tertio responderi potest iuxta vltimam nostram probationem, distinguendo antec. connotat libertatem, vt quid ortum ex dominio Dei, aut secundi agentis, vel domini, nego antec. vt quid ortum aliundè, quam ex dominio Dei, aut creaturæ, concedo antec. & nego consequentiam; iuxta quæ facilis est solutio ad secundum. Sed adhùc dices; stante iudicio indifferenti, nequit auferri libertas, vt communitèr docent Thomistæ : sed Scientia Media non tollit indifferentiam iudicij; ergo non tollit libertatem. Respondetur primo, iuxta Adversarios, maiorem esse falsam; atqueadeò iuxta illos argumentum inefficax est.

Respondetur secundo, distinguendo maiorem, si cum iudicio indifferenti componatur aliquid inferens consensum, se tenens ex parte actus primi, nego maiorem, si hoc cum illo non componatur, vt asserunt Thomistæ, concedo maiorem, & omissa minori, nego consequentiam : cum iudicio enim indifferenti, iuxta Thomistas, componi non potest aliquid se tenens ex parte actus primi connexum cum actu secundo ; atqueadeò cum iudicio indifferenti non stat auferri libertatem. Quia tamen, iuxta Adversarios, vtrumque componitur, stat ex eorum doctrina, auferri libertatem mamente iudicio indifferenti ; & sicut cum indifferentia iudicij actus necessario evadit liber iuxta veritatem, ex actu primo connexo cum secundo infertur

actum

actum non esse liberum. Insuper iuxta tertiam solutionem supra tradditam potest distingui maior, si cum iudicio indifferenti componatur aliquid inferens infallibiliter actum vi alicuius non orti ex dominio Dei, aut creaturæ, nego maiorem, absolutè, concedo maiorem, & omissa minori, nego consequentiam.

39 Ex dictis alterum deducitur inconveniens, scilicèt, dari aliquod prædicatum divinum, cuius esse, aut non esse in potestate voluntatis non est, inferens infallibiliter malitiam peccati; quod apud ipsos magnum reputatur absurdum: quod tamen sic deducitur; complexum ex Scientia Media, qua Deus prævidit voluntatem peccaturum, si illi conferatur auxilium *A*, & ex decreto collativo illius, est prædicatum divinum præcedens existentiam absolutam peccati, illamque inferens: & aliàs, vt sæpè vidimus, esse aut non esse illius complexi in potestate voluntatis non est; ergo datur prædicatum divinum connexum cum existentia absoluta peccati, cuius esse, aut non esse ex determinatione voluntatis non est. Quod autem Scientia Media peccati sub illo auxilio existat pro priori ad existentiam absolutam peccati; & consequenter, quod per illud auferri, aut acquiri non possit, iam probatum est, & iterùm cõstat; quia talis scientia existit in signo apto, vt Deus illa directus possit nolle conferre auxilium, quo prævidit voluntatem peccaturam; & consequenter intelligitur pro signo indifferentiæ Dei ad decernendum auxilium, vel illud non decernendum; quæ quidem indifferentia præcedit existentiam decreti conferendi auxilium sufficiens ad vitandum peccatum, & requisitum ex parte actus primi ad liberam vitationẽ peccati, & ad existentiã ipsius peccati.

40 Etiam deducitur, primam determinationem ad existentiam peccati esse ex voluntate divina; nam Deus conferens auxilium, prævidens per Scientiam Mediam voluntatem peccaturam, si tale auxilium conferatur, Scientiæ Mediæ præsuppositæ supperaddit decretum, & determinationem, ex vi cuius supperadditionis resultat complexum inferens malitiam peccari, non potens à creatura vitari, nec talem statum à se excludere. Confirmatur ex alijs eorundem principijs; quia voluntas prævenia auxilio sufficienti est indifferens, vt coniungatur cũ Scientia Media consensus, vel cum Scientia Media dissensus; si ex propria determinatione eliciat consensum inferentem infallibiliter in Deo Scientiam Mediam consensus, voluntas creata determinat Deum ad Scientiam Mediam consensus: sed Deus prævidens voluntatem peccaturam, si conferatur auxilium *A*, decernens collationem talis auxilij, ponit ex propria determinatione aliquid connexum cum existentia peccati; ergo determinat voluntatem creatam ad existentiam peccati.

41 Dices, consensum ex se inferre Scientiam Mediam illius; secus autem decretum collativum illius auxilij: hoc enim decretum ex se est indifferens ad peccatum, & illius omissionem, solumque infert peccatum ex suppositione Scientiæ Mediæ. Sed contra est; nam consensus non infert Scientiam Mediam consensus sub hoc auxilio, nisi præsuppositio hoc auxilio; si enim consensus medio alio eliceretur, non inferret in Deo Scientiam Mediam, qua cognosceret esse futurum consensum sub conditione huius auxilij: sed licet decretum non inferat existentiam peccati ex se, illam tamen infert ex suppositione Scientiæ Mediæ; ergo nulla est disparitas. Quod amplius explicatur; ex scientia consensus ex se non infert Scientiam Mediã, quia Deus cognoscat futurũ esse consensũ sub conditione auxilij *A* modo existẽtis; nam in sententia cõmuni Adversariorum, iste consensus poterat esse, & non per auxilium *A*, à quo defacto procedit, sed per aliud: quo in casu non inferret Scientiam Mediam illius sub conditione auxilij *A*: & tamen, quia ex suppositione auxilij *A* infert Scientiam Mediam consensus, sub auxilio *A* determinat Deum ad talem Scientiam; ergo similiter.

42 Tandem sequitur, discretionem consentientis à non consentiente, non esse ex affectu, & voluntate divina, sed solùm ex voluntate creata; & non esse necessariam specialem benevolentiam Dei erga benè operantem præ non benè operante, contra illud Pauli 1. ad Corinth. 4. Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? &c. Sic autem deducitur; ex duobus hominibus æqualibus, quo ad auxilia, & quo ad voluntatem divinam stat vnum consentire, altero non consentiente; ergo discretio non ad voluntatem divinam, sed ad creatam debet reduci.

Neque aliquid iuvat ad hoc, vt consentiens discernatur à Deo, quod consentienti conferat auxilium prævidens illum consensurum, quod tamen non sic tribuit non consentienti. Nam contra est primo;

quia conferre auxilium cum hac prævisione non est necessarium ad hoc, vt Petrus consentiat, in contraria sententia; quod si necessarium est, Scientia Media, vt suprà arguebamus, præsupponitur necessario ad consensum ex parte actus primi; ergo discretio consentientis à non consentiente non necessario est à Deo; cum huiusmodi discretio non prærequirat auxilium collatum à Deo ex directione Scientiæ Mediæ consensus, nec Petrus indigeat, vt huiusmodi discretio à Paulo sit à Deo. Secundò; nam etiam hoc admisso, discretio solùm esset ex prævisione,& præscientia, non ex ordinatione divina; nam in omnibus, præterquam in præscientia, par est dissentiens consentienti; etiam voluntas collativa auxilij, ipsum auxilium,& voluntas inefficax consensus respectu vtriusque paria sunt, & æquè indifferentia ad dissensum, & consensum.

43 Tertiò; quia solùm discriminantur in Scientia Media: sed hæc ex voluntate Dei non est, sed vel ex nullius voluntate, vel ex determinatione voluntatis creatæ; ergo id, in quo discriminantur, non ad voluntatem divinam, sed vel ad nullam, vel ad voluntatem creatam reducitur. Tandem; quia discretio consistit in efficacia auxilij: sed hæc in potestate Dei non est, sed solùm in potestate creaturæ; ergo discretio in voluntatem creatam est solùm reducenda. Minor probatur; nam efficacia auxilij, iuxta Adversarios, consistit, vel in Scientia Media consensus, vel in statu conditionato consensus, vel in ipso consensu actualiter existente: sed neutrum horum est in potestate Dei; ergo efficacia auxilij non est in potestate Dei. Minor pro prima, & secunda parte ab ipsis conceditur; & pro tertia probatur; nam voluntas præventa auxilio sufficienti est vnicè potens ad consensum,& dissensum; nec Deus habet in sua potestate, suppositа voluntate indifferenti ad consensum,& dissensum, facere, quod sit consensus præ dissensu: sed de his tractatu de Auxilijs. Inconvenientia, quæ ex negatione Scientiæ Mediæ conantur deducere Adversarij; scilicèt, auferri libertatem creatam, increpationem Iudeorum comparativè ad Gentiles factam à Christo Domino, Matthæi 11.& Lucæ 10. esse irrisoriam,& alia huiusmodi, tractatu de Decretis, seù Providentia Dei, disputatione 2. solvenda sunt. Et hæc de hoc dubio.

DIS-

TRACTATVS IV.

DE VOLVNTATE DEI.

PROOEMIUM.

POST Tractatum de his, quæ pertinent ad intellectum, de quibus egit D. Thomas, à quæst. 14. vsque ad 18. rectum ordinem servans, hac quæst. 19. de Voluntate Divina disputationem instituit, & cum eo cæteri Theologi, & Scolasticus M. in 1. dist. 45. vbi D. Thom. & 1. contra Gentes, à cap. 72. & quæst. 23. de Veritate, & Opusculo 3. à cap. 32.

ARTICVLVS PRIMVS.

VTRVM IN DEO SIT VOLVNTAS?

CONclusio est affirmativa, & de fide, quæ sæpiùs traditur in Sacra Scriptura ad Roman. 12. *Vt probetis, quæ sit voluntas Dei.* Ad Ephes. 1. *Secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ad Colosens. 1. *Vt impleamini agnitione voluntatis eius.* Et infrà: *Voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti huius.* Psalm. 133. *Deus autem noster in Cœlo, omnia, quæcumque voluit, fecit, & alibi.* Ratio autem D. Thomæ sic proponitur: in Deo est intellectus; ergo est voluntas. Antecedens supponitur probatum supra quæst. 14. artic. 1. & consequentia probatur; ad omnem formam sequitur aliqua inclinatio; quælibet enim res hanc habet habitudinem ad suam perfectionem, seù formam, vt quando illam non habet, tendat in illam, quando verò illam habet, quiescat

in

in ea; ergo similiter ad intellectum, qui redditur intelligens per formam intelligibilem, consequitur inclinatio ad rem sic apprehensam, vt quando illam habet, quiescat in ea; cum verò non habet, ad illam tendat: tunc sic; sed inclinatio ad illam sic sumptam vocatur, & est voluntas; sicut consequuta ad rem naturalem, appetitus innatus. Ergo si in Deo est intellectus, est in illo voluntas. Quam rationem esse demonstrationem, post Caietanum in præsenti, & alios Thomistas, docet M. á S. Thoma, disp. 4. art. 1. Salmanticenses, Albelda, & alij. An autem detur in Deo voluntas per modum actus primi; vel an sit de constitutivo metaphisico naturæ Divinæ disputant frequentius Theologi supra quæst. 14. agentes de constitutivo naturæ divinæ: vbi de intellectu Dei eadem inquirunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

VTRVM DEVS VELIT ALIA A SE?

CONclusio est affirmativa sæpè traddita in Scriptura, quam probat D. Thomas ex Apostolo 1. ad Thessalonicenses 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*: ratio autem eius est, quod omnis res, secundum quod bona est, & perfecta, habet inclinationem, vt proprium bonum in alia diffundat; ergo multomagis hoc pertinet ad divinam voluntatem, à qua derivatur omnis perfectio.

DUBIUM PRIMUM.

VTRVM DEVS VELIT CREATVRAS POSSIBILES?

Paragraphus Primus.

Aliqua prænotantur, & referuntur ſententiæ?

1 SUPPONIMUS Deum velle ſuum eſſe,& ſuam bonitatem; eſt enim eſſentia Divina principale, & primarium volitum Dei, vt docet Div. Thomas 1. contra Gentes cap.78.& 80.& art. 3.ſequenti: & ratio eſt manifeſta; tûm, quia primarium appetibile comparatur ad appetitum, vt movens ad motum,& ſimiliter ſe habet volitum ad volentem: ſed reſpectu divinę voluntatis nihil creatum poteſt comparari, vt movens; ergo nihil extra Divinam eſſentiam poteſt eſſe primarium volitum voluntatis Divinæ. Minor probatur; nam movens proût ſic ſuperioritatem dicit ad motum: ſed nihil creatum illam poteſt habere reſpectu voluntatis divinæ; ergo nihil creatum poteſt ad illam comparari, vt movens. Tùm etiam; nam obiectum primarium alicuius virtutis debet proportionari cum ipſa, & cum ea ſecundum æqualitatem commenſurari, vt docet Philoſophus in 1. de Cœlo,& Mundo,vt videre eſt in omnibus virtutibus: ſed nihil finitum ex æquo commenſuratur voluntati infinitæ Dei; ergo ſola Divina eſſentia eſt obiectum primarium voluntatis Divinæ.

2 Ex quo rectè deducitur,amorem, quo Deus vult ſua prędicata neceſſaria,eſſe omninò neceſſarium; quod docuit etiam D.Thomas vbi ſupra,& eius ratione oſtenditur: nam quælibet potentia habet neceſſariam habitudinem ad ſuum primarium, & principale obiectum, vt viſus ad colorem; eſt enim de illius ratione ad primarium obiectum tendere: quapropter voluntas noſtra vult de neceſsitate beatitudinem; ergo cum primarium obiectum voluntatis divinæ ſit bonitas increata, ad illam habet neceſſariam habitudinem, eamque ex neceſsitate vult. Quæ ratio, licèt ex terminis ſolùm convincat neceſsitatẽ,quoad ſpecificationem, vt notavit Caiętanus, & Ferrara vbi ſuprá; applicata tamen ad voluntatem divinam, vtramque neceſsitatem demonſtrat, ſcilicèt, quoad ſpecificationem,& exercitium: nam cum divina voluntas, vtpotè actus purus, ſine actu ſecundo reperiri non poſsit; conſequens eſt, vt nedum quoad ſpecificationem ſit neceſsitata, ſcilicèt, ad non odio proſequendum propriam bonitatem; verum quoad exercitium, nempè ad illam in actu ſecundo amandam, quod docuit nos D. Thomas 1. contra Gentes, cap. 80. ratione 1. quę vt clariùs appareat, poteſt ſic ratio proponi: quælibet potentia dicit neceſſariam habitudinem ad ſuum obiectum primarium iuxta propriam naturam: ſed natura voluntaris divinæ, eo quod actus purus eſt, eſt ferri in obiectum in actu ſecundo; ergo neceſſarium omninò eſt Deum in actu ſecundo amare primarium obiectum, ſeù propriam bonitatem.

3 Secundo; Deus non poteſt non eſſe ſummè fœlix, & beatus beatitudine completa,& perfecta: ſed amor ſui eſt omninó neceſſarius ad illam, quamvis de illius formali conſtitutivo non ſit; ergo Deus non poteſt ſeipſum non amare. Tertiò; Deum in actu ſecundo amare,eſt perfectio abſque aliqua imperfectione; ergo neceſſario reperitur in Deo, cui concedenda eſt omnis perfectio imperfectione non admixta. Conſequentia conſtat, & antecedens ex ſe ſatis manifeſtum,declaratur à D.Thoma 1.contra Gentes vbi ſuprà; quia, ſcilicèt,Deum diligere eſt ſumma perfectio, ad quam pertingere poteſt creatura rationa-

lis;

lis; ergo ex se nullam involuit imperfectionem.

4 Licèt autem in vtraque necessitate amoris Dei erga sua prædicata necessaria omnes Theologi conveniant; non tamen desunt Recentiores dubitantes, an sit Deus necessitatus ad amorem sui quoad individuationem actus: an scilicèt, supposito, quod non possit non se amare in actu secundo, possit tamen se amare distincto amore quoad individuationem ab illo, quo defacto seipsum amore prosequitur. Qui in affirmantem partem inclinari videntur, ducuntur primo; nam si Deus, necessitatus ad sui amorem, sit liber in eligendo hunc numero actum præ alio, satis fit ex vna parte perfectionibus divinis exigentibus Deum necessario se amare in actu secundo; quod, & non amplius convincunt rationes factæ, & ex alia extenditur divina libertas, & dominium Dei potentis pro suo libito hunc amorem eligere præ alio; ergo adstruenda est cum necessitate quoad exercitium, libertas quoad illius individuationē. Secundo; duo actus possunt in Deo excogitari, quibus seipsum amet, alter, qui ex propria individuatione simul sit volitio mūdi, alter, qui simul cum propria individuatione sit nolitio creationis mundi, in quo nulla apparet implicatio, sed maximè commendatur simplicitas Dei, & illius amoris, qui omninò indivisibilis ad Deum, & creaturas extenditur; ergo cum possit deficere actus, quo Deus vult mundi creationem, loco cuius subrogatur nolitio mundi, potest etiam deficere actus, quo seipsum amat, & loco illius subrogari alius, quo se amet, & nollit mundum existere.

5 Confirmatur; defacto per actum, quo Deus vult creationem mundi, secundum quod à quolibet actu amoris distinguitur, Deus amat seipsum; nam cum ratio formalis, & motivum diligendi mundum, sit bonitas increata, non potest non esse amata per talem actum: & similiter si Deus nolet creare mūdum, talis actus esset amor bonitatis increatæ, eadem ratione; motivum enim omnis actus divini est bonitas increata: sed necessarium est Deum habere aliquem ex his actibus vage, potestque pro suo libito quemlibet illorum eligere; ergo licèt sit necessitatus ad se amandum, potest liber existere absque aliqua imperfectione quoad individuationem actus.

6 Neque potest dici, quod vltrà actus recensitos, necessario datur alius in Deo, quo seipsum diligit non potens deficere. Contra enim est; tùm, quia huius necessitatis ratio assignari non potest: tùm etiam; quia si semel datur actus, qui ex propria individuatione habet esse amorem Dei, & creaturarum, non potest ratio assignari, quare actus ille, qui vocatur in solutione necessarius, hoc ipsum non possit habere; maximè cùm ex hoc commendetur simplicitas, & libertas Dei.

Sed hæc lævia sunt, vt à communi sententia recedamus, quam aliqui Recentiores hac ratione, cui maximè fidunt, se demonstrare arbitrantur, nimirùm, quia amor, qui liber est Deo, vel alicui personæ Divinæ, liber est omnibus, & qui necessarius est vni, necessarius est omnibus: sed hoc falsum esset, si Deus non se amaret necessario quoad individuationem actus; ergo etiam hoc modo Deus se necessario amat. Minor probatur; hic amor, ex quo defacto Spiritus Sanctus procedit, esset liber Patri, & Filio quoad individuationem, & non esset liber Spiritui Sancto; ergo vera est minor. Minorem probant; quia hic amor, ex quo Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, præsupponitur existens prioritate originis ante existentiam Spiritus Sancti; positio autem amoris ante existentiam alicuius præsuppositi, non potest ipsi esse libera; ergo amor iste non potest esse liber Spiritui Sancto.

7 Sed ad rem omninò certam probandam, ineptè principia difficiliora assummuntur, & quæ à pluribus non probantur; nam Spiritum Sanctum quoad terminationem liberam ad creaturas, ex amore libero illarum procedere, plures satis probabiliter docent, sicut, & verbum divinum quoad repræsentationem liberam creaturarum, ex libera cognitione procedit: & tamen amor liber creaturarum, etiam est liber Spiritu Sancto, sicut Patri, & Filio; ergo etiam si amor Dei, ex quo Spiritus Sanctus procedit, sit liber Patri, & Filio quoad individuationem, & præcedat origine Spiritum Sanctum, non sequitur illi non esse liberum.

8 Neque disparitas datur, si asseratur, amorem quoad terminationem liberam non præcedere personam Spiritus Sancti quoad prædicata necessaria; atque adeò potest ipsi actus esse liber, quoad illam terminationem: in casu autem argumenti præcedit ipsam personam Spiritus Sancti. Non, inquam, redditur disparitas; nam amor quoad liberam terminationem, priùs origi-

ne

ne est in Patre, & Filio, quam in Spiritu Sancto; cum amor quoad illam terminationem sit in Spiritu Sancto communicatus à Patre, & Filio: & tamen ipsi etiam est liber quoad prædictam terminationem; ergo similiter discurrendum est in casu argumenti. Et ratio omnium satis efficax est; nam Spiritui Sancto à Patre, & Filio idem amor communicatur, eadem indifferentia ad illum præ alio habendum, eandem libertatem, & idem iudicium regulans; ergo esto origine præcedat, non arguitur Spiritui Sancto non esse liberum.

9 Quod ampliùs explicari potest; nam etiam si amor necessarius quoad individuationem, qui defacto datur, ex quo Spiritus Sanctus procedit, præcedat origine ipsum, & consequenter præsupponatur elicitus virtualiter à Patre, & Filio, etiam procedit à Spiritu Sancto, & per illum vult, eo quod ipse idem amor communicatur, eius virtualis elicientia, voluntas, & omnia principia, à quibus virtualiter procedit; ergo similiter in casu argumenti erit Spiritui Sancto liber, quia ipsi communicatur idem principium, amor, & omnia, quæ ad eius pertinent libertatem. Qua etiam de causa non obstat, ad hoc, vt Spiritus Sanctus sit perfectus Deus, quod omnia habeat per spirationem communicata à Patre, & Filio; quia, scilicèt, eadem ratione esse, & natura cum omnibus suis perfectionibus ipsi communicatur.

10 Ratio ergo deducenda est ex dictis; nam voluntatem divinam esse actum purum in propria linea, variari non potest, etiam quoad individuationem: sed habet rationem actus puri in tali linea per identitatem cum amore, quem defacto habet; ergo neque amor iste potest quoad individuationem deficere. Consequentia cõstat, maior videtur per se nota, esse enim actum purum in linea volendi, est esse summum in illa linea; sed esse summum in linea volendi variari non potest quoad individuationem; sicut neque esse Deum, de cuius ratione est esse vnum numero, & quemlibet alium chimæricum. Minor verò probatur; nam defacto voluntas divina est actus purus per identitatem cum actu secundo amoris: at non per identitatem cum amore, qui non est, & fingitur possibilis; ergo per identitatem cum amore, qui defacto datur. Hęc consequentia etiam constat; & minor videtur evidens; non enim identificatur divina voluntas cum amore, qui non datur. Maior etiam est certa; esse enim actum purum in linea volendi est non esse in potentia ad actum secundum, aut potentia realiter ab illo distincta: at hoc est habere secum identificatum amorem in actu secundo; ergo vera est maior.

11 Sed vt obviam faciamus cuidam evasioni, sic secundo formatur ratio. Amor Dei includitur in conceptu actus puri in linea volendi; hic enim imbibit omnem perfectionem talis lineæ; atqueadeò includit vltimum actum illius; ergo implicat amorem esse multiplicabilem quoad individuationem, quin sit multiplicabilis ratio actus puri. Tertio; amor Dei, vtpotè infinitus, exhaurit totam amabilitatem Dei; ergo non potest dari nisi vnus; quia enim Deus includit omnem perfectionem in genere entis, alius Deus dari non potest. Quarto; Deum se amare in actu secundo est formaliter perfectio, & actualitas divina, illamque non solùm imbibit, sed explicat; amor enim est, quo voluntas divina ad actum reducitur; ergo non potest non esse in Deo; & consequenter in potestate illius non est alium amorem loco huius subrogare. Consequentia probatur; nam perfectio, & actualitas potens deficere limitata est, & imperfectionem dicit; quod à perfectione divina cum Deo identificata alienum est. Quinto; amor Dei est attributum divinum, sicut intellectio, & Omnipotentia; ergo nõ est in Dei potestate hunc habere præ alio. Consequentia probatur à paritate aliorum attributorum; quia enim Omnipotentia est attributum Dei, & perfectio illius, non est multiplicabilis numero; nec potest pertinere ad perfectionem dominij Dei, quod possit loco huius aliam Omnipotentiam subrogare; ergo idem dicendum est de amore: & ratio huius inter alias ea est; quia subijci dominio Dei arguit limitationem, sicut eius terminare causalitatem; sicut ergo implicat divinum amorem, aut aliud attributum terminare causalitatem divinam, pariter eius subijci dominio.

12 Quare autem possit deficere terminatio volitionis divinæ ad creaturas absque aliqua imperfectione, dubio sequenti explicabimus: pro nunc autem ratio est; quiæ hæc terminatio solùm est extensio volitionis ad obiectum secundarium, sine quo tota perfectio, & entitas volitionis salvatur: volitio autem, seù amor, qui est attributum, sine terminatione ad obiectum primarium intelligi non potest. Et vlterius

confirmari potest communis sententia ex eo, quod amor Dei est principium *quo* processionis Spiritus Sancti, qui ita indefectibilis debet esse, sicut ipse Spiritus Sanctus, qui nullo modo deficere potest.

13 Ad primum in contrarium negandum est antecedens, scilicèt, satis fieri Dei perfectionibus per hoc, quod amor sit necessarius, etiamsi multiplicabilis sit quoad individuationem: & ratio est suprà dicta; quia amor exhaurit totam amabilitatem Dei, includitque omnem perfectionem amoris; atqueadeò multiplicabilis non est; nec potest esse perfectio dominij Dei, quod possit variare proprias perfectiones, & attributa; non enim essent perfectiones absque aliqua imperfectione.

14 Vt alia solvantur, notandum est cum Ferrara vbi suprà, amorem Dei posse terminari ad bonitatem ipsius dupliciter; vel ad bonitatem secundum se, nempè, secundum quod ratione sui est digna amore, vel secundum quod in actu secundo est finis creaturarum movens ad illarum volitionem: amor bonitatis Divinæ hoc secundo modo ex propria ratione debet esse volitio creaturarum, qui si deficiat quoad terminationem ad creaturas, necesse est deficere secundum quod terminatur ad bonitatem Dei, vt est finis creaturarum in actu secundo; & similiter de alio actu nolitionis dicendum est: quapropter si argumentum de hoc amore loquatur, concedendum est posse dari defacto amorem Dei, qui deficeret quoad terminationem ad Deum prout est finis creaturarum, si deficeret terminatio ad creaturas, loco cuius potuit subrogari ille alius amor nolitionis mundi: cæterùm vltra hunc amorem, seù vltra terminationem ad creaturas, & Deum, qui deficere potest, alius necessariò debet concedi terminatus ad bonitatem Dei in se, qui quoad hanc terminationem constitutivam illius deficere non potest, non deficiente actualitate, & perfectione ipsius amoris, quæ indefectibilis est; atqueadeò ipse amor. Neque esset perfectio huius amoris habere sibi essentialiter annexum esse volitionem creaturarum; exinde enim sequeretur, vel quod terminatio ad creaturas esset necessaria, sicut terminatio ab bonitatem Dei in se; vel quod hæc posset deficere, sicut illa: quorum vtrumque est maxima imperfectio.

15 Deindè supponendum est Deum amare creaturas existentes: quod esse de fide pluribus locis Sacræ Scripturæ constat, & ratione naturali convincitur; cum enim creatura bonitatem habeat participatam ex bonitate Dei, illam habere non potest, nisi à Deo illam causante per intellectum, & voluntatem; omnia enim Deus operatur, iuxta Apostolum, secundum consilium voluntatis suæ.

Denique advertendum est, creaturas possibiles, de quibus procedit disputatio, non amari efficaciter à Deo actu, quo illis velit communicare existentiam, & extrahere ab statu possibilitatis: quod manifestè constat, ex eo, quod voluntas sic efficax nō potest non sic sortiri effectum; atqueadeò tales creaturæ intra possibilitatem non manerent: solùm ergo potest esse difficultas de amore inefficaci, seù simplicis complacentiæ. Circa quod duæ sunt sententiæ. Prima est affirmativa, quam tenet ex Thomistis Nazarius 1.parte, quæst.20. artic.2. & quæst.37.art.2.M.Serra infra quæst.20. illam etiam docuit Illustrissimus Araujo, lib.4.metaphisicæ, quæst.6.art. 1. num. 5. pro qua etiã refertur Caietanus infra quæst. 34.art.3.& Ferrara 4.contra Gentes, cap. 13.sed ibi Authores isti solvunt argumenta Scoti duplici solutione, in quarum prima admittunt sententiam, quam ex propria mente non docuerunt: illam docet Franciscus Fœlix de Voluntate, cap. 3. pro illa refert Scotum in 3.dist.34.quæst.vnica, & plures ex Scotistis, Vazquez 1.p. quæst. 79. cap.2.Valencia, quæst. 14. disp. 1. Herice, Granados, Torres, Alarcon, Amicus, & Arriaga, qui pro se plures adducunt Recentiores.

Secunda sententia est negativa, quam docuit Ferrara 1.contra Gentes, cap.81. Albelda, disp.52.sect.2.M.à S.Thoma, disp.4. art.6.Salmanticēses tract.4.disp. 5. qui pro hac sententia referunt Capreolum, Caietanum, Bañez, Durandum, & Zumel, & est communior inter Recentiores Thomistas, eam sequitur Suarez, lib. 3. de Attributis, cap.6. lib. 11. de Trinitate, cap. 2. & in metaphisica.disp.30.sect.16.pro cuius explicatione sit.

§. II.

§. II.

Proponitur prima concluſio.

16 CREATURÆ Poſsibiles intra ſtatum poſsibilitatis nullam habent bonitatem. Probatur primo ex D. Thoma. Supra quæſt. 6. art. 3. in corpore, illis verbis: *Unumquodque eſt bonum, ſecundum quod eſt perfectum: perfectio alicuius rei triplex eſt; prima ſiquidem, ſecundum quod in ſuo eſſe conſtituitur; ſecunda verò, prout ei aliqua accidentia ſuperadduntur: Tertia, per hoc, quod aliquid aliud attingat, ſicut finem.* Hęc D. Thomas, qui hanc doctrinam exemplificat in igne. Ex quibus ſic arguitur; ex tribus bonitatibus, quas in creatura recognoſcit D. Thomas, prima, & aliarum fundamentum illi competit, ſecundum quod in ſuo eſſe conſtituitur per ſuam formam; ergo ſentit ante exiſtentiam nullam habere bonitatem; & conſequenter neque intra puram poſsibilitatem.

17 Reſpondebis, D. Thomam non loqui de eſſe exiſtentiæ, ſed de eſſe eſſentiæ, ratione cuius creaturæ convenit prima bonitas: hoc autem habet ante exiſtentiam, & in pura poſsibilitate; atque bonitatem primam: quod colligi videtur, ex eo, quod apponit exemplum in igne, cuius prima perfectio conſiſtit in eſſe, quod habet per ſuam formam ſubſtantialem, quod quidem non eſt eſſe exiſtentiæ, ſed eſſe eſſentiæ.

18 Contra tamen eſt; nam iuxta phraſim Div. Thomæ, eſſe exiſtentiæ convenit rei per ſuam formam, & ratione illius; ergo ex eo, quod loquatur de eſſe, quod convenit rei per ſuam formam, non colligitur loqui de eſſe eſſentiæ. Secundo; nam in ſolutione ad 3. mentionem faciens earundem bonitatum, ſic habet: *Bonitas rei creatæ non eſt ipſa eius eſſentia, ſed aliquid ſuperadditum, ſcilicèt, ipſum eſſe eius* (ecce primam bonitatem) *vel aliqua perfectio ſuperaddita* (ecce ſecundam) *vel ordo ad finem* (ecce tertiam) vbi primam bonitatem aſſerit eſſe diſtinctam ab eſſentia creaturæ, & conſiſtere in eius eſſe. Tertio; nam creaturæ ratione exiſtentiæ aliqua convenit bonitas, & quidem maior, quam bonitas conveniens ratione eſſentiæ, quæ proindè non debuit à Div. Thoma prætermitti; ſed ſi in prima bonitate, quam aſsignat, non loquatur de bonitate conveniente ratione exiſtentiæ, præcipuam bonitatem omiſsit, & bonitatis inferioris meminit; ergo dicendum eſt loqui de bonitate convenienti ratione exiſtentiæ.

19 Tandem; quia Div. Thomas ſtatim ſubdit hanc triplicem perfectionem nulli creato competere poſſe per ſuam eſſentiam, ſed ſoli Deo; quod falſum eſſet, ſi prima bonitas proveniret ab eſſe eſſentiæ; hæc enim eſſentialiter creaturæ competeret: quod non ſolvitur aſſerendo Div. Thomam loqui de illis bonitatibus, non diviſivè, ſed collectivè; ideſt, quod omnes illæ ſimul non conveniunt enti creato per ſuam eſſentiam; quod ſubſiſtit etiam ſi prima bonitas per eſſentiam conveniat. Non, inquam, ſolvitur; tùm propter dicta in ſecunda impugnatione. Tùm, quia probat ſoli Deo convenire per eſſentiam primam bonitatem, quia Deus eſt ſuum eſſe: ſecundam, quia Deo non conveniunt aliqua accidentia: tertiam; quia ad nihil extra ſe ordinatur; ergo iuxta D. Thomam quælibet diviſivè ſoli Deo convenit per eſſentiam.

20 Denique; quia earundem bonitatum mentionem faciens quæſt. 21. de Veritate artic. 5. de qualibet ſeorſim probat ſoli Deo convenire per eſſentiam, & de prima, quæ ibi ponitur ſecunda, id probat his verbis: *Eſſentialis bonitas non attenditur ſecundum conſiderationem naturæ abſolutam, ſed ſecundum eſſe ipſius; humanitas enim non habet rationem boni, vel bonitatis, niſi in quantum eſſe habet: ipſa autem natura, vel eſſentia divina eſt ſuum eſſe: natura autem, vel eſſentia cuiuslibet rei creatæ non eſt ſuum eſſe*; & paulò inferius concludit: *Vndè dico, quod ſi bonitas abſoluta diceretur de re creata ſecundum eſſe ſubſtantiale, nihilominùs remaneret non habere bonitatem per eſſentiam, ſed per participationem ſicut & eſſe habet participatum.* Ex quibus duo cõſtant quantum ad præſens; primũ eſt bonitatẽ conveniẽtẽ ratione formę nõcõvenire per eſſentiam creaturę, ſed ſoli Deo:

ſecundum eſt, hanc bonitatem convenire creaturæ ratione exiſtentiæ; quæ quidem bonitas non ſufficit ad denominandam creaturam bonam abſolutè, ſeù omnibus modis; qua ratione D.Tho.conditionaliter; non verò quia bonitas non ſit verè conveniens ratione exiſtentiæ intelligendus eſt.

21 Secundo probatur concluſio ratione; ſi creaturæ intra puram poſsibilitatem aliqua bonitas conveniret, illam retineret in ſtatu exiſtentiæ: ſed nulla bonitas conveniens rei exiſtenti, ipſi conveniebat in pura poſsibilitate; ergo nulla illi conveniebat in ſtatu illo. Minor probatur; bonitas illa conveniens rei exiſtenti, ipſi convenit, vel ratione entitatis eſſentiæ, vel ratione entitatis exiſtentiæ, vel ratione accidentium: homini, verbi gratia, exiſtenti convenit bonitas, vel ratione entitatis exiſtentiæ, vel ratione entitatis materiæ, vel ratione entitatis formæ, vel ratione accidentium; & ſicut nulla alia entitas ipſi convenit, neque etiam alia bonitas: ſed nulla ex his ipſi conveniebat in ſtatu poſsibilitatis; ergo nulla conveniens rei exiſtenti, ipſi conveniebat in pura poſsibilitate. Minor probatur diſcurrendo per ſingulas bonitates; & in primis ipſi non conveniebat bonitas, quæ exiſtenti convenit ratione accidentium, aut ratione exiſtentiæ; iſta enim in pura poſsibilitate non conveniunt: deindè non conveniebat bonitas, quæ homini exiſtenti convenit ratione formæ, aut materiæ; quod ſic patet; nam ex vi actionis creativæ materiæ, & formæ accipit homo entitatem materiæ, & formæ, quibus anteà carebat, & ex vi generationis humanitatem; ergo & bonitatem convenientem ratione illarum.

22 Confirmatur; ideò in pura poſsibilitate bonitas proveniens ex accidentibus, aut exiſtentia, non convenit, quia hanc accipit homo ex vi actionis productivæ illorum in tempore: ſed entitatem materiæ, & formę, & ipſam humanitatem accipit homo ex vi actionis productivæ in tempore; ergo bonitas ex illis proveniens non convenit homini in pura poſsibilitate. Confirmatur ſecundo; entitas materiæ, & formę, quam accipit homo ex vi actionis productivæ, ipſi conveniebat in pura poſsibilitate, quatenus illam ex vi actionis productivæ accipere poterat; ergo bonitas conveniens ratione illarum ſolùm poſsibiliter conveniebat. Confirmatur tertio; bonitas, ſi qua eſt conveniens creaturæ in ſtatu poſsibilitatis, non poteſt eſſe bonitas per eſſentiam, ſed participata, & conſequenter à Deo liberaliter communicata: at in illo ſtatu nihil Deus creaturis liberaliter confert; ergo intra illum nulla poteſt bonitas convenire.

23 Reſpondebis, vltra bonitates prædictas dari aliam convenientem in pura poſsibilitate, nimirùm, bonitatem eſſentię conſiſtentem in illius integritate, ſeù in connexione prędicatorum eſſentialium; intra illum enim ſtatum homo, verbi gratia, ſuam habet integritatem eſſentię, ipſique conveniunt ſua prædicata ſibi debita; eſt enim animal rationale: iuxta quod aſſerendum videtur vltra bonitates prædictas in ſtatu exiſtentiæ, hanc etiam habere bonitatem.

24 Sed contra eſt primo; nam integritas eſſentiæ, ſeù connexio prædicatorum eſſentialium, ratione cuius verum eſt hominem eſſe animal rationale, in ſtatu poſsibilitatis nihil eſt, niſi obiective in mente divina; ſic autem eſſe, non eſt aliud, quam à Deo cognoſci hominem, in cuius obiectivo conceptu claditur, & concipitur animal rationale: at totum hoc non eſt aliud, quam hominem eſſe in potentia obiectiva; quapropter ſi Deus velit id, quod mente concipit, & quod ſolùm habet ſic concipi, in rerum natura producere, debeat producere animal rationale: at totum hoc non eſt aliud, quam hominem eſſe in potentia obiectiva ad recipiendum id, ad quod terminatur divina cognitio; ergo integritas hæc, & connexio prędicatorum in ſtatu poſsibilitatis ſolùm habet concipi, & poſſe Deum integrum hominem, quem concipit, producere.

25 Secundo; bonitas, ſi quæ eſt conſiſtens in integritate, ſeù connexione prædicatorum eſſentialium non poteſt non eſſe aliqua ex bonitatibus à nobis aſsignatis, cum debeat identificari cum entitate creaturę; ergo vel hęc integritas, ſeù connexio intra puram poſsibilitatem non eſt bonitas, vel illa caret creatura, quouſque illam accipiat ex vi actionis productivæ, vi cuius accipit entitatem. Quod ſi ex vi actionis non accipit, duo inter alia ſequuntur: primum eſt hanc integritatem non poſſe exiſtere in rerum natura, & conſequenter ex

ex terminis implicare; quidquid enim creatum est, & non implicans, produci potest, & per productionem existit: secundum est, quod creatura habeat bonitatem non communicatam liberaliter à Deo; intra puram enim possibilitatem nihil Deus creaturis communicat; cum tamen intra illam hanc habeant bonitatem.

26 Tertio hoc ipsum explicatur; homo, v.g. in statu possibilitatis eo modo, quo habet essentiam, habet existentiam: sed ibi non est bonum bonitate, seù integritate existentiæ; ergo neque essentiæ. Maior probatur; vtramque habet, & accipit quando extrahitur ab illo statu, & in illo ad vtrãque habendam est impotentia; ergo eodem modo habet vtramque. Et idem sit argumẽtum de quocumque accidenti, etiam contingenti comparative ad hominis essentiã; eodem enim modo habet essentiam, seù illius integritatem, atque accidentia; nam tã illa, quam ista accipit homo, quando hæc omnia producuntur, & in statu illo ad vtraque est in potentia; solùmque est differentia, quod homo, qui in statu possibilitatis est in potentia, vt à Deo accipiat id, quod Deus cognoscit cognoscendo hominem, nimirùm, entitatem, & essentiam suam, & est in potentia, vt ab eodem accipiat albedinẽ, seù gratiam: accipiendo essentiam, aut entitatem, accipit, quod Deus concipiebat cõcipiendo hominem: at accipiendo albedinem, accipit aliquid extra conceptum obiectivum hominis. Ex quo nascitur alia differentia supradicta, nimirùm, quod si Deus velit producere, & homini donare entitatem, quam concipit ipsum cognoscendo, nõ potest non producere animal rationale; potest tamen ipsum producere sine albedine. Ex quo tandem nascitur alterum discrimẽ; quod hæc propositio sit necessaria, homo est animal rationale: hęc autem contingens, homo est albus; nempè, quia ex parte conceptus obiectivi cogniti a Deo concipiente hominem, attingitur animal rationale, non autem albedo.

27 Hac etiam ratione, si Deus velit producere, quod cognoscit cognoscendo hominem album, non potest non producere hominem album, quin ex hoc inferatur hominem in statu illo habere bonitatem albedinis: & ex hoc etiam sumitur argumentum, ex eo, quod Deus volens producere, quod concipit concipiendo hominem album, non possit non producere hominem album, non sequitur hominem in statu possibilitatis habere bonitatem albedinis; ergo ex eo, quod volens producere, quod concipit cognoscendo hominem, non possit non producere animal rationale, non infertur hominem in statu possibilitatis habere integritatem essentiæ, seù bonitatem animalis rationalis: & ratio est eadem, scilicèt, quia in statu illo est ad omnia illa in pura potentia obiectiva.

§. III.

Solvuntur argumenta.

28 OBIJCIES Primo D. Thomam 3. contra Gentes, cap. 20. vbi sic habet: Licèt vnumquodque sit bonum, in quantum est in actu, non tamen oportet, quod materia, quæ est solùm ens in potentia, sit bona solùm in potentia, & paulò infra concludit; in quo apparet, quod bonum quodãmodò amplioris est ambitus, quam ens: propter quod Dionisius dicit, quarto capite de Divinis Nominibus, quod bonum se extendit ad existentia, & non existentia. Eandem doctrinam repetit supra quæst. 5. art. 2. quæ opponi videtur sententię nostræ, primo; quia materia, quæ est solùm ens in potentia, est bona secundùm Div. Thomam; ergo recognoscit bonitatem antecedenter ad existentiam, & actum; & consequenter purè possibilibus poterit convenire. Secundo, quia expressè docet cum Dionisio, bonum se extendere ad non existentia; ergo iuxta vtrumque Sanctum Doctorem purè possibilibus convenit.

29 Secundo obijcies ex eodem D. Thoma infra art. 6. ad 2. quod probare intendebat Deum velle omne bonum, sicut scit omne verũm, in cuius responsione sic concludit; & ideò Deus cognoscit omne verũ, non tamẽ vult omne bonũ, nisi in quãtũ vult se, in quo virtualiter omne bonũ existit: ex quo sic arguitur; D. Thomas docet Deum non velle omne bonum: at iuxta eundem, & veritatem vult existentia, & futura;

ergo vltra hæc datur aliqua bonitas, quæ niſi purè poſsibilium eſſe non poteſt.

30 Ad primum diſtinguo, ſeù explico antecedens; materia prima eſt ſolùm ens in potentia obiectiva, nego antecedens, ſubiectiva, concedo antecedens; & diſtinguo conſequens, recognoſcit Div. Thomas bonitatem antecedenter ad exiſtentiam, & actum, in entitate, quæ eſt in potentia ſubiectiva ad illum, concedo conſequentiam, in potentia obiectiva, nego conſequentiam: loquitur enim D. Thomas de materia prima non purè poſsibili, ſed vt eſt in via ad exiſtendum per formam, quæ pro illo priori non eſt purè poſsibilis, ſed habens ſubiective ex vi actionis creativæ propriam entitatem appetentem, non obiective, ſed ſubiective formam, & exiſtentiam; ſub qua conſideratione eſt bona, ſaltem ſecundum quid, quia apperit bonum; non tamen eſt ens participialiter ſumptum, aut completum, quia prout ſic non eſt exiſtens, nec immediatè capax exiſtentiæ, ad quam recipiendam completur per formam. Ad id, quod adducitur ex Dioniſio, dicendum eſt iuxta hoc, quod bonum ſe extendit ad non exiſtentia; quæ tamen habent potentiam ſubiectivam ad exiſtendum, quæ eſt doctrina Div. Thomæ, cap. 20. ex 3. contra Gentes citato.

31 Secundo reſpondetur, bonum eſſe vniverſalius, quam ens, ſecundum cauſalitatem; non ſecundum prædicationem; quæ eſt doctrina Div. Thomæ, artic. 5. ex 1. parte citato ad ſecundum. Sed contra hanc ſolutionem objicies primo; materia prima eſt bona iuxta D. Thomam, cap. 20. modo citato, quatenus intelligitur ſub privatione formæ, & exiſtentiæ: ſed dum intelligitur in via, & potentia ſubiectiva ad exiſtendum, non intelligitur privata forma, & eſſe, ſed ſolùm quando eſt in pura poſsibilitate; ergo iuxta D. Thomam in pura poſsibilitate eſt bona. Minor probatur primo; nam in inſtanti, in quo eſt in via ad exiſtendum, exiſtit; ergo pro nullo priori poteſt intelligi privata forma, & exiſtentia. Secundo; pro illo priori intelligitur aliquid connexum eſſentialiter cum exiſtentia; implicat enim eſſe in via ad exiſtendum, & non exiſtere; ergo pro illo priori non intelligitur privata forma.

32 Secundo objicies; nam artic. 2. citato docet: ipſam privationem eſſe bonam; quæ tamen non exiſtit, neque eſt in potentia ſubiectiva ad exiſtendum. Tertio; nam ſequitur ſaltim dari bonitatem ſecundum quid pro priori ad exiſtentiam; quod tamen ſupra negavimus ducti authoritate Div. Thomæ. Quarto; quia bonitas conveniens materiæ pro priori ad formam ratione propriæ entitatis non poteſt non convenire ipſi eſſentialiter, ſicut & propria entitas, in qua eſſentia materiæ conſiſtit; ergo eſſet bona eſſentialiter, contra dicta ex D. Thoma, vel ſaltim illius bonitas eſſet indiſtincta ab eius eſſentia.

33 Ad primum diſtinguo maiorem, materia eſt bona quatenus intelligitur ſub privatione præciſive ſumpta, concedo antecedens, ſub privatione formaliter ſumpta, nego antecedens: dum enim eſt in via, & movetur ad actum, vt loquitur D. Thomas, dicitur privata forma præciſive, ſeú negative; quia pro illo ſigno non intelligitur forma, licèt pro illo non intelligatur excluſa poſitive. Vel dicatur Div. Thomam loqui de materia ſublunari, quæ etiam dum eſt ſub vna forma appetit aliam, qua eſt privata. Per quod conſtat non loqui de materia purè poſsibili, & ad duas minoris probationes.

34 Ad ſecundum dicatur: doctrinam Divæ Thomæ procedere in ſententia Platonicorum, qui materiam à privatione non diſtinguebant, quæ tamen in ſententia illa dicenda eſſet bona, licèt non diceretur ens, quia non eſſet purè poſsibilis, ſed defacto, & ſubiective appeteret bonum, ſcilicèt, actum; quod niſi bono competere non poteſt. Ad tertium dicatur; quod prima bonitas, quæ dicitur conſequuta ad entitatem exiſtentiæ, comprehendit etiam bonitatem, quæ ſequitur ad entitatem, prout eſt in via ad illam; quia entitas prout ſic non eſt omninó non exiſtens: iuxta, quod diſtinguendum eſt antecedens, ſeù ſequela, ſequitur dari bonitatem pro priori ad exiſtentiam, & pro priori ad motum, & viam in illam, nego ſequelam, pro priori ad exiſtentiam formaliter ſumptam, ſequelam admitto; nego tamen hoc eſſe contra dicta, quæ iuxta hanc ſolutionem intelligenda ſunt, ſicut, & D. Thomas.

35 Ad quartum nego antecedens, ſicut enim materiæ accidit prædicabiliter habere entitatem ſubiective, quam accipit ex

vi

vi actionis creativæ contingentis, & qua carebat antecedenter ad talem actionem; ita ipsi accidit esse bonam subiective. Neque infertur, bonitatem creaturæ ab eius essentia non distingui contra Div. Thomam; nam vel loquitur de bonitate completa intra ordinem essendi, quæ si distincta non esset, essentia evaderet infinita, & bona per suam essentiam; vel dicendum, quod bonitas sequuta ad entitatem prout in via ad existentiam, præcedensque illam, distinguitur ab essentia creaturæ, sicut entitas ipsa: hæc autem distinguitur ab essentia signatè, & obiective sumpta, seù purè possibili, sicut distinguitur entitas, quę subiective est talis, ab entitate, quæ nihil est, licèt obiective, signate, & possibiliter suam habeat entitatem, & essentiam; quę distinctio non immeritò realis negativa dici potest: cum autem supra intulimus, quod si bonitas conveniret creaturæ ratione essentiæ, & pro priori ad existentiam ipsi essentialiter conveniret, sic intelligendum est; scilicèt, quod si pro priori ad id, quod habet creatura ex vi actionis productivæ esset bona, ei essentialiter conveniret bonitas; & ratio est, quia si sic conveniret, ex se haberet subiective entitatem, & non esset in pura potentia obiectiva; & consequenter non posset de illa accidentaliter prædicari, sicut neque de Deo: & similiter si in linea essendi non esset bona simpliciter per existentiam realiter distinctam, esset essentialiter bona; quamvis si cum hoc comparatur esse ante productionem in pura potentia obiectiva, admittendum est cum Div. Thoma de Ueritate loco citato, essentiam identificantem existentiam habere bonitatem participatam.

36 Ad secundum principale desumptum ex artic. 6. sequenti respondetur: distinguendo maiorem, non vult omne bonum, quod est tale obiective, & possibiliter, concedo maiorem, quod est tale subiective, & exercite, nego maiorem, & distinguo consequens, vltra existentia, & futura debet assignari bonum subiective, nego consequentiam, obiective, & possibiliter, concedo consequentiam: quod autem sic sit intelligendus D. Thomas, constat ex illis verbis antecedentibus; quidquid potest habere rationem entis, & veri, totum est virtualiter in Deo, sed non totum existit in rebus creatis; quod ergo sic non existit, potest quidem esse ens, verum, & bonum; non tamen defacto est tale.

37 Secundo arguitur ratione; bonitas sequitur entitatem: sed creaturæ possibiles intra illum statum sunt entia; ergo bonæ. Confirmatur primo; metaphisica de possibilibus demonstrat bonitatem; eius enim obiectum est ens non solùm existens, sed possibile, de quo veritatem, & bonitatem demonstrat; ergo possibilibus convenit bonitas, sicut & veritas. Confirmatur secundo; vna creatura possibilis est perfectior alia, verbi gratia, Angelus formica; ergo intra illum statum habent perfectionem, & consequenter bonitatem. Confirmatur tertio; vnumquodque est bonum, in quantum est perfectum, vt docet Div. Thomas supra quæst. 6. art. 5. & 1. contra Gentes, cap. 28. sed creaturæ possibiles sunt perfectæ; ergo bonæ. Minor probatur; perfectum est, cui nihil deest ex his, quæ ipsi debentur: sed possibilibus nihil deest ex prædicatis essentialibus; cum hæc in omni statu conveniant; ergo sunt perfectæ perfectione, aut integritate essentiali.

38 Respondetur admissa maiori, scilicèt, ad omnem entitatem sequi aliquam bonitatem, distinguendo minorem, sunt entia subiective, nego minorem, obiective, concedo minorem, & distinguatur consequens eodem modo. Ad primam confirmationem, omisso antecedenti, distinguendum est consequens, convenit bonitas obiectivè, concedo consequentiam, subiective, nego consequentiam: quod manifestè instatur; nam bonitatem perfectam in linea essendi demonstrat metaphisicus de ente possibili participialiter sumpto: & tamen hanc non convenire possibilibus fatentur Authores oppositi. Ad secundam distinguendum est antecedens, est perfectior obiective, & possibiliter, concedo antecedens, subiective, nego antecedens, & consequentiam, vel distinguatur consequens eodem modo. Ad tertiam, concessa maiori, neganda est minor, ad cuius probationem, distinguatur minor, nihil deest obiective, concedo minorem, subiective, nego minorem, & distinguo consequens eodem modo: illi autem, quod non est, sed est in potentia ad omnia, etiam ad ipsam entitatem essentiæ, omnia desunt, nulla perfectione gaudet, nisi solũ possibiliter, & obiectivè.

39 Sed instabis creatura possibilis defacto habet, quod sit terminus Omnipotẽtiæ; ergo subiective est aliquid; & consequenter falsum, quod sępè asseruimus. Consequentia probatur; esse terminum

Omnipotentiæ eſt intrinſeca denominatio, non extrinſeca deſumpta ab Omnipotentia; nullus enim terminus conſtituitur in ratione talis per relationem, ſeù connexionem, quam terminat; & aliàs defacto terminat, cum defacto detur Omnipotentia terminata; ergo ſubiectivè habet, quod ſit terminus Omnipotentiæ, quod eſt eſſe aliquid reale. Nec dici poteſt hanc eſſe denominationem rationis; cum ſecluſa qualibet fictione intellectus, Omnipotentia cum poſſibilibus connectatur, & hæc illius terminent connexionem.

40 Confirmatur primo; poſſibilia habere capacitatem, vt ab Omnipotentia denominentur extrinſecè poſſibilia, eſt aliquid reale defacto conveniens ipſis, & non ab Omnipotentia tanquam à forma; ergo aliquid ſunt intrinſecè, & ſubiectivè; ſiquidem ſubiective habent intrinſecam denominationem. Antecedens quoad primam partem probatur. Uerè affirmatur de illis hæc capacitas defacto ſecluſa qualibet fictione intellectus; ergo eſt aliquid reale defacto ipſis conveniens. Quoad ſecundam probatur; capacitas ad denominationem extrinſecam præſupponitur ad illam in ſubiecto; & conſequenter ad formam denominantem. Confirmatur ſecundo; homo, v.g. denominatur poſſibilis denominatione extrinſeca deſumpta ab Omnipotentia, non verò chimæra: at huius differentiæ ratio non eſt Omnipotentia, quæ vna, & indiviſibilis eſt; ergo eſt aliquid intrinſecum defacto conveniens poſſibilibus, & chimæræ non conveniens; ergo poſſibilibus aliquid defacto, & ſubiective convenit, & conſequenter aliquid ſunt ſubiective.

41 Reſpondetur admiſſo antecedenti, negando conſequentiam; ad cuius probationem admittimus non eſſe denominationem extrinſecam deſumptam ab Omnipotentia, ſed intrinſecam, non ſubiective, ſed obiective; eſt enim eadem denominatio poſſibilis deſumpta, & indiſtincta à prædicatis eſſentialibus, quæ habet creatura poſſibilis obiectivè; & admiſſa minori, ſcilicèt, quod defacto terminat, neganda eſt conſequentia; nam ad terminandum defacto, ſufficit eſſe poſſibilem; imò aliud non eſt, vt diximus: ad hoc autem ſufficit, quod creatura ſit obiectivè, & poſſibiliter talis; hominem, v.g. eſſe defacto terminum Omnipotentiæ, eſt poſſibiliter habere entitatem hominis: & ratio eſt clara; nam cum Omnipotentia ſit virtus potens dare omnia prædicata creaturę, non requiritur in ipſa aliquod prædicatum ſubiective, & exercite habitum, ſed potentia obiectiva ad omnia habenda: id autem terminat in creatura connexionem Omnipotentię, quod in ipſa requiritur, vt Omnipotentia ſit: ad hoc autem ſufficit obiectivè, & poſſibiliter eſſe.

42 Ad primam confirmationem diſtinguo antecedens, eſt aliquid reale in ſtatu poſſibilitatis defacto ſubiectivè conveniens, nego antecedens, obiective, concedo antecedens, & nego conſequentiam; per quod conſtat ad probationem antecedentis. Ad ſecundam confirmationem cōceſſa maiori, & admiſſa minori, nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens, eſt aliquid defacto conveniens poſſibilibus, & non chimæræ obiective, concedo conſequentiam ſubiective, nego conſequentiam. Ratio ergo differentiæ deſumitur ex prædicatis eſſentialibus poſſibilium, quæ in illo ſtatu nihil ſunt niſi obiective; ſunt tamen in potentia vt ſint; quod chimæræ non cōvenit. Ratio, inquam, differentiæ formaliter; nam radicaliter eſt ipſa Omnipotentia, quæ præſupponitur ad poſſibilia, ex qua à priori inferuntur; qua ratione omiſimus maiorem.

§. IV.

Statuitur ſecunda concluſio.

43 DEVS erga creaturas poſſibiles nullum habet actum proſequutivum. Probatur primo ex D. Thoma ſupra quæſt. 5. art. 2. ad 3. & in ſolutione ad 1. his verbis: *Vita, ſcientia, & alia huiuſmodi ſic appetuntur vt ſunt in actu: vnde in omnibus appetitur quodam eſſe, & ſic nihil eſt appetibile, niſi ens.* Idem habet art. 6. ad 2. & in hac quæſt. art. 3. immediatè ſequenti. Et 1. contra Gentes, cap. 81. conſtituens differentiam inter intellectum, & voluntatem, ſic habet: *Non omnia vult, quæ ad bonitatem ipſius ordinem habere poſſunt: omnia autem ſcit, quæ ad eius eſſen-*

ſentiam, quam intelligit, ordinem habere poſſunt: quam etiam doctrinam expreſsit etiã infrà art. 6. ad 1. vbi concedit Deum omnia poſsibilia intelligere; non tamen omnia velle. Quod etiam colligitur ex art. 3. ſequenti; ibi enim licèt concedat D. Thomas cognitionem neceſſariam creaturarum; nũquam tamen recognoſcit amorem erga illas, niſi liberum: quod & fecit 1. contra Gentes, vbi proximè: at amor poſsibilium, ſi daretur eſſet neceſſarius; vt frequentius Adverſarij concedunt; ergo iuxta D. Thomam amor poſsibilium non datur in Deo.

Reſpondet Arriaga, diſp. 24. de Voluntate, ſectione 6. ſub ſect. 2. D. Thomam loqui de amore, & cognitione futurorum, non purè poſsibilium; inter quæ hoc intercedit diſcrimen, quod amor futurorum eſt liber, cognitio autem illorum neceſſaria ſuppoſita futuritione. Sed hæc ſolutio facilè reijcitur; quia loqui D. Thomam de neceſsitate abſoluta, & de cognitione omniũ poſsibilium conſtat ex omnibus locis adductis. Tùm etiam; quia amor futurorum ex ſuppoſitione futuritionis etiam eſt neceſſarius; non enim poteſt componi rem eſſe futuram, & non amari à Deo; ergo reſpectu futurorum non minus amor, quam cognitio eſt abſolutè liber, & ex ſuppoſitione neceſſarius.

44 Secundo alij reſpondent, his, & ſimilibus locis ſermonem eſſe de amore efficaci, ſeù effectivo, qui in Deo erga poſsibilia non datur; non enim amat illa volendo illis efficacitèr dare eſſe, ſolùmque huiuſmodi amor erga futura verſatur: quæ ſolutio non diſplicuit M. á S. Thoma; reijcitur tamen ex Illuſtriſsimo Godoy; primo, quia ſequitur nullum eſſe diſcrimen inter intellectum, & voluntatem Dei in ordine ad creaturas poſsibiles; quod eſt contra D. Thomam intendentem locis adductis ſtatuere diſcrimen. Aſſumptũ probatur; Deus non intelligit creaturas poſsibiles intellectione efficaci effectiva, ſed ſolùm ſimplici notitia: ſed Deus iuxta hanc ſolutionem illas amat amore ſimplici, licèt non efficaci effectivo; ergo nulla datur differentia inter volitionem, & cognitionem in ordine ad creaturas poſsibiles. Secundo; quia ratio, qua probat D. Thomas Deum non amare creaturas poſsibiles, licèt eas cognoſcat, ſi quid probat, de omni amore convincit; ergo iuxta illum nullo actu illas proſequitur. Antecedens probatur; ratio D. Thomæ ea eſt, ſcilicèt, quod intellectus trahit res ad ſe, & illas in ſeipſo cognoſcit: voluntas autem fertur ad res, proùt ſunt in ſeipſis: ſed hoc diſcrimen intellectus à voluntate etiam datur in actu quantumvis inefficaci; ergo ſi quid probat ratio Div. Thomæ, de omni amore convincit.

45 Secundo probatur concluſio ratione communiſſimi inſinuata; vel enim Deus per actum amoris erga poſsibilia vult efficacitèr, aut inefficacitèr ipſis communicare bonitatem, & exiſtentiam, illa extrahendo à pura poſsibilitate, vel ſolùm complacet in bonitate, quam habent intra ſtatum poſsibilitatis: ſed neutro modo amor divinus ad poſsibilia intra illum ſtatum terminari poteſt; ergo nullatenus illa amat. Conſequentia eſt bona, maior videtur certa; voluntas enim fertur proſequutive in obiectum, vel quia bonum, & ex complacentia in eius bonitate, vel quia ipſi vult bonitatem communicare; amare enim eſt velle bonum alicui, vt docet D. Thomas infra quæſt. 20. art. 1. ad 3 & art. 2. quod dupliciter fieri poteſt, vel per complacentiam in eo, quod bonum ſit bonitate ad amorem præſuppoſita; vel per actum, quo velit ipſi bonum conferre; ergo non aliter amari poſſunt poſsibilia, niſi per hoc, quod Deus velit ipſis communicare exiſtentiam, & bonitatem, vel per hoc, quod in eorum bonitate, quam intra illum ſtatum habent, complaceat. Minor pro ſecunda parte conſtat ex concluſione antecedenti: pro prima verò probatur; nam actus, quo Deus vult etiam inefficacitèr poſsibilibus bonitatem, & exiſtentiam conferre, non terminatur ad illa intra puram poſsibilitatem; vult enim illis communicare bonitatem, qua intra illum ſtatum carent, & qua poſita ab illo ſtatu extrahærentur; actu ergo illo non amarentur poſsibilia intra puram poſsibilitatem.

46 Secundo; amor iſte, etiam inefficax, eſſet aliqualis determinatio cauſæ ad dandum illis exiſtentiam; & conſequenter illo conſtituerentur aliqualiter futura; futuritio enim in huiuſmodi determinatione conſiſtit; ergo eſto huiuſmodi amor daretur in Deo, illum non terminarent poſsibilia intra ſtatum poſsibilitatis. Tertiò; falſum eſt Deum velle adhùc inefficacitèr omnibus poſsibilibus conferre exiſtentiam: nam vel Deus vult omnia collectivè exiſtere; & hoc eſt implicatorium; amor enim divinus, etiam inefficax ad impoſsibile terminari non poteſt: vel Deus vult omnibus

di-

diviſivè exiſtentiam, & hoc etiam eſt falſum, nam actus iſte eſt omninò Deo liber, & ad illum in Deo conſtituendum erga omnia poſsibilia, nullum eſt fundamentum, & iuxta communem Theologorum ſententiam, Deum velle inefficacitèr reprobis ſalutem, eſt beneficium non commune poſſibilibus; ergo falſum eſt Deum ſic amare poſsibilia. Denique; quidquid de hoc ſit, nullus dubitat Deum poſſe velle poſsibilibus communicare exiſtentiam efficacitèr, vel inefficacitèr, abſolutè, vel conditionatè; quidquid enim Deus poteſt facere, poteſt velle facere: dubium ergo in hoc eſſe non poteſt; ſed an poſsit creatura poſsibilis terminare amorem Dei intra illum ſtatum; ergo eſto Deus ſic amaret poſsibilia, non terminarent amorem intra puram poſsibilitatem, quod nos contendimus.

47 Confirmatur primo; Deus amat creaturas propter divinam bonitatem, non perficiendam, ſed communicandam, vt docet D. Thomas locis citatis: ſed non amat creaturas poſsibiles propter ſuam bonitatem communicandam; cum illis nihil velit communicare; ergo nullo modo illas amat: qua ratione D. Thomas, quæſt. 23. de Veritate, art. 4. ad 13. ait: *Cum dicitur Deum velle aliquid, tantummodò importatur ordo ipſius Dei ad illius effectionem in propria natura.* Et infra quæſt. 20. articulo 2. docet amorem Dei non accipere bonitatem à creaturis, ſed illarum bonitatem efficere. Quod ampliùs ſic explicatur, divina bonitas ſolùm poteſt movere ad amandum creaturas; vel quia vtiles, ſeù perficientes divinam bonitatem, quę eſt obiectum primario amatum á Deo; vel vt divina bonitas communicetur, ſeú diffundatur: non primum; quia Deus extra ſe nullo indiget; ſolùm ergo movet ſecundo modo: cumque Deus nihil poſsit amare, niſi motum ex propria bonitate, non poteſt creaturas diligere, niſi volendo ipſis communicare bonitatem; vel ſi velis, complacendo in bonitate ab ipſo communicata: quorum neutrum poteſt convenire poſsibilibus.

48 Argumento principali reſpondent Recentiores admittendo poſsibilia nullam habere bonitatem; atqueadeò Deũ non complacere in illis ratione bonitatis in illo ſtatu convenientis: complacere tamen in bonitate eſſentiæ, ſeù exiſtentiæ, quæ ipſis conveniret, ſi Deus vellet ipſas producere; cum enim Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcat vtramque bonitatem eſſentiæ, & exiſtentiæ, in illis complacet, gratumque ipſi exiſtit, quod ſi homo produceretur, hanc haberet exiſtentiam, hanc bonitatem, & hæc accidentia.

49 Sed hæc ſolutio eſt inſufficiens, & ex dictis reijcitur; nam bonitas, quæ poſsibilibus conveniret, ſi producerentur, non convenit illis defacto; ergo non poteſt Deus in bonitate illorum complacere; complacentia enim ſupponit bonitatem in obiecto: vel enim eſt gaudium, vel amor ſtrictus tendens in obiectum, quia bonum; complacentia ergo defacto exiſtens ſupponit bonitatem defacto exiſtentem. Confirmatur; ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus cognoſcit, quod ſi homo exiſteret, talem haberet bonitatem, non ſufficit, vt in tali exiſtentia, aut bonitate complaceat; ergo ſolutio eſt nulla. Antecedens probatur; hæc ſcientia ſolùm oſtendit hominis poſsibilitatem, ſcilicèt, poſſe habere exiſtentiã, & bonitatem; quod idem eſt, atque oſtendere, quod ſi produceretur, talem haberet bonitatem: ſed ſcientia ſolùm oſtendens in obiecto poſſe habere bonitatem, licèt ſufficiat, vt Deus illa directus velit efficacitèr, aut inefficacitèr, abſolutè, vel conditionatè communicare obiecto bonitatem, quam oſtendit poſsibilem; non tamen ad hoc, quod in tali bonitate complaceat; ergo verum eſt antecedens. Minor probatur; nam vt Deus velit bonitatem communicare, ſufficit cognoſcere ſe poſſe illam communicare: vt autem in bonitate complaceat, neceſſarium eſt ad complacentiam bonitatem præſupponi.

50 Tandem; Deum complacere in bonitate, ſeù exiſtentia, quam haberet Petrus, ſi produceretur, non eſt complacere in exiſtentia illius, ſeù in eo, quod Petrus exiſtat, quippè illa non datur, & de Petro poſsibili non verificatur, quod exiſtat; eſt ergo complacere in exiſtentia, quam exercite poteſt habere, & conſequenter in exiſtentia poſsibili: inquiro ergo, quid placet in exiſtentia poſsibili? Vel enim placet eſſe poſsibilem poſsibilitate deſumpta ab Omnipotentia, & hoc eſt placere in Omnipotentia, non in Petri exiſtentia; vel placent ipſa prædicata exiſtentiæ à Deo cognita, & quæ Deus poteſt producere; ſed neque hoc dici poteſt; reddit enim argumentum factum, nam in illo ſtatu exiſtentia ſolùm habet eſſe obiective; & conſequenter nihil habet ratione cuius Deus in ipſa complaceat.

51 Ex quo conſtat qualiter ſit intelli-

telligenda diſparitas ſæpè adducta à Divo Thoma inter intellectum,& voluntatem:ex qua probat poſsibilia intelligi á Deo, non verò amari: diſparitas hæc eſt,quod intellectus trahit res ad ſe; voluntas autem fertur ad res: ex quo intulit Angelicus Mag. art. 6. ſequenti, Deum cognoſcere omne id, quod poteſt eſſe ens, & poteſt eſſe verum; non tamen velle omne bonum; hoc eſt omne,quod poteſt eſſe bonum, vt ſuprà explicuimus. Vbi advertendum eſt, quod Div. Thomas conſulto docuit cognoſcere Deum, quod poteſt eſſe ens, & poteſt eſſe verum, vt innueret poſsibilia, de quibus loquebatur, non aliter habere verè veritatem, aut entitatem, atque nos diximus habere bonitatem, nimirùm, ſignatè, & poſſibiliter: cum quo ex differentia traddita inter has potentias componitur Deum cognoſcere poſsibilia; non tamen illa amare: quam ſic explico; intellectus, quia abſtractior eſt,& prior, trahit res ad ſe; quapropter licèt in ſe veritatem non habeant ſubiective, poſſunt cognoſci, quia illam habent extrinſecam in cognoſcente, quod ſufficit intellectui,qui vt feratur in obiectum, veritatem in ipſo non requirit, ſed in cognoſcente: voluntas autem fertur ad res, quapropter vt iſtæ terminent illium actum, neceſſarium eſt in ſe habere bonitatem, vel quod voluntas tendat ad illam communicandam, vel deſiderandam obiecto in ſe. Quod in Deo clariùs conſpicitur; vt enim homo ab illo cognoſcatur, non requiritur habere ſubiective entitatem, aut veritatem; ſed ſufficit Deum poſſe illi hæc communicare; nam ſeipſum comprehendens cognoſcit poſſe hominem producere, à cuius Omnipotentia habet extrinſecam cognoſcibilitatem; Deus enim non in ſeipſis, ſed in Omnipotentia, vt in obiecto priùs cognito, creaturas cognoſcit: hoc tamen non ſufficit, vt à Deo amentur; nam voluntas divina, cum feratur ad res, amat creaturas, vel quia in ſe bonæ ſunt, vel ipſis communicando bonitatem: primum in ſtatu poſsibilitatis ipſis non convenit; ſecundum illas à pura poſsibilitate extrahit: & quidem hac ratione Deus antequam creaturas velit producere, cognoſcit prædicata illarum; imò hac cognitione, vtporè agens per intellectum,& voluntatem, conſtituitur potens illas producere; non tamen poteſt,antequam velit ipſas exiſtere, in illis complacere ratione dicta. Ex quo etiam conſtat, qualiter licèt per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ proponatur obiectum potens terminare actum, quo Deus velit illi aliquomodo dare exiſtentiam, non tamen obiectum, in quo poſsit complacere. Ex quibus conſtat contra quoſdam Recentiores,veritatem noſtræ concluſionis à veritate primæ dependere; ſi enim creatura poſsibilis habet bonitatem, cum illam niſi à Deo communicatam, & cauſatam habere non poſsit,non poteſt terminare amorem divinum; ſi autem non habeat, actum proſequutivum terminare non valet, vt probavimus.

52 Secundo probatur concluſio; ſi Deus amaret creaturas poſsibiles, etiam odio haberet peccatum poſsibile: conſequens eſt falſum; ergo, & illud,ex quo ſequitur. Sequela probatur; Deus odio habet peccatum, ſicut amat creaturas, & ſicut iſtæ intra puram poſsibilitatem habent eſſe poſsibiliter, & gaudent prædicatis eſſentialibus, in quibus clauditur bonitas, pariter peccatum poſsibiliter eſt, & retinet prædicata eſſentialia, & conſequenter malitiam; ergo ſi amat poſsibilia, odio proſequitur peccatum poſsibile. Minor verò probatur; ſi Deus odio haberet peccatum poſsibile, odio proſequeretur peccatorem poſsibilem: conſequens eſt falſum; ergo non habet odio peccatum poſsibile. Sequela probatur;peccatum poſsibile non eſt ſubiective malum, ſed ſolùm obiective; neque eſt tranſgreſsio legis, niſi ſolum poſsibiliter: & tamen terminat odium Dei; ergo peccator poſsibilis poſsibiliter tranſgrediens, odio proſequitur à Deo. Secundo; nam ſicut eſt de eſſentia peccati eſſe tranſgreſsionem legis,eſt etiam conſtituere peccatorem,& tranſgreſſorem; ergo eodem modo,quo ipſum intra ſtatum poſsibilitatis eſt tranſgreſsio, & peccatum dignum odio Dei, conſtituet peccatorem, & peccatorem eodem odio dignum. Denique; quia hic peccator in ſuo eſſentiali cõceptu habet prædicata eſſentialia peccantis; ſed illa ſubiectivè non habere, non obeſt quominùs terminet odium Dei, vt patet in peccato poſsibili; ergo illud defacto terminat. Per quod excluditur ſolutio, quæ hic adhiberi poſſet, nempè,quod poſsibiliter peccans non habet ex prædicatis eſſentialibus eſſe peccatorem, ſed á peccato diſtincto: peccatum verò eſt eſſentialiter tranſgreſsio. Excluditur, inquam; tùm, quia peccator exiſtens non eſt peccator, niſi ratione peccati diſtincti; & terminat odium Dei ratione illius;ergo etiam ſi intra ſtatum poſsibilitatis non ſit peccans, niſi ratione

pec-

peccati, intra illum terminabit odium: tùm etiam; quia hic peccator vt talis essentialiter dicit esse peccatorem, sicut peccatum esse peccatum; ergo intra statum possibilitatis terminabit odium, sicut peccatum. Quod autem hoc sit falsum, constat; exindè enim sequeretur humanitatem Christi Domini terminare defacto odium divinum, cum sit possibiliter peccatrix; & similiter Beatissimam Virginem; nam hæc peccatrix possibilis, ipsa designata, odium terminaret divinum.

§. Vltimus.

Proponuntur, & solvuntur argumenta.

53 PRIMO Arguitur contra cõclusionem ex D. Thoma 1. p. quæst. 37. art. 3. ad 3. ibi: *Sicut Pater dicit se, & omnem creaturam verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem, & omnem creaturam; ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit vt amor bonitatis divinæ, secundum quam Pater amat se, & omnem creaturam*: sed Pater dicit se, & omnem creaturam possibilem Verbo genito; ergo etiam diligit se, & omnem creaturam possibilem Spiritu Sancto. Ex quo vlteriùs infertur, quod sicut Verbum procedit ex cognitione omnium possibilium, pariter Spiritus Sanctus ex amore illorum procedit.

54 Respondetur admissa, vt debet, doctrina Div. Thomæ, & concessa minori, negando consequentiam; nam D. Thomas ibi non determinat quas creaturas Pater dicat Verbo, aut quas diligat Spiritu Sancto; sed solùm dicit creaturas, quas cognoscit, dicere Verbo, & quas diligit, diligere Spiritu Sancto: & ratio ab ipso tradita hoc solùm convincit, quia, scilicèt, Verbum procedit vt repræsentatio essentiæ, cuius veritas est ratio intelligendi creaturas; Spiritus Sanctus, vt amor eiusdem essentiæ, cuius bonitas est ratio amandi creaturas: ex quo solùm infertur, Verbo dicere omnem creaturam, quam cognoscit, Spiritu Sancto diligere omnem creaturam, quam diligit. Cæterùm, quia vt docet D. Thomas, artic. 3. sequenti, veritas divina necessitat obiective intellectum divinum ad cognitionem creaturarum, quia illas in sua essentia cognoscit, in qua habent necessarium esse, atqueadeò Pater cognoscendo se, necessario cognoscit creaturas possibiles, & necessario repræsentantur in Verbo producto procedenti ex tali cognitione; ex quo provenit, quod Verbo dicat se, & creaturas possibiles: bonitas autem divina, quamvis sit ratio sufficiens ad dilectionem creaturarum; non tamen necessitat ad illam; quia intra puram possibilitatem nihil sunt: illas autem existere, aut futuras esse necessarium non est ad existentiam bonitatis divinæ, quæ est finis primario dilectus, & sibi perfectissimè sufficiens: quapropter sicut ob hanc rationem amor divinus est amor liber creaturarum, quas voluit existere; aliarum autem solùm est amor quoad sufficientiam; ita Spiritu Sancto ex tali amore procedenti diligit creaturas, quas libere voluit existere, & quoad sufficientiam possibiles. Neque ex hoc sequitur Spiritum Sanctum posse procedere ex amore libero creaturarum, cum absque illo salvetur eius processio, sicut & amor divinus, licet per se procedat ex amore, qui quoad sufficientiam est illarum amor.

55 Ex dictis constat, qualiter etiam si amor divinus sit comprehensivus Dei, seú, vt melius dicam, adæquet totam amabilitatem Dei, non feratur necessario in creaturas, quia, scilicèt, in statu possibilitatis amabiles non sunt, licèt sint cognoscibiles; atqueadeò licèt ex vi cognitionis comprehensivæ necessario cognoscantur; non tamen necessario amantur. Sed dices; nulla datur creatura possibilis, quæ bonitate divina non constituatur amabilis á Deo: sed ex vi amoris comprehensivi bonitatis divinæ necessario amatur quidquid ratione illius est amabile; ergo necessario amatur omnis creatura possibilis. Maior probatur; ratio sufficiens, vt diligatur creatura, ipsam constituit amabilem: sed nulla est creatura possibilis, cuius divina bonitas non sit ratio sufficiens vt diligatur; ergo nulla est, quæ non constituatur amabilis bonitate divina. Minor etiam constat; quia ex vi cognitionis comprehensivæ Dei necessario cognoscitur quidquid divina veritate constituitur cognoscibile; ergo amore comprehensivo ne-

necessario amatur quidquid divina bonitate constituitur amabile.

56 Respondetur, quod si argumentum convinceret, probaret Deum amare necessario amore efficaci omnes creaturas possibiles; nulla enim datur, quæ ratione bonitatis divinę non sit amabilis huiusmodi amore; quod tamen esse falsum constat: distinguo ergo maiorem, quæ non sit amabilis amore necessario terminato ad creaturam in pura possibilitate, nego maiorem, amore libero terminato ad extrahendum creaturam à possibilitate ad existentiam, concedo maiorem; quod, & non amplius convincit eius probatio; & neganda est minor, vel illa distincta iuxta maioris distinctionem, neganda est consequentia; ad cuius probationem neganda est consequentia: ratio discriminis constat ex dictis; quidquid enim constituitur cognoscibile veritate divina est necessario cognoscibile cognitione necessaria; non tamen quidquid est amabile bonitate divina, est necessario amabile: qua etiam ratione, etiamsi omnis creatura cognoscibilis sit intuitive veritate divina; quia tamen prout sic est cognoscibilis scientia libera, non oportet, quod cognitio cõprehensiva Dei necessario sit visio omnis creaturæ; eodem modo discurrimus in amore; quia enim creatura constituitur amabilis bonitate divina amore libero, non oportet, quod amor comprehensivus sit amor creaturarum possibilium, sed satis est, si ex se sit sufficiens amor illarum; sicut bonitas divina est sufficiens ratio, vt diligantur: ratio autem discriminis inter cognitionem, & amorem petenda est ex dictis.

57 Sed dices; sequitur amorem creatum cuiuslibet beati adæquare amabilitatem Dei: tùm, quia quilibet beatus amat necessario quidquid in Deo est necessario amabile, scilicèt, omnia prædicata formalia: tùm quia si Deus solùm videret sua prædicata formalia, ita perfectè beatus cognosceret Deum, sicut à seipso cognoscitur; ergo si beatus omnia amat in Deo, quæ ab ipso necessario amantur, ita perfectè amat Deum, sicut Deus seipsum. Respondetur, negando sequelam, ad primam probationẽ dicendum, omnia amare beatum, sed finito modo: Deus autem illa eadem amat, sed infinito modo. Ad secundam dicendum, quod si Deus solùm videret sua prædicata formalia, non se cognosceret infinito modo; quia non penetraret infinito modo in seipso omnia, quæ in ipso cognoscibilia sunt; atqueadeò beatus equè perfectè cognosceret Deum: potest autem se infinite amare, nihil extra se amando; vt dictum est.

58 Secundo arguitur ex D. Thoma 1. contra Gentes, cap. 76. qui ratione secunda, sic habet; *Quod perfectè cognoscitur, & desideratur, secundum totam suam virtutem cognoscitur, & desideratur: finis autem virtus est non solùm secundum quod in se desideratur, sed secundum quod alia fiunt appetibilia propter ipsum; qui igitur perfectè desiderat finem, vtroque modo ipsum desiderat: sed non est ponere aliquem actum Dei volentis, quo velit se, & non velit se perfectè; quolibet igitur actu vult se, & alia à se.* Ex quibus sic facilè deducitur argumentum; si poneretur actus in Deo, quo vellet se, & non vellet creaturas, talis actus esset imperfectus: quod est omninò implicatorium; ergo sicut est necessarium Deum velle se, est necessarium velle creaturas: at non est necessarium Deum velle creaturas eo amore, quo vult existentes, & futuras; quippè amor iste est omninò liber iuxta D. Thomam, & veritatem; ergo ponendus est alius amor necessarius erga creaturas etiam possibiles.

59 Confirmatur ex cap. 75. antecedenti ratione 2. qua probat Deum velle alia à se, ibi: *Quæ propter se amamus, volumus esse optima, & semper meliora, & multiplicari quantum possibile est: ipse autem Deus suam essentiam propter seipsum vult, & amat; non autem secundum se augmentabilis, & multiplicabilis est, sed solùm secundum suam similitudinem, quæ à multis participatur; vult igitur Deus rerum multitudinem ex eo, quod suam essentiam, & perfectionem vult, & amat:* vbi docere videtur Deum velle, omnia, quę suam bonitatem participare possunt; & cõsequenter omnia possibilia. Item ratione 4. assumptum probat, nempè, Deum velle alia à se; *quia volendo se vult omnia, quæ in ipso sunt, & cum in ipso omnia quodammodo præexistant secundùm proprias rationes, volendo se vult alia à se*: cum autem possibilia in ipso quodammodo præexistant, videtur sentire amare possibilia. Deindè ratione 5. sic habet: *Causalitas finis in hoc consistit, quòd propter ipsum alia desiderentur; quanto igitur finis est perfectior, & magis volitus, tanto voluntas volentis finem ad plura extendìtur ratione finis illius: divina autem essentia est perfectissima in ratione bonitatis, & finis; ergo diffundet suam causalitatem maximè ad multa, vt propter ipsum multa sint volita, & præcipuè à Deo, qui eam secundum totam*

eam ſuam virtutem perfectè vult: ex quo ſequi videtur amorem divinum extendi ad omnia, ad quæ poteſt terminari cauſalitas bonitatis divinæ vt finis eſt. Tandem cap. 84. ſequenti in fine ſic habet: *Deus non vult, niſi ea, quæ ſunt, vel poſſunt eſſe bona*; ergo ſentit, quod ad terminandum amorem divinum ſufficit poſſe eſſe bonum.

60 Reſpondetur ex Ferrarienſi ibi, Div. Thomam non intendere Deum velle alia à ſe, ſed non poſſe alia à ſe velle diſtincto actu ab illo, quo ſe amat; atqueadeò, quod amor ille eſt quoad ſufficientiam volitio creaturarum; quod deducitur ex ſumma perfectione bonitatis, & amoris Dei, qui alia diligere non poteſt, niſi ratione bonitatis divinæ, qua redduntur appetibilia, & conſequenter ſi ſemel à Deo amantur, eodem actu deberent amari, quo ipſa bonitas divina. Diſtinguatur ergo primum antecedens, ſi daretur actus, quo Deus ſe vellet, & non vellet creaturas quoad ſufficientiam, eſſet imperfectus, concedo antecedens, quoad efficaciam, nego antecedens; & diſtinguatur conſequens eodem modo, eſt neceſſarium velle creaturas quoad ſufficientiam, concedo conſequentiam, quoad efficaciam, nego conſequentiam; & minor ſubſumpta eodem modo eſt diſtinguenda: vel aliter, diſtinguo antecedens, ſi daretur actus, quo ſe vellet, & non vellet creaturas ex ſuppoſitione, quod illas aliquo actu velit, concedo antecedens, abſolutè ex terminis, nego antecedens, & primam conſequentiam: itaque ex ſuppoſitione, quod Deus velit creaturas, neceſſarium eſt illas velle eodem actu, quo ſeipſum vult; aliàs talis actus eſſet imperfectus, quia ad creaturas extendi non poſſet: cæterùm, quia ſuppoſitio abſolutè libera eſt, non eſt abſolutè neceſſarium Deum velle creaturas actu, quo ſe amat, ſed ſolùm ex ſuppoſitione: & quidem certum eſt D. Thomam ibi loqui de amore efficaci libero, quo diligit futura, vt ex antecedentibus, & conſequentibus clarè colligitur, quem erga poſsibilia non dari fatentur omnes.

61 Ad primam confirmationem dicatur, dupliciter Deum poſſe ſe amare; vel ſecundum ſe, vel vt eſt finis creaturarũ in actu ſecundo movens ad illarum productionem; ex primo amore ſolùm infertur amare creaturas quoad ſufficientiam, & ex quadam congruitate aliquas amare quoad efficaciam iuxta regulam, & diſpoſitionem ſuæ ſapientiæ: ex ſecundo verò amore infertur infallibiliter creaturas amare, non tamen omnes, ſed illas, quas diſpoſuit Divina Providentia. Propoſitio autem illa: *Deus volendo ſuam eſſentiam propter ſeipſam, vult illam multiplicari ſecundum quod poſſibile eſt*, ſolùm denotat modum multiplicationis, ſcilicèt, ſecundùm ſuam ſimilitudinem, quæ à creaturis participari poteſt: vel ly *ſecundum quod poſſibile eſt*, intelligendum eſt non de poſsibilitate abſoluta, ſed de poſsibilitate ex ſuppoſitione ordinationis divinæ; aliàs Deus vellet omnia poſſibilia producere.

62 Ad ponderationem ex quarta ratione dicatur, ratione illa ſolùm probari à D. Thoma, Deum omnia velle quantum ad eſſe, quod habent in Deo, non in ſeipſis, & hoc modo velle poſsibilia non negamus; eſt enim formaliter velle Divinam eſſentiam, & ſolùm virtualiter creaturas. Vel ſecundo dicatur, loqui D. Thomam de omnibus futuris, quæ cum ſint extra puram poſsibilitatem, aliquid ſunt ſubiective in æternitate, habentque in Deo propriam rationem, ideſt, propriam idæam practicam, & per decretum determinatam, quod poſſibilibus non convenit. Ad ponderationem ex quinta ratione reſpondetur ex dictis; ex amore perfectiſsimo eſſentiæ Divinæ inferri amari creaturas quoad ſufficientiam: ex amore verò illius vt finis in actu ſecundo, infertur amor illarum iuxta diſpoſitionem Divinæ ſapientiæ, vt dictum eſt; quod ex perfectione bonitatis, & amoris Dei infertur.

63 Tertiò arguitur; amans efficacitèr Omnipotentiam, neceſſariò amat creaturas poſsibiles; ergo Deus illas neceſſariò amat. Antecedens multiplicitèr probatur. Primò; amans neceſſariò obiectum, & exiſtentiam illius, neceſſario amat omnia requiſita ad illud: ſed creaturæ poſsibiles, vtpotè terminus neceſſariæ connexionis Omnipotentiæ, neceſſariæ ſunt ad exiſtentiam illius; ergo Deus amans Omnipotentiam non poteſt non amare creaturas poſsibiles. Maior probatur; quia ab amante finem, & illius exiſtentiam, non poteſt non amari quidquid conducens, & vtilè eſt, vt fit: ſed quidquid neceſſarium eſt vt exiſtat, conducit ad illius exiſtentiam; ergo amans neceſſario obiectum, & exiſtentiam illius, neceſſariò amat omnia requiſita ad illud. Secundò; Deus amans ſuam Omnipotentiam, neceſſariò odio proſequitur negationem creaturarum poſsibilium; ergo neceſſa-

ſario illas amat. Antecedens probatur; neceſſario odio proſequitur id, quo poſito Omnipotentia non eſſet: ſed poſita negatione creaturarum poſsibilium Omnipotentia non eſſet; ergo neceſſario odio proſequitur illarum negationem.

64 Tertio; appetens appetitu innato conſervationem naturæ, appetit quidquid neceſſarium eſt, vt conſervetur; quapropter aliqui Thomiſtæ 1.2.quæſt.61.docēt, quod licèt creatura rationalis non inclinet in peccatum exiſtens, benetamen in illud vt poſsibile, quia proùt ſic neceſſariū eſt ad conſervationem, & exiſtentiam naturæ; ergo appetens appetitu elicito exiſtentiam alicuius naturæ non poteſt non amare omnia, ſine quibus talis natura non exiſteret. Tandem Deus amat ſuam Omnipotentiā vt connexam cum poſsibilibus; hæc enim connexio eſt prædicatū eſſentiale Omnipotentiæ; ergo non poteſt non amare poſsibilia. Cōſequētia probatur; ſi Deus amaret materiale peccati vt connexum cum malitia, non poſſet non amare malitiam; quapropter Thomiſtæ communiter docent, quod etiam ſi Deus prædefiniat, & amet materiale peccati materialiter ſumptum; non tamen formaliter, ſumptū, & vt connexum cum malitia; ergo non poteſt Deus amare Omnipotentiam vt connexam cum poſsibilibus, poſsibilibus non amatis.

65 Propter hoc argumentum aliqui Recentiores aſſerunt, quod licèt Deus non amet poſsibilia amore benevolentiæ, benetamen concupiſcentiæ; quia amor iſte non ſupponit in obiecto bonitatem, ſicut ille, ſed conducentiam, & vtilitatem ad exiſtentiam Omnipotentiæ efficacitèr amatę, quę vtilitas poſsibilibus negari non poteſt, quibus ablatis Omnipotentia deficeret. Hæc tamen doctrina vera non eſt, & reijcitur primo; quia ex illa ſequitur Deū amare peccatum poſsibile; quod tamen falſum eſt, vt Recentiores iſti, cū quibus diſputamus, fatētur cōtra alios, affirmantes peccatum poſsibile terminare actum proſequutivum voluntatis diviñæ: & quidem mirum eſt, quod negent Deū poſſe adhùc inefficacitèr velle exiſtentiā actus peccati, & concedant amare malitiam poſsibilem: cuius ſententiæ falſitas conſtat; quia deformitas exiſtens eſt eadem, atque poſsibilis: ſed exiſtens, quamvis conducat ad obiectum à Deo efficacitèr amatum, amari non poteſt; ergo quantumvis vt poſsibilis conducat ad exiſtentiam Omnipotentiæ amatæ, amabilis non eſt. Sequela verò eſt manifeſta; nam potentia permiſſiva peccati connectitur cū peccato poſsibili, & efficacitèr à Deo amatur, vtpotè eius attributum: inſuper peccatū, vt poſsibile eſt neceſſarium ad exiſtentiam illius: ſed quia Omnipotentia cum poſsibilibus connectitur, Deus amans Omnipotentiam, non poteſt non amare poſsibilia; ergo Deus amans potentiam permiſsivam peccati, non poteſt non amare peccatum poſsibile.

66 Reſpondent, potentiam permiſsivam peccati, etſi quod eſt aliud attributum in Deo cum peccato connexum, connecti cum illo connexione inamicabili; Omnipotentiam verò cum poſsibilibus connexione amicabili: quæ inamicabilitas in eo cōſiſtit, quod potentia permiſsiva taliter cum peccato connectitur, quod nunquam illud permittat exiſtere, niſi permiſsione coniuncta cum voluntate inefficaci non exiſtentię illius.

67 Hoc tamen argumentum non ſolvit: tùm quia non tollit quominùs peccatum poſsibile ſit conducens ad exiſtentiam attributi amati, neque quod ſi deficeret peccatum poſsibile, deficeret attributum amatum. Tùm; quia cum peccato vt poſsibili nulla eſt inamicabilitas; nam peccatum proùt ſic, vtpotè terminus eſſentialis connexionis potentiæ permiſsivę, conducit, & eſt vtilè ad exiſtentiam illius in ſenſu Recentiorum; defectuſque illius eſſet maximè nocivus potentiæ permiſsivę, infert enim non eſſe illius: tùm etiam; quia eſto potentia permiſsiva coniungatur in Deo cum voluntate inefficaci libera, vel neceſſaria, vt non ſit peccatum; non tamen cum voluntate vt non ſit poſsibile; hæc enim voluntas terminaretur ad aliquid impoſsibile, quod implicat ex terminis; ergo eſto peccatum, vt exiſtens, etiam ſi ſit terminus connexionis eſſentialis pœnitentiæ, vel permiſſionis à Deo amatæ, divinum amorem non terminet: peccatum autem, vt poſsibile, non poteſt illum non terminare; malitia enim in ſtatu illo non terminat diſplicentiam, ſicut nec creatura poſsibilis complacentiā; quia ſubiective non eſt, & aliàs habet vtilitatem, & conducentiam ad exiſtentiam attributi amati; ergo in horum principijs non eſt ratio quare non terminet amorem divinum. Omitto modum loquendi horum Recentiorum non carere improprietate; nihil enim extra Deum poteſt illi eſſe vtilè ſtricta vtilitate; quod ſi creaturę eſſent vtiles ad exiſtentiam Om-

nipotentiæ, non posſent bonitate carere.

68 Argumentum ergo factum inſtatur manifeſtè in peccato poſsibili, quod terminat connexionem potentiæ permiſsivæ à Deo amatæ, quin peccatū aliquomodo amet. Similiter Deus amat efficacitèr pœnitẽtiam cũ exiſtentia peccati connexam, quin amet peccatū. Cui inſtantiæ reſpondent aliqui reddẽdo diſparitatẽ; tunc enim ex amore alicuius obiecti infertur amor alteriùs terminantis connexionẽ illius, quando amor obiecti nõ præſupponit obiectū, ſeù terminū connexionis præviſſum; & quia amor pœnitentiæ præſupponit eſſentialiter præviſſum peccatū, cum quo connectitur, non infertur ex amore pœnitentiæ amor peccati: ſecus autem in caſu noſtro. Contra tamẽ eſt primo; quia eſt cõmunis ſententia apud Thomiſtas, & apud extraneos valdè familiaris, Deum intendere pœnitentiam ante prævisionem abſolutam peccati. Secundo; quia permiſio peccati præcedit ipſum; ad negationẽ enim gratię, qua vitaretur peccatum, in qua permiſio conſiſtit, ſequitur peccatum, cũ quo connectitur, quin Deus amãs permiſionem amet peccatum ante permiſionem non præviſſum. Et in ſententia Recentiorũ, complexum ex auxilio ſufficienti, & Scientia Media peccati ſub illo committendi, connectitur cum peccato: & tamen complexum illud amatur à Deo, vtpotè aliquid conſtans ex auxilio creato, & Scientia Divina, præceditque exiſtentiam abſolutam peccati, vt alibi probabimus, quin ipſi teneantur aſſerere Deum amare peccatum. Similiter electio ad gloriam, vt coronam pœnitentię connectitur cum peccato, illudque præcedit abſque amore peccati.

69 Vlteriùs; amor Omnipotentiæ preſupponit prævisſa poſsibilia; cum ſupponat comprehenſam Omnipotentiam; hæc enim comprehenſio eſt regula amoris divini; ergo ſi amor pœnitentiæ non eſt amor peccati, cum quo connectitur, quia illud ſupponit prævisſum; pariter nec amor Omnipotentię eſt amor poſsibilium, quæ prævisa ſupponit. Tandem contra illos vrget inſtãtia peccati poſsibilis; amor enim potentiæ permiſsivæ eodem modo præcedit, vel conſequitur ad peccatum poſsibile, ſicut amor Omnipotentiæ ad creaturas poſsibiles; ergo ex hoc capite nulla redditur diſparitas, quare, ſcilicèt, amor potentiæ permiſsivæ non ſit, vel non inferat amorem peccati; amor autem Omnipotentiæ ſit, vel inferat amorem creaturarum.

70 Vndè ad argumentum reſpondetur negando maiorem, cuius falſitas conſtat ex dictis; ad illius probationẽ admiſſa maiori, neganda eſt minor; id enim, quod eſt neceſſarium ad exiſtentiam obiecti, vt conſequutum ad illam, non conducit, neque eſt vtilè ad hoc vt exiſtat; hoc enim eſt proprium medij prærequiſiti: creatura autem poſsibilis non eſt neceſſaria, vt prævièrequiſita ad Omnipotentiam, ſed vt conſequẽs illam. Ad ſecundam, nego antecedens, ad illius probationẽ, diſtinguo maiorem, odio proſequitur id, quo poſito, non eſſet Omnipotentia, illatione à priori, concedo maiorem, à poſteriori, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam: iuxta hanc ergo ſolutionem ideò amor Omnipotentiæ nõ eſt, nec infert amorem poſsibilium, neque odium negationis illorum, quia poſsibilia non præcedunt exiſtentiam Omnipotentiæ amatę, ſed illam conſequuntur, & alias in ſe nullam habent bonitatem.

71 Secundo reſponderi poteſt ad has duas probationes, quod tunc amor obiecti eſſentialiter connexi cum termino, eſt, vel infert amorem termini, quando non poteſt dari terminus in ſtatu ſufficienti ad terminandum, niſi amor illius exiſtat: ſi autem amore non indiget, vt terminet connexionem obiecti amati, amans obiectum non neceſſariò amat terminum connexionis: hac ratione Deus amans pœnitentiam, non neceſſario amat peccatum, quia vt exiſtat, & terminet connexionem pœnitentię, amore Dei non indiget, ſed permiſsione. Similiter tunc odio habetur id, quo poſito, non exiſteret obiectum amatum, quando tali odio indiget, vt non ſit: & quia creatura poſsibilis independenter, ab amore divino eſt poſsibilis, & terminus Omnipotentiæ, & negatio illius impoſsibilis independẽter ab odio Dei; ſit, vt amans Omnipotentiam non neceſſario amet poſsibilia, nec odio proſequatur negationem illorum.

72 Ad tertiam probationem, negandum eſt antecedens; nec ſententiam illorum Thomiſtarum modo admittimus, quamvis probabiliter poſsit aliqua diſparitas reddi. Ad quartam, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, ad probationem, antecedenti admiſſo, neganda eſt conſequentia, diſparitaſque petenda ex differentia connexionis; nam materiale peccati formaliter ſumptum connectitur phiſicè cum malitia in illam influens

vt

vt fundamentũ illius; atque adeò Deus amãs materiale peccati proùt sic non potest non amare influxum in malitiam, & consequenter malitiam: Omnipotentia autem non physicè, sed logicè cum possibilibus connectitur, in quæ proùt sic nullũ præstat influxũ.

73 Secundo respondeti potest, Deum amare materiale peccati, etiam vt cõnexum cum malitia, & vt fundamentũ illius, quoad rectum connexionis, & fundamenti, quin ex hoc inferatur amare obliquum, scilicèt, malitiam; quia est extra sphęram voluntatis divinę, idem de possibilibus dicendum est. Quod ita sit asserendum, videtur convinci ex eo, quod si ex parte fundamenti distincti á malitia datur formalitas non amata, nec causata á Deo, de fundamento huius formalitatis idem fit argumentum: vel enim Deus amat formalitatem istam fundamentum, vel non; si primum amat fundamentum malitiæ formaliter sumptum, & consequenter malitiam; si secundum dabitur processus in infinitum; sed de his satis.

74 Tertio respondeti potest ad principale argumentum, tunc amans obiectum connexum amare terminum connexionis, quando terminus in statu, quo terminat est aliquid subiectivũ, non verò quando nihil est subiectivè, sed solùm obiectivè, & possibiliter: & ratio colligitur ex dictis; cum enim volũtas feratur ad res, requirit terminum, quod subiective aliquid sit: ad terminandum autem connexionem Omnipotentiæ hoc non requiritur, sed sufficit esse obiective, & possibiliter.

75 Tandem arguitur; Deus amat salutem reproborum, quæ tamen extra statum possibilitatis non est, cũ nunquam sit futura; ergo intra statum possibilitatis potest creatura amorem Dei terminare. Confirmatur primo; futura conditionata decernuntur à Deo decreto absoluto ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti: & tamen hæc futura extra possibilitatem non sunt, cum conditio non sit purificanda; ergo idem, quod priùs. Confirmatur secundo; vt creatura terminet actum prosequutivum voluntatis divinę defacto existentem, non requiritur habere bonitatem defacto, sed sufficit bonitatem esse futuram; ergo etiam sufficiet habere bonitatem possibilem. Antecedens est certum; nam abæterno est in Deo decretum de existentia Anti-Christi, quæ abæterno non est, sed solùm est futura. Confirmatur tertio; bonitas obiective conveniens possibilibus sufficiens est vt Deus amore efficaci illa prosequatur; ad hunc enim amorem nulla alia bonitas in creatura præsupponitur; ergo sufficit ad hoc quod illa amet amore inefficaci, & simplicis complacentiæ: neque enim intelligi potest maiorem requiri in obiecto bonitatem ad inefficacem amorem, quam ad efficacem.

76 Confirmatur quarto; Deus non potest non complacere in homine existente in gratia, sicut non potest nõ displicere in peccato existenti; sed eadem est bonitas gratiæ cognita per scientiam simplicis intelligẽtiæ, atq; cognita per scientiam visionis; ergo eodẽ modo erit Deus necessitatus ad cõplacẽdum in gratia cognita per simplicẽ notitiã, ac si illã videret existentẽ: si enim mihi (inquit Arriaga) tàm clarè proponeretur hortus non existens, ac si esset existẽs, non dubium, quin eandẽ haberet ad trahẽdũ me in amorẽ sui, ac si actu proponeretur existens. Tandẽ; Deus odio habet peccatũ possibile; ergo amat creaturã possibilẽ. Conseq. probatur; nam sicut creatura possibilis solùm obiective, & possibiliter est bona, pariter, & peccatũ possibile solũ obiective, & possibiliter est malũ. Anteced. verò probatur; nã Deus vult nullũ cõmitti peccatũ ex possibilibus, essetq; cõtra placitũ Dei aliquod illorũ existere; ergo quodlibet terminat odiũ Dei, seù affectũ fugæ. Tũ etiam; quia peccatũ ex essentia sua opponitur divinæ bonitati; ergo non potest Deo non displicere peccatũ etiam possibile.

77 Respondetur concesso antecedenti, negando conseq. quia actu illo Deus vult salutem reproborum extra possibilitatem ponere, licèt inefficacitér. Neq; obest, quod nullã habeat bonitatẽ subiective; hæc enim solùm potest prærequiri ad actum complacentiæ. Neque iterùm obest, quod sit purè possibilis: tùm; quia actus ille non terminatur ad illã intra puram possibilitatem, vt vidimus: tũ; quia ex vitalis actus redditur aliqualiter futura; cũ sit aliqualis determinatio causæ ad dandũ illi existentiam. Ad primam probationem, negãda est minor; ex vi enim illius decreti conditionatè constituitur futura sub conditione. Neque ad huiusmodi actum prærequiritur habere bonitatem, nisi solùm possibilem; hæc enim sufficit, vt possit Deus velle extrahere à pura possibilitate efficacitèr, vel inefficacitèr, absolutè, vel conditionatè. Ad secundam concesso antecedenti, distinguo consequens, esse possibilem pro priori ad actum, concedo consequentiam pro posteriori, seù ex vi actus, nego consequentiam; actu enim

divinæ voluntatis transit creatura formaliter ad statum futuritionis. Ad tertiam concesso antecedenti, nego consequentiam: neque est mirùm, quod actus inefficax prę-requirat bonitatem in obiecto, quam efficax non desiderat, si actus inefficax sit complacentia in bonitate obiecti: secus autem si sit voluntas dandi bonitatem.

78 Ad quartam, qua alijs relictis convincitur Arriaga tractat. de Voluntate Dei disp. 24. sectione 2. respondetur concessa maiori, & minori, negando consequentiam: bonitas enim gratiæ cognita per scientiam simplicis intelligentiæ solùm est bonitas obiective, & possibiliter; atque adeò incapax ad hoc, quod Deus in illa complaceat: secus autem cognita per scientiam visionis. Nec probatio subiuncta aliquid convincit; hortus enim purè possibilis placere non potest, licèt cognita eius pulchritudine possit quis velle eius existentiam, ipsoque frui: si autem aliquando ex eius cognitione aliqua complacentia resultet, eo est, quia proponitur vt existens, & sic complacens sibi persuadet ex imperfectione cognitionis, & imaginationis debilitate habere subiective aliquam bonitatem; quod in Deo omnia vt sunt in se cognoscenti contingere non potest: & si argumentum convinceret, probaret Deum non minus complacere in vnione hypostatica possibili, atque existenti, cum eadem sit bonitas, & æquè clarè cognita.

79 Respondet tamen Arriaga hoc non probari; quia licèt sit eadem bonitas; non tamen eodem modo cognita, sed quodammodo clariùs per scientiam visionis. Sed hoc non soluit instantiam; & in primis clariori modo Deum cognoscere vnionem hypostaticam existentem, quam possibilem, licèt dictum sit cum addito, sustinendum non est, neque est assignabilis modus maioris claritatis; iste enim sine maiori perfectione intelligi non potest; quam tamen scientia visionis non addit. Insuper distinctus status bonitatis non obstat; nam hæc distinctio est penes esse bonitatem, & non esse: quæ vel facit creaturam possibilem incapacem complacentiæ, vel nihil facit.

80 Ad vltimam distinguo antecedens, per displicentiam in malitia, quam in statu illo habet, nego antecedens, per voluntatem efficacem, aut inefficacem, vt non sit, concedo antecedens, & distinguo consequens, poterit terminare amorem complacentię intra illum statum, nego consequentiam, amorem, quo velit ab illo statu illam extrahere, concedo conseq. itaq; duæ volũtates dantur in Deo, de quibus posset dubitari an sint displicẽtia peccati possibilis; prima est efficax, qua Deus vult non existere peccata purè possibilia, quæ Deo concedenda est; quia cũ carentia peccati sit cõtingẽs, & amabilis à Deo, cõvenienſq; peccatis purè possibilibus, illis convenit ex determinatione voluntatis divinæ: hoc tamen non est displicere in peccato possibili, sed velle vt non sit obiectũ, quod si existeret displiceret; sicut Deus volens non existere creaturas purè possibiles non displicet in illis, in quibus nulla supponitur malitia, sed vult non dare bonitatẽ, quam non debet, & in qua existẽte complacere posset. Secunda est voluntas inefficax annexa prohibitioni peccati, per quã vult peccatũ non existere, quæ est libera, sicut prohibitio, & lex, quæ non est displicentia in peccato possibili, neque illã infert, sed solum ostẽdit, quod sicut peccatum existere non potest sine prohibitione Dei, etiam non potest existere, quin eius displiceat existentia. Ex his ergo non infertur displicentia in peccato possibilis, neque ex eo, quod peccatum opponatur bonitati divinæ; hoc enim peccatum non habet intra puram possibilitatem, nisi solum possibiliter.

81 Sed instabis; Deus vult non existere peccatũ, & non existere alterũ mundum: & tamen in his negationibus nulla relucet bonitas; cũ nullam habeãt entitatem; ergo esto peccatũ possibile nullã habeat subiectivè malitiã, neq; alter mundus possibilis bonitatẽ, poterit illud odio prosequi, & hunc amare. Respondetur, Deũ non tendere in carentiã mundi per actũ prosequutivũ, sed per actũ fugæ, ad quod sufficit esse carẽtiam perfectionis limitatæ non necessariã ad esse bonitatis divinæ: quidquid enim cõpossibile est cũ bonitate divina, ratione illius potest amari, si contingens sit, & non oppositũ bonitati divinæ, vt docet D. Thom. 1. contra Gentes, cap. 81. per quod excluditur à terminatione amoris divini mundus possibilis, & peccatum existens: de negatione peccati idem dicendũ est, si pura negatio sit; quando autem coniungitur cum aliquo bono creato, v. g. cũ actu adimplẽte præceptũ, fuga illius peccati etiã coniungitur cũ actu prosequutivo erga actum adimpletivum: si verò admittitur pura omissio libera peccati, non admittenda est bona: quod si admittatur, cum non careat bonitate, inconveniens non est

est terminare actum prosequutivum.

82 Ex dictis infertur Deum erga peccatum possibile, aut existens nullum habere actum prosequutivum. Cuius oppositum docere videtur Ruiz, disp. 26. de Voluntate: vbi asserit, quod licèt Deus non velit existere peccatum, vult tamen habere talem essentiam esse, scilicèt, dissonum rationi, & contrarium bonitati divinæ: sed oppositum colligitur ex dictis; peccatum enim esse dissonum rationi secundum se nihil est subiectivè, sed solum possibiliter. Deindè, cum peccatum existens includat essentialia prædicata peccati; si hæc Deo placerent, non posset peccatum existens non placere.

83 Infertur secundo; Deum erga peccatum possibile non versari huiusmodi affectum; displicet mihi peccatum esse malum, & rationi dissonum: cuius oppositum docuere Recentiores, quidam quos sequitur Borrul. disp. 5. de Voluntate sectione 3. sed præterquàm quod ex dictis falsitatis cõvincitur; satis absurdum apparet Deum habere displicentiam, quàm vitare non potest; darique obiectum in statu, quo Deo displicere possit, & quod in manu Dei non sit tale obiectum vitare: & quidem sicut implicat Deum aliquo modò velle aliquid ex terminis impossibile, aliás posset velle, quod non posset facere, pariter implicat displicere in eo, quod vitare non potest.

84 Tandem infertur falsam esse aliorum Recentiorum sententiam asserentium non existentiam possibilium esse Deo secundum quid involuntariam; quia, scilicèt, non existentiam illorum decernitur á Deo, cum affectu necessario ad oppositum: colligitur, inquam, quia talis affectus est impossibilis; & quidem negandus esset, saltim nè in hoc inconveniens incidamus.

Et hæc de isto dubio applicanda litteræ M. in 1. dist. 45. & 46.

Articulus III.

Vtrùm quidquid Deus velit, ex necessitate velit?

Prima Conclusio.

Deus est necessitate vult propriam bonitatem. Ratio à nobis tradita est, scilicèt, quod voluntas Dei necessariam habet habitudinem ad propriam obiectum, quod est bonitas divina.

Secunda Conclusio.

Deus aliàs à se non amat necessario necessitate absoluta; benè tamen ex suppositione. Ratio primæ partis infra traddetur. Secundæ autem ea est; quia quidquid Deus semel vult, non potest non velle; cum voluntas eius sit immutabilis.

1 INTER Plures huius articuli difficultates, præcipua, & in Theologia valdè celebris, & talis, vt merito censeatur communitèr à viatoribus insuperabilis, consistit in assignando constitutivo actus liberi, quę ex duobus principijs lumine naturæ notis, & fide divina certis consurgit, nec propter eius arduitatem à nobis est omittenda; sed potiùs alijs præferenda: quamvis enim huius rei evidentiam non assequamur, non sine vtilitate vestigijs Div. Thomæ inhærentes probabiliora tradamus, & quæ magis deceant Divinam Maiestatem.

Primum principium, quale est Deus habere liberum arbitrium, libereque creaturas producere, est de fide, vt constat ex Psalmo 93. *Deus vltionem libere egit.* Exodi 33. *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Sapientiæ 12. *Subest enim cum volueris posse.* Et ex Paulo ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et 1. ad Corinth. 12. *Dividens singulis prout vult*; & alibi sæpè. Idem convincitur ex testimonijs, in quibus docemur Deum fecisse, quæ potuit non facere, & è contra plura non fecisse, quæ potuit facere; sic in Psalmo 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*; vt nos doceret mensuram operationis divinæ non esse Omnipotentiam, sed voluntatem; non enim omnia, quæ potuit, sed ea, quę voluit, fecit; in quo liberum Dei arbitrium clarè ostenditur. Idem colligitur ex testimonijs, in quibus Deus, misericors, benefactor, & liberalis, cui summas gratias agere debemus, describitur: hæ autem virtutes absque libertate consistere non possunt, neque subiectum constituunt dignum, vt ei gratiæ debeantur. Præcipuum extat Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*: vbi singularem Dei erga homines charitatem commendat, vt in omnibus obligationem gratitudinis ostendat: agenti autem necessario gratias agere, aut apud ipsum preces fundere ridiculum est.

2 Idem demonstrat insita inclinatio, & naturalis instinctus, quo omnes gentes in gravioribus animæ angustijs, in Cœlum oculos, & mentem attollunt, & numinis opem implorant, à quo propter peccata supplicia timent. Ratione etiam naturali hæc veritas demonstratur à D. Thoma infra art. 10. & in 1. dist. 25. & quęst. 24. de Veritate, artic. 3. Modo probatur ratione articuli, quam etiam traddidit 1. contra Gentes, cap. 81. voluntas non fertur ex necessitate in ea, quæ sunt ad finem, sine quibus finis esse potest; sicut medicus ex suppositione voluntatis de sanando infirmum non ex necessitate vult medicamenta, sine quibus potest infirmum sanare; ergo cum divina bonitas necessario à Deo amata sine creaturis esse posit, quinimò per illas nihil ei accrescit: vndè Avicena dicit; quod solius Dei actio est purè liberalis, quia nihil sibi accrescit ex his, quæ vult, & operatur circa creaturas; ergo nulla inest Deo necessitas, vt alia à se velit. Quæ ratio intentum demonstrat supponendo finem necessario amatum á Deo esse eius bonitatem, quod demonstraverat D. Thomas 1. contra Gentes, cap. 80. & etiam supponendo Deum amare creaturas, quod etiam lumine naturæ est notum; cum omnia operetur per intellectum, & voluntatem, & eius providentię subijciantur: quod ostendit D. Thomas lib. 1. contra Gentes, cap. 82. & lib. 3. cap. 64.

3 Confirmatur ex eodem D. Thoma, quia si Deus volens suam bonitatem necessario vellet omnia, quæ ipsam participant, vellet omnes creaturas possibiles infinitis modis participantes suam bonitatem: quod tamen esse falsum constat; quia si vellet, essent cum eius voluntas sit principium essendi rerum; non igitur ex necessitate vult ea, quæ vult. Confirmatur secundo; nam esto Deus necessario amaret aliquas creaturas, non est ratio, quare has potiùs, quam illas; ergo saltim esset liber in producendo has præ alijs. Tandem; quia negata libertate divina nullum posset esse miraculum: hoc enim debet esse contra, vel saltim supra vires naturæ á Deo causatum tanquam à causa principali, & consequenter potens aliter evenire: at si in Deo non esset libertas, res aliter evenire non possent, neque aliquid existere contra, vel supra leges naturæ; id enim, quod aliter evenire non potest, nequit non esse conforme naturis rerum; nullum ergo posset esse miraculum.

4 Testimonia Div. Thomæ, quæ huic veritati obstare videntur, adduximus, & solvimus dubio antecedenti. Modo contra illam breviter arguitur. Volens necessario finem vult etiam necessario media; in hoc enim distinguitur simplex complacentia ab intentione finis, quod illa respicit bonitatem finis secundum se, & absolutè, atqueadeò non infert electionem mediorum: intentio verò respicit finem in ordine ad media; quę proindè stare non potest sine electione mediorum; ergo si Deus necessario amat propriam bonitatem vt finem, non potest non amare aliquas creaturas. Deindè, si Deus amaret libere creaturas, seipsum libere amaret; illas enim amat ratione bonitatis divinæ; amans autem obiectum propter aliquam bonitatem, vtrumque libere amat, obiectum, & bonitatem. Tandem intellectus ex assensu præmissarum necessitatur ad assensum conclusionis; ergo voluntas ex amore finis necessitatur ad amorem mediorum: sic enim se habet in ope-

operabilibus finis, ſicut principium in ſpeculabilibus.

5 Reſpondetur, quod vt ſupra diximus, finis poteſt amari *vt quo*, & vt in exercitio eſt movens ad amorem mediorum: poteſt etiam amari vt *quod*, & ſecundum ſe, & tunc non neceſsitat ad amorem mediorum, niſi quando illis indiget finis amatus. Per quod conſtat ad ſecundum; eſt enim concedendum Deum libere ſe amare, vt finis eſt in actu ſecundo movens ad amorem creaturarum non verò abſolutè. Ad vltimum dicatur, quod ſi inter principium, & concluſionem non ſit neceſſaria connexio, non neceſsitatur intellectus ex aſſenſu præmiſſarum ad aſſenſum concluſionis; neque Deus ex amore ſui ad amorem aliorum, ſine quibus eius bonitas ſalvatur perfectiſsima.

6 Secundum principium etiam vtroque lumine, naturæ, & fidei notum eſt Deum eſſe ſummè ſimplicem, & immutabilem, actum purum, expertè omnis compoſitionis; quod ita certum eſt, atque Deum eſſe infinitum, nullam admittentem imperfectionem, & quo maius excogitari non poteſt: quod ex Scriptura, & naturali ratione demonſtravit D. Thomas hac 1. parte à quæſt. 5. vſque ad 9.

7 Ex his ratio dubitandi conſurgit, quę talis eſt: vel actus liber conſtituitur adæquatè per aliquid intrinſecum Deo; vel adęquatè per aliquid extrinſecũ; vel coaleſcit ex intrinſeco, & extrinſeco, ita vt vtroq; conſtituatur: non primum; quia quodlibet prędicatum intrinſecum Dei identificatur cũ ipſo; aliàs non eſſet actus purus, & ſummè ſimplex, expers omnis compoſitionis: ſed prædicatum identificatum cum Deo eſt omninó neceſſarium, & indefectibile ſicut ipſe Deus; aliàs eſſet imperfectum, & Deus mutabilis; ergo nullum poteſt actum liberum Dei adęquatè conſtituere. Quæ conſequentia exinde nota videtur; quia conſtitutivum actus liberi non poteſt non eſſe defectibile, ſicut ipſe actus liber, de cuius ratione eſt ita eſſe, vt poſsit non eſſe. Pro ſecunda parte probatur; tùm, quia actus liber eſt vitalis, & intrinſecus. Tùm, quia omne extrinſecum eſt effectus decreti liberi Dei; exiſtit enim, quia Deus voluit libere exiſtere. Tùm denique; quia nihil extrinſecum Deo eſt abęterno: decretum autem liberum eſt æternum. Et ex his pro tertia parte probatur; nam actus liber eſt adæquatè vitalis: quodlibet Deo extrinſecum eſt effectus decreti adęquatè conſtituti: & tandem aggregatum, ſeù conſtitutum nequit eſſe æternum, cuius aliqua pars conſtitutiva eſt temporalis.

Vt hanc rationem dubitandi ſuperarent Theologi, divi ſi ſunt in varios modos dicendi: omnes tamen ſententiæ ad duas claſes reduci poſſunt. Prima aſſerit decretum liberum conſtitui per aliquid extrinſecum Deo: cuius ſententiæ Authores inter ſe diviſi ſunt, de quorum diſidio infra conſtabit. Illam tenet Aureolus in 1. diſt. 4. artic. 1. propoſitione 1. & 2. & diſt. 46. artic. 2. & diſt. 47. quem ſequuntur Baſilius Legionenſis 1. parte variarum, quæſt. 6. Scholaſtica, cap. 5. Granados tract. 3. diſp. 5. ſect. 6. Amicus, diſp. 14. ſectione 3. Torres 22. diſp. 2. dub. 4. Averſa 1. parte quęſt. 19. ſect. 11. pro qua etiam refertur Uazquez 1. p. diſp. 80. cap. 2. quamvis de illius mente non ſatis conſtet, & pro ſententia conſtituente actum liberum per entitatem rationis à pluribus referatur: quæ ſententia extra Scholam Div. Thomæ eſt communior.

Secunda docet actum liberum adæquatè conſtitui per aliquid intrinſecum Deo: quam tenet Caietanus in præſenti, artic. 2. & 3. & 3. part. quæſt. 1. artic. 2. illam ſequuntur communitèr Thomiſtæ. M. à S. Thoma, Albelda, Illuſtr. Araujo, Serra, & plures alij, quos referunt PP. Salmanticenſes in præſenti, & IlluſtriſsimusGodoy, inter quos etiam eſt aliquale diſsidium. De quo infrà.

DVBIVM I.

Vtrùm decretum liberum Dei per aliquid extrinsecum adæquatè, vel inadæquatè constituatur?

§. I.

Primus modus defendendi affirmativam sententiam refertur, & reijcitur.

8 SENTENTIÆ Affirmativæ Author refertur Aureolus, vbi supra, qui ratione dubitandi convinctus asseruit omne prædicatum intrinsecum Deo esse omninò necessarium, si est Deus, cum quo identificatur: ex quo intulit nihil Deo intrinsecum esse volitionem creaturarum determinantem Deum ad earum productionem, aliàs Deus esset necessario determinatus ad producendum creaturas: & consequenter ipsæ necessario existerent: concedit tamen complacentiam necessariam in bonitate divina, & ex consequenti in omni entitate creabili, quæ omninò indifferentem Deum relinquit ad producendum, & non producendum creaturas; quæ indifferentia non determinatur per volitionem, cum nullam concedat, quę sit volitio efficax creaturarum, sed immediatè per actionem ad extra, quæ volitio non est, & à Deo distinguitur: tota ergo indifferentia Dei est ad producendum, & non producendum creaturas, quæ non per volitionẽ, sed per actionem extrinsecam determinatur; proindeque Deo convenit vt agenti, non vt volenti.

9 Cum hoc tamen componere conatur Deum voluntariè, & libere producere creaturas: primum, quia illas cum complacentia producit: secundum, quia cum dominio, & potestate est potens illas producere. Ad cuius explicationem duo adducit exempla: primum desummit ex igne, qui casu quo posset comburere, & non comburere, libere combureret, quamvis omnia antecedentia combustionem essent indifferentia ad illam: secundum, quo vtuntur Recentiores infra referendi, desummit ex libertate nostra, quæ libere determinatur ad actum, non per alium actum prævium, sed ipse actus, & est volitio libera obiecti, & determinatio voluntatis ad eius existentiã; quo etiam modo Deus suam indifferentiam ad producendum, sine prævia voluntatis determinatione, per actionem exteriorem determinat. Ex quibus deducit hanc actionem exteriorem esse volitionem virtualiter, seù metaphoricè; verificarique Deum per volitionem causare creaturas; tùm, quia actio exterior est metaphoricè volitio; tùm, quia supponit complacentiam necessariam; & tandem, quia actio exterior procedens ab Omnipotentia, à voluntate procedit, quę ab Omnipotentia non distinguitur.

10 Sed iste modus dicendi communitèr reijcitur, vt parum consonus fidei; contra quem fit conclusio. Deus non solùm est liber, quia potest producere, & non producere creaturas; sed quia potest velle illas producere, & non producere. Quæ conclusio probatur apertis testimonijs Scripturæ. Primo ex Psalmo 113. *Omnia, quæcumque voluit, fecit.* Ecclesiastici 39. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Ex Esther 3. *Si voluerit salvare nos, continuo liberabimur.* Ex Paulo vbi supra, *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et ad Rom. 3. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Similia passim in Scriptura habentur, in quibus aperte ostenditur libertas divina, nedum in producendo, verum etiam involendo. Quæ testimonia in proprio, & non in metaphorico sensu esse accipienda constat ex communi PP. & Theologorum consensum.

11 Responderi tamen potest tunc testimonia Scripturæ in sensu proprio esse accipienda, quando ex illo non sequitur aliquid rationi naturali repugnans; quod in præsenti contingere, deduci potest ex ratione dubitandi; quia, scilicèt, sequeretur aliquid intrinsecum Deo deficere posse, quod manifestè rationi naturali, & perfectioni Dei repugnat.

Contra tamen est; quia Scripturam ad improprium sensum trahere contra cõmunem PP. & Theologorum sententiam nunquam licèt, etiam si proprius sensus videatur alicui, rationi naturali repugnans; aliàs quodlibet mysterium, quod supra rationem est, in metaphorico sensu posset expli-

plicare, qui nolens credere, quod ratione naturali non assequitur, contenderet illi repugnare. Secundo; quia ipsa Scriptura metaphoricum sensum excludit; si enim in sensu proprio non intelligatur illud David, *omnia quæcumque voluit*; hunc sensum præstabit; omnia quæcumque fecit, fecit; velle enim iuxta hanc sententiam est ipsum facere: vel si velle accipiatur pro complacentia necessaria, sensus Psalmi erit iste, omnia quæcumque voluit complacentia necessaria, fecit: quorum primus ineptissimus est, & indignus Scriptura: Secundus autem falsus; & idem videre est in alijs testimonijs; ipsa ergo Scriptura sensum metaphoricum excludit; atqueadeò proprius, etiamsi difficilis sit, est omninò amplectendus.

12 Tertiò; potiùs rationi naturali repugnat actionem exteriorem esse contingentem, & habere esse præ non esse, & non ex determinatione, dispositione, & consilio alicuius; quod inconveniens vitari non potest, nisi in Deo adstruatur libera volitio, à qua exterior actio oriatur. Et confirmatur; in Deo esse providentiam, quæ iuxta Boetium 4. de Consolatione adductum á Div. Thoma infra quæst. 22. artic. 1. est ipsa divina ratio in summo omnium Principe cõstituta, quæ cuncta disponat, evidens est: at actio exterior quamvis contingens, non est dispositio, sed exequutio dispositionis, illa indigens vt sit; ergo contra lumen naturale est determinationem liberam voluntatis divinæ negare, etiam si difficilè sit illam cum alijs attributis componere.

13 Quarto scientia futurorum contingentium etiam deficeret à Deo casu, quo non essent futura, qui possibilis est, quæ quidem non minus est intrinseca, & immanẽs, quam libera volitio: & tamen illam negare, & Deũ cõfiteri est apertissima insania, vt docuit Augustinus lib. 5. de Civitate Dei, cap. 5. ergo ob hoc fundamentum libera volitio negari non debet. Ex quo sic aliter potest vrgeri argumentum: non minus frequens est in Scriptura volitio Dei libera, quam futurorum cognitio: at hæc ad difficultatem illam componendam cum immutabilitate, & simplicitate Dei, quæ eadem est, atque in libera volitione, negari non potest, sed ab omnibus catholicis admittitur in proprio sensu, & defenditur iuxta aliquem ex modis referendis; ergo neque volitio libera negari debet, sed eodem modo defendi: cui accedit non minus esse insanum hanc, quam illam negare.

Neque obest, si dicas ex Aureolo, scientiam Dei non terminari ad creaturas formaliter, sed solùm eminenter; nam quidquid de sensu huius doctrinæ sit, de quo supra quæstione 14. negari, nisi insanissime, non potest Deum cognoscere Anti-Christum esse futurum, & potuisse illud non cognoscere, cum Anti Christus potuerit non esse futurus; ergo huius veritatis cognitio aliquomodo à Deo deficere potuit: quod ad argumentum factum sufficit.

§. II.

Alij modi defendendi hanc sententiam referuntur, & reijciuntur.

14 UT Temperarent sententiam Aureoli, docuerunt Recentiores constitui actum liberum partim per intrinsecam volitionem, qua diligit necessario creaturas, partim per ipsam creaturam: qui cum Aureolo conveniunt, quod omnis formalitas intrinseca Dei, omnisque intrinseca denominatio est indefectibilis, & necessaria, ac proindè nulla potest actum liberum adæquatè constituere, & consequenter docent, nihil Deo intrinsecum esse ratione sui adæquatè volitionem liberam creaturarum, aut illarum efficax decretum; actus enim voluntatis divinæ quoad intrinseca spectatus solum est amor necessarius Dei, simplexque creaturarum complacentia omninò Deo necessaria: admittunt etiam cum Aureolo, & veritate effectum creatum, & actionem exteriorem Dei, qua illum producit: addunt tamen huiusmodi complacentiam, seù amorem creaturarum constitui in ratione amoris liberi, & efficacis per ipsam creaturam.

Qui etiam inter se dividuntur, alijs cum Vazquez asserentibus constitui per ipsum effectum: alijs cum Basilio docentibus constitui, non per effectum, sed per actionem exteriorem, qua effectus à Deo dima-

nat;

nat. In modo etiam loquendi dividuntur: alij enim asserunt cum eodem Basilio effectum, seù actionem exteriorem intrare in recto constitutionem decreti: alij verò intrare solùm in obliquo, non quia non sit pars per modum formæ inadæquatè constituens decretum liberum in ratione talis, quo sensu in obliquo intrare non negant Authores oppositę sententiæ; sed quia licèt sit pars formæ, seù forma partialis constituens Deum volentem liberè; non tamen est pars volitionis liberę, sed quasi accidens illius, quo libera constituitur.

15 Sed non video differentiam inter concretum libere volentis, & volitionem liberam: concreti enim libere volentis reduplicata libertate, & non aliter, creatura, seu actio exterior est pars formæ, sivè forma partialis: sed in volitione libera idem contingit; non enim est pars formæ etiam inadæquatè constituentis Deum volentem; est tamen pars illius, vt liberæ; in ratione enim volitionis adæquatè constituitur per intrinseca; in ratione autem liberæ iuxta hos Authores per effectum extrinsecum. Et quidem aliud est importari effectum, seù actionem exteriorem ex modo significandi in obliquo, quia vt alteri adiacens significatur, qualiter album significat albedinem, cuius definitio quid nominis est, habens albedinem: aliud autem in obliquo absolutè importari; hoc enim solùm denotat extrinsecum connotatum esse, non constituens per modum formæ etiam inadæquatè concretum, sed terminans habitudinem formæ constituentis; qualiter in visione importatur obiectum, in generante genitum: quo sensu in obliquo intrare creaturam constitutionem decreti, est asserere formam adæquatè constituentem esse intrinsecam, & consequenter denominationem; quod tamen hi Authores non concedunt. Contra quos sit.

16 Conclusio. Decretum liberum non potest constitui etiam inadæquatè per aliquid creatum; seù, quod idem est, nihil creatum potest esse forma constituens decretum. Et probatur primo; quia, vt supra vidimus, Deus non amat necessario creaturas possibiles: vndè cum per actionem exteriorem non constituatur illas amans iuxta Adversarios, nulla ab illis assignatur forma, qua Deus constituatur illas volens; non enim est actus necessarius, qui ad creaturas non terminatur; non actio, seù effectus exterior; quippè hæc supponunt Deum volentem creaturas, & solùm præstant volitionem Dei liberam constituere. Si autem dicatur, quod posita actione, seú effectu exteriori, volitio necessaria, quæ solùm constituit Deum volentem se quoad efficaciam, & quoad sufficientiam creaturas, iam denominat Deum volentem illas in actu secundo, quæ volitio libera constituitur per actionem exteriorem. Contra est; quia iam concedunt intrinsecam denominationem volentis creaturas esse adæquatè intrinsecam, licèt connexam cum effectu exteriori, à quo denominatur libera; & cum hęc denominatio potuerit Deo deficere, concedere necesse est aliquid intrinsecum Deo deficere posse. Ex quo vlterius deducitur, hanc denominationem non constitui liberam ab actione exteriori; cum ipsa ratione sui possit deficere; deficiente enim actione exteriori deficeret denominatio non solùm libere volentis, sed absolutè volentis, quæ adæquatè intrinseca est.

17 Secundo probatur conclusio; quia esto Deus amet creaturas possibiles; non tamen illis vult communicare existentiam; aliàs Deus vellet necessario saltim inefficacitèr omnem creaturam possibilem existere; solùm ergo in earum bonitate cõplacet; ergo vel Deus non libere vult existere creaturas, vt docuit Aureolus, vel assignandum est aliud prædicatum distinctum à creatura, & volitione necessaria, quo Deus constituatur volens illas producere. Consequentia probatur; nam si posita volitione necessaria, & actione exteriori Deus vult libere existere creaturam, assignanda est forma, quę ipsi præstet velle, & quæ hoc velle liberum constituat: sed licèt actio exterior det per modum formæ libertatem, non præstat velle formaliter, neque illud præstat volitio necessaria, cum hac Deus non velit creaturis communicare existentiam; ergo vel Deus non libere vult existere creaturas, vel assignandum est prædicatum aliud, quo Deus constituatur volens. Si iterùm dicas: volitionem necessariam hoc præstare formaliter posita actione exteriori: reddit argumentum factum, scilicèt, quod denominatio intrinseca volentis præstita à volitione necessaria deficere potest deficiente actione exteriori, & vt supra inferebamus, esse liberam formaliter, & non ratione actionis exterioris; & consequenter denominationem libere volentis esse adæquatè intrinsecam.

18 Tertio; quia esto amet creatu-

ras

ras posſibiles neceſſario,& illis velit communicare exiſtentiam, ſaltim inefficacitèr; non tamen illas odio neceſſario proſequitur, aut vult etiam inefficacitèr non exiſtere; ergo vltra actum neceſſarium, alia debet aſsignari forma, qua Deus conſtituatur illas odio habens, ſeù volens non producere. Vel dicendum, quod poſito extrinſeco connotato, volitio neceſſaria Dei hunc tribuit effectum adæquatè, qui non ſolùm quoad rationem liberi deficere poteſt, ſed abſolutè; & conſequenter effectum, ſeù denominationem intrinſecam Deo deficere poſſe affirmare tenentur.

19 Quarto; quia Deus non operatur per actionem tranſeuntem, ſed immanentem, vt docet D. Thomas infra quæſt. 25. & alibi ſæpè; ergo ſi per hanc, & volitionem neceſſariam conſtituitur adæquatè decretum, non poteſt conſtitui per aliquid creatum. Quinto; Deum velle creaturas, quod eſt adæquatè intrinſecum iuxta hos Authores, non poteſt conſtitui liberum per actionem exteriorem, quantumvis contingentem; ergo non ſalvant Deum libere velle creaturas. Antecedens probatur; nam velle creaturas, eſt omnino neceſſarium, & indefectibile, vtpotè effectus præſtitus à volitione neceſſaria omninò identificatus cum Deo; ergo non poteſt conſtitui liberum per actionem exteriorem, quantumvis contingentem. Antecedens admittitur ab his Authoribus; & conſequentia videtur bona: quod enim neceſſarium eſt, non poteſt reddi liberum, ſeù contingens ex coniunctione cum contingenti, quamvis coniunctum ex vtroque ſit contingens, ſeù liberum; quapropter Deus in eſſendo non eſt liber, quāvis coniungatur cum actione exteriori contingenti; atqueadeò eſto coniunctum ex volitione neceſſaria Dei, & actione exteriori ſit liberum, & contingens; non tamen ipſa volitio, ſeù velle Dei.

Quod vlteriùs explicatur; in hoc concreto Deus volens libere creaturas duo includuntur; primum eſt volitio neceſſaria Dei; ſecundum, productio exterior: ſed primum nequit eſſe liberum, cum ſit omninò neceſſarium, & indefectibile; ergo ſi aliquid liberum eſt, exterior productio eſt, quæ non conſtituit per modum formæ Deū volentem, ſed producentem. Ex quo facilè deducitur, quod licèt Deus libere producat creaturas, non tamen libere amat; niſi ſolùm metaphoricè, vt docebat Aureolus.

20 Reſpondebis ex Recentioribus, quod licèt volitio Dei ſecundum ſe ſumpta non ſit libera Deo; non tamen ſola productio exterior eſt Deo libera; ſed etiam eſt liberum, quod eſſe neceſſarium Dei coniungatur cum productione exteriori: & cum in illo complexo ſtet Deum velle libere, & efficacitèr creaturas; fit, vt hoc ſit liberum Deo: ſic non ſolùm eſt nobis liber amor boni ſumptus in abſtracto, ſed liberū etiam eſt, quod ſimus volentes bonum; in quo cōcreto non ſolùm includitur amor, ſed eſſe noſtrum, & cognitio boni, quæ nobis libera non ſunt: & ſimiliter nobis eſt liberum, non ſolùm comedere carnes, ſed etiam hoc ſe habere coniunctum cum notitia prohibitionis, aliàs non peccaremus: & tamen talis notitia libera nobis non eſt.

21 Hæc tamen ſolutio inſufficiens eſt: primo, quia non ſalvat volitionē creaturarum eſſe liberam, quod ſic conſtat; volitio hæc eſt adæquatè intrinſeca, & neceſſaria; ſed hęc non redditur libera per actionem exteriorem, quidquid ſit de cōcreto volentis, ſicut nec eſſe Dei, de quo verificari non poteſt eſſe abſolutè liberum per coniunctionem cum actione exteriori; ergo non ſalvat volitionem creaturarum eſſe liberam, ſed ſolùm productionem: hoc autem ab Aureolo non negatur. Neque affirmari poteſt volitionem creaturarum non eſſe liberam; in Deo enim velle libere creaturas, & dari liberam volitionem, non duæ, ſed eadem veritas eſt. Secundo, ſi volitio noſtra non eſſet libera, non poſſet nos cōſtituere libere volentes, vt patet, & ſolutio ſupponit: ſed quidquid eſt volitio Dei, eſt omninò neceſſarium, vtpotè identificatum cum Deo; ergo non poteſt Deus per illam libere velle.

22 Tertio; quia ex exemplis adductis ſolum deducitur, quod quidquid præſupponitur ad formam conſtituentem concretum liberum, poteſt nobis eſſe neceſſarium, & concretum liberum, dummodò forma adveniens, determinans, & conſtituens concretum, ſit nobis libera; qua ratione licèt noſtrum eſſe, & cognitio ſit nobis neceſſaria, per volitionem ſummus libere volentes, quia volitio adveniens determinans, & conſtituens concretum, eſt nobis libera, & ſimul ipſum concretum: at eſto productio adveniens prædicatis neceſſarijs in Deo ſit ipſi libera, non eſt forma conſtituens Deum volentem, ſed producētem; ergo eſto Deum conſtituat libere producentem, non tamen libere volentem.

Tan-

Tandem hoc explicatur; quia forma, seu exercitium liberum alicuius voluntatis, seu potentiæ adveniens prædicatis necessarijs, illa non constituit libera, sed solùm præstat potentiæ, cuius est exercitium, effectum formalem liberum; ergo productio exterior, quæ est exercitium Omnipotentiæ, nõ constituit prædicata necessaria, quæ supponit in Deo libera, sed solùm præstat Omnipotentię effectum liberum: tunc sic, sed effectus adæquatus, quem præstat, est Deum, seù Omnipotentiam esse producentem in actu secundo; ergo solùm præstat Deum libere producere, non tamen libere velle.

23 Sexto probatur conclusio; pro priori ad creaturam, & illius productionem intelligitur in Deo amor liber, & efficax; ergo non potest constitui, etiam inadæquatè per creaturam, aut eius productionem. Antecedens probatur; ante actionem exteriorem intelligitur applicata Omnipotentia ad productionem creaturæ, & ad elicientiam actionis; quod verum est, etiam si Omnipotentia à voluntate non distinguatur virtualiter; Deus enim in omnium sententia producit creaturas, quia vult: & ratio est evidens; quia in agentibus intellectualibus, & liberis, actio exterior elicitur ex consilio, & determinatione intellectus, & voluntatis; & idem dicendum est de actione exteriori Dei, quæ est illius effectus: sed non intelligitur applicata ad productionem Petri per amorem necessarium Petri, aut inefficacem; quia iste componi potest cum carentia productionis; ergo per amorem liberum, & efficacem; & consequenter pro priori ad existentiam Petri, & productionem illius intelligitur in Deo amor liber, & efficax.

Confirmatur; Omnipotentia non potest applicari ad productionem creaturę per actum voluntatis necessarium, aliàs esset applicata ad productionem omnium creaturarum; cum omnes, iuxta hos Authores, necessario amet; ergo per amorem liberum, & efficacem vt talem; si enim per actum necessarium, aut per liberum inefficacem non est sufficienter applicata, aliquid debet superaddi actui amoris necessarij, vt sit sufficiens applicatio Omnipotentiæ; quod aliud esse non potest, quam libertas, & efficacia. Ex quo rectè deducitur, vtramque præsupponi ad actionem exteriorem; applicatio enim Omnipotentiæ præsupponitur ad actionem, & consequenter id, quo constituitur sufficiens applicatio.

24 Per quod excluditur solutio communis asserentium applicari per amorem, qui redditur liber, & efficax ab actione exteriori. Excluditur, inquam, quia ante actionem exteriorem intelligitur applicata Omnipotentia ad illam eliciendam; ergo vel applicatur per amorem necessarium, & consequenter erit applicata ad producendũ omnes creaturas, quas necessariò amat; vel amor liber, & efficax, vt talis intelligitur pro priori ad actionem exteriorem. Neque dici potest, quod vt sit applicata Omnipotentia, ad actionem exteriorem, sufficit amor necessarius: primo, quia esset applicata ad productionem omnis creaturæ possibilis; & consequenter omnes produceret. Secundo; quia actio exterior est indifferẽs, vt sit, & non sit; & aliàs non est ipsa determinatio, aut consilium voluntatis divinæ; cum neque cognitio sit, neque volitio; ergo indiget pręvia voluntatis determinatione, qua determinetur ad esse præ non esse: hęc tamen esse non potest actus necessarius, quo posito manet æquè indifferens; cum actus ille æque cum illius existentia, aut carentia coniungi possit.

25 Tertio in sententia horum Authorum ad actum liberum creaturæ producendum non manet sufficienter applicata Omnipotentia per actum necessarium, neque per actum liberum efficacem dantem posse creaturæ, neque per actum inefficacem terminatum ad actum: sed vt defacto ad illum concurrat, indiget determinari à voluntate creata, eo quod vsque ad hanc determinationem omnia præsuppositа sunt coniungibilia cum carentia actus; ergo ad actionem exteriorem non sufficienter applicatur per actum necessarium coniungibilem cum illius carentia, sed prævię ad actionem exteriorem aliquid debet supe raddi inconiungibile cum illius carentia, quod est libertas, & efficacia amoris.

26 Tandem; quia ex oppositо fieret, quod actio exterior esset á casu, & fortuito absolutè, & respectu Dei; id enim, quod contingit præter intentionem, & consilium operantis, est à casu, & fortuito respectu illius: sed actio exterior habet esse, & non ex Dei consilio, & determinatione; cum omnia in Deo necessaria possint coniungi cum carentia illius; & ipsa actio exterior non sit Dei consilium, aut determinatio voluntatis divinę, vt diximus; ergo esset acasu, & fortuito respectu Dei. Hoc argumentum in hac sententia effugium il-

lud

hud non habet, quo vtuntur Authores Scientiæ Mediæ ſimili argumento contra ipſos facto, ſcilicèt, actum liberum creaturæ eſſe acauſu reſpectu Dei; quia ibi confugiunt ad Scientiam Mediam, qua Deus prævidet actum liberum ſub conditione futurum, quod in creatione Angeli facere non poſſunt. Inſuper ipſa actio libera creata, & concurſus Dei exiſtit ex determinatione voluntatis creatæ à Deo libere productæ: hic autem exiſtit actio exterior abſque alicuius voluntatis determinatione. Et tandem ibi recurritur ad naturam actus liberi, qui non poteſt indigere prævia determinatione voluntatis divinæ.

27 Septimo; nam ex hac ſententia ſequitur totam indifferentiam, & libertatem eſſe in Omnipotentia, non in voluntate divina; quod ſic patet; nam voluntas divina eſt determinata per proprium actum neceſſarium; ſola verò Omnipotentia æquè contingenter coniungitur cum actione exteriori, quæ eſt proprius actus illius; ergo libertas, & indifferentia ſolùm eſt in Omnipotentia, non verò in voluntate. Confirmatur; Omnipotentia prior ad actionem exteriorem applicata per actum voluntatis neceſſarium præcedentem manet indifferens ad productionem creaturæ, & illius carentiam: voluntas autem intelligitur functa munere ſuo, vtpotè actuata per vltimum actum, quo applicatur Omnipotentia; ergo ſola hæc eſt indifferens, & libera. Neque obſtat, quod Omnipotentia non diſtinguatur virtualiter à voluntate; quia ſaltim inadæquatè diſtinguitur, & ſemper infertur voluntatem, vt talem, indifferentem non eſſe, ſed ſolùm vt Omnipotentia eſt; & conſequenter Deum liberum non eſſe ad velle, & non velle, ſed ſolùm ad producere, & non producere.

28 Quod vlteriùs explicatur in horum Authorum principijs, in quibus voluntas divina non habet immediatam libertatem, ſeù dominium ſupra actum liberum creatum; quia poſita voluntate creata in actu primo, quamvis maneat contingens, & indifferens amor, verbi gratia, & ſimiliter Omnipotentia ad concurrendum, indifferentia hæc non determinatur ex voluntate divina, quæ functa eſt adæquatè munere ſuo in actibus antecedentibus coniungibilibus cum carentia amoris: ſed voluntas divina poſito actu neceſſario coniungibili cum carentia actionis exterioris, functa eſt adæquatè munere ſuo, & actuata per vltimum actum; ergo quamvis Omnipotentia maneat indifferens ad actionem exteriorem: voluntas tamen immediatam indifferentiam, & libertatem non habet; & cum alias in actu neceſſario nullam exerceat libertatem; ſequitur nullam habere libertatem, aut dominium mediatum, aut immediatum erga actionem exteriorem; & conſequenter ſi qua eſt libertas, adæquatè reſidet in Omnipotentia.

29 Confirmatur ſecundo; ſi Petrus, v.g eſſet indifferens ad producendū lapidem, non verò ad volendum volitione applicante potentiam exequutivam, non eſſet liber in volendo, etiam ſi liber eſſet in producendo; ergo quamvis Deus ſit indifferens ad actionem exteriorem, ſi tamen non eſt liber in volitione applicante Omnipotentiam, erit liber in producendo, non tamen in volendo. Quæ omnia robur accipiunt ex locis Scripturæ ſupra adductis; in quibus aſsignatur cauſa actionis exterioris volitio divina: at non volitio neceſſaria; ergo libera, & efficax; & conſequenter vt efficax debet præcedere actionem exteriorem. Minor probatur; quia ſi intelligerentur de volitione neceſſaria; hæc eſſet falſa, vt ſuprà diximus: *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Si autem dicatur: intelligi de volitione libera, & efficaci conſtituta in ratione talis per actionem exteriorem: facilè reijcitur; quia ſenſus exit, omnia quæcumque voluit, & fecit, fecit; vel omnia, quę voluit neceſſario, & fecit, fecit. Secundo; ibi ipſius actionis aſsignatur cauſa; ergo ſi aſsignatur volitio efficax, vt talis, prout ſic debet præcedere actionem exteriorem. Ex eiſdem locis infertur libertatem in Deo reſidere in voluntate, & non ſolùm Omnipotentiam eſſe indifferentem.

30 Octavo ex oppoſita ſententia ſequitur, Deum non amare ſpeciali affectu humanitatem Chriſti Domini, quam alteriùs cuiuſcumque hominis: Quod ſic probatur; quia ſecluſsis effectibus ad extra, qui amor non ſunt, ſolùm relinquitur amor neceſſarius, & potentia ad communicanda eadem beneficia, quæ erga omnes humanitates æqualia ſunt; ergo quamvis in effectibus exterioribus diſtinguantur;

in amore tamen ad illas terminato omninò conveniunt.

31 Nono arguitur; quia ſequitur non dari in Deo ſcientiam futurorum: & probatur; quia Deus non poteſt conſtitui ſciens Anti-Chriſtum futurum per prædicata neceſſaria; aliàs Deus hoc Deus neceſſario ſciret: neque per ipſum obiectum; tùm, quia ſcientia eſt tendentia in obiectum ab illo condiſtincta: tùm, quia repræſentatio Anti-Chriſti extituri, in qua ſcientia conſiſtit, non includit Anti-Chriſtum extiturum; ſicut nec repræſentatio Petri poſsibilis includit Petrum poſsibilem, ſed adæquatè identificatur cum Deo: tùm denique; quia ſcientia de Anti-Chriſto futuro reddit Deum ſecurum, & certum de tali futuritione: ſed hæc ſecuritas, & certitudo non ſunt prædicata neceſſaria; aliàs hæc, ſicut certitudo, & ſecuritas connecterentur eſſentialiter cum futuritione Anti-Chriſti: neque poteſt eſſe futuritio, ſeù exiſtentia extrinſeca Anti Chriſti; quippé Deus ſciens Anti-Chriſtum futurum eſt intrinſecè ſecurus, & certus de tali futuritione; ergo in Deo non datur huiuſmodi ſcientia.

32 Decimo arguitur; prius eſt iuxta communem ſententiam Theologorum Deum decernere efficacitèr exiſtentiam Petri, quam videre eius exiſtentiam; & idem eſt de actione exteriori: at hoc eſt falſum in contraria ſententia; ergo hæc ſuſtinenda non eſt. Minor probatur; nam iuxta hanc ſententiam Deum videre exiſtentiam Petri, eſt complexum dicens ſcientiam neceſſariam, & ipſam exiſtentiam Petri, ſeù eius productionem; velle Petrum producere eſt complexum dicens volitionem neceſſariam, & ipſam exiſtentiam Petri: quæ complexa in exiſtentia Petri conveniunt, & ſunt ſimul, & idem: at ſcientia neceſſaria, quæ eſt altera pars primi complexi, præcedit noſtro modo intelligendi volitionem neceſſariam; ergo non eſt priùs ſecundum complexum, quam primum; & conſequenter priùs non eſt Deum velle producere Petrum, quam Petrum videre exiſtentem: imó ad oppoſitum aſſerendum, fundamentum præbet præcedentia ſcientiæ reſpectu volitionis.

33 Ex quibus non immeritò inferunt Recentiores hanc ſententiam videri reprobatam contra Vvicleph, & alios Hæreticos, qui negabant Deo ſcientiam liberam futurorum; illi enim non negabant ſcientiam neceſſariam, neque rerum futuritionem, quam experiebantur; ſed ſolùm ſcientiam futurorum à neceſſaria, & futuritione contingentium diſtinctam: quod, & non ampliùs videntur aſſerere Authores huius ſententiæ. Eadem ratione videtur convinci nullatenus illorum ſententiam diſtingui á ſententia Aureoli.

34 Sed reſpondent Hæreticorum errorem non conſiſtere in eo, quod præter ſcientiam neceſſariam, & rerum futuritionem nihil aliud concedant; ſed in eo, quod his poſitis, negant Deum ſcire libere futura: quod tamen Authores, contra quos diſputamus, non negant. Quod varijs exemplis explicari poteſt; ſi vera eſſet ſententia conſtituens ſimilitudinem duorum alborum in eorum coexiſtentia, qui affirmaret coexiſtentiam, & negaret ſimilitudinem erraret; non quia negaret entitates, in quibus eſt ſimilitudo, ſed quia his conceſsis negaret illarum effectum formalem, nimirùm, ſimilitudinem.

35 Sed hæc doctrina, quamvis vera ſit, ab ipſis inconſequenter adducitur; & in præſenti non rectè adaptatur. Primum probatur; quia ipſi, licèt parum fœliciter, contendunt Thomiſtas phiſicè prædeterminantes ſimul cum errore Calvini videri reprobatos, hoc argumento: Calvinus non negavit iudicium indifferens, adſtruit prædeterminationem voluntatis, & actum prædeterminatum: & tamen damnatur, quia negavit libertatem: ſed Thomiſtæ præter iudicium indifferens, prædeterminationem, & actum prædeterminatum, nihil ampliùs concedunt; ergo videntur reprobari cum Calvino. Quod argumentum doctrina in ſolutione traddita evidenter ſolvitur: Thomiſtæ enim graviſſimis fundamentis vlteriùs docent hominem prædeterminatum libere operari; quia prædeterminatio ex conceptu ſuo ſuppoſito iudicio indifferenti applicat voluntatem ad actum liberum; quod Calvinus negavit, & Adverſarij cum illo: ex quo ortum duxit illius error, nimirùm hominem non libere operari.

36 Quod autem hæc doctrina in præ-

præsenti non rectè adducatur, probatur; quia deberent assignare formam aliquam, á qua concretum libere volentis esset; quod ab ipsis non fit: in volitione enim necessaria, & actione exteriori nihil datur, quo possit Deus constitui libere volens; in hoc enim concreto datur libere velle, & velle: at actio exterior non est forma inadæquata volendi, neque potest constituere velle necessarium Dei in ratione liberi, vt suprà probavimus; non ergo est fundamentum ad adstruendum Deum libere velle, si nihil aliud superaddatur. Quod vlteriùs explicatur exemplis adductis; in sententia enim illa assignatur forma, à qua possit provenire effectus similitudinis in albo, precisè per positionem alteriùs, quia similitudo est convenientia vnius albi cum alio: vndè albo existente nihil deest ad similitudinem præter alteriùs coexistentiam. Similiter hominem libere velle, nihil aliud est, quam velle obiectum, & esse regulatum iudicio indifferenti; quod efficacibus rationibus à Thomistis probatur; sicut & quod prædeterminatio ab intrinsecis habet inferre libertatem actus: at isti actionem exteriorem constituere liberam volitionem necessariam, neque apparenter probant; & idem est de scientia futurorum, nisi fortè asserant, posita actione exteriori volitionem necessariam hunc effectum præstare propter sui eminentiam: hoc autem, vt diximus, est propriam sententiam deserere.

37 Vltimum argumentum, quod pro nostra sententia solet fieri, est huiusmodi; quia ex oppositá sententia sequitur concordiam scientiæ visionis de actu libero cum eius libertate esse facillimam, quę tamen à Theologis semper visa fuit difficilis: quid enim faciliùs scientiam necessariam potentem coniungi cum actu libero, & eius carentia, cum ipso non pugnare? Quid insuper faciliùs, quàm actum liberum exercitum non excludere libertatem? Sed scientia visionis actus liberi solùm hęc duo dicit; ergo nulla erit difficultas in huiusmodi compositione.

Cui argumento respondetur communitèr, id, quod est facilè ex suppositione difficili, absolutè esse difficilè: hæc autem constitutio scientiæ visionis valdè difficilis est; atqueadeò licèt sit facilis, concordia ex hac suppositione, absolutè manet difficilis. Insuper addunt, id, quod sub aliqua luce est facilè, sub alia est difficilè. Sed quidquid sit de sufficientia solutionis, parum consequenter adducitur: ipsi enim impugnant decreta efficacia Thomistica, quia illis positis, & in illis Deum videre futura contingentia absoluta, & conditionata non est mirabile; cum tamen valdè mirabile sit Deum illa cognoscere; quod argumentum facilè solvitur doctrina ab ipsis traddita.

§. III.

Alijs argumentis probatur conclusio.

38 IN Hac argumentorum seriè primùm desumitur ex æternitate decretorum, quam omnes Theologi fatentur; satisque exprimitur in Scriptura: 2. ad Timoth. 1. *Secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sęcularia.* Ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et Actorum 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam*; & alibi sæpè. Ex quibus evidenter deducitur abæterno extitisse amorem liberum creaturarum: idemque dicendum esse de scientia futurorum passim in Scriptura habetur; estque lumine naturæ notum, Deum abæterno cognoscere omnia, quæ temporaliter accidunt. Ex quibus sic arguitur primo. Decretum, quo Deus vult existere mundum in tempore, est abæterno: at si coalesceret ex volitione necessaria, & actione exteriori, hoc esset falsum; ergo falsum est actionem exteriorem esse partim intrinsecè constitutivam decreti. Consequentia est legitima; & minor probatur; quia complexum ex duobus deficit ad defectum vnius, vt per se est notum: sed actio exterior non est abæterno; ergo neque decretum liberum. Confirmatur: implicat dari constitutum

ſine conſtituentibus: ſed vnum ex conſtituentibus decretum, eſt creatura; ergo hac abæterno non exiſtente, implicat decretum abæterno exiſtere: hac ratione, licèt materia prima abæterno eſſet, ſi forma fieret in tempore, eſſet implicatorium hominem abæterno exiſtere.

39 Propter hoc argumentum aſſerunt Recentiores, decretum non includere creaturam, ſed eius futuritionem, quæ abæterno eſt. Contra hoc tamen obſtat primo, quod futuritio iuxta horum ſententiam non exiſtit abæterno; ergo etiam ſi hac compleatur decretum, non ſalvant abæterno exiſtere. Antecedens probatur; iuxta hos futuritio claudit tanquàm partem ſui exiſtentiam creaturæ in tempore: ſed hæc non fuit abæterno; ergo neque futuritio. Maior eſt ipſorum doctrina, minor eſt certa, & conſequentia probatur; tùm, quia implicat complexum exiſtere deficiente aliqua eius parte: ſed futuritio eſt complexum conſtans ex carentia exiſtentiæ nunc, & exiſtentia poſteà; ergo vbi non datur exiſtentia, non datur futuritio. Tùm etiam; quia ſi decretum eſſet complexum ex volitione neceſſaria, & actione exteriori, implicaret actionem exteriorem eſſe in tempore, & decretum abæterno: qua ratione ipſi non actionem exteriorem, ſed futuritionem aſſerunt conſtituere decretum; ergo ſi futuritio eſt complexum, cuius aliqua pars eſt exiſtentia rei futuræ, vbi non datur exiſtentia, non poteſt dari futuritio.

40 Secundo; vel futuritio exiſtens abæterno, & complens decretum, eſt aliquid increatum, vel aliquid creatum, vel ens rationis, & fictum: ſi primum; decretum adæquatè eſt aliquid increatum: ſecundum dici non poteſt; cum ſit de fide nihil creatum eſſe abæterno: ſi verò tertium dicatur; ſequitur decretum ſaltim inadæquatè conſtitui per ens rationis; quod falſum eſt, & ipſi non admittunt. Tertiò; quia ſi futuritione completur decretum, deficiente futuritione deficiet decretum: ſed in tempore, quo exiſtit creatura, vel quo præterita eſt, deficit futuritio, cum iam non ſit futura; ergo in tempore deficiet decretum, quod ſemel abæterno extitit.

41 Propter hæc alij reſpondent, decretum non compleri adæquata futuritione, ſed inadæquata, ſcilicèt, carentia exiſtentiæ, quæ abæterno datur. Contra hoc tamen, eſt argumentum; quia volitio neceſſaria, & carentia exiſtentiæ creaturæ, quæ datur abæterno, poſſunt componi cum carentia decreti, vt patet in creaturis purè poſsibilibus, quarum carentia eſt abæterno; & tamen non datur decretum de illarum productione; ergo in his non poteſt conſiſtere decretum. Hæc conſequentia evidens eſt ex dictis; ideò enim in volitione neceſſaria non conſiſtit adæquatè decretum, quia hæc poteſt componi cum creatura, & eius carentia.

42 Sed reſpondent iterùm, decretum dicere negationem mundi, non nude ſumptam, ſed vt duraturam præciſè vſque ad nunc productionis mundi, & huiuſmodi negatio non datur reſpectu purè poſsibilium. Contra tamen eſt; quia carentia mundi, vt duratura vſque ad hoc inſtans, vel addit ad carentiam ſecundum ſe aliquid abæterno exiſtens, vel non? Si addit, inſtat argumentum factum: vel enim eſt increatum, vel creatum; non creatum, quia nihil creatum fuit abæterno; non increatum, quia increatum, ſicut & carentia creaturæ, coniungibile eſt cum omiſſione decreti: ſi nihil addit abæterno exiſtens; ergo nihil datur abæterno non indifferens adeſſe, & non eſſe decreti. Secundo; quia carentia, vt duratura vſque ad nunc productionis mundi, iuxta horum principia ſolùm addit ad carentiam exiſtentiam mundi nunc: ſed hæc, vtpotè in tempore exiſtens, non poteſt eſſe pars decreti abæterno exiſtentis; ergo per illam nequit decretum conſtitui. Tertiò; quia ſi carentia, vt duratura, eſſet pars decreti, cum hæc deficiat in tempore, etiam decretum in tempore deficeret: & idem fit argumentum, ſi Deus abæterno produceret creaturam, quam in tempore deſtrueret, huiuſmodi decretum conſtitueretur per creaturam abæterno exiſtentem, quæ cum in tempore deſtrueretur, deficeret in tempore decretum, quod idem abſurdum eſt.

43 Si verò cum alijs dicas: ipſam volitionem neceſſariam denominare Deum abæterno libere volentem, ſub conditione exiſtentiæ creaturæ. Contra eſt primo; quia hoc eſt conſtituere decretum adæquatè in aliquo creato. Secundo; quia forma denominans ſub aliqua con-

conditione, vel posito connotato, non denominat vsque ad purificationem conditionis, vel posito connotato; sed connotatum, seù conditio ponitur in tempore; ergo non abęterno, sed in tempore denominatur Deus libere volens: nisi iterùm recurratur ad futuritionem: contra quam instat argumentum factum, quo probavimus tractatu de Scientia Conditionatorum sequuti Illustrissimum Godoy futuritionem rerum, tàm absolutam, quàm conditionatam constitui non posse per carentiam existentiæ nunc, & existentiam posteà, sivè absolutam, sivè conditionatam, sed per aliquid increatum, nimirùm decretum; quia, scilicèt, futuritio est abęterno, cũ abęterno creatura sit, & dicatur futura: existentia autem abæterno non est, neque illius carentia sufficiens ad illam denominandam futuram: vndè in præsenti inconsequenter hoc argumento vtuntur aliqui Defensores Scientiæ Mediæ; cum asserant, vel teneantur asserere futuritionem esse abæterno; & tamen includere existentiam, quæ in tempore est. Qualiter autem in nostra sententia, creatura iam existens non sit futura, cum tamen maneat decretum, in quo stat eius futuritio, explicuimus vbi supra, & infra huius redibit sermo.

44 Secundo arguitur ad hominem contra Recentiores; quia sequitur ex opposita sententia non posse existere actum liberum creatum absque decreto efficaci Dei; quod licèt verissimum sit, ab eis falsum reputatur. Sequela probatur; decretum efficax actus liberi est complexum ex volitione necessaria, & concursu Dei, seú actione exteriori: sed implicat absque his existere actum liberum; ergo implicat existere absque decreto efficaci.

Confirmatur primo; quia sequitur eadem ratione non posse existere actum peccaminosum absque decreto efficaci, non solúm terminato ad entitatem actus, sed ad ipsam malitiam: quorum primum, licèt falso, negatur; & secundum à nemine sustinetur. Sequela probatur; quia implicat actum peccaminosum existere sine volitione necessaria, & concursu Dei terminato ad materiale peccati, & in sententia iam apud ipsos communi, terminato ad malitiam: sed in his consistit decretum efficax; ergo implicat existere absque decreto efficaci terminato etiam ad malitiam.

Confirmatur secundo; quia sequitur decretum efficax, etiam non regulatum Scientia Media, non tollere libertatem actus creati; quod licèt verum sit, ipsi non concedunt. Sequela autem probatur; nam volitio necessaria libertatem actus non tollit; cum non connectatur cum actu, sed sit compossibilis cum eius carentia; neque ipsa existentia actus; alias nullus posset dari actus liber; ergo nihil est in decreto efficaci, ratione cuius, neque apparenter inferatur necessitas actus prædefiniti.

45 Relictis solutionibus, quæ huic argumento adhiberi possunt, quia omnes ex dictis facilè reijciuntur: ad primam confirmationem respondent, volitionem necessariam, & concursum ad peccatum non constituere Deum volentem peccatum; quia in ipso displicet Deus: secus verò complacentia necessaria, seù sufficientia Dei ad actum bonum coniuncta cum eius productione.

Contra tamen est primo; quia si Deus vellet peccatum, nihil aliud faceret in horum sententia, quam ipsum producere: neque obest displicentia, seù nolitio inefficax illius; nam hæc cum volitione efficaci peccati non opponitur; vel si opponitur, etiam opponitur eius productioni. Secundo; quando datur carentia peccati, Deus est volens non esse peccatum, & in ratione sic volentis per carentiam peccati constituitur; ergo quando datur, per concursum ad illud constituitur illud volens; oppositæ enim formæ oppositum debent tribuere effectum formalem. Tertio; non obstante, quod Deus complaceat in bono opere, quando hoc non datur, est in Deo volitio carentiæ boni operis; ergo quamvis displiceat in peccato, quando hoc datur Deo concurrente, Deus erit volens peccatum. Consequentia probatur; quia non magis opponitur volitioni peccati displicentia in ipso, quam complacentia in opere bono eius nolitioni.

46 Tertio arguitur; quia Deus non solúm est liber ad producendum, & non producendum creaturas, sed ad producendum ex hoc, vel illo motivo: sed in productione soliùs Petri, v.g. Deus non sic esset liber; ergo. Minor probatur; quia hęc diversitas motivi absque variatione ex parte Petri non stat, sicut neque diversitas in decreto; ergo in productione soliùs Petri non posset Deus habere diversa motiva, sicut neque diversum decretum; cum stante solo Petro nulla sit variatio ex parte creaturæ.

47 Respondent, actionem exteriorem variari ex variatione motivi, & hac compleri, & diversificari decretum. Contra tamen est; quia sicut Petrus potest produci ex diversis motivis, pariter & concursus, seù actio exterior. Secundo; quia actio exterior potest elici à nobis ex varijs, & distinctis motivis; ergo potiori titulo à Deo. Confirmatur; quia prædefinitio efficax regulata Scientia Media, in hac sententia omninò ex terminatur; non enim potest assignari actio exterior, qua compleatur: non actus liber; aliàs hic sine prædefinitione existere non posset: non auxiliū ad illum collatū, eadem ratione. Assignare autem aliam entitatem distinctam, vt compleatur, est effugium absque aliquo fundamento. Tùm; quia decretum non completur, nisi obiecto, ad quod terminatur, vel actione exteriori in illud. Tùm etiam; quia huius entitatis natura assignari non potest. Tùm iterùm; quia hæc entitas potest terminare volitionem liberam divinam, quam compleat, & constituat in ratione decreti distincti à prædefinitione actus liberi. Et denique; quia entitas hæc existeret sine volitione efficaci Dei; prædefinitio enim actus liberi solùm est illius volitio; & alias cum hæc entitas non sit actus liber, aliquid creatum ab actu libero distinctum existeret sine voluntate divina.

48 Huic accedit difficultas assignandi in condonatione extrinseca peccati, quam concedunt, aliquid creatum, quo compleatur decretum condonans: & similiter difficultas assignandi decreto inefficaci salvandi Iudam, v.g. creatum, quo compleatur: non enim esse potest sufficientia ad salutem, quæ descendit à Deo ex decreto efficaci illius, & potuit componi cum eo, quod Deus non vellet inefficacitèr Iudam salvari. Sed his omissis.

Ultimo proponendum est argumentum, quod forsàn magis formidabunt Adversarij: desumitur enim ex eo, quod ex huiusmodi constitutione decreti sequitur nullam in Deo dari Scientiam Mediam; quod licèt absolutè non convincat; cum consequens illatum sit verum, cuius veritas falsitatem antecedentis non ostendit, sicut neque veritatem; quia verum aliquando ex verò, aliquando ex falso infertur: ad hominem tamen contra Recentiores vrget, si probem us sequelam. Probatur autem sic: Scientia Media, vtpotè contingens, debet constitui per aliquid intrinsecum Deo, nimirùm, scientiam necessariam, & aliquid creatum á Deo distinctum, Deūque futura contingentia conditionata cognoscere, est cōplexum ex creato, & increato: sed nihil creatum datur, quo possit inadæquatè constitui; ergo non datur huiusmodi scientia. Maior est doctrina contrariæ sententiæ, consequentia est legitima, & minor probatur; nihil creatum præsens, præteritum, aut futurum potest inadæquatè constituere Scientiam Mediam: in casu enim, quo Deus decreviſſet nihil creare, daretur iuxta hos Authores Scientia Media, quæ in sui existentia non dependet á purificatione conditionis, seù existentia conditionati; ergo nihil creatum potest Scientiam Mediam constituere.

49 Respondent recurrendo ad futuritionem conditionatam, qua asserunt constitui inadæquatè decretum. Hoc tamē effugium facilè præcluditur; nam futuritio conditionata iuxta ipsos non est, sed esset, præcipuè in casu posito, in quo nihil creatum existit: at ex terminis est notum nihil defacto existens posse constitui per aliquid, quod non est, sed esset; qua ratione homo existens non potest constitui per animam, quæ non est, sed esset. Et quidem in intelligibile est Deum defacto scire veritates conditionatas per aliquid, quod non est, nec fuit, neque futurum. Et quod adhùc magis mirùm est, & prorsus Deo indignū, non solùm eius Omnipotentiam indigere determinari à creatura, ipsique subordinari, vt influat in actum liberum, vt ipsi concedunt; verùm etiam indigere, nè in sui providentia cæco modo procedat, creatura non existenti, aut futura, à qua tanquam á forma inadæquata accipiat lucem cognitionis.

50 Secundo; quia existentibus solis prædicatis necessarijs nihil contingens existit; ergo his solis existentibus non existit Scientia Media, quæ contingens est. Tertio; quia solùm existentibus prædicatis necessarijs Dei, nihil est, ratione cuius futuritio conditionata potiùs esset, quam non esset; cū hæc prædicata indifferentia sint, vt conditionatum esset, vel non esset; ergo nō constitueretur decretum futuritione, quæ esset, sed purè posibili indifferenti, vt esset, & non esset. Quarto; quia si futuritio conditionata, seù conditionatum, quod esset, sufficit ad constituendum scientiam, quæ defacto est, etiam esset sufficiens ad constituendum decretum defacto existens; sicut

actio

actio exterior, seù futuritio absoluta sufficiens ad constituendum scientiam visionis, sufficit ad constituendum decretum absolutum. Ex quo evidenter deducitur, nullam dari veritatem conditionatam contingentem, cuius non sit in Deo decretum absolutè existens, licèt obiectivè conditionatum, sicut, & scientia subiectivè conditionata. Ex quo vlteriùs infertur, priùs decernere Deum hæc conditionata contingentia, quam illa cognoscere; sicut in absolutis contingit; priùs enim decernit existentiam Angeli, quam illum videat existentem. Ex quibus tandem deducitur, scientiam istam innixam esse decreto eo sensu, quo scientia visionis Angeli innititur, & supponit decretum de eius productione: quæ omnia cum Scientia Media non componi certum est. Contra nostram conclusionem stat ratio dubitandi, quam post nostram resolutionem commodiùs solvemus.

DVBIVM III.

Vtrùm decretum constituatur adæquatè per aliquid intrinsecum, & quid illud sit?

§. I.

Duo modi constituendi decretum per intrinseca referuntur, & reijciuntur.

1 EX Dubio precedenti constat resolutio primæ partis; si enim nihil Deo extrinsecum potest inadæquatè constituere decretum, necessariò affirmandum videtur, vel non dari decretum, vel constitui adæquatè per aliquid intrinsecum. Circa secundam partem primus modus dicendi, qui ad hanc classem reduci potest, est aliquorum asserentium constitui decretum per volitionem necessariam, vt modificatam respectu rationis, ita vt respectus iste inadæquatè ingrediatur eius constitutionem; qui tribuitur Capreolo in 1. dist. 45. quæst. 1. ad 1. contra 2. conclusionem. Ferrariæ 1. contra Gentes, cap. 82. & ex Modernis tribuitur Vazquez, de quo videatur M. S. Thoma in præsenti: illum sequitur Alarcon, disp. 82. cap. 2. & M. Serra hoc art. 3.

2 Sententia hæc communiter reijcitur; & omisso quod, vt verior tenet sententia, ens rationis non fit, nisi ab intellecto creato; & consequenter non existit ab æterno, sicut neque intellectus creatus; atqueadeò iuxta dicta non potest decretum æternum etiam inadæquatè constituere: omisso etiam, quod potuit Deus decernere nullum intellectum creatum producere, quod decretum per ens rationis à creatura formatum constitui etiam inadequatè non potest. Hoc, inquam, omisso quia oppositi Authores affirmant non sine probabilitate, & fundamento in D. Thoma, ab intellectu divino entia rationis efformari: reijcitur primo omnibus ferè argumentis, quibus supra probavimus non posse constitui inadequatè decretum per aliquid creatum; implicat enim, quod volitio necessaria cõstituatur libera per aliquid rationis, quantumvis contingens. Implicat etiam, quod Deus ente rationis constituatur volens. Insuper Deum velle libere, & efficacitèr existere creaturas est aliquid reale à parte rei existens, qualibet intellectus fictione secluſa; non ergo potest constitui, etiam inadæquatè per aliquid rationis.

3 Secundo; quia priùs est Deum libere velle, quam cognoscere se velle libere; ergo antequam intellectus divinus formet ens rationis, intelligitur constitutum decretum. Tertio; quia respectus iste, vel fit per scientiam necessariam, vel per scientiam liberam: non per scientiam necessariam; aliàs respectus iste esset necessarius; & consequenter decretum: non per scientiam liberam; quia hæc supponit essentialiter decretum, cum ratione illius sit, & dicatur libera; non ergo ens rationis ab intellectu divino fabricatum constituit, etiam inadæquatè decretum. Quarto; quia si intellectus divinus formaret ens rationis, quo volitio necessaria redditur libera, & constituit Deum libere volentem, non ad voluntatem divinam pertineret libertas, quæ non exercetur in volitione necessaria vt tali; neque in positione entis rationis, quod ab ipsa non fit; neque in eo, quod formato ente rationis ab intellectu divino, voluntas decernat producere creaturas; cum hoc posi-

to ente rationis ab intellectu, sit omninò necessarium.

Si verò asseratur, quod vt ab intellectu formetur ens rationis, præstat fundamentum voluntas. Contra est; quia fundamentum esse nequit volitio necessaria vt talis; aliàs ens rationis, & consequenter decretum esset necessarium; ergo debet esse libera determinatio voluntatis divinæ; atqueadeò antecedenter ad formationem entis rationis, decretum divinum debet intelligi constitutum. Tandē; quia sicut cognitio producendi mūdum potuit deficere; potuit etiam deficere cognitio formans ens rationis; alias ens rationis non posset deficere; ergo aliquid intrinsecum cognitioni ab ente rationis distinctum deficere potuit à Deo: quo admisso inconveniens non est idem admittere in volitione, nimirùm, aliquid distinctum ab ente rationis in volitione potuisse deficere, quo sufficienter intelligeretur constitutum decretum.

4 Propter hęc mihi persuadeò Authores hanc sententiam defendentes solùm voluisse, intelligi non posse à nobis decretum absque respectu rationis, quia licèt in se aliquid absolutum sit, á nobis tamen vt respectivum, & cum ordine ad creaturas intelligitur, qui ordo in Deo non potest non esse rationis: vel solùm voluisse constituere decretum per ens rationis fundamentaliter sumptum: sed relinquunt intactam difficultatem; cum quæstio non sit, qualiter á nobis decretum intelligatur, sed per quid in seipso constituatur: neque per fundamentum entis rationis aliquid explicatur; nam vel fundamentum est actus necessarius Dei, & hic non præbet fundamentum magis ad fore, quam ad non fore creaturarum, ad hoc, quam ad illud decretum: ex parte etiam creaturarum fundamentum non datur; nam creaturæ possibiles illud non præstant; aliàs omnes creaturæ essent æqualiter volitæ, & omnes æqualiter futuræ: neque etiam illud præstant creaturæ futuræ; quia non priús sunt futuræ, quam libere amatæ à Deo, sed è contra, quia libere amatę sunt futuræ: vel dandus est circulus, quem vitari non posse fatetur Vazquez; de quo videndus est M. S. Thoma vbi supra.

Pro hac sententia adducit M. Serra D. Thomam locis infrà referendis, & pro nostra sententia explicandis. Fundamentum à ratione petitum potest esse; quod à nobis intelligi non potest decretum, nisi cum ordine, & respectu ad creaturas, qui necessario est ens rationis: sed hoc multum probat; quia neque Omnipotentia intelligi potest sine ordine ad creabile, quæ tamen per talem ordinem non constituitur. Sed de his satis.

5 Secundus modus dicendi est quorundam Complutensium, quos refert M. Ildephonsus Michael in præsenti asserentium volitionem liberam Dei constitui per terminationem, seù habitudinem ad creaturas, non necessariam, neque simpliciter distinctam ab entitate necessaria Dei, neque cum ea simpliciter identificatam, sed ab ipsa ante operationem intellectus distinctam distinctione reali diminuta. Quod vt explicent, duplicem constituunt distinctionem realem: prima est simpliciter talis, vi cuius extrema ita sunt vnum, & aliud, vt propriè constituat dualitatem, seù binarium entium: alia diminuta consistens in eo, quod extrema, vel quasi extrema ita se habent, vt si summantur in recto, vnum de altero nequeat prædicari, & aliàs non sufficiunt ad constituendam dualitatem entiū: sic materia prima distinguitur à privatione formæ, quia, scilicèt, non est privatio formæ equi, potestque sine illa existere; materia tamen, & privatio non constituunt dualitatem rerum: sic in sententia Thomistarum, asserunt isti, quod distinguitur essentia creata ab eius existentia, & contactus duarum quantitatum ab ipsis quantitatibus.

His positis docent: terminationem constituentem actum liberum Dei non esse omninò necessariam, quia liberum actum constituere non posset; neque simpliciter distinctam ab entitate necessaria Dei; quia nihil à Deo distinctum est abæterno: neque esse simpliciter identificatum cum Deo; aliàs hæc esset vera Deus est habitudo contigens ad obiectum: & insuper, quia Deus sine seipso esse non potest; potest tamen esse sine hac habitudine. Ex quibus liquido docent distingui à volitione necessaria distinctione reali diminuta, & aliàs cum ipsa identificari identitate diminuta; quia talis habitudo non est aliud ens à volitione necessaria.

6 Sed hæc sententia merito displicet præfato Magistro, & reijcitur; quia concedit habitudinem actus liberi distingui realiter modaliter à Deo, identificarique cum ipso, sicut modus cum re, cuius est modus, quod non est aliter verum, nisi quia

non est res distincta, sed rei modus. Ex quo infertur debere concedere compositionem realem in Deo, rei, & modi; quod divinæ simplicitati repugnat. Assumptum constat in exemplis adductis de essentia, & existentia, de materia, & privatione, de quantitate, & eius cum alia contactu. Et quidem, vt alibi ponderatur contra Durandum, cuius sententiam sequi fatentur, indignior est Deo distinctio modalis intra ipsum, quam distinctio entitativa; illa enim cadit à perfectione distinctionis entitativæ, non quia vera distinctio non sit, sed quia vnum ex extremis ad perfectionem entitatis non pervenit, & imbibit in suo conceptu imperfectionem modi: imò magis distinguitur modus, & res, quam duæ res cæteris paribus. Deindè reijcitur ferè omnibus argumentis, quibus tertium modum statim impugnabimus.

7 Contra eundem communiter objicitur Concilium Rhemense: vbi hæc habentur; *credimus, & confitemur nullas omninò res, sivè relationes, sivè proprietates, sivè singularitates, & alia huiusmodi adesse Deo, quæ sint æterna, & non sint Deus*; quæ non compatiuntur cum isto modo dicendi, qui admittit habitudinem liberam in Deo abæterno, quę non est Deus: & licèt concilium hoc confirmatum non sit, magnæ esse authoritatis omnes fatentur; ad quod sufficit fuisse sententiam S. Bernardi contra Gilbertum Porretanum.

Sed quidquid de hoc sit, ex dictis reijcitur error cuiusdam Calvinistæ relati à Becano cap. 11. de Voluntate Dei, quæst. 4. asserentis: volitionem liberam esse accidens, quod potuit adesse, & abesse à Deo: reijcitur, inquam, quia est certum secundum fidem, & rationem naturalem in Deo nullum posse esse accidens; quod demonstratur à D. Thoma supra quæst. 3. art. 5. An autem idem sit inconveniens adstruere in Deo modum superadditum realiter distinctum, vt videntur ponere Authores relati, ipsi viderint.

8 Hic tamen prætereire non possumus. P. Arriaga, disp. 28. sæpè asserere Caietanum docuisse actum liberum Dei esse aliquid realiter modaliter á Deo distinctum: sed Caietanum non vidit, qui nunquam tale docuit; sed solúm perfectionem liberam, seù extensivam potuisse à Deo deficere absque aliquo inconvenienti; quod valdè diversum est, & à pluribus Recentioribus defenditur, vt statim videbimus; potestque explicari Caietanus in diverso sensu, atque à Recentioribus defenditur, potuisse, scilicèt, deficere extensivam perfectionem, quoad extensionem, & terminationem, non verò quoad entitatem: de quo videndi sunt M. à S. Thoma, & Ildephonsus Michael vbi suprà.

§. II.

Reijcitur tertius modus dicendi.

9 TERTIUS Modus docet; volitionem liberam adæquatè identificari cum Deo, ita vt nihil includat creatum, aut á Deo aliquo modò realiter distinctum; potuisse tamen realiter deficere; neque incóveniens reputat formalitatem, seú realitatem increatam potuisse esse nihil. Illum tenet Fonseca, tomo 3. metaphisicæ lib. 7. cap. 8. quæst. 5. sect. 4. Salas, tomo 1. in 1. partem, quæst. 6. art. 3. disp. 1. sect. 8. §. 7. conclusione 5. pro quo referunt præfati Authores plures ex antiquis Marsilium, Alensem, Henricum, nostrum Herveum, & Silvestrum, quibus plures Recentiores addi possunt; qui tamen inter se divisi sunt; alij asserunt realitatem, seù formalitatem constitutivam decreti dicere perfectionem distinctam virtualiter à perfectione actus necessarij liberam, & potentem deficere Deo, sicut, & actus liber, qui existimant se Patronum habere Caietanum, qui tamen explicandus est vt supra. In hanc sententiam, quam vt propriam Caietani, variè censurarunt Authores, & mitiores vt improbabilem reijcierunt, inciderunt Recentiores, quia viderunt periclitari Scientiam Mediam argumento supra facto, quæ talis indolis est, vt sine detrimento, & defectibilitate perfectionis divinæ consistere nequeat: alij asserunt esse formalitatem virtualiter distinctam ab actu necessario, non tamen addere perfectionem etiam virtualiter distinctam à perfectione actus necessarij; sicut de relationibus divinis plures docent Thomistę addere entitatem virtualiter

liter ab essentia distinctam; non tamen perfectionem. Undé sicut in hac sententia, etiam si multiplicentur realiter entitates relativę, non tamen perfectiones: pariter isti asserunt posse deficere entitatem, seù realitatem; non tamen perfectionem.

10 Dicendum est primo: actus liber non addit ad actum necessarium perfectionem liberam, quæ à Deo potuerit deficere in ratione perfectionis. Oppositam sententiam variè, vt diximus, censurant Authores, post quos M.S.Thoma illam intolerabile absurdum appellat, & tale, quod nisi in tudissimam mentem venire potest. Probatur primo conclusio ex D. Thoma, quæst.23.de Veritate, art.4. vbi sic habet: *Respondeo dicendum, quod divinum velle necessitatem habere ex parte ipsius volenti, & actus, indubitabiliter verum est; nam actio Dei est eius essentia, quam constat esse æternam: vndè hoc in quæstione non ponitur; sed vtrum velle ipsum necessitatem habeat per comparationem ad volitum, quæ quidem comparatio intelligitur, cum dicimus Deum velle hoc, vel illud*: vbi apertè docet esse indubitabiliter verum, ex parte Dei quamlibet perfectionem esse necessariam, sicut ipsa divina essentia. Quod etiam docuit art.1. vbi cum sibi hoc argumentum obiecisset; *nihil quod se habet ad opposita, videtur Deo competere, cum talia sint generabilia, & corruptibilia, à quibus longè Deus removetur: sed voluntas se habet ad opposita; cum inter rationales potentias contineatur, quæ ad opposita se habent secundum Philosophum; ergo voluntas Deo non competit*; sic respondet: *Ad nonum dicendum, quod Deo non competit ad opposita se habere, quantum ad ea, quæ sunt in essentia eius, sed ad opposita se habet quantum ad effectus in creaturis, quos potest facere, & non facere.* Ex quibus clarè constat conclusio; si enim actus liber diceret perfectionem in essentia Dei defectibilem, voluntas eius se haberet ad oppositа quantum ad ea, quæ sunt in essentia eius; cum esset indifferens ad perfectionem actus, quo vult creare mundum, & ad oppositam perfectionem actus, quo potuit velle ipsum non creare.

11 Idem docuit 1. contra Gentes, cap.82. vbi cum sibi proposuisset argumentum supra positum, sic respondet: *Horum autem nullum necesse est sequi; ad vtrumlibet enim esse alicui virtuti potest conuenire dupliciter vnomodo ex parte sui, alio modo ex parte eius, ad quod dicitur: ex parte quidem sui, quando nondùm consequuta est suam perfectionem, per quam ad vnum determinetur: vndè hoc in imperfectionem virtutis redundat, & ostenditur esse potentialitas in ipsa.* Et paucis interpositis, sic ait: *Ex parte autem eius, ad quod dicitur, inuenitur aliqua virtus ad vtrumlibet esse, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, sed tamen vtrumque esse potest*; & concludit sic contingere in divina volantate. Ex quibus apertè constat divinam voluntatem ex parte sui non esse ad vtrumlibet, neque indifferentem ad habendam hanc, vel oppositam perfectionem, & optimam huius reddit rationem; quia, scilicèt, consequuta est suam perfectionem ex adhæsione ad proprium finem, qui est eius bonitas. Ex quo optimè intulit non esse in Deo potentiam ad vtrumlibet, neque indigere nova perfectione, vt ad vnum determinetur. Idem docuit in 1. ad Annibaldum, dist.45.quæst.vnica, artic.1. ad 3. & hoc art.3. ad 4. neque oppositum in mentem Angelicam cadere potuit.

12 Secundo probatur ratione á D.Thoma insinuata; volitio necessaria Dei ratione sui est infinite perfecta in ratione volitionis; ergo non potest esse indifferens, vt ei superaddatur perfectio in eodem genere potens ab ipsa deficere. Antecedens est certum; nam volitio necessaria ratione sui constituit voluntatem divinam in vltimo actu, & perfectissima coniunctione cũ proprio fine, nimirùm, cum bonitate diuina. Consequentia verò probatur; nam illud, cui potest superaddi perfectio in aliquo genere, non potest esse infinitum in illo genere; hoc enim exigit ratione sui continere omnem illius generis perfectionem. Cõfirmatur; volitio necessaria Dei adæquat in ratione volitionis bonitatem diuinam in ratione talis; ergo sicut bonitas Dei sine superadditione in ratione bonitatis potest in actu secundo movere ad amorem liberum creaturarum, potest volitio necessaria sine superadditione perfectionis in ratione volitionis extendi ad creaturas.

13 Tertio probatur; implicat perfectio identificata cum Deo dicens in suo conceptu imperfectionem: at perfectio defectibilis in suo conceptu claudit imperfectionem; ergo implicat cum Deo identificari. Minor probatur; nam perfectio defectibilis potest esse nihil; cum possit non esse: sed ex terminis est notum, id, quod potest esse nihil, dicere imperfectionem; ergo perfectio defectibilis admixta est im-

Per-

perfectione. Minor hęc, quæ ex ſe videtur evidens, explicatur ; nam id, quod poteſt eſſe nihil, non eſt infinitum ſimpliciter in ratione perfectionis ; ad lineam enim perfectionis attinet ita eſſe, vt non poſsit non eſſe : ſed quod non eſt infinitum ſimpliciter in linea perfectionis admiſcet imperfectionem ; ergo id, quod poteſt eſſe nihil, dicit imperfectionem. Secundo; id, quod poteſt eſſe nihil, eſt ſolùm in potentia obiectiva vt ſit, quatenus eſt ex ſe : ſed hoc claudit in ſuo conceptu imperfectionem ; ergo. Tertio; quidquid contingens eſt vt ſit, & non ſit, indiget alicuius dominio, & determinatione, vt ſit : ſed quidquid dominio alicuius ſubditur, imperfectionem claudit; ergo idem quod priùs. Confirmatur; creatura claudit imperfectionem, quia poteſt eſſe nihil; quia ex ſe ſolùm eſt in potentia obiectiva vt ſit : qua ratione eſt ex nihilo; quia ſubditur in eſſendo dominio Dei ; ergo ſi perfectio defectibilis omnia hæc habet, in ſuo conceptu dicit imperfectionem.

14 Dices, creaturam vltra hoc indigere alteriùs efficientia, vt ſit : hęc autem perfectio efficientia non indiget, neque alteriùs dominio ſubditur, cum ſolùm Deo ſubdatur, á quo non diſtinguitur. Sed contra eſt primo ; quia eſſe in potentia purè obiectiva infert exiſtentiam accidentaliter de illa prædicari, ab eiuſque eſſentia diſtingui, ſubditamque eſſe alicui ; ex quo efficientia indigere evidenter infertur; in creatura enim ex primo omnia hæc inferuntur; ergo implicat perfectionem defectibilem eſſe, & non factibilem ab aliquo. Secundo; quia ex terminis non minus imperfectio eſt eſſe in potentia purè obiectiva, alicui ſubdi, eſſeque quid contingens, quam effici; ergo omnia hæc debent relegari â perfectione identificata cum Deo ; atqueadeò perfectionem iſtam ab imperfectione liberare per hoc, quod identificetur cum Deo, eſt implicatoria coniungere ; ſicut ſi aliquis ob hanc rationem aſſereret poſſe dari creaturam ab omni imperfectione liberam, quia identificatur cum Deo.

15 Quarto probatur concluſio; quia ſi volitio creandi mundum eſſet perfectio defectibilis, Deus defacto eſſet perfectus perfectione, qua carere potuit : ſed hoc maximâ eſt imperfectio; non eſſet ſumme perfectus, neque ſibi perfectiſsimè ſufficiens ; ergo implicat actum liberum dicere perfectionem defectibilem. Quod intolerabilius apparet in Scientia Media, quam defendunt ; perfectio enim conſtituens Scientiam Mediam, eſt etiam defectibilis, & contingens, qua defacto Deus perficitur, & qua potuit carere, & non ex propria determinatione, ſed vel acaſu, vel ex alteriùs determinatione : dicere autem Deum defacto perfici perfectione, quæ potuit non dari, & cuius eſſe, vel non eſſe in eius dominio, & poteſtate non eſt, quis non videat eſſe maximam imperfectionem?

16 Confirmatur, & explicatur; nam in horum ſententia ſequitur in manu creaturæ exiſtere perficere ipſum Deum, & in eius eſſe poteſtate eum aliqua perfectione privare : Quod ſic probatur ; nam creatura in actu primo ad conſentiẽdum conſtituta, habet in ſua poteſtate facere, quod ſit, vel non ſit Scientia Media conſenſus, vt ipſi ferè vno ore fatentur ; quod tamen in manu Dei non eſſe, omnes affirmant : ſed eſſe Scientiam Mediam conſenſus, eſt Deum perfici perfectione conſtituente Scientiam Mediam, & non eſſe talem Scientiam eſt illius perfectione carere ; ergo in manu creaturæ eſt Deum eſſe perfectum aliqua perfectione, vel illa carere.

17 Recurrunt aliqui ad ſtatum conditionatum, á quo preciſsè dependet Scientia Media, non à ſtatu abſoluto : vndè nunquam eſt in poteſtate creaturæ Deum perfici, vel aliqua perfectione carere. Sed hoc effugium facilè præcluditur primo; quia ex hac ſolutione ſequitur, creaturam in ſtatu abſoluto non habere in ſua poteſtate Scientiam Mediam ; & conſequenter non exiſtente ſcientia conditionata conſenſus, homini non conſentienti deficit aliquod requiſitum ad conſenſum, quod acquirere non poteſt : hoc autem admiſſo non ſubſiſtunt principia Scientiæ Mediæ, vt alibi oſtendimus. Secundo; quia non minus, imò magis abſurdum apparet, creaturam non exiſtentem, ſed in ſtatu ſolùm conditionato poſſe facere, quod Deus ſit aliqua perfectione perfectus, vel quod illa careat, quã quod hoc præſtet creatura exiſtens : & eſt mirabile, quod hanc potentiam concedentes creaturæ, etiam non exiſtenti, non timent negare Deo poteſtatem ad faciendum quod creatura convertatur ; cum aſſerant non implicare hominem, quem Deus non poſsit convertere. Tertio ; quia etiam ſi in manu creaturæ exiſtẽtis non ſit Deum perficere, inconveniens non vitatur ; cum teneantur aſſerere acaſu, vel fortuito, & abſque alicuius diſpoſitione Deum perfici, vel per-

perfectione carere. Quod etiam argumentum in actu libero militat; suppositâ enim voluntate conditionata dandi gloriam perseverantibus, homo constitutus in actu primo potens perseverare, ipsa perseverantia facere potest, vt Deus perficiatur decreto conferendi absolute gloriam, & non perseverando potest facere, vt Deus careat talis decreti perfectione.

18 Dices secundo ad principale argumentum, decretum dicere perfectionem extensivam: non verò intensivam; quarum prima à secunda differt, quod prima est in se perfectio; non tamen perficit Deum: intensiva autem est, quæ in se perfectio est, & subiectum perficit; qua ratione creatura respectu Dei est perfectio extensiva, quia scilicèt, perfectionem dicit; non tamen Deum perficit.

Sed contra est; quia implicat esse perfectionem, & quod Deus non sit illa perfectus. Assumptum probatur primo; quia implicat esse entitatem, & Deum ab illa non accipere effectum formalem in genere entis; ergo implicat esse perfectionem, & Deum ab illa non accipere effectum formalem dicentem perfectionem. Secundo; quia volitio libera est formaliter perfectio, velle libere non potest non esse perfectio; ergo Deus libere volens non potest volitione non esse perfectus, sicut, & volens. Tertio; si relationes divinæ dicunt perfectionem, non potest Deus ab illis non esse, & denominari perfectus; ergo similiter. Quarto; quia si Deus volitione libera non perficeretur, quia incapax est, vt perficiatur perfectione, qua carere potest, eadem ratione esset impossibilis huiusmodi perfectio: & quidem si Deum esse volentem libere non est esse perfectum perfectione libera, non est ratio, quare volitio libera sit perfectio. Per quod constat latum esse discrimen inter exemplum adductum ex creatura, quę est omninò extrinseca Deo, & ad illum per modum effectus extrinseci comparatur: volitio autem libera est affectio Deo intrinseca, cum ipso identificata.

Tandem hac solutione non fit satis argumentis factis; semper enim instat esse perfectionem limitatam, & semper absurdum apparet perfectionem increatam existere ex arbitrio voluntatis; quorum primum amplius vrgetur; esse in potentia subiectiva ad perfectionem, imperfectionem involuit: sed imperfectius est esse in pura potentia obiectiva; ergo huiusmodi libera perfectio, quę ex se est in pura potentia obiectiva, imperfectionem involuit. Minor sic patet; nam existens in potentia subiectiva aliquam dicit perfectionem; retinet enim entitatem capacem vlterioris perfectionis, quod aliqua perfectio est: at existens solùm in potentia obiectiva omnibus caret, cum ad propriam entitatem sit in potentia; ergo.

19 Secundo dicendum est, quod actus liber non cõstituitur per formalitatẽ, seù realitatem intrinsecam potentem à Deo deficere, & non dicentem ratione sui perfectionem. Hæc conclusio probatur; quia implicat entitas, seù realitas non dicens ratione sui perfectionem; ergo implicat cõstitui per formalitatem defectibilem, non dicentem ratione sui perfectionem. Assumptum probatur primo; quia quælibet realitas ratione sui opponitur nihilo; ergo ratione sui est perfectio. Secundo; quia formalitas illa ratione sui exigit identificari cum Deo; sed exigere identitatem cum Deo non potest non esse perfectio; ergo ratione sui dicit perfectionem. Minor probatur; tùm, quia huiusmodi exigentia præponderat omni perfectioni creatæ. Tùm, quia esse subiective realitatem talis conditionis, & naturæ, vt petat esse perfectum realiter, & entitative perfectione divina per identitatem, non potest non esse perfectio.

20 Confirmatur primo; illa entitas, quæ exigit formaliter, & ratione sui terminum, seù formam perfectiorem, cæteris paribus, perfectior est; quapropter si daretur substantia supernaturalis exigens ratione sui dona supernaturalia, perfectior esset omni substantia creabili hac exigentia carente; ergo exigere perfectionem non potest non esse perfectio. Confirmatur secundo; capacitas in natura, vt perficiatur per personalitatem Verbi sibi hypostaticè vnitam, non potest non dicere in tali natura perfectionem, & exigentia huiusmodi vnionis tanta est perfectio, vt nulli creaturæ competere possit: sed intimius vnitur, & perficitur formalitas hæc divina perfectione, quam quælibet creatura per vnionem hypostaticam; cum illa per identitatem perficiatur; hæc autem non per identitatem cum personalitate, sed per vnionem realem cum illa; ergo hæc exigentia ratione sui non potest non dicere maximam perfectionem.

21 Confirmatur tertio; hæc for-

mas-

malitas vt talis est amabilis à Deo, & vnus actus liber prælio eligibilis, & defacto vnus prælio eligitur à Deo; ergo ratione sui dicit perfectionem, supra quam omnis amabilitas fundatur. Confirmatur quarto; formalitas hæc, seù libera terminatio reduplicative vt talis est moraliter bona, & digna infinitæ laudis; sed hoc verum esse non potest, si non diceret ratione sui perfectionem; ergo ratione sui illam dicit. Maior inde constat; quia in Deo dantur erga creaturas virtutes morales misericordiæ, iustitiæ, liberalitatis, &c. quarum actus sunt liberi constituti per formalitatem hanc defectibilem. Minor verò ex terminis videtur nota. Confirmatur quinto; huic formalitati repugnat formaliter ratione sui malitia peccati, dependentia à causa efficienti, & omnis imperfectio, tàm phisica, quàm moralis; sed entitas, cui ratione sui omnis imperfectio repugnat, non potest non esse ratione sui maxima perfectio; ergo huiusmodi est prædicta formalitas.

22 Sed licèt hæc difficilia sint, non omninò convincunt; habentque manifestam instantiam in relationibus divinis: & ad primum dici potest, ex eo, quod ratione sui opponatur nihilo, non inferri ratione sui dicere perfectionem, vt contingit in relationibus divinis; solum enim infertur vnum è duobus, vel dicere perfectionem, vel illam identificare, & secundum de hac formalitate verificatur. Ad secundum neganda est minor, quàm non convincunt probationes; ad primam dici potest, quod vt præponderet omni perfectioni creatæ, sufficit identificare perfectionem increatam. Per quod constat etiam ad secundam.

23 Ad primam confirmationem responderi potest; quod increatis exigentia potest esse respectu perfectionis realiter distinctæ, vel solùm per rationem; prima non potest non esse perfectio; quia est entitas, de cuius ratione est identificare perfectionem: at non perfectionem, cuius est exigentia, & qua realiter distinguitur; & consequenter aliam. De secunda verò residente in formalitate respectu perfectionis distinctæ solùm per rationem, posset nõ improbabiliter dici non esse necessario perfectionem ratione sui, sed solùm identicè: sic in denominationibus intrinsecis, quæ deficere possunt sine intrinseca mutatione, præcisè ex defectu connotati philosophandum videtur. Vel secundo dici potest formalitatem creatam necessario dicere ratione sui perfectionem: ex quo non infertur, quod terminatio libera divina, seù divina relatio illam dicat ratione sui: disparitas inter vtrumque in eo stat, quod entitas creata non supponitur summè perfecta ante formalitatem secum identificatam, & ab ipsa per rationem distinctam, illamque requirit, vt debita sibi perfectione compleatur; vndè nulla potest non esse ratione sui perfectio: at relatio divina supponit Deum summè perfectum; ac proindè non superaddit ratione sui perfectionem, sed est purè perfectibilis perfectione absoluta: & similiter terminatio libera supponit Deum vltima perfectione completum in linea volendi per volitionem necessariam; vndè nullam superaddit perfectionem, sed est purè perfectibilis.

24 Per quod constat, qua ratione in creatis natura capax, aut exigens maiorem perfectionem realiter distinctam, magis perfecta sit cæteris paribus; quia, scilicèt, hæc exigentia fundatur supra entitatem, quæ ex se perfectionem dicit, & eo maiorem, quo capax est, vt magis perficiatur, perfectioque exigentiæ crescit ad incrementum perfectionis, quia exigentia, & perfectio sunt eiusdem ordinis. Constat etiam ad secundam confirmationem, qualiter capacitas ad vnionem hypostaticam dicat in natura realiter distincta perfectionem: quare autem exigentia illius in natura creata repugnet, non est huius loci. Ad tertiam dicatur esse eligibilem, & amabilem ratione bonitatis divinæ necessariæ; sicut relatio divina ratione essentiæ; & similiter dicendum est ad quartam. Ad vltimam respondetur ad omnia illa sufficere talem formalitatem esse perfectam identicè perfectione necessaria.

25 Quare his in sua probabilitate relictis, probanda est conclusio ex Divo Thoma locis supra adductis: ex quibus sicut infertur implicare perfectionem in Deo realiter defectibilem, etiam infertur implicare formalitatem, quæ possit non esse, daretur enim contingentia, nedum ex parte effectus, verum etiam ex parte voluntatis diuinę, quod repugnat divinæ perfectioni, vt ibi docet D. Thomas. Secundo probatur ex dictis, & primo

hæc formalitas non poteſt non dicere poſitivam imperfectionem ; eſſet enim ex ſe in pura potentia obiectiva ; quod poſitivam dicere imperfectionem ſupra oſtendimus. Secundo; dari formalitatem in Deo, cuius exiſtentia ſit contingens, & quę Deo in exiſtendo non ſubdatur, ſed potiús voluntati creatæ, aut caſui, & fortunæ, maxima imperfectio eſt, vt iam vidimus ; quod tamen de hac formalitate affirmandum eſſe conſtat. Tertiò; formalitas contingens, ſi detur, nequit non habere eſſe per realem productionem ; hac enim ratione creatura vt ſit, indiget ab alio produci : ex quo rurſus infertur realiter diſtinguendam eſſe à Deo. Quarto ; nam quodlibet prædicatum vel eſt à ſe, vel ab alio : ſi à ſe, neceſſario exiſtit, & per eſſentiam, ſi ab alio, ab illo accipit eſſe contingens, quod niſi per realem productionem, & cauſalitatem ſtare non poteſt : vndè PP. contra Arrianos deducebant Filium Dei non fuiſſe libere productum; quia, ſcilicèt, contingenter exiſteret; atqueadeò non eſſet Deus : è contra verò hæretici concedebant Filium, quia libere productum, non eſſe Deum, à quo omnis contingentia releganda : ex quo apparet tàm Catholicos, quàm hæreticos conveniſſe tanquàm in veritate notiſsima, in eo, quod nihil contingens poteſt eſſe Deus.

26 Tertio probatur; quia ſequitur ex oppoſita ſententia potuiſſe non exiſtere eundem Deum, atque modo eſt. Quod ſic oſtenditur ; modo Deus habet ſecum identificatum prædicatum reale, nimirúm, volitionem mundi, quod non identificaret, ſi noluiſſet mundum producere, ſed potiùs identificaret oppoſitum ; ergo eſſet in illa hypotheſi alius Deus. Conſequentia probatur ; nam Deus modo identificans vnum prædicatum eſt realiter illud, & identificans in alia hypotheſi oppoſitum, eſt realiter oppoſitum ; ergo diverſus ; non enim poteſt intelligi entitatem identificare realiter vnum prædicatum, & poſteà aliud diſtinctum, ſine alietate reali entitativa ; ſicut non poteſt corpus, v. g. tranſire de nigro in album, ſine alietate reali accidentali.

27 Neque ſufficit reſpondere volitionem creandi mundum, & nolitionem eiuſdem non diſtingui realiter. Non, inquam, ſufficit; quia eſto Deus non diſtinguatur realiter à nolitione mundi, eo quod licèt defacto Deus non ſit nolitio mundi, quę non extat; poteſt tamen eſſe huiuſmodi nolitio, vt aſſerunt, in caſu, in quo Deus nollet mundum producere ; at illa, quæ non identificantur, neque poſſunt identificari, non poſſunt non diſtingui realiter : ſed actus illi, neque identificantur; cum defacto vnus ſit altero non exiſtente : neque poſſunt identificari; cum nequeant ſimul exiſtere ; ergo realiter diſtinguuntur.

28 Neque iterùm inſtari poteſt in Myſterio Trinitatis; nam Deus ſemper eſt Pater, ſemper Filius, ſemper & neceſſario Spiritus Sanctus : vndè ſemper eſt idem Deus, & de Filio verificatur eſſe eundem Deum, ac Pater; quia eſt Deus, qui eſt Pater; quod in noſtro caſu non contingit, & defacto volitio mundi eſt Deus, qui non eſt nolitio, & in hypotheſi nolitionis, Deus eſſet nolitio, qui non eſſet volitio. Tandem vt alia omittamus, quamvis in Myſterio Trinitatis propter virtualem diſtinctionem de eadem entitate verificentur prædicata contradictoria, non tamen dicentia imperfectionem; qualiter dicere nolitionem, & volitionem contingentem oſtendimus.

29 Contra has concluſiones eſt ratio dubitandi dubio antecedenti propoſita, & ſtatim ſolvenda : ſpecialiter tamen militant aliqua ſolutione digna. Primo ergo arguitur contra primam concluſionem; inter actus liberos Dei datur affectus gaudij; vt enim ex Chriſto Domino didicimus, Deus gaudet ſuper vno peccatore pœnitẽtiam agente, gaudet etiam in meritis iuſtorum ; ſed gaudium ratione ſui dicit perfectionem; ergo & actus liber ; & conſequenter cum ipſe poſsit deficere, poteſt etiam deficere illius perfectio. Minor probatur; gaudium ratione ſui excludit triſtitiam, dicitque formaliter tendentiam, ſeù quietem iucundam, & delectabilem in obiecto: ſed iucunditas, & delectatio dicit formaliter perfectionem ; ergo & gaudium; quapropter, vt Deus nulla perfectione careret, concedunt in ipſo Theologi gaudium de ſeipſo. Confirmatur ; Deus non minus gaudet de pœnitentia, & meritis iuſtorum, quam homo de divitijs, & honoribus adeptis; ſed gaudium humanum formaliter, & ratione ſui dicit perfectionem ; ergo pariter gaudium liberum Dei.

30 Secundo ; ſi Deus circa productionem mundi careret volitione, & nolitione, eſſet imperfectus; ergo volitio, & nolitio mũdi dicunt aliquam perfectionẽ.

Con-

Consequentia probatur; quia nihil potest reddi imperfectum, nisi per carentiam illius, quod ratione sui perfectio est. Tertio; Deo est necessarium habere aliquem actum liberum; ipsi enim repugnat pura omissio, vt infra dicemus; ergo habere aliquem actum liberum, perfectio aliqua est. Consequentia probatur; nam quod Deo necessarium est, non potest non esse ratione sui formaliter bonum; est enim Deo eligibilius aliquem actum habere, quam nullum; primum enim est necessarium, & secundum impossibile: id autem, quod eligibilius est, bonum est.

31 Quarto, volitio libera, vt talis est actus secundus, & vitalis in actu secundo, pondus, & affectus in obiectum: similiter cognitio libera est expressio formalis, & clarissima in actu secundo attingens obiectum contingens, determinans intellectum diuinum ad illius cognitionem: sed omnia hæc ex se, & formaliter perfectionem afferunt; ergo, & actus liber vt talis. Minor præterquàm quod ex se nota videtur, probatur paritate volitionis necessariæ, quæ ratione sui est formaliter perfectio, quia actus secundus est, & vitalis affectusque in obiectum; & similiter paritate cognitionis necessariæ, quæ ratione sui est formaliter perfectio, quia est expressio formalis, & clarissima, determinans intellectum diuinum ad obiecti cognitionem.

32 Quinto; cognitio comprehensiva perfectior est quidditativa, & hæc perfectior abstractiva; ergo ex terminis notum videtur cognoscere obiectum ex se, & formaliter esse perfectionem formaliter, & eo maiorem, quo cognitio magis clara, & comprehensiva est; ergo cognitio comprehensiva obiecti contingentis, vt talis perfectior est; & consequenter cum proùt sic sit libera, vt libera formaliter est perfectio. Quæ omnia confirmantur; quia Deus non potest eligere cognitionem minus claram obiecti contingentis relicta clariori, quia maior claritas est maior illius perfectio, & consequenter claritas perfectio est: at cognitio libera vt talis claritatem dicit; proùt sic enim est cognitio obiecti contingentis; ergo proùt sic dicit perfectionem: hac ratione cognitio obscura positivam dicit imperfectionem Deo repugnantem, nimirùm, quia claritas est perfectio cognitionis.

33 Propter hoc argumentum aliqui Recentiores docuerunt actum liberum supra necessarium solùm addere exercitiũ purè physicum libertatis diuinæ Deo intrinsecum; non verò tendentiam vitalem, seù intentionalem ad obiectum: quod explicatur exemplo actionis creaturæ producentis actum liberum, quę in illorum sententia non est volitio, sed vnio quasi physica voluntatis creatæ cum volitione: quo argumento facto satis fieri putant.

34 Hi tamen reijciendi sunt, quia non soluunt argumenta facta; illud enim exercitium physicum est formalitas potens à Deo deficere; quod esse impossibile, etiam si non dicat perfectionem, secundæ conclusione probauimus. Secundo; nam tale exercitium est vitale in actu secundo, de quo explicandum est, qualiter non dicat formaliter perfectionem. Tertio; quia Deum velle libere creaturas pertinet formaliter ad volitionem; atqueadeò non potest non importare tendentiam formalem, & intentionalem, non purè physicam, qualis est productio exterior. Quod clariùs cernitur in cognitione contingentium, maximè in horum sententia, iuxta quam scientia visionis non est causa rerum; Deus enim verè cognoscit futura, & de illorum existentia iudicat; quod non esse purum exercitium physicum, manifestum est. Quod si omnia hæc ad metaphoricum sensum torqueantur, neque admittant Deum propriè amare creaturas, vt Scriptura significat, incidunt in inconvenientia suprà ponderata contra sententiam Aureoli: præterquàm quod admisso in Deo exercitio physico, intrinseco, contingenti, & vitali, nullum est inconveniens admittere intentionalem tendentiam, vt considerantì constabit.

35 Respondetur ergo ad primum admittendo in Deo gaudium liberum dicens perfectionem, non tamen distinctam à perfectione gaudij necessarij; non enim addit iucunditatem, aut delectationem, sed solùm extensionem illius, & terminationem ad creaturas; neque admittimus aliud gaudium à necessario, sine quo Deus non esset omninò perfectus, sed eiusdem gaudij extensionem. Ad secundum dicendum, esse maximam disparitatem inter gaudium creatum, & increatum ea ratione, qua extenditur ad creaturas: hoc enim ex summa perfectione extenditur, & vt suam bonitatem creaturis

communicet, non quia illis aliquo modò indigeat: in gaudio autem creato oppositum contingit; quia ex se creatura non est summe beata, sed alijs indiget, in quorum possessione delectatur, & quorum iucunditate perficitur. Ad tertium concedendum est antecedens, & neganda consequentia; vel distinguatur antecedens, esset imperfectio arguitive, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens, & consequentiam: ad cuius probationem, distinguendum est antecedens eodem modo; & argumentum manifestè instatur in relatione divina.

36 Ad quartum, distinguendum est antecedens; est necessarium ratione indifferentię, & libertatis ad actus, seù terminationes oppositas, concedo antecedens, ratione alicuius prædicati superadditi, negandum est antecedens, & distinguendum est consequens eodem modo. Ad illius probationem, admisso, quod quidquid est Deo necessarium, sit illius perfectio, solùm infertur esse perfectionem posse actum necessarium extendi ad creaturas: itaque aliquis actus liber vage est necessarius; non quia addat aliquid necessarium, sed quia in Deo est necessaria libertas ad oppositos actus; sicut mihi constituto in actu primo ad libere operandum, necessarium est habere aliquod liberum exercitium vage, non quia aliquid præter indifferentiam sit mihi necessarium, sed quia indifferentia non potest esse sine aliquo ex illis. Ad quintum concessa maiori, distinguo minorem, afferunt perfectionem distinctam adhúc virtualiter à perfectione actus necessarij, nego minorem, indistinctam, concedo minorem, & nego consequentiam; actus ergo liber est ipse actus necessarius cum extensione ad creaturas; atqueadeò dicit perfectionem non distinctam, sed eandem extensam ad creaturas. Ex quibus constat ad confirmationem.

§. III.

Proponitur quartus modus dicendi.

37 ALIJS Omissis communis modus constituendi decretum inter Thomistas, vt videre est in Salmanticensibus, Albelda, M. à S. Thoma, & M. Ildephonso Michael, & alijs ab his relatis, asserit, quod actus liber est ipse actus necessarius, vt libere immutans obiecta ad fore, vel non fore, qui Deo potuit deficere, non quoad intrinseca, sed præcisè quoad connotatū, ex cuius deficientia deficit intrinseca denominatio: connotatum verò est immutatio creaturæ quoad fore, vel non fore. Quod probant ex D. Thoma locis supra adductis; ex quibus constat voluntatem divinam non esse indifferentem passive ad habendam, vel non habendam perfectionem volitionis, vel nolitionis: sed volitionem necessariam esse indifferentem purè active, scilicèt, vt communicet suam bonitatem creaturis; habet ergo voluntas divina omnem perfectionem, & actualitatem amoris, & odij, vt prędicatum sibi essentiale: non tamen habet omnes has denominationes respectu eiusdem obiecti, sed denominatur volens hanc creaturam, quatenus immutat illam, ipsam transferendo de statu possibilitatis ad statum futuritionis, & denominatur nolens illam, quatenus eam transfert de statu possibilitatis ad non futuritionem.

38 In hoc modo dicendi aliqua mihi non omninò placent, nisi ampliùs explicentur. Et in primis, quamvis intrinseca denominatio deficere possit ex defectu connotati sine defectu realitatis intrinsicæ; non assignatur in decreto sufficiens connotatum, quo posito sit decretum, & quo ablato deficiat denominatio libere volentis. Quod sic ostenditur; connotatum est immutatio passiva creaturæ: sed adhúc hac nō existente, existit decretū cū hoc aeterno sit, & immutatio passiva in tēpore;

etc.

ergo non assignatur sufficiens connotatum decreti. Si autem cum Recentioribus dicas, connotatum esse immutationem vt futuram, quæ vt talis est abæterno. Contra est; quia esse futuram abæterno, nihil aliud est, vt tractatu præcedenti ostendimus, quam Deum decernere abæterno eius existentiam, quod à decreto non distinguitur; ergo non assignatur connotatum à decreto distinctum. Si iterùm dicas esse immutationem vt futuram in esse obiectivo. Contra est; quia hoc esse obiectivum, si distinguitur à decreto, est purè possibile, non existens abæterno, sed in tempore incipiens; ergo non datur abæterno connotatum decreti. Quod vlteriùs explicatur; abæterno nihil est nisi decretum, quod præsupponit creaturam possibilem, & infert eius existentiam in tempore: at connotatum non est creatura possibilis; aliàs decretum necessario existeret: neque est creatura in tempore incipiens; aliàs decretum non esset abæterno; ergo non assignatur sufficiens connotatum decreti.

39 Confirmatur in decretis conditionatis, quibus assignari non potest connotatum: quod sic ostenditur; obiectum præcisive à decreto non est sufficiens connotatum; prout sic enim est possibile, & necessario possibile; atqueadeó si prout sic esset connotatum, decretum necessario existeret: neque est connotatum, vt conditionatè futurum; hoc enim habet per extrinsecam denominationem desumptam à decreto; atqueadeò decretum esset connotatum sui ipsius. Si verò dicas, quod immutatio creaturæ, non quę est, neque purè possibilis, sed quę esset, si purificaretur conditio, est connotatum. Contra est; quia hæc immutatio solum distinguitur à seipsa vt possibili, quia esset: sed hoc habet formaliter à decreto defacto existenti; ergo nihil à decreto distinctum pro connotato assignatur.

40 Secundo; quia si immutatio, quæ esset, & non est, neque est absolutè futura, sufficit vt defacto sit connotatum, sufficiet etiam, vt determinet scientiam divinam ad cognitionem illius obiecti; si enim nihil defacto existens est sufficiens connotatum, vt existat actus liber, quare non erit sufficiens determinatio obiectiva, vt sit scientia Dei? Atqueadeó præcisivè á decreto defacto existenti erit in obiecto conditionato sufficiens determinatio, vt terminet scientiam divinam, quę non potest non esse Scientia Media. Vel aliter; si connotatum, quod non est, sed esset, est sufficiens ad decretum defacto existens; ergo determinatio, quæ non est, sed esset, sufficit ad scientiam talis obiecti. Quod si asseratur, obiectum, quod non est, sed esset, esse defacto connotatum. Contra est; quia id, quod non est, sed esset, poterit defacto esse determinatio. Tandem hoc ipsum explicatur; obiectum decreti conditionati est ex se indifferens ad veritatem, & falsitatem: quapropter ex se non habet sufficientem determinationem, vt Deus sciat potiùs fore, quam non fore illius; ergo ex se non est potiùs connotatum volitionis liberæ, quam nolitionis; & consequenter decretum conditionatum existit absque proprio connotato.

41 Contra hoc tamen est argumentum: conditionatum defacto est obiectum decreti, quamvis non sit, sed esset: sed in ratione obiecti est connotatum; ergo defacto est connotatum. Sed hoc argumentum etiam probare videtur, quod licet conditionatum nihil sit, potest defacto esse obiectum scientiæ præcisive á decreto. Respondetur ergo omissa maiori, negando minorem; esse enim defacto obiectum decreti, solum addit extrinsecam denominationem á decreto desumptam: connotatum autem decreti nequit illud includere.

42 Secundo mihi difficilè est, quod esto denominatio intrinseca possit deficere ad deficientiam soliùs connotati, possit deficere denominatio volentis libere creaturam, ex defectu immutationis exterioris, quocumque modo hæc summatur; nam connotatum hoc infertur infallibiliter, & à priori, non ex actu necessario secundum se, sed ex ipso, vt determinante Deum libere volentem; ergo priùs est Deum esse libere volentem, quam connotatum; & eadem ratione priùs est Deum libere nolle existere creaturam, quam immutatio illius ad non fore; ergo denominatio volentis non existit ad positionem connotati, neque deficit ad illius deficientiam, sed potiùs connotatum deficit, quia deficit intrinseca denominatio; quod in exemplis, quæ adduci solent, non contingit.

43 Confirmatur primo ; connotatum infertur à priori ex eo, quod Deus libere vult, quod est adæquatè denominatio intrinseca; ergo connotatum deficere non potest, nisi priùs deficiat denominatio libere volentis. Inquiro ergo, quid pro illo priori deficit, vt deficiat denominatio? Non connotatum, cuius deficientia ex defectu denominationis tanquàm à causa est ; aliquid ergo à connotato distinctum intelligitur deficere, vt intelligatur deficere denominationem ; & consequenter aliquid intrinsecum Deo. Confirmatur secundo; ex defectu connotati deficit in Deo exercitium volendi creaturam, quod intrinsecum est, vt affirmant Recentiores ; ergo deficit aliquid intrinsecum Deo; & consequenter non salvant indefectibilitatem prædicatorum Dei.

44 Confirmatur tertio ; actus necessarius, vt immutans creaturas, est actus liber, quo Deus libere vult. Inquirimus ergo an immutatio dicat immutationem passivam, & exteriorem, vel activam Deo intrinsecam ? si passivam ; ergo actus liber saltim inadæquatè constituitur per aliquid extrinsecum, nimirùm, per extrinsecam immutationem : si activam, & intrinsecam Deo; vel hæc potest deficere, & tunc aliquid intrinsecum Deo deficiet; vel immutatio hæc est necessaria, sicut & ipse actus necessarius ; & tunc actus necessarius vt immutans erit, etiam necessarius, non liber.

45 Tandem ex hoc modo dicendi inferri videtur, Deum non cognoscere in decreto futura; nam iuxta illum nihil datur in Deo intrinsecum connexum cum futuro; quidquid enim Deo intrinsecum est est omni ò indefectibile : quidquid autem est indefectibile, est indifferens, & coniungibile cum futuro, & illius carentia ; ergo nihil datur, vi cuius Deus possit cognoscere in seipso futura. Vlteriùs ; vel decretum quoad intrinseca constitutum connectitur cum futuro, vel non ? Si non connectitur; ergo in ipso nequit cognosci futurum, iuxta communia principia ; si connectitur, cum hæc connexio deficere possit, aliquid Deo intrinsecum non est indefectibile. Si dicatur, quod actus necessarius, vt immutans, & denominans Deum libere volentem est medium, vt cognoscantur contingentia, quia proùt sic connectitur cum creaturis. Contra est ; quia actus necessarius vt immutans, & denominans libere volentem dicit connexionem cum creatura; qua careret, si non denominaret: sed hæc connexio est intrinseca; aliàs intrinseca Dei non essent sufficientia, vt in ipsis cognoscerentur futura : insuper est defectibilis, cum actus necessarius possit non denominare Deum libere volentem ; ergo aliquid intrinsecum Deo potuit deficere, vel in ipso non est sufficiens medium, vt cognoscantur futura.

46 Sed quia vlteriùs recurritur ad deficientiam quoad denominationem, & non quoad realitatem; instandum est, quia si connexio deficit solùm quoad denominationem, etiam denominatione deficiente, erit medium sufficiens, in quo Deus cognoscat futura ; cum maneat connexio ratione cuius decretum est medium : si verò dicatur ipsam denominationem esse id, ratione cuius connexio decreti est medium ; obstat, quod denominatio erit ipsa connexio; quapropter denominatione deficiente, deficit connexio; & consequenter prædicatum Deo intrinsecum.

47 Tandem, effectus formalis libere volentis est ipsa denominatio ; hæc enim non est aliquid fictum, sed reale indistinctum ab effectu formali ; ergo si denominatio intrinseca deficit, deficit effectus formalis intrinsecus. Vel aliter; denominatio intrinseca non est rationis, sed aliquid reale cum Deo identificatum : sed potest deficere denominatio ; ergo aliquid reale. Sed quia hic modus arguendi patitur instantiam in alijs intrinsecis denominationibus; instandum est in eo, quod debet dari aliquid intrinsecum à priori inferens futurum, & in quo possit cognosci, quod in alijs denominationibus non contingit. Quæ contra hanc doctrinam obijci possunt, commodiùs adducentur, explicato modo nostro dicendi.

§. IV.

§. IV.

Proponitur, & explicatur noſtra ſententia.

48 ALIOS Modos dicendi conſulto omittimus, quia ex dictis facilè á quovis reijci poſſunt: ſolùm reſtat id, quod nobis minus diſplicet, magiſque Deo dignum videtur, explicare. Ex dictis manifeſtum eſt actum liberum adæquatè conſtitui per aliquid intrinſecum Deo. Deindè conſtat nullam perfectionem, realitatem, aut formalitatem potuiſſe Deo deficere, atque adeò nulla proùt ſic poteſt actum liberum conſtituere; quod ex D. Thoma evidenter convincitur, & ratione demonſtratur; volitio enim divina eſt infinita in genere entis, & in genere volitionis, redditq; Deum volentem formaliter obiecta cum debita proportione, videlicèt, neceſſario obiecta neceſſaria, & libere obiecta libera, & contingentia, & in hoc conſiſtit huius conſtitutionis eminentia, quod volitio divina ratione ſuę infinitatis ſit veluti forma, quæ licèt ſecundum ſuam entitatem, realitatem, & perfectionem ſit intrinſeca identificata cum Deo, & Deus ipſe, atqueadeò indefectibilis; nihilominùs illa Deus ſeipſum neceſſario velit, creaturas autem libere, modoque Deus non vult exiſtere alterum mundum, quin ipſi deficiat realitas, entitas, aut perfectio, quam haberet, ſi illum vellet exiſtere. Ex dictis etiam conſtat Deũ non eſſe indifferentem ad volitionem, & illius carentiam; cum enim identificet omnem perfectionem in linea volitionis ipſique indefectibilis ſit, non poteſt eius indifferentia, & libertas explicari per indifferentiam ad volitionem, & eius carentiam, ſed ad hanc volitionem, & illam, ſeù per terminationem eiuſdem volitionis ad hæc, vel illa obiecta, ad fore, vel non fore creaturæ.

49 Quibus poſitis ſit noſtra concluſio: Actus liber addit ad volitionem neceſſariam, ad eius entitatem, & perfectionem, intrinſecam terminationem, ſeù intrinſecam extenſionem eiuſdem volitionis ad creaturas, quæ formalitatem, realitatem, aut perfectionem non addit; atqueadeò terminatio hæc indefectibilis quoad realitatem, perfectionem, & entitatem, quamvis deficere poſsit quoad terminationem. In hoc ſenſu explicat Illuſtriſsimus Godoy ſententiam communem Thomiſtarum, iuxta quam explicandus eſt Caietanus dicens, actum liberum dicere perfectionem extenſivam defectibilem, nõ quoad realitatem, & perfectionem, ſed quoad terminationem; & ſimiliter Capreolus, & Ferrara. M. Serra, & alij, qui docent actum liberum conſtitui per aliquid rationis; debent enim intelligi de ente rationis pro fundamento, quod eſt terminatio intrinſeca à nobis aſsignata: ſic etiam interpretandi ſunt Thomiſtæ, §. antecedenti adducti; defectus enim denominationis, & non entitatis eſt defectus terminationis abſque defectu realitatis, aut perfectionis, quem etiam videntur ſequi cum P. Suarez omnes aſſerentes conſtitui adæquatè per aliquid intrinſecum abſque defectibilitate realitatis.

50 Concluſio ergo noſtra ſatis probabiliter deducitur ex Div. Thoma 1. contra Gentes, cap. 82. in fine, vbi ſic habet: *Voluntas namque ſua vno, & eodem actu vult ſe, & alia à ſe: ſed habitudo eius ad ſe eſt neceſſaria, & naturalis: habitudo autem ad alia eſt ſecundum conveniențiam quandam, non quidem neceſſaria, & naturalis, neque violenta, aut innaturalis, ſed voluntaria*; ergo actus liber addit intrinſecam habitudinem liberam ad obiecta libere volita; atqueadeò quamvis Deus eodem actu velit ſe, & alia à ſe, habitudo eius ad alia eſt libera, quam nos terminationem vocamus. Neque huic obſtat, quod habitudo in Deo ad creaturas non poteſt non eſſe aliquid rationis; ex quo colligunt aliqui per aliquid rationis, iuxta D. Thomam, actum liberum conſtitui: non, inquam, obſtat; nam vt optimè expendit Illuſtriſsimus Godoy, vocatur à Div. Thoma habitudo, quia ad modum habitudinis concipitur, non quia verè habitudo ſit: quod colligit; quia etiam hoc nomine appellat habitudinem voluntatis divinę ad propriam bonitatem, de qua dici non poteſt eſſe aliquid rationis, ſeù veram habitudinem; neque in mentem D. Thomæ potuit cadere Deum conſtitui volentem libere, aut neceſſariò per aliquid rationis.

51 Secundo probatur concluſio; quia per huiuſmodi actus liberi conſtitutionem omnia vitantur inconvenientia contra alios modos dicendi adducta, & ſalvatur quidquid ad libertatem divinam requiritur; ergo ſic debet conſtitui. Antecedens probatur; in primis ſalvatur Deum cum proprietate velle creaturas; quod vbi proximè demonſtravit Divus Thomas, & ſalvari non poteſt in ſententia conſtituente actum liberum inadæquatè per creaturam. Ratio huius eſt; nam vt volitio Dei neceſſaria ſit volitio creaturarum, non eſt neceſſarium illi ſuperaddere volitionem, aut realitatem, ſed eadem cum nova terminatione ad hoc eſt ſufficiens, vt ſtatim expendemus: explicarique poteſt per extenſionem habitus ſcientifici ad novam concluſionem, quamvis paritas non teneat quoad omnia; non enim eſt neceſſarium novum addere habitum, ſed eiuſdem extenſionem, & terminationem; & in plurium ſententia neceſſarium non eſt ſuperaddere modum realiter diſtinctum, vt habitus præexiſtens reddat facilem intellectum ad aſſenſum novæ concluſionis.

52 Inſuper ſalvatur non poſſe deficere realitatem, aut perfectionem, quamvis hæc terminatio deficere poſsit. Quod etiam explicari poteſt in exemplo adducto; & in præſenti ſpecialiter deducitur ex ipſa natura volitionis divinæ, quæ propter ſuam ſummam actualitatem, abſque nova perfectione extendi poteſt ad creaturas; hæc enim extenſio ſolùm eſt explicatio perfectionis in ordine ad illas, quatenus voluntas divina ſummè perfecta ſe determinat ad communicandum bonitatem creaturis: quæ determinatio, vt notavit Ferrara ex Div. Thoma vbi ſupra, potentiam paſsivam non ſupponit, ſed activam, & indeterminationem per modum agentis liberi ſe habentis ad vtrumlibet ex parte eius, ad quod dicitur; non enim eſt indifferentia, quia ex parte ſui voluntas non eſt conſequuta ſuam perfectionem, per quam ad vnum determinatur; ſicut contingit in voluntate creata; quæ indifferens eſt ad hunc, & illum actum, quia potentialis eſt, & nondum conſequuta ſuam perfectionem; eſt ergo indifferentia ex parte volitorum, quatenus ſummè perfecta eſt, vt illa excedat; quod non ad in- perfectionem, ſed ad eius en[illegible] pertinet, quod, vt diximus, [illegible] eo, quod divina bonitas, qua[illegible] tiſsime vult voluntas divina, [illegible] ſe indiget, & perfectiſsime v[illegible] priam bonitatem perfectiſsima exiſtit; quapropter abſque ſuperadditione perfectionis, aut realitatis, ad eſſe, vel non eſſe creaturarum terminati poteſt.

53 Inſuper ſalvatur Deum intelligi libere volentem creaturam pro priori ad illam; cum enim pro priori intelligatur actus neceſſarius, & eius intrinſeca terminatio ad creaturam, intelligitur quidquid requiritur, vt pro illo priori intelligatur Deus libere volens creaturam; quod tamen in modo dicendi §. antecedenti adducto non rectè ſalvatur; cum pro priori ad creaturam non intelligatur, niſi actus neceſſarius indifferens, vt ſit volitio, aut nolitio creaturarum. Inſuper rectè intelligitur non eſſe in Deo defacto effectum formalem intrinſecum volendi libere alterum mundum; quia, ſcilicèt, quamvis non deficiat actus neceſſarius; deficit tamen intrinſeca eius terminatio ad exiſtentiam alterius mundi, quod ſine intrinſeca ſaltim terminatione noſtra intelligi non poteſt: cum enim velle alterum mundum ſit effectus adæquatè intrinſecus, deficere non poteſt ſine defectu alicuius intrinſeci, ſaltim quoad intrinſecam activam terminationem. Quod ſi velle alterum mundum quoad omnia intrinſeca defacto datur in Deo, Deus defacto erit volens alterum mundum. Tandem in actu neceſſario ſuperaddita intrinſeca terminatione ad creaturam, aſsignatur ſufficiens medium ad cognoſcendum futurum; actus enim neceſſarius ratione intrinſecæ terminationis cum illo connectitur.

§. VI.

§. Vltimus.

Solvuntur argumenta.

54 EX His iam constat ad rationem dubitandi dubio antecedenti adductam: dicendum est enim actum liberum esse adæquatè intrinsecum; ex quo non deducitur, vel quod Deus necessario velit creaturas, vel potuisse deficere aliquam entitatem in Deo: non primum; quia terminatio intrinseca ad creaturas, ratione cuius actus necessarius Deum constituit libere volentem, potuit deficere. Neque secundum; quia hæc terminatio potest deficere sine defectu entitatis, aut perfectionis, eo quod non affert perfectionem, aut entitatem virtualiter distinctam à perfectione actus necessarij; supponit enim divinam volitionem infinite perfectam in linea entis, & in linea volitionis; neque illa indiget Deus, vt perfecta sit eius volitio, sed ex summa perfectione præsuppositа in actu necessario, nascitur per terminationem divinam extendi ad creaturas, illasque sibi quoad esse, & non esse subijcere.

55 Contra hoc tamen obstant difficilia argumenta. Primo arguitur ex Divi Thoma vbi suprà, qui sæpè docet voluntatem divinam esse indifferentem ex parte obiectorum, non ex parte sui, vt inde á Deo omnem contingentiam removeat: sed iuxta nostram resolutionem est etiam indifferens ex parte sui, neque à Deo omnis excluditur contingentia; ergo contra Div. Thomam, & necessitatem prędicatorum Dei, terminationem hanc intrinsecam adstruimus. Minor pro prima parte probatur; nam Deus esset indifferens ad hanc terminationem intrinsecam, & ad oppositam; ergo non solùm ex parte obiectorum, sed ex parte sui esset indifferens. Quoad secundam etiam probatur; nam hæc terminatio est prædicatum divinum Deo intrinsecum: sed hæc est contingens; cum potuerit non esse; ergo in prædicatis divinis admittimus contingentiam.

56 Respondetur, negando minorem, ad probationem pro prima parte, distinguendum est antecedens, esset indifferens ad terminationem intrinsecam, quoad entitatem, & perfectionem, nego antecedens, quoad terminationem cum omnimoda necessitate in ordine ad entitatem, & perfectionem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem secundæ, concessa maiori, distinguenda est minor, potuit non esse quoad perfectionem, & entitatem, nego minorem, quoad terminationem, concedo minorem, & neganda est consequentia: dicimus ergo, quod indifferentia ad terminationem cõponitur cum omnimoda necessitate entitatis, & perfectionis: vndè non est indifferentia ex parte Dei, sed ex parte obiectorum, quæ simplicitèr sunt contingentia ad esse, & non esse: ex quo etiam salvatur nullum prædicatum divinum esse contingens; nam cum nullius præcati divini entitas, aut perfectio potuerit non esse, nullum est contingens.

57 Sed contra hoc obstat primo; si actus liber potuit deficere quoad terminationem, & non quoad entitatem, seú perfectionem, sequitur huiusmodi terminationem esse purum ens rationis; ergo vel potuit deficere quoad entitatem hæc terminario, vel est purum ens rationis. Sequela probatur; implicat deficere aliquid reale, non deficiente aliqua entitate, modo, aut formalitate reali; nam idem est aliquid reale, ac ens reale, vt comprehendit modum, aut formalitatem realem: vndè intelligere defectibilitatem alicuius realis, non intellecta defectibilitate alicuius entitatis realis est chimæra, & purum figmentum rationis: sicut intelligere hominem esse defectibilem, & animal rationale indefectibile; ergo quod est defectibile sine defectu entitatis realis, modi, vel formalitatis, est formaliter ens rationis.

58 Secundo; terminatio libera est entitas formaliter, vel saltim implicat illam tanquàm superius ipsam transcendens: sed implicat deficere rationem inferiorem non deficiente superiori; ergo implicat deficere terminationem non deficiente entitate. Maior certa videtur; conceptus enim entitatis omnia transcendit, modos, formalitates, & res. Minor etiam non minus certa videtur; nam deficiente homine, v.g. implicat non deficere omnia prædicata superiora; quod etiam contingit in alijs entitatibus;

bus, modis, & formalitatibus: quod etiam in prædicatis divinis verum est; quia enim paternitas deficit Filio, deficit ipsi entitas imbibita per transcendentiam in conceptu paternitatis; & sicut verum est, quod Filio deficit paternitas, etiam est verum ipsi deficere entitatem relativam: & similiter si paternitas dicit perfectionem virtualiter distinctam à perfectione essentiæ, sicut dicit entitatem, necessario fatendum est perfectionem paternitatis deficere Filio.

59 Respondetur ad primum, quo vtuntur docti Recentiores, primo illud instando in eorum sententia, iuxta quam potest deficere denominatio libere volentis intrinseca: inquiro ergo, vel ipsa deficiente deficit aliquid reale, vel non? Si deficit, datur in Deo reale prędicatum, seù entitas defectibilis, quod non concedunt: si deficiente denominatione, nihil reale deficit; ergo intrinseca denominatio libere volentis non est aliquid reale, sed purum ens rationis; & cum denominatio non sit aliud, quam Deum libere velle, hoc erit purum ens rationis, constitueturque actus liber per aliquid rationis. Vel instetur in effectu formali libere volentis mundum; v. g. qui adæquatè intrinsecus est, & qui deficere potest; aliàs Deus necessario vellet producere mundum: vel ergo ipso deficiente, deficit aliquid reale, vel non? Si deficit; ergo datur prædicatum defectibile in Deo: si non deficit; ergo effectus ille formalis est purum ens rationis, & Deum velle libere producere mundum erit quid fictum.

60 Deindè respondetur, negando sequelam, ad probationem concedimus deficiente aliquo reali, deficere entitatem, modum, vel formalitatem: ex quo solum sequitur, quod eo modo quo verum est deficere aliquid reale, verum est deficere entitatem realem: cæterum ex defectu terminationis non infertur defectus alicuius realis simpliciter, sed solum secundum quid; & consequenter solum infertur deficere entitatem deficientia solum secundum quid, & quoad terminationem: imò ipsa terminatio non deficit simpliciter, sed solum secundum quid; & ratio est: nam id, cuius entitas, & perfectio perseverat, non deficit simpliciter, neque transit in nihil; cum ergo entitas terminationis, & eius perfectio perseveret, ipsa terminatio non deficit simpliciter, neque transit in nihil, sed deficit solum quoad munus, perseverante adæquatè tota eius entitate, & perfectione.

61 Secundum etiam instatur in intrinseca denominatione, quæ est aliquid reale, & non purum ens rationis; & consequenter imbibit tanquam prædicatum sibi transcendens entitatem realem: & tamen deficit intrinseca denominatio sine defectu entitatis, quia, scilicèt, deficientia denominationis non est deficientia simpliciter, sed secundum quid, & quoad munus terminationis ad creaturas, perseverante eius perfectione: & similiter effectus formalis libere volentis alterum mundum deficit; aliás in Deo defacto esset huiusmodi effectus formalis, & consequenter Deus vellet alterum mundum: & tamen sine defectu realitatis, aut entitatis, quę in effectu formali reali imbibitur tanquàm prædicatum transcendens.

62 Deindè respondetur omissa maiori, distinguendo minorem, si ratio, sivè transcendens, sine distinctione etiam virtuali eadem sit in alio, quod permaneat, illudque transcendat, nego minorem, aliàs, concedo minorem, & nego consequentiã; itaque ratio entitatis trancendens terminationem, eâdem sine distinctione virtuali transcendit etiam actum necessarium: quapropter deficiente terminatione modo dicto, non necessario deficit entitas, quia permanet inclusa in actu necessario; sicut quia eâdem perfectio clauditur in Paternitate, & in Filiatione, non sequitur quod si Filio deficit Paternitas, etiam deficiat eius perfectio: quod in aliquorum Thomistarum sententia nobis in hac parte Adversantium verum est, etiam si perfectio Paternitatis sit formaliter relativa, & clausa in conceptu relationis, vt prædicatum relativum transcendens Paternitatem per modum prædicati superioris; aliqui enim hoc admisso negant multiplicari perfectionem.

63 Sed pro pleniori intelligentia nostræ sententiæ advertendum est, prædicatum transcendens non posse non multiplicari multiplicatis inferioribus formaliter, aut virtualiter iuxta inferiorum multiplicationem, nisi ratio sic transcendens infinita sit; hæc enim propter sui eminentiam permittit aliquando non multiplicari, etiam multiplicatis inferioribus; non tamen semper: vndè multiplicatis realiter relationibus, multiplicatur entitas realiter; multiplicatis virtualiter attributis multiplicatur virtualiter entitas: & tamen multiplicatis virtualiter terminationibus in actu

voluntatis divinæ penes neceſſarium, & liberum, non multiplicatur etiam virtualiter entitas tranſcendens vtramque terminationem. Ratio autem diſcriminis eſt, quia Paternitas,& filiatio opponuntur realiter, quod ſine realitatum diſtinctione nõ poteſt eſſe: attributa verò etiam ratione ſui dicunt perfectionem; ſine illis enim non eſſet omninò perfecta natura divina, quia quamvis ratione ſui dicat omnem perfectionem radicaliter, non tamen formaliter,& conſtitutive; atqueadeò attributa ratione ſui afferunt perfectionem: at terminatio libera ad creaturas quamvis identificata cum Deo, ratione ſui perfectionem, aut entitatem non affert,quia ſupponit volitionem divinam in genere entis, & in genere volitionis omninò perfectam, etiam formaliter, & conſtitutive, vt diximus, ſolumque eſt extenſio actus neceſſarij ad creaturas, ſine qua eſſet ęquè perfectus: imò,vt poſsit terminari ad creaturas, debet ſupponi ſummè formaliter perfectus ex obiecto primario.

64 Sed dices primo; ex dictis ſequitur non implicare Paternitatem, & filiationem dicere perfectionem relativam virtualiter diſtinctam à perfectione eſſentię, & tamen perfectionem relativam non multiplicari realiter: conſequens eſt falſum; ergo illud, ex quo ſequitur. Sequela probatur; ſtat multiplicari inferiora abſque multiplicatione rationis tranſcendentis, ſi ratio tranſcendens ſit infinita; ergo non implicat relationem dicere perfectionem relativam virtualiter diſtinctam à perfectione eſſentiæ, & hanc in perſonis non multiplicari realiter. Falſitas autem conſequentis probatur; nam ſi hoc ex terminis non implicat, non eſt ratio quare Paternitas non dicat perfectionem relativam: potiſsimum enim fundamentum ad hoc probandum eſt ab inconvenienti, quod, ſcilicèt, aliqua perfectio deficeret Filio: ſed admiſſo rationem ſuperiorem infinitam non multiplicari multiplicatis inferioribus, nulla perfectio deficeret Filio, cum multiplicatis relationibus poſſet perfectio non multiplicari; ergo conſequens in ſequela adductum falſum eſt. Secundo; ſi hæc terminatio diſtinguitur virtualiter ab actu neceſſario, non poteſt non eſſe aliqua formalitas, aliqua realitas, vel aliqua entitas diſtincta virtualiter ab actu neceſſario; vel ſi hoc non admittitur, nihil erit; ergo ipſa deficiente,non poteſt non deficere entitas, realitas, aut formalitas; malè ergo dicimus terminationem deficere nihil horum deficiente.

65 Confirmatur primo; terminatio hæc proùt virtualiter diſtincta ab actu neceſſario eſt formaliter entitas: ſed non poteſt non eſſe entitas virtualiter diſtincta ab entitate actus neceſſarij; ergo dicit entitatem virtualiter diſtinctam. Minor probatur; ſi non eſſet entitas virtualiter diſtincta, proùt diſtincta virtualiter ab omni eo, à quo virtualiter diſtinguitur, nihil eſſet: ſed hoc dici non poteſt; eſſet enim conſtituere actum liberum per purum nihil; ergo non poteſt non eſſe entitas virtualiter diſtincta ab entitate actus neceſſarij. Maior probatur; diſtinguitur virtualiter ab entitate actus neceſſarij: ſed proùt ſic diſtincta nihil eſt; cum proút ſic non dicat entitatem actus neceſſarij, neque aliam virtualiter diſtinctam; ergo proùt diſtincta virtualiter ab entitate actus neceſſarij, nihil eſt. Maior probatur; eo diſtinguitur virtualiter ab actu neceſſario, quia deficit illo non deficiente: ſed deficit non deficiente entitate actus neceſſarij; ergo ab illa virtualiter diſtinguitur.

66 Confirmatur ſecundo,implicat aliquid à propria entitate virtualiter diſtingui; ſicut implicat diſtingui à propria eſſentia,& natura. Inſuper quodlibet prędicatum cum alio identificatum proùt ab illo diſtinguitur virtualiter, vel per rationem, aliquid debet eſſe; aliàs non poſſet identificari cum prædicato reali; ergo implicat,quod hæc terminatio vt diſtincta ab actu neceſſario non afferat propriam entitatem. Tandem,vt diſtincta virtualiter ab actu neceſſario exigit identificari cum illo: ſed hæc exigentia, quæ ſubiectivè talis eſt, non poteſt non eſſe formalitas aliqua entitas, imò aliqua perfectio; ergo idem quod priùs.

67 Reſpondetur ad primum, non eſſe improbabile, vt ſuprà diximus ex aliquibus Thomiſtis, relationes dicere perfectionem formaliter,& ipſam non multiplicari, quamvis entitas multiplicetur;quia inter Patrem,& Filium eſt oppoſitio in entitate, non verò in perfectione: ſed hoc omiſſo reſpondetur, negando ſequelam. Ad probationem diſtinguendum eſt antecedens, ſi inferiora diſtinguantur,vel multiplicentur realiter, vel virtualiter adæquatè tanquàm formalitates eiuſdem entitatis, nego antecedens, ſi ſolùm virtualiter in-

adæquatè tanquàm formalitas, & eius munus, vel ſicut entitas, & eius explicatio, ſeú extenſio, concedo antecedens, & nego cõſequentiam: terminatio enim libera non diſtinguitur ab actu neceſſario tanquàm formalitas ab eo diſtincta, ſed ſicut eius explicatio, & extenſio; eadem enim formalitas actus neceſſarij propter ſui eminẽtiam, & perfectionem poteſt extendi ad creaturas, non vt perficiatur, ſed quia ſummè perfecta eſt; quæ extenſio ab illo virtualiter diſtinguitur, quia poteſt deficere illo non deficiente, in quo eius eminentia, & perfectio conſiſtit, vt diximus; quando ergo inferiora ſic multiplicantur, ratio tranſcendens infinita poteſt eſſe eadem virtualiter; quod in relationibus, & attributis non contingit.

68 Huius aliquale exemplum extat in qualitate; de eſſentia enim albedinis eſt conſtituere album: vt autem albedo magis album conſtituat, non eſt neceſſarium ſuperaddere albedinem, ſed prꝫexiſtens ſine nova entitate albedinis poteſt in perfectiorem effectum ſe explicare; ad quod, in aliquorum ſententia, diſtincta realitas neceſſaria non eſt, & in omni omnium Thomiſtarum opinione non eſt neceſſaria nova, & diſtincta albedo, licèt ſit neceſſarius modus realiter diſtinctus in veriori ſententia: ſicut ergo iuxta hanc doctrinam album, & album vt quatuor; v. g. eandem numero albedinem dicunt ſine multiplicatione, & etiam virtuali in plures albedines, & primus effectus dicit ſubſtantiam albedinis; ſecundus autem non novam, ſed eandem albedinem cum nova explicatione, quꝫ poteſt deficere non deficiente albedine; ſic ſimiliter Deum amare ſe, & amare creaturas, eandem dicunt entitatem, & perfectionem actus neceſſarij ſine virtuali multiplicatione entitatis, aut perfectionis; primuſque effectus dicit ſubſtantiam, entitatem, & perfectionem actus neceſſarij; ſecundus autem non novam entitatem, aut perfectionem, ſed eandem cum nova explicatione, quæ deficere poteſt ſine defectu entitatis.

69 Eſt tamen advertenda differentia; quod in albedine album vt quatuor licèt non addat albedinem, aut entitatem, ſeù modum realiter diſtinctum in aliquorum ſententia; addit tamen perfectionem virtualiter diſtinctam; album enim vt quatuor magis perfectum eſt, quam album vt duo, vel album ſecundum ſe; quod licèt cum difficultate explicetur ab his authoribus, vtcumque ſuſtineri poteſt; quia inconveniens non eſt albedinem, ſeú eius effectum formalem, vtpotè finitum, & limitatum habere perfectionem, qua poteſt carere, quamvis hoc cum identitate perfectionis componere valdè difficilè ſit: in Deo autem non ita; nam Deum velle ſe, & creaturas, non eſt perfectius, quàm velle ſe, propter ſæpè dicta; eius enim actus perfectio in eo ſita eſt, quod ſine ſuperadditione perfectionis, aut entitatis poſsit ſe extendere ad creaturas, & hac extenſione carere. Si verò, vt verior tenet opinio, album vt quatuor addat modum intenſionis realiter diſtinctum, paritas in eo ſtat, quod ſicut album, & album vt quatuor dicit eandem albedinem, ſic Deum velle ſe, & velle creaturas eandem entitatem actus neceſſarij; & ſicut album vt quatuor poteſt deficere ſine defectu albedinis, pariter velle creaturas ſine defectu actus neceſſarij: ſtat autem diſparitas in eo, quod album vt quatuor addit perfectionem ad album ſecundum ſe; atqueadeò licèt poſsit deficere ſine defectu albedinis, non tamen ſine defectu alicuius perfectionis: ex quo naſcitur ſecunda differentia, ſcilicèt, quod album vt quatuor addit realitatem diſtinctam ad album ſecundum ſe; cuius oppoſitum in actu libero contingit.

70 Et ex his ad ſecundum negandum eſt antecedens; neque ex eo, quod non ſit entitas, aut formalitas virtualiter diſtincta, ſequitur eſſe nihil; eſt enim eadem formalitas, & entitas cum nova explicatione, quod aliquid eſt virtualiter diſtinctum, non per modum formalitatis, aut entitatis, ſed per modum explicationis eiuſdem entitatis. Ad primam confirmationem, nego minorem, ad eius probationem nego maiorem, & ad eius probationem maior eſt diſtinguenda, diſtinguitur virtualiter per modum formalitatis, aut entitatis, nego maiorem, tanquàm explicatio, & extenſio eiuſdem, quæ deficere poteſt formalitate non deficiente, concedo maiorem, & neganda eſt minor. Ad ſecundam diſtinguo antecedens, implicat à propria entitate virtualiter diſtingui tanquàm entitas in ratione entitatis, & formalitatis virtualiter diſtinctæ, concedo antecedens; tanquàm extenſio, & explicatio eiuſdem, nego antecedens, & conſequentiam: & ad id, quod ſubiungitur, diſtinguendum eſt etiam antecedens, debet eſſe aliquid affe-

rens

rens novam entitatem, nego antecedens, vel afferens novam entitatem, vel eandem cum nova explicatione, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad vltimam dicendum, exigentiam identificationis non arguere novam entitatem, ſed eiuſdem extenſionem, ſeú explicationem.

71 Hoc ipſum alio exemplo placuit explicare: conceptus differentialis naturæ ſubſtantialis indiviſibilis eſt, & idē per ordinem ad eſſe dicitur eſſentia, & per ordinem ad operationem dicitur natura, ita vt licèt diſtincta munia explicentur non tamen diſtinctæ formalitates, ſed eiuſdem duo officia; ſic in actu neceſſario, & libero aſſerendum eſt: & ſicut ſi per impoſsibile deficeret conceptus, ſeú munus naturę non deficiente formalitate eſſentiæ, eâdem formalitas perſeveraret ſub alio munere; ſic ſimiliter in noſtro caſu: cæterùm, quia vtrumque munus eſt eſſentiale in conceptu differentiali ſubſtantię, neutrū poteſt deficere formalitate permanente cuius oppoſitū in actu libero videre eſt.

72 Et licèt hæc exempla non omninò explicent difficultatem in re difficilima, & quæ in hac vita plenè aſſequi non poteſt, nobis ſufficere debent. Præterea, quia ferè omnia argumenta, quæ contra nos militant, æquè probant in intrinſeca denominatione, ſeú effectu formali libere volentis, qui poteſt deficere, non ſolùm quoad connotatum, ſed quoad aliquid intrinſecum, ſine defectu entitatis; ſi enim non deficeret effectus formalis libere volentis alterum mundum, defacto Deus vellet exiſtere alterum mundum; & conſequenter defacto daretur: eſſe verò actum liberum adęquatè intrinſecum videtur evidens ex dictis dubio antecedenti; ſicut, & quod nulla formalitas Deo intrinſeca poteſt deficere.

73 Tandem arguitur; terminatio hæc eſt id, quo Deus conſtituitur libere volens creaturas; ergo non poteſt ratione ſui non dicere perfectionem diſtinctam à perfectione actus neceſſarij. Conſequentia hæc probatur primo; quia id, quo voluntas reducitur ad actum ſecundum volendi, perfectio eſt; vtpotè actus ſecundus; ergo ſi hac terminatione reducitur ad actum ſecundum volendi creaturas, erit actus, & conſequenter perfectio diſtincta: ſicut enim actu neceſſario reducitur ad actum ſecundum amandi ſe; ita hac terminatione ad actum ſecundum amandi creaturas. Secundo probatur conſequentia; quia eo ipſo quod terminatione conſtituatur volens creaturas, illa conſtituitur vivens; velle enim creaturas eſt formaliſsime vivere; ſed vivere dicit formaliter perfectionem; ergo & hęc terminatio. Tertio, & explicatur hoc ipſum; vivere dicit formaliter perfectionem: ſed terminatio addit vivere in actu ſecundo, cum addat velle creaturas, quod formaliſsimè eſt vivere; ergo addit perfectionem.

74 Quarto terminatio hæc eſt formaliter creaturarum cauſa; ergo ratione ſui addit perfectionem. Conſequentia videtur nota; Deus enim cauſat creaturas ratione continentiæ, quæ non poteſt non dicere perfectionem; ergo ſi terminatio eſt cauſa, formaliter dicit perfectionem. Antecedens etiam videtur certum; Deus enim cauſat creaturas, quia vult libere illas; ergo id, quo conſtituitur libere volens, eſt creaturarum cauſa. Quod ſi dicatur terminationem eſſe cauſalitatem, non cauſam. Cōtra eſt; quia etiam cauſalitas, ſeù actio formaliter dicit perfectionem, & aliqualem continentiam effectus; quod pręcipuè verum eſt in actione divina, quæ ſimul eſt principium, & actio.

75 Reſpondetur, diſtinguendo maiorē, eſt quo conſtituitur volens per modum actus ſecundi, ſeú per modum volitionis, nego antecedens, per modum extenſionis volitionis, ſeú actus ſecundi, concedo antecedens, & nego conſequentiam: ad huius primam probationem diſtinguo antecedens eodem modō, id, quo reducitur ad actum ſecundum quoad ſubſtātiam actus eſt perfectio, concedo antecedens, quo reducitur per modum extenſionis actus ſecundi, ſeú volitionis, ſubdiſtinguo, eſt perfectio diſtincta à perfectione actus neceſſarij, nego antecedens, indiſtincta, concedo antedens, & nego conſeq. diſparitas autem inter terminationem volitionis divinæ ad bonitatem Dei, & terminationem ad creaturas ex dictis liquet; prima enim eſt ſubſtantia actus, & volitionis, ſine qua non ſubſiſteret: terminatio verò ad creaturas eſt ſolùm explicatio, qua Deus non indiget, ſed ſolùm creatura vt ſit. Ad ſecundam probationem diſtinguo maiorem, ſi conſtituatur volens tanquàm per actum ſecundum, ſeù volitionem, admitto

maiorem; si solùm per modum extensionis, nego maiorem, & ad probationem subiunctam dicendum est, velle creaturas esse formalissimè vivere vita necessaria Dei cum nova extensione ad creaturas, quæ extensio non est vita distincta à vita actus necessarij.

76 Per quod constat ad tertiam probationem; concessa enim maiori, distinguenda est minor, addit vivere quoad extensionem, concedo minorem, quoad substantiam, nego minorem, & consequẽtiam; sicut suprà diximus de gaudio, seù complacentia in creaturis, quod non est distinctum à necessario, sed eiusdem extensio. Quod argumentum manifestè instatur in intrinseca denominatione, & effectu formali libere volentis: lucemque accipit solutio exemplo suprà adducto de albedine. Ad quartam, quæ eandem patitur instantiam, distinguo antecedens, est causa ratione actus necessarij, concedo antecedens, ratione sui, subdistinguo illud, est causa per modum influentis, nego antecedens, per modum determinantis actum influentem, concedo antecedens, & nego consequentiam; voluntas ergo divina continet creaturas ratione actus necessarij: terminatio autem continentiam non addit, sed quandam quasi determinationem causę continentis. Discrimen autem inter hanc terminationem, & actionem creaturæ est manifestum; actio enim creaturæ est actus secundus, sine quo in linea causæ creatura vltimam perfectionem non habet: secus autem comparatur hæc terminatio ad voluntatem divinam; supponit enim illam completam, & perfectam vltima actualitate, neque illa indiget, vt perficiatur, sed vt creatura producatur: vndè non est cum proprietate causa, sed eius terminatio; qua etiam ratione, etiam si vltimum sit, perfectio ratione sui non est.

77 Ex dictis infertur primo: hanc terminationem, quamvis deficere possit, non dicere imperfectionem; quia cum tota eius entitas, & perfectio maneat, non potest in nihilum transire; hoc enim denotat defitionem entitatis: ex quo etiam fit non deficere simpliciter eadem ratione. Infertur secundo, quod si Deo deficeret terminatio constituens actum liberum volendi mundum, vt potuit, non aliter se haberet, atque modo; hoc enim absolutè significat alletatem in entitate, vel formalitate: esset tamen verum, quod aliter se haberet quoad terminationem, quæ est alietas secundum quid, quæ immutabilitati divinæ, aut alteri attributo non opponitur; ex quo etiam infertur de actu necessario verificari potuisse deficere quoad aliquam eius terminationem.

78 Tertio infertur; esto in creaturis quodlibet prædicatum, aut munus entitatis ipsi adveniens, sivè virtualiter, sivè realiter distinctum, novam afferat perfectionem, aliter in Deo dicendum est: disparitas autem in eo consistit; quod entitas creata, vtpotè limitata, ex se non habet omnem perfectionem, omnibusque prædicatis ad illam consequutis indiget ad sui complementum, & actualitatem: in Deo verò terminatio ad creaturas supponit ipsum in omni linea summè perfectum.

79 Quarto colligitur, quod licèt, ad explicandam sententiam nostram aliquando simus vsi doctrina communi Thomistarum asserentium multoties deficere etiam in creatis intrinsecam denominationem ex defectu præcisè extrinseci connotati conformius ad dicta, & veritatem, & nè etiam in creaturis mysterium actus liberi concedere videamur, intelligenda est sententia communis cum distinctione: quando enim deficiente denominatione deficit perfectio intrinseca effectus formalis, non potest non deficere entitas, & realitas; non enim est intelligibile deficere intrinsecam perfectionem sine defectu intrinsicæ entitatis: quod contingere existimamus in albo vt quatuor; v.g. Si enim remitatur albedo, non ita intrinsicè perfecta censetur: vndè deficit perfectio intrinseca, & entitas. Ex quo etiam fit album vt quatuor addere entitatem, seú modum realiter distinctum; est enim impossibile deficere perfectionem, seù entitatem cum alia identificatam, extremo identificationis manente; aliàs posset idem à seipso separari, quæ omnia præcipuè increatis manifestam involvunt contradictionem. Quando autem intrinseca denominatio deficit sine defectu perfectionis intrinsecæ, potest etiam deficere sine defectu entitatis; qualiter contingere arbitramur in denominatione Patris respectu secundi filij.

80 Neque huic obstat, quod intrinseca de-

denominatio est aliquid reale identificatum cum effectu formali intrinseco; atque adeò non videtur posse deficere sine defectu entitatis intrinsecæ, ratione modo facta, scilicèt, quia idem posset à seipso separari; quod omninò impossibile est. Non, inquam, obstat; quia hoc concretum, seù denominatio vnum significat in recto, & alterum in obliquo, conceptusque, cui subordinatur in recto, dicit solùm paternitatem, & in obliquo existentiam secundi filij: vndè vt verificetur de aliquo esse patrem secundi filij, duo requiruntur, & paternitas, & existentia secundi filij; quapropter hoc secundo deficiente sine defectu primi deficit denominatio: nec propter hoc desinit esse intrinseca; ad hoc enim sufficit, quod paternitas in recto significata intrinseca sit, quamvis id, quod in obliquo importatur intrinsecum, sit extrinsecum; in quo sensu intrinsecam denominationem deficere ex defectu connotati non arguit defectum prædicati intrinseci: vndè quando dicitur, quod intrinseca denominatio est aliquid reale identificatum cũ effectu formali intrinseco, distinguendum est, & concedendum de identitate quantum ad id, quod denominatio dicit in recto, & negandum quantum ad id, quod dicit in obliquo. Ex quo non sequitur, quod denominatione deficiente deficiat aliqua realitas intrinseca: ex quo etiam apparet differentia inter hanc denominationem, & denominationem libere volentis in Deo; hæc enim ita adæquatè est intrinseca, vt pro priori ad connotatum intelligatur, & sit, & à qua connotatum à priori inferatur.

81 Tandem pro complemento inquires, quomodò potest componi terminationem volitionis, vel scientiæ liberæ Dei posse deficere absque imperfectione, & non potest absque imperfectione componi, quod producatur? Non enim maius inconveniens apparet in vno, quam in altero: præcipuè, quia supra ex defectibilitate entitatis, seù formalitatis inferebamus esse producibilem: si autem semel admittamus posse volitionem, seù scientiam liberam à voluntate, seù intellectu creato produci, poterit creatura velle, aut intelligere per volitionem, & intellectionem increatam.

82 Respondetur disparitatem in eo stare; posse deficere modo explicato est ipsa perfectio actus necessarij, vi cuius potest Deus sibi subijcere creaturam quoad esse, & non esse, in quo nulla apparet imperfectio, sed subiectio creaturæ ad Deum; præcipuè cum maneat tota entitas actus; at verò produci per causalitatem est Deo, & terminationi repugnans; quia denotat subiectionem producti à producente; & insuper, quia productio tendit ad entitatem, & esse; & cum entitas divina produci à creatura non possit, sicut neque deficere; neque etiam terminatio produci potest. Alia potest huius assignari ratio, scilicèt, quod terminatio non potest procedere, nisi à quo procedit actus, cuius est terminatio; cumque actus solùm procedat à voluntate divina virtualiter, ab illa solùm, & eodem modo potest procedere terminatio; sicut modus libertatis in actu creato, non nisi à voluntate, à qua procedit actus, procedere potest: & similiter modus intensionis actus voluntatis, & intellectus non potest ab alio procedere, quam ab intellectu, & voluntate. Addendum est, quod etiamsi per impossibile terminatio ab intellectu creato procedere posset, dummodò entitas actus divini ab illo non procedat, non posset intellectus creatus per intellectionem divinam intelligere; quia terminatio intellectio non est, sed eius explicatio, quæ effectum formalem intelligendi præstare non potest, nisi intellectui, qui supponatur intelligens per substantiam intellectionis, cuius est explicatio: ad eum modum, quo si per impossibile intensio albedinis communicaretur parieti sine albedine, ipsum non constitueret magis album, quia effectus iste supponit essentialiter albedinem, & eius effectum formalem, & hæc de hoc dubio applicanda litteræ Magistri in 1. dist. 43. & 47.

DVBIVM IV.

Vtrùm voluntas divina potuerit manere suspensa?

§. I.

Aliqua supponuntur, & referuntur sententiæ.

1 SVPPONIMVS Dari in Deo voluntatem, quæ exerceri valet per volitionem, & nolitionem positivam erga idem obiectum, contra aliquos Recentiores asserentes implicare in Deo actum positivum odij, nolitionis, aut fugę, ducti ex eo, quod omnes affectus divini moventur ex divina bonitate, quæ non potest esse ratio formalis nolendi, seù odio habendi, sed tantum volendi, & amandi: vndè quantumvis possit velle existentiam Petri; v.g. & velle carentiam illius; non tamen potest illam nolle per actum fugæ. Sed facilè probatur suppositum destruendo fundamentum Recentiorum; Deus enim potest moveri ad nolendum existentiam creaturæ ex propria bonitate: quod sic probatur; si enim aliquid obstaret, esset, quia exindè inferretur Deum magis nolle suam bonitatem, quam creaturam, quia propter quod vnumque tale, & illud magis; quod est oppositum fundamentum: hoc autem est nullum; ergo potest Deus ad nolendum existentiam creaturæ moveri ex propria bonitate. Minor constat; quia nolle esse Petrum propter divinam bonitatem: non est nolle esse divinam bonitatem; sicut neque velle non esse Petrum propter divinam bonitatem est velle non esse divinam bonitatem, sed potiùs quia divina bonitas sine Petro consistere potest. Tùm etiam; quia odio habere peccatum propter divinam bonitatem non est odium divinæ bonitatis; sicut neque infirmus fugiens cibum nocivum propter amatam sanitatem, fugit sanitatem: sed potiùs ex amore divinæ bonitatis oritur odiũ peccati propter illam, quod est illius amor saltim virtualis; sicut odium cibi nocibi oritur ex amore sanitatis, quod est amor saltim virtualis sanitatis. Idem in intellectu videre est; dissentiri enim propositioni hæreticæ propter divinam revelationem non est dissentiri divinæ revelationi, sed potiús illi virtualiter assentiri.

2 Quod ergo inquirimus est, an possit Deus exercere suam libertatem erga existentiam Petri; v. g. per omissionem actus, non quoad entitatem, hæc enim deficere non potest, vt iam vidimus, sed per eius omissionem quoad terminationem positivam liberam? Quod dubium etiam procedere potest in sententia non admittente in nobis puram omissionem, sicut à pluribus Thomistis docetur 1.2. quæst. 6. & 71. nam hi Authores iuxta principia D. Thomæ tenentur concedere omissionem liberam, quæ sit exercitium volũtatis creatæ distinctum ab actu, à quo causatur, & quæ non includat essentialiter actum: iuxta quos etiam inquirimus, vtrùm in Deo possit dari omissio, quę in suo conceptu essentiali non includat actum, quæ sit exercitium voluntatis divinæ, quamvis, vt detur, præsupponat actum, qui sit causa, vel occasio illius.

3 In qua difficultate duplex versatur sententia. Prima affirmans est, quæ tribuitur Ferrariensi 3. contra Gentes, cap. 161. illam tenet Curiel, controversiarum lib. 1. controversia 7. art. 3. Albertinus, tomo 1. propositione 4. quæst. 8. Theologica dub. 2. num. 9. pro qua refertur etiam Durandus, Catherinus, & Illustrissimus Herrera in manuscriptis ad artic. 3. quam etiã ex Recentioribus illustrarunt Illustrissimi Magistri. Secunda sententia est negativa, quam tenent PP. Salmanticenses tractatu 4. disp. 5. dub. 3. M. Sancto Thoma disp. 4. art. 6. numero 21. M. Ildephonsus Michael in præsenti, qui pro illa referunt M. Nazarium, Navarrete, & Albelda, Suarez, disp. 3. metaphisicæ, sectione 9. Vazquez disp. 79. cap. 3. num. 71.

§. II.

Statuitur noſtra concluſio.

4 CONCLVSIO Sit: voluntas divina non poteſt manere ſuſpenſa, aut exerceri per omiſsionem terminationis poſitivę: & probatur; voluntas divina nequit reduci ad exercitium liberum per aliquid ab ipſa diſtinctum, ſeù quod ipſa non ſit: ſed omiſsio omnis terminationis poſitivæ non eſt ipſa voluntas divina, ſeù ab illa indiſtincta; ergo per omiſsionem terminationis poſitivæ exerceri non poteſt. Maior inde convincitur; quia voluntas ab eius exercitio diſtincta eſt limitata, & finita, vtpotè exiſtens in potentia ad illud: ex quo principio nedum voluntas, verum neque ipſa potentia operativa ad extra poteſt reduci ad actum ſecundum per actionem tranſeuntem reſidentem in creatura, iuxta veram, & ſæpiùs à D. Thoma repetitam doctrinam. Minor verò probatur; tùm quia carentia alicuius identificati cum Deo non poteſt non diſtingui à Deo. Tùm etiam; quia omiſsio terminationis poſitivæ non eſt ipſa entitas actus neceſſarij; quippè hęc cum qualibet terminatione componitur; eſt ergo carentia terminationis poſitivæ diſtincta à terminatione, & ab entitate actus neceſſarij. Conſequentia verò eſt legitima.

5 Dices: omiſsionem eſſe ipſam entitatem actus neceſſarij, quę ſicut poteſt ſine ſuperadditione entitatis conſtituere Deum volentem exiſtentiam Petri, & illam nolentem, ſeú volentem carentiam illius, ſic poteſt Deum conſtituere, hos actus, ſeù terminationes omittentem. Contra tamen eſt; nam entitas actus neceſſarij, vt prævenit omne exercitium liberum, non poteſt Deum conſtituere omittentem; ergo debet eſſe ratione alicuius exercitij liberi. Tunc ſic; vel hoc identificatur cum actu neceſſario, & erit aliquid poſitivum, & conſequenter poſitiva terminatio, ad quam ſequatur non eſſe alteram terminationem; ſicut ad terminationem conſtituentem volitionem liberam, conſequitur non eſſe terminationem nolitionis: ſi autem diſtinguitur ab actu neceſſario, currit argumentum factum, & eſt pura carentia terminationis poſitivæ.

Confirmatur; licèt aliquid poſitivum poſsit inferre carentiam alteriùs poſitivi, ſicut vna terminatio infert carentiam alterius ſibi oppoſitæ; tamen pura carentia poſitivi non poteſt eſſe aliquid poſitivum: ſed omiſsio terminationis eſt pura carentia poſitivi; ergo non poteſt eſſe aliquid poſitivum; & conſequenter neque identificari cum actu neceſſario Dei. Minor probatur; nam ſi omiſsio eſſet aliquid poſitivum, ad quod ſequitur carentia, tale poſitivum eſſet terminatio libera poſitiva, qualis eſt terminatio volitionis, eſſetque exercitivum poſitivum, non omiſsivum.

6 Ex his ſatis conſtare videtur, exercitium omiſsivum, nedum non explicare tantam perfectionem, quantam exercitium poſitivum; verum dicere poſitivam imperfectionem, ratione cuius à Deo eſt relegandum: quod verum eſt, etiam ſi ſupponat actum poſitivum, qui ſit cauſa, vel occaſio illius: & ratio eſt; quia non ſolùm actus poſitivus eſſet exercitium divinæ libertatis, ſed etiam ipſa omiſsio, quæ in ſuo conceptu formali non dicit actum, ſed eſt pura carentia; atqueadeò eſſet exercitium diſtinctum ab ipſa voluntate divina; quod poſitivam imperfectionem dicit.

7 Sed inquires: quid dicendum ſit in ſententia conſtituente actum liberum per aliquid extrinſecum? ex vna enim parte videtur neceſſario dicendum, quod ſicut actus neceſſarius, & exiſtentia, ſeù productio exterior poteſt Deum conſtituere volentem Petrum; ſic actus neceſſarius, & carentia exiſtentiæ, ſeù productionis Petri conſtituit Deum omittentem volitionem Petri; carentia enim debet præſtare effectum privativum privative oppoſitum effectui præſtito á forma, cuius eſt carentia: ex alia verò parte aſſerendum videtur, non poſſe in Deo dari exercitium liberum omiſsivum; Deus enim conſtituitur volens poſitivè carentiam exiſtentiæ Petri, ſeù nolens exiſtentiam illius per actum neceſſarium, & carentiam exiſtentię: ſed quoties Petrus non exiſtit, datur complexum ex actu neceſſario, & carentia exiſtentiæ Petri; ergo quoties nõ exiſtit, Deus eſt volẽs poſitivè eius carẽtiã, ſeù nolens exiſtẽtiã eius; &

consequenter erga existentiam Petri non potest Deus omisivè se habere.

8 Propter hæc Recentiores in oppositas inclinarunt sententias, quibus omissis, mihi dicendum videtur, ex illa sententia vtrumque inferri propter adducta fundamenta; quorum primum non solvitur asserendo posita carentia existentiæ Petri actum necessarium simul cum illa præstare effectum positivum; quia cum magis principaliter ingrediatur actus necessarius, totus effectus reputatur positivus; atque adeò Deus positivè volens carentiam Petri. Non, inquam, solvitur; nam vel actus necessarius illum effectum præstat ingrediente in obliquo, & de connotato carentia Petri, vel simul vt pars inadæquatè ingreditur carentia: si primum, erit quidem effectus positivus, cæterùm adæquatè intrinsecus quoad rectum, quod est deserere sententiam, quæ supponitur: si carentia ingreditur vt pars essentialis recti, non video quare effectum privativè oppositum non præstet; cum ipse actus necessarius nõ sit exercitium liberum, sed constituatur tale per ipsam carentiam. Secundum verò non solvitur, nisi asserendo Deum non posse carentiam rei, seú nolle eius existentiam; quod tamen contra communem sententiam, & sine fundamento dicitur.

§. III.

Solvuntur argumenta.

9 PRIMO Arguitur ex Div. Thoma infrà art. 10. ad 2. illis verbis: *Et tamen ad oppositum se habet in quantum velle potest hoc esse, vel non esse, sicut & nos non peccando possumus velle sedere, & non velle sedere*; ergo sicut nos possumus velle, & non velle libere, quod propriè omissionem significat, pariter & Deus. Confirmatur ex articulo 3. vbi erga creaturas nullum actum necessarium agnoscit; ergo contra D. Thomam asserimus Deum necessitatum ad aliquem actum positivum vage.

Ad primum respondetur consulto D. Thomam non dixisse: Deum posse velle hoc, & non velle, sed posse velle hoc esse, & non esse, ad denotandum in vtrumque ferri actu positivo: paritas autem adducitur præcisè ad demonstrandum, quod sicut in nobis datur indifferentia ad opposita, quorum neutrum est peccatum, pariter in Deo. Confirmatio non magis vrget; nam cum necessitate ad aliquem actum vage, stat perfectissima libertas, summa independentia Dei à creatura, & perfectissimum dominium illius: & quidem Deus etiam in contraria sententia est necessitatus ad aliquod exercitium liberum vage, & tamen non negatur perfectissime liber.

10 Secundo arguitur; non est imperfectio in voluntate divina, quod maneat suspensa ab omni actu; ergo sic potest manere. Antecedens ostenditur primo, quia divina Omnipotentia potuit sine imperfectione omni actu carere; & similiter misericordia, & iustitia; si enim Deus decreviisset nihil producere, nulla esset productio ad extra, quæ est actus Omnipotentiæ; nulla esset sublevatio miseriæ, & nulla punitio; ergo similiter divina voluntas potest absque imperfectione manere suspensa. Secundo, terminatio positiva actus liberi nullam addit perfectionem ad actum necessarium; ergo omnis terminatio potuit deficere absque defectu perfectionis. Confirmatur; ideò Deus potest absque imperfectione actum, seú terminationem volitionis creaturæ non habere, quia hæc nullam perfectionem addit ad actum necessarium: sed nulla terminatio addit perfectionem; ergo potuit absque imperfectione nullam habere.

11 Respondetur negando antecedens, ad eius primam probationem desumptam ex paritate Omnipotentiæ vt respondeamus, adverterdum est, duplicem esse sententiam circa constitutionem Omnipotentiæ: prima asserit esse attributum virtualiter distinctum ab intellectu, & voluntate, cuius exercitium ab actibus harum potentiarum etiam distinguitur: secunda, quæ communior est inter Thomistas illam ab intellectu, & voluntate non distinguit. Iuxta primam, distinguo antecedens, Omnipotentia potuit manere suspensa ab omni actu, quoad entitatem, nego antecedẽs, quoad terminationem, concedo antecedens, & nego consequentiam: itaque etiam

ita

in hac ſententia iuxta principia D. Thomæ actio productiva ad extra identificatur cum Omnipotentia; ac proindè quoad entitatem deficere non poteſt, benè tamen quoad terminationem; potuit Deum non denominare producentem. Diſparitas autem inter voluntatem, & Omnipotentiam eſt; quia carentia terminationis in actione Omnipotentiæ non eſt eius exercitium, ſed in ipſa exiſtit ex determinatione voluntatis divinæ, cuius eſt effectus, vel quaſi effectus; ſicut carentia combuſtionis in igne, eius exercitium non eſt: quod nullum eſt inconveniens, neque imperfectio; quia ea eſt Omnipotentiæ natura, vt determinetur ad operandum á voluntate divina, & careat operatione ex eiuſdem voluntatis determinatione, qualiter caret defacto erga creaturas purè poſsibiles: omiſsio autem in voluntate eſſet carentia terminationis, quę eſſet exercitium voluntatis divinæ, quæ libera eſſet ad volendum, & non volendum; quod imperfectio eſt ratione traddita, nimirùm, quia exercitium voluntatis ab ipſa diſtinctum arguit eius imperfectionem.

12 Si verò dicatur actionem Omnipotentiæ eſſe extrinſecam, & ab Omnipotentia diſtinctam, vt plures aſſerunt extra Scholam D. Thomæ, dicendum eſt: actionem exteriorem non eſſe perfectionem Omnipotentiæ, & aliás eius carentia non eſt exercitium Omnipotentiæ, ſed effectus, vel quaſi effectus voluntatis divinæ; & etiam ſi eſſet exercitium, non tamen intrinſecum, ſed extrinſecum, quod ab Omnipotentia diſtingui in hac ſententia incõveniens non eſt; ſicut neque quod actio Omnipotentiæ ab ipſa diſtinguatur; quod de exercitio voluntatis divinæ, vtpotè intrinſeco, & immanenti dici non poteſt.

In ſententia autem non diſtinguente Omnipotentiam ab intellectu, & voluntate, etiam concedendum eſt Omnipotentiam vt talem poſſe carere omni actu quoad terminationem, ipſam denominantem, vt Omnipotentia eſt, & factiva ad extra; & tamen carentia non eſſet eius exercitium, ſed quaſi effectus eius, vt volũtas eſt, conſequutus ex terminatione poſitiva conſtituente nolitionem creaturę: idẽque dicendum eſt de miſericordia, & iuſtitia; carentia enim actus iuſtitiæ, & miſericordiæ, non eſt harum virtutum exercitium, vt argumentum videtur ſupponere; iſtę enim virtutes ſunt determinatæ ad actum iuſtitiæ, & miſericordiæ; neque etiam eſt exercitium voluntatis divinæ, ſed quid conſequutum ad actum voluntatis, quo Deus vult non producere creaturam: quapropter carentia actus iuſtitiæ, & miſericordiæ ſine inconvenienti datur, ſicut carentia plurium actuum, quos voluntas divina potuit habere: carentia autem volitionis Petri non conſequuta ad actum poſitivum eſſet exercitium voluntatis divinæ ab ea diſtinctum; quod imperfectio eſt.

13 Sed inquires, quare carentia volitionis Petri non conſequuta ad actum poſitivum eſſet exercitium voluntatis divinæ? Reſpondetur rationem eſſe; quia cum eſſet carentia actus liberi volendi, cõtingenter daretur; ac proindè vel exiſteret ex alterius voluntatis determinatione, vel ipſa eſſet determinatio voluntatis divinæ; nam quidquid contingens eſt, ſivè poſitivum, ſivè negativum exiſtit ex determinatione poſitiva voluntatis divinæ, vel eſt ipſa eius determinatio; & conſequenter exercitium: quod etiam deduci poteſt ex ipſa carentia Petri, quæ contingenter daretur, & in caſu, qui ſupponitur, non ex determinatione poſitiva Dei; atqueadeò ex omiſſiva. An autem ſufficiat, ad hoc vt detur carentia volitionis, dari actum reflexum, quo Deus illam velit? infrà dicemus: ſi tamen ſufficit, dicendum eſt: carentiam volitionis ex actu reflexo ortam, eſſe volũtariam Deo obiective, & per modum effectus, non per modum exercitij; ſicut dicebamus de carentia terminationis in actione Omnipotentię.

14 Ad ſecundam probationem conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, vel diſtinguendum conſequens, abſque defectu perfectionis formaliter, tranſeat conſequens, arguitive, nego conſequentiam; arguitur enim potentialitas in divina voluntate. Ad confirmationem diſtinguo maiorem, quia terminatio volitionis Petri nullam addit perfectionem, & aliàs poteſt deficere, quin eius carentia ſit exercitium voluntatis divinæ, concedo maiorem, pręciſè, quia nullam addit perfectionem, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam, vel diſtinguendum conſequens iuxta dicta: volitio enim Petri poteſt deficere ex vi nolitionis poſitivæ, in quo caſu carentia volitionis non eſt exercitium voluntatis divinæ; atqueadeò abſq; imperfectione deficere poteſt quoad terminationem, quæ perfectionem non addit

addit: at defectus omnis terminationis dari non potest, quin ipsa carentia sit exercitium voluntatis divinæ; quod esse imperfectionem, iam ostendimus.

15 Tertio arguitur; quamvis sit necessarium creaturam esse, vel non esse; non tamen est necessarium Deum velle creaturam esse, vel non esse; ergo Deus potest carere actu positivo volendi creaturam esse, & actu volendi non esse; & consequenter erga Petrum; v. g. potest Deus non habere volitionem vt fit, neque vt non fit. Consequentia videtur bona, & antecedens probatur; creaturam esse, vel non esse, non dicit bonitatem necessariam; sed solum erga bonitatem necessariam necessarius est amor divinus; ergo Deus non necessario vult creaturam esse, vel non esse. Minor supponitur: & maior probatur; tùm, quia creaturam esse, vel non esse, est aliquid à Deo distinctum: sed extra Deum nulla datur necessaria bonitas; ergo creaturam esse, vel non esse non dicit bonitatem necessariam. Tùm etiam; quia in illo complexo solum vna pars dicit bonitatem, nimirùm creaturam esse; non verò altera, scilicèt, non esse: sed creaturam esse non est bonitas necessaria; ergo complexum illud non dicit necessariam bonitatem.

16 Confirmatur primo; nihil positivum ad extra potest Deus velle necessario amore efficaci, vt supponimus; ergo etiam suppositò, quod Deus non velit existentiam Petri, nulla est necessitas in voluntate divina ad amandum extra se aliquid positivum; tunc sic: at negatio existentiæ Petri non potest terminare volitionem ratione sui, sed ratione alicuius positivi voliti à Deo; ergo adhùc suppositò, quod Deus non velit existentiam Petri, non necessitatur ad volendum per actum positivum negationem existentiæ eius. Minor subsumpta probatur; quia negatio existentiæ Petri nullam habet ratione sui bonitatem; ergo non potest terminare amorem efficacem, nisi ratione alicuius positivi per se voliti: quæ videtur doctrina D. Thomæ infra artic. 9.

17 Confirmatur secundo; vt detur carentia Petri, non est necessarium Deum illam velle per actum positivum, sed sufficit non habere volitionem Petri; ergo non est necessarium, quod Deus actu positivo velit non esse Petrum ad hoc, vt non sit. Consequentia videtur nota; cum enim vt sit Petrus, necessarium sit Deum velle eius existentiam, per hoc solùm quod non velit illam, non erit. Antecedens etiam probatur; quia vt non sit Petrus, non requiritur influxus aliquis, sed sufficit carentia influxus; ergo etiam sufficiet carentia volitionis. Tertio confirmatur; non est magis liber Deus ad ponendum effectum positivum, quam ad ponendum actum liberum, cum effectus sit liber ratione actus liberi: sed Deus ita est liber ad ponendum effectum positivum, vt possit illum impedire absque positione alterius effectus; ergo ita debet esse liber in habendo actum liberum, vt possit illum impedire absque alterius actus positione.

18 Respondetur negando antecedens; licèt enim non sit necessarium velle hoc obiectum necessarium, *res est, vel non est*; sicut neque est necessarium velle creaturas possibiles: est tamen necessarium Deum habere actum, quo velit rem esse, aut actum, quo velit non esse; in quo sensu ab arguente proponitur antecedens, & à nobis negatur. Ad probationem concessa maiori, distinguo minorem, solùm erga bonitatem necessariam est necessarius amor, quo velit bonitatem esse, concedo minorem, quo velit esse, vel non esse, nego minorem, & consequentiam: igitur erga bonitatem necessariam, quæ sola est bonitas divina, Deus necessitatur ad amorem ipsius; erga bonitatem autem contingentem necessitatur, non ad amorem, quo velit esse, vel quo in ipsa complaceat, sed vage, ad volendum esse, vel ad volendum non esse.

19 Ad primam confirmationem concesso antecedenti, & prima consequentia, distinguendo minorem subsumptam, non potest terminare volitionem, quę prosequutio sit formaliter, transeat minor, volitionem, quæ formaliter sit fuga, & nolitio existentiæ, virtualiter autem volitio carentię illius, nego minorem, & distinguatur consequens eodem modo: licèt ergo Deus non possit velle actu prosequutivo carentiam creaturæ per se, sed per accidēs ratione boni, ad quod consequitur, vt videtur significare D. Thomas loco in argumento citato; potest tamen actu fugæ: vt enim Deus nolit existere Petrum, nulla est necessaria bonitas in carentia illius, sed sufficit Petrum non habere infinitam bonitatem, sed limitatam, admixtamque imperfectionibus, atque nullo modo necessariam ad consistentiam bonitatis divinæ.

Vel

Vel secundo potest dici duplicem esse volitionem in Deo: alteram, qua vult communicare bonitatem obiecto volito, qua non potest Deus velle carentiam creaturæ, quæ incapax est boni, nisi peraccidens ad volitionem alterius boni: altera volitio esse potest, non qua vult communicare bonum, sed qua positivè vult illud non communicare; & huiusmodi volitione potest Deus velle carentiam creaturæ, cuius motivum est bonitas divina, quæ tali communicatione non indiget: interpretandus autem est D. Thomas de privatione boni creati, quæ supponit subiectum, & quæ iuxta providentiam ordinariam non amatur, nisi ratione boni, ad quod consequitur; Deus enim non destruit formam, nisi ad positionem alteriùs incomparabilis.

20 Ad secundam, negandum est antecedens; ad probationem respondetur: quod licèt ex parte carentiæ sufficiat vt detur, non dari volitionem Petri; ex parte Dei non sufficit, sed necessarium est ex eius dominio dari; quod sine actu positivo non stat; sicut neque exercitium liberum. Vel secundo ad secundam probationem dicatur, etiam ex parte carentiæ requisitum esse actum positivum; quod si non daretur volitio Petri, sivè actus positivus erga carentiam, non daretur carentia, neque Petrus; sicut licèt vt sit Petrus, prærequiratur existentia Dei, non infertur, quod si non esset Deus, daretur carentia Petri; nam ablato primo esse, in quo omnia radicantur, neque esset Petrus, neque non esset; quia ex suppositione destruente primam radicem omnium, nihil sequitur. Vel tertio dici potest, quod in casu illo impossibili, esset quidem carentia Petri, non tamen contingens, sed necessaria; daretur enim absque libera determinatione Dei; atqueadeò vt detur carentia Petri contingens, necessarius est actus positivus.

21 Al vltimam, concessa maiori, & minori, nego consequentiam, & ratio est; quia Deus nulla indiget creatura, neque vage, neq; determinatè; atqueadeò potens est facere, quod nulla existat: at imperfecta maneret eius providentia, si nulla existeret absque eius determinatione, quę in pura negatione, vt vidimus, consistere non potest. Et argumentum instatur in arguentium sententia; nam Deus non magis est liber in ponendo effectum, quam in exercitio libero suæ voluntatis: & tamen potest non ponere aliquem effectum, quin possit existere absque aliquo exercitio.

22 Quarto arguitur; divina voluntas defacto manet suspensa erga infinita futura conditionata contingentia; videtur enim superfluum, Deum tot habere decreta circa illa, quę absolutè futura non sunt, qualia sunt infinita conditionata iuxta infinitas creaturarum possibiles combinationes; ergo cum nullum sit futurum contingens conditionatum, circa quod Deus non potuerit habere decretum subiectivè absolutum, & conditionatum obiectivè, vt cōstans est apud Thomistas, & extra Scholam D. Thomæ communitèr admittitur contra Vazquez, necessario dicendum est circa infinita conditionata omisisse decretum.

23 Aliqui Thomistæ sequuti M. à Sancto Thoma, disp. 20. de Scientia, art. 2. concedunt Deum non habere huiusmodi conditionata decreta erga omnia futura conditionata, sed solùm erga illa, quæ aliquem habent ordinem, seu connexionem cum creaturis futuris: ex quo etiam inferunt, infinita futura contingentia non habere determinatam veritatem, vel falsitatem, sed solùm illa, circa quæ Deus habet decreta, qualia sunt in primis illa, quę in Scriptura revelantur.

24 Sed hæc doctrina non placet: primò; quia inconsequenter admittunt suspensionem in voluntate divina circa hæc conditionata, & ratio à nobis facta illam impossibilem convincit; cum enim esset carentia decreti liberi, quod Deus potuit habere, esset exercitium voluntatis in carentia consistens; quod dicit imperfectionem. Secundo; quia falsum est in casu suspensionis erga aliquod futurum conditionatum, non habiturum determinatam veritatem, vel falsitatem; nam ad veritatem huius; v. g. Si Petro conferretur hoc auxilium sufficiens, consentiret, necessariū est decretum divinum, iuxta veritatem, & horum authorum doctrinam; ergo deficiente decreto divino, non solùm præcisivè, sed privativè, erit determinatè falsa illa propositio; ad hoc enim sufficit deficere privativè aliquod requisitum ad eius veritatem, & hoc etiam sufficit, vt eius contradictoria sit determinatè vera. Cui argumento non video, quid responderi possit: qui enim admittunt possibilem suspensionem, non possunt negare eius libertatem.

Qua-

25 Quapropter meliùs respondetur cum communi Thomistarum sententia, negando antecedens ; Deus enim erga omnia futura contingentia conditionata habet decretum subiective absolutum, & obiective conditionatum; quod superfluum non est, sed maximè necessarium, vt conditionata, quę ex se non habent determinatam veritatem, aut falsitatem, aliquid horum determinatè habeant, non acasu, & fortuito, sed ex determinatione voluntatis divinæ, & vt hæc non reducatur ad proprium exercitium per aliquid ab ipsa distinctum, de quo supra.

26 Tandem arguitur; si Deus non posset purè omittere; sequeretur admittendam esse in Deo infinitam seriem actuum liberorum supra se reflectentium : hoc est absurdum ; ergo admittendum est posse omittere. Sequela probatur ; Deus decernens Petrum, potuit hunc actum velle, seù imperare alio actu reflexo; vel ergo habuit actum istum reflexum, vel non ? Si habuit, de hoc actu reflexo idem fit argumentum; vel enim illum voluit per alium actum, & istum per alium sine termino, & sic dabitur processus in infinitum, vel sistendum est in aliquo actu, quem Deus reflexe non velit : quo dato, vel Deus purè omittit actum reflexum, vel omittit per actum positivum, quo voluit non velle reflexe talem actum; si primum; concedenda est pura omissio: si secundum, de hoc actu, quo voluit omittere actum reflexum, idem fit argumentum; vel enim illum voluit reflexe, vel non ? si voluit, dabitur processus in infinitum ; vel sistendum est in aliquo actu, quem Deus reflexe non voluit, cum posset, & non per alium, quo velit omittere, & consequenter per puram omissionem.

Communitèr instatur hoc argumentum ; nam admissa pura omissione, si argumentum factum convincit, admittendus est in omissionibus processus in infinitum : omissio enim decreti producendi Petrum, potuit à Deo amari actu reflexo; vel ergo habuit talem actum, vel non ? si habuit, redit argumentum factum : si non habuit; ergo datur omissio illius actus reflexi, qui vlteriùs amari potuit actu reflexo; de quo idem fit argumentum.

27 Respondetur ergo Deum non posse amare proprium actum per alium reflexum, sed quilibet est amor sui ipsius impotens reflexe amari per actum distinctũ; sicut fatendum est de amore necessario, qui per alium actum non amatur, sed est amor Dei, & sui ipsius. Huius rationem reddunt aliqui ex eo, quod quilibet actus liber exhaurit totam indifferentiam, seù determinabilitatem Dei; atqueadeò non relinquit potentiam, vt reflexe ametur. Quod explicari potest ex doctrina D. Thomę sæpè à nobis adducta ; scilicèt, quod Deus non est indifferens ex parte sui, sed ex parte obiectorum : vndè solùm est indifferens ad volendum rem esse, vel non esse, sine indifferentia ad proprium actum, scilicèt, sine potentia vt sit, vel non sit, nisi solùm quoad terminationem. Neque Deus exercet dominium erga proprium actum, etiã quoad terminationem, quæ omninò indistincta est ab actu necessario; sicut neque causalitatem ; qua ratione est incapax, vt per actum reflexum attingatur; terminatio enim actus liberi est explicatio dominij erga obiectum : vnde cum actus directus non terminet dominium Dei, per actum reflexum amari non potest : cuius oppositum increata voluntate contingit ; quia est indifferens ex parte sui ad actum, & eius carentiam : vndè nedum exercet libertatem, & dominium erga actus exteriores, sed erga proprium actum ; quem proindè per actum reflexum potest velle quod sit, vel non sit. Ex hac etiam ratione infertur, Deum non posse velle per actum reflexum carentiam volitionis Petri, sed solùm potest nolle existere Petrum, ad quod sequitur carentia terminationis constituentis volitionem eiusdem : & ratio est ; quia Deus solùm exercet immediatum dominium erga esse, vel non esse Petri; atqueadeò exercitium dominij, quod est actus liber, immediatè debet terminari adesse, vel non esse Petri. Et hæc de isto dubio applicanda litteræ Magistri, vbi dubium præcedens.

ARTI-

Articulus IV.

Vtrùm voluntas Dei ſit cauſa rerum?

Concluſio eſt affirmativa.

Articulus V.

Vtrùm voluntatis divinæ ſit aſſignare aliquam cauſam?

Articulus VI.

Vtrùm voluntas Dei ſemper impleatur?

Dubitatur vtrùm in Deo ſit formaliter voluntas, quæ nunquam impleatur?

§. I.

Referuntur ſententiæ.

1 VOLVNTAS Efficax eſt actus, quo Deus vult exiſtere creaturam, ex vi cuius manet omninò determinatus ad illius exiſtentiam, ad quem proindè infallibiliter ſequitur effectus exiſtentiæ, & de quo negari non poteſt dari in Deo, & ſemper impleri; de illo enim intelligũtur teſtimonia Scripturę hanc veritatem exprimentia, Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et Eſther 6. *Non eſt qui tuæ poſsit reſiſtere voluntati.* Et ad Romanos 9. *Voluntati eius quis reſiſtet?* Et oppoſitum eſſet manifeſtè contra Omnipotentiam, & ſupremum dominium Dei: quæ veritas etiam convincitur ratione D. Thomæ hoc articulo 6. quę talis eſt: cauſa vniverſalis attingit ſemper quemlibet effectum, ita vt nullus recedat ab ipſius ordine: ſed voluntas divina eſt cauſa vniverſalis, vt docuit Div. Thomas art. 4. & 5. ergo omnia, quæ fiunt, cauſantur, & attinguntur divina voluntate, nihilque ab ipſius ordine recedit; & conſequenter nihil poteſt contingere oppoſitum eius voluntati efficaci, niſi Deus contradictoria velit, quod eſt impoſsibile.

2 Maior explicatur á D. Thoma; nam cum effectus conformetur agenti ſecundum ſuam formam, eadem eſt ratio, ſeù proportio in cauſis agentibus, quæ eſt in cauſis formalibus: ſed in his ſic contingit, quod licèt aliquid poſsit deficere ab aliqua forma particulari, á forma tamen vniverſali non poteſt; poteſt enim aliquid non eſſe homo, non tamen non eſſe ens; ergo proportionaliter in agentibus poteſt particulare agens producere effectum, qui non aſsimiletur ſuæ formæ particulari, non tamen poteſt eſſe, vt agens vniverſale fruſtretur effectu correſpondenti ſuæ formæ. Quæ ratio omninò convincit, ſi nihil poſsit exiſtere abſque voluntate efficaci Dei, vel permiſsiva, vel effectiva, vt vera docet ſententia: ſi autem ad exiſtentiam actus liberi ſufficeret inefficax voluntas Dei; cum vt ſtatim videbimus, ſtet voluntas efficax non exiſtentiæ actus cum inefficaci illius exiſtentiæ, quę ſufficiens eſt, iuxta hanc ſententiam, vt ſit actus, & vt cadat ſub diſpoſitione voluntatis divinæ, ratio hæc non omninò convincit: quod obiter dixerim, vt vel hinc etiam appareat, quam longè abſit à mente D. Thomæ illa doctrina.

3 Alia dicitur voluntas inefficax; qua Deus vult exiſtentiam creaturæ, ex vi cuius licèt aliqualiter determinetur ad illius productionem; poteſt tamen coniungi cum non exiſtentia creaturę; de qua meritò dubitatur an poſsit exiſtere in Deo, vel defacto ipſi conveniat: an ſcilicèt Deus velit formaliter converſionem peccatoris, quæ non exiſtit in ſeipſa, & ſalutem reproborum, quæ nunquam erit; ſi enim hęc detur, concedenda eſt in Deo voluntas aliqua, quæ nunquam impleatur; & ex ſuppoſitione quod detur, examinandum eſt, an ſit abſoluta, vel conditionata. Et an licèt inefficax, dicenda ſit aliquomodo efficax, ſeù ſemiefficax; & an ſit omninò libera, vel neceſſaria.

4 Circa quod duplex verſatur ſen-

ten-

tentia. Prima negat in Deo huiuſmodi voluntatem, affirmans eſſe ſolùm voluntatem ſigni; non verò beneplaciti, & formaliter repertam in Deo terminatam ad ſalutem reproborum in ſe; ſolumque concedit in Deo voluntatem terminatam formaliter ad media ſufficientia ad ſalutem, quæ virtualiter poteſt dici voluntas ſalutis: hanc vt longè probabiliorem docet M. Bañez in Commentario articulo 6. licèt alteram vt probabilem etiam defendat. Illam ſequitur M. Navarrete, M. Zumel, pluribuſque illuſtravit Baſilius Legionenſis, variarum diſputationum parte 1. quæſt. 6. Scholaſtica, cap. 12. pro qua referuntur ex antiquis, Scotus, Bonaventura, Maior, Marſilius, Alexander, & alij. Secunda eſt affirmativa, & communior inter Recentiores: illam docet M. Soto ſuper cap. 9. ad Romanos, Alvarez 34. de Auxilijs, PP. Salmanticenſes, Nazarius, M. á S. Thoma in præſenti diſp. 5. art. 8. Torres, Opuſculo 5. de Voluntate Dei, diſp. 4. Arriaga de Voluntate, diſp. 25. Alarcon, etiam de Voluntate, diſp. 6. qui pro illa refert Vazquez, Suarez, Leſium, & plures alios.

§. II.

Statuitur prima concluſio.

5 PRIMA Concluſio: in Deo eſt formaliter voluntas, quę nunquam impletur. Hæc concluſio vt iacet eſt nobis omninò certa; quia conſtans eſt, quod tractatu præcedẽti probavimus, nimirùm dari decreta conditionata obiectivè, & ſubiectivè abſoluta, quorum conditio non eſt purificanda, neque conditionatum ponendum: ſed ab his præſcindendo præcipuum habet fundamẽtum in Sacra Scriptura. Ezequielis 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non vt convertatur à vijs ſuis, & viuat?* Idipſum docuit Dominus per Matthæum cap. 18. *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis*: vbi optimè notavit D. Thomas, minus dicit, & plus ſignificavit, quia voluntas eſt, vt ſalventur. Idem habetur 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*: quæ & ſimilia pluries in Scriptura dicuntur. Eſt tamen celebris locus Pauli 1. ad Timotheum 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: ex quo clarè infertur Deum velle omnium hominum ſalutem, etiam reproborum; quæ tamen nunquam erit.

6 Octo offert explicationes huius teſtimonij M. Bañez vbi ſupra; pro nunc tamen tripliciter evadi poteſt argumentum ex illo deſumptũ: primo cũ M. Bañez, & Baſilio Legionenſi intelligendũm eſſe de omnium hominum ſalute, etiam reproborum; non tamen de voluntate formaliter terminata ad illam in ſe, ſed in medijs, ſeu auxilijs ſufficientibus, quæ dicitur voluntas ſalutis, quia terminatur ad media, in quibus quoad ſufficientiam continetur; quæ quidem efficax eſt, & ſimpliciter impletur; cum omnibus etiam reprobis adſint auxilia ſufficientia ad ſalutem, vel intrinſeca, vel ſaltim extrinſeca. Quam doctrinam admittere videtur Div. Thomas in locum Pauli citatum; vbi verba ipſius interpretatur de Voluntate Signi, quę non eſt formaliter voluntas ſalutis, ſed metaphoricè; quatenus Deus tot præbet auxilia, adminicula, exhortationes, & præcepta, & ipſum filium ſuum, quę in hominibus eſſent ſigna voluntatis terminatæ ad ſalutem, quibus Deus ſe habet ad modum volentis ſalutem, in quo voluntas ſigni conſiſtit: voluntas ergo, quæ formaliter eſt talis reſpectu mediorum ſufficientium, eſt voluntas ſigni, & metaphorica reſpectu ſalutis in ſe; quæ videtur doctrina ex Bañez, & Baſilio adducta.

7 Secundo evadi poteſt teſtimonium Pauli interpretationibus Magni Auguſtini, quas probat, & affert Div. Thomas loco ad Timotheum citato, quarum duas refert in præſenti articulo. Prima eſt, ſi accipiatur locus Pauli diſtributione accommoda, nempè omnes, qui ſalvantur, vult Deus ſalvos fieri, nullumque fieri ſalvum, niſi quem Deus voluerit. Sic dicitur 1. ad Corinthios 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur*; non quia omnes, qui in Adam mortui ſunt, vivificentur in Chriſto, ſed quia nullus vivificatur, niſi in Chriſto. Sic Ioannis

1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; non quia Deus omnes illuminet, ſed quia nemò illuminatur, niſi ab illo.* Sic docet in Enchyridione cap. 103. lib. 4. contra Julianum, cap. 8. & de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 8. vbi etiam apponit exemplum in litterarum Magiſtro, qui ſolus eſt in Civitate, de quo dicimus, omnes iſte litteras docet, non quia omnes diſcant, ſed quia nemò, niſi ab illo diſcit, quicumque ibi litteras diſcit.

Secunda interpretatio eſt, quę traditur ab eodem Auguſtino in Enchyridione vbi ſuprà, iuxta quam accipienda eſt diſtributio non complete, ſed incomplete, non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum; ſcilicèt, Deus vult ſalvos fieri ex omni genere hominum, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, mares, fœminas, &c. Quod colligit ex verbis Pauli: præceperat enim Apoſtolus pro omnibus orare, pro Regibus, & in ſublimitate conſtitutis, ſubditis, & alijs; & ſubdit horum rationem: *Bonum eſt coram Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri*; ac ſi diceret, etiam Reges vult.

9 Tertia traditur ab eodem lib. 22. de Civitate Dei, cap. 2. & de Correctione, & Gratia, cap. 15. iuxta quam Deus vult omnium ſalutem, quatenus vult, & facit iuſtos omnium velle ſalutem. Sic intelligitur illud Geneſis 22. *Nunc cognovi, quod timeas Dominum, ideſt, cognoſcere fecit.* Et ad Romanos 9. *Ipſe poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ideſt, poſtulare facit*: in quorum confirmationem plura adducit Auguſtinus locis adductis. Iuxta quas interpretationes argumentum ex Paulo deſumptum non vrget; cum nulla detur voluntas, quæ ſuum non ſortiatur effectum: imò illas adhibuit Auguſtinus, vt nullam concederet in Deo voluntatem, quæ non adimpleretur.

10 Sed contra primam explicationem Magiſtri Bañez obſtat primo argumentum ab Auguſtino lib. 1. ad articulos falſo ſibi impoſitos, articulo 2. Nam Apoſtolus præcipit, vt oremus pro omnium ſalute, & non ſolum pro auxilijs ſufficientibus; ergo Deus non ſolum vult auxilia ſufficientia, ſed ipſam ſalutem in ſe. Et confirmatur; exinde enim colligit Div. Auguſtinus, vbi proximè, verba Pauli eſſe intelligenda de omnibus, quia vniverſaliter pro omnibus præcipit orare, & non ſolum pro prædeſtinatis; ergo quia præcipit orare, & petere ſalutem, colligi debet intelligendam eſſe Pauli ſententiam, non de voluntate terminata ſolum ad auxilia ſufficientia, ſed ad ſalutem in ſe: & quidem ſi Deus ſolum vellet auxilia ſufficientia, Eccleſiæ oratio eius voluntati eſſet conformis ſolum illa petendo.

11 Secundo iuxta regulam Auguſtini lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 2. ab omnibus receptam, verba Scripturæ intelligenda ſunt cum proprietate, & rigore, ſi manifeſtum inconveniens non ſequatur: ſed vt verba Pauli cum rigore, & proprietate accipiantur, debent intelligi de voluntate ſalutis in ſeipſa, & non ſolum in auxilijs ſufficientibus; & aliàs ex eo, quod ſic accipiantur nullum ſequitur inconveniens; ergo ſic accipi debent. Minor pro ſecunda parte conſtabit ex dicendis: pro priori verò probatur; nam ex eo, quod Deus velit ſuam Omnipotentiam, quæ eſt virtus ſufficiens ad omnium poſsibilium productionem, non poteſt cum proprietate, & rigore dici Deum velle omnium productionem: ergo ex eo, quod Deus velit auxilia ſufficientia ad ſalutem, non poteſt cum rigore, & proprietate dici velle omnium hominum ſalutem.

12 Tertio; nam D. Thomas loco ex Paulo citato, & in præſenti articulo illum interpretatur cum Damaſceno de voluntate antecedenti ſalutis: at licèt voluntas terminata ad auxilia poſsit eſſe voluntas ſigni comparative ad ſalutem; non tamen voluntas antecedens illius; quæ iuxta D. Thomam ibi, & quæſt. 23. de Veritate, eſt voluntas non ſigni, ſed beneplaciti; ergo voluntas, de qua loquitur Apoſtolus terminatur ad ſalutem in ſe. Quarto reijcitur; nam ex voluntate ſalvandi omnes homines, Deus præparavit illis auxilia ſufficientia, & hæc voluntas ex illa ducit originem; ergo formaliter terminatur ad ſalutem. Conſequentia eſt nota; voluntas enim auxiliorum ex ſe ipſa non oritur. Antecedens autem probatur: tùm; quia per illam voluntatem homines ordinantur ad finem ſupernaturalem: ſed ex hac ordinatione oritur voluntas conferendi auxilia ſufficientia;

ergo voluntas auxiliorum ſufficientium oritur ex voluntate ſalutis. Tùm etiam, quia Deus confert hominibus auxilia ſufficientia, vt conſequantur ſalutem; ergo voluntas auxiliorum præſupponit voluntatem ſalutis.

13 Confirmatur primo; Deus hominem ordinavit ad vitam æternam, & vt illam conſequeretur ipſum condidit: ſed hoc intelligi non poteſt abſque voluntate terminata ad ſalutem in ſe; implicat enim ordinari ad finem hominemque creari ad illum conſequendum abſque voluntate finis; ergo. Confirmatur, ſeù explicatur ſecundo, implicat amari media vt talia, & ad hoc vt conſequatur finis, abſque aliqua voluntate finis; ſed Deus vult auxilia ſufficientia, vt media ad converſionem impij, & ad ſalutem, & vt per illa ſalvus fiat; ergo implicat non eſſe in Deo voluntatem aliquam ad impij converſionem, & ad ſalutem terminatam. Tandem; quia implicat aliquem velle media efficacia, vt talia, abſque prævio amore efficaci finis; quapropter in Deo electio mediorum efficacium ad gloriam ſupponit efficacem intentionem ad illam; ergo implicat electio medij ſufficientis abſque aliqua volitione finis.

14 Secunda intelligentia Pauli iuxta tres interpretationes Auguſtini argumentum non ſolvit; nam licèt optimæ ſint, & dignæ tanto Doctore, acommodari debent verbis Pauli ſupponendo, vt ibi ſupponebat Auguſtinus, Apoſtolum loqui de voluntate ſimpliciter tali, qualis eſt illa, quam habet Deus erga prædeſtinatos, quam volebant extendere hæretici ex Pelagio ad cunctos homines, etiam reprobos, vt diſcretio in ordine ad ſalutem, non ex Omnipotentiſsima voluntate Dei, vt volebat Auguſtinus, ſed ex libero arbitrio eſſet, vt ipſi contendebant: quibus ſe opponens, & cum ipſis ſupponens ſermonem eſſe de voluntate ſimpliciter tali, optimè interpretatus eſt locum Pauli de Voluntate Prædeſtinatorum propria, vt in illam contra hæreticos, diſtinctionem prædeſtinatorum à reprobis reduceret: quod non tollit, quominùs locus Pauli vniverſaliter acceptus de voluntate inefficaci intelligatur, dummodo alia ſpecialior, & quæ ſimpliciter ſit talis, & omninò invincibilis erga prædeſtinatos non negetur.

15 Quod colligitur ex Auguſtino lib. ad articulos ſibi falſo impoſitos, articulo 2. ibi: *Remota tamen hac diſcretione, quam divina ſcientia intra ſecretum iuſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſsimè credendum eſt, atque profitendum Deum velle, vt omnes homines ſalvi fiant; ſiquidem Apoſtolus, cuius iſta eſt ſententia, ſolicitè præcipit, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur; ex quibus quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum, quod multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum; vt enim reus damnetur, inculpabilis eſt Dei iuſtitia, vt autem reus iuſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt.* Idem docuit lib. de Spiritu, & Littera, cap. 33. vbi ſtatuens voluntatem credendi eſſe donum Dei, ſibi obijcit inquirens vndè ſit hæc voluntas, *ſi natura, quare non omnibus, cum ſit idem Deus omnium Creator? Si dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, cum omnes homines velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*; & poſt pauca, *non ſic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo benè, vel malè vtentes iuſtiſsimè iudicentur; quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Evangelio non credunt.*

16 Idem docuit Proſper Auguſtini diſcipulus, qui mentem Magiſtri benè noverat, ad Capita Gallorum, illis verbis: *Qui dicit, quod non omnes homines Deus vult ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur, quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei.* Magiſtrum ſequuntur etiam Hilarius, Beda, & Anſelmus. Idem expreſsit Damaſcenus, vt hic docet Div. Thomas, libro 2. de fide, cap. 23. Chryſoſtomus homilia 1. in epiſtolam ad Epheſios; vbi voluntatem ſalvandi omnes homines appellat vehemens deſiderium ſalutis. Ex quibus hanc accepit ſententiam Div. Thomas hic, & in locis Pauli citatis, & in 1. diſt. 40. artic. 2. & diſt. 46. quæſt. 1. artic. 1. quæſt. 23. de Veritate artic. 3. Ex his colligitur iuxta mentem Auguſtini verba Pauli ſincerè intellecta de voluntate erga omnes homines accipi debere; licèt ex horum Patrum doctrina non ita efficacitèr colligatur, Paulum loqui de Voluntate terminata formaliter ad ſalutem in ſe: colligitur tamen ex Damaſceno, & Div. Thoma,

quod

quod ex rationibus suprà adductis, & infrà dicendis satis probabiliter colligitur.

17 Secundo probatur conclusio; hominem peccantem facere contra voluntatem Dei, Spiritui Sancto resistere, sæpè docent Scriptura, & PP. ergo in Deo datur voluntas, quæ non adimpleatur: per hoc enim, quod homo peccat, Deo volente non peccare, contra eius facit voluntatem, quam adimpleri petimus in Oratione Dominica, *fiat voluntas tua*: quam fatetur Augustinus, lib. de Spiritu, & littera, vbi proximè illis verbis: *Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Evangelio non credunt*: quod intelligi debere de beneplaciti voluntate, & non de voluntate signi probatur argumento suprà facto; ex eo enim, quod de voluntate signi intelligatur, nullum sequitur inconveniens; & aliàs sic cum maiori proprietate verba Scripturæ, & PP. intelliguntur; ergo sic accipienda sunt. Maior probatur primo; si aliquod esset inconveniens, maximè, quod voluntas Dei ab homine vinceretur: sed hoc non sequitur; ergo nullum. Minor probatur ex Augustino vbi proximè, illis verbis: *Nec ideò eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno, & summo bono.* Quod explicat, & confirmat subdens: *Qui enim dicit, verbi gratia, volo vt hij omnes servi mei operentur in vinea; & post laborem requiescentes epulentur, ita vt quisquis eorum hoc noluerit in pristino semper malo, videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pristinum contemnens effugeret, quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.*

18 Secundo probatur maior; voluntas formaliter existens in Deo inefficax, & quæ nunquam impletur; quia Deus vult non velle efficacitèr obiectum, quod efficacitèr potest velle, & quam Deus vult non impleri, non arguit imperfectionem in Deo; ergo ex eo, quod de voluntate hac intelligantur verba Apostoli, nullum sequitur inconveniens. Antecedens probatur; & in primis impotentiam non arguit, quia non adimpleri nascitur ex voluntate divina: neque arguit imprudentiam; cum enim prudentissimè conferat omnibus auxilia sufficientia ad salutem, vt illam consequantur, prudenter afficitur erga omnium salutem. Insuper affici erga salutem secundum se considerata, quam Deus omnibus inspectis, nimirùm attenta defectibilitate naturæ peccabilis hominum, & ostensione suæ iustitiæ, vult absolutè non esse, imperfectio non est, sed providè erga illud obiectum se habere, & iuxta illius merita; ergo nulla in Deo sequitur imperfectio. Antecedens probatur; salus Iudæ secundum se consideratà bona est, licèt attenta illius malitia, & ordine divinæ iustitiæ, Iudam gloria privare etiam sit bonum; ergo in prima consideratione potest esse volita à Deo, licèt omnibus inspectis velit simpliciter, & absolutè non esse. Sic bonus Iudex attenta hominis natura vult non occidi, sed vivere, quia proùt sic bonum est; cum quo componitur, quod attentis hominis criminibus velit absolutè, & simpliciter ipsum occidi.

§. III.

Solvuntur argumenta.

19 PRIMO Arguitur ex Div. Augustino vbi suprà, qui locum Pauli de Voluntate efficaci semper explicavit, nè teneretur concedere in Deo voluntatem, quę nunquam adimpleretur, quod maximum reputavit inconveniens, derogans Omnipotentiæ Divinæ. Et confirmari potest; nam in locis à nobis adductis tametsi voluntatem illam extendat ad omnes homines, nunquam tamen dixit terminari ad salutem in seipsa; ergo rectè possunt explicari de voluntate salutis in mediis sufficientibus, quæ semper impletur, cum omnibus conferantur: & quod sic debeant intelligi, videtur convinci ex eo, quod licèt concedat posse aliter explicari testimonium Pauli; hoc tamen permittit, dummodò non teneamur concedere aliquid fieri Deum voluisse, quod factum

non sit ; ergo quando ipse in locis pro nobis adductis aliter explicat, sic intelligendus est, vt non teneamur concedere voluntatem, quæ non adimpleatur; quod fieri non potest, si intelligatur de voluntate salutis in se, & non in medijs sufficientibus.

20 Confirmatur secundo ex Prospero lib. 2. de Vocatione Gentium, cap. 25. vbi post admissas explicationes Augustini, sic dicit ; rationaliter creditur, & piè omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse, & hoc non aliundè quam de his beneficijs, atque providentia Dei, quam omnibus generationibus communitèr, & indifferenter impendit ; ergo velle omnium salutem iuxta Prosperum idem est, atque omnibus velle auxilia sufficientia ad salutem. Quod aliter sic explicatur: Prosper intulit voluntatem salutis omnium ex eo, quod Deus confert omnibus auxilia sufficientia : sed ex hoc non infertur voluntas salutis in se ; cum Deus possit illa conferre, & non ex voluntate salutis in se, sed ex alio fine ; ergo Prosper non intulit voluntatem salutis in se; aliàs malè intulisset.

21 Confirmatur tertio ; Chrysostomus vbi supra, appellat voluntatem salutis, vehemens desiderium illius : sed inefficax voluntas terminata ad salutem in se non est vehemens desiderium illius; cum inefficax sit, & vt hic docet D. Thomas, est voluntas secundum quid, & quæ vix nomen voluntatis meretur ; ergo non loquitur de voluntate salutis terminata ad illam in se, sed ad media sufficientia, respectu quorum rectè dicitur vehemens desiderium. Per quod excluditur solutio illorum, qui asserunt vocari vehemens desiderium intra lineam inefficacis : excluditur, inquam, nam est implicatio in adiecto, desiderium vehemens, & inefficax.

22 Propter hæc mihi videtur probabile ex his Patrum non posse argumentum efficax desumi pro nostra sententia ; probabilius tamen est oppositum propter dicta : quæ argumento facto non infringuntur. Ad primum ex Augustino respondetur vt suprà, quod supponendo esse sermonem de voluntate simpliciter tali, interpretatus est locum Pauli de voluntate efficaci, nè teneretur concedere voluntatem simpliciter talem, quæ non adimpleatur : voluntatem autem inefficacem non obscurè tradit vbi suprà ; & sicut Div. Thomas inquirens vtrùm voluntas Dei semper impleatur, & respondens affirmativè non sibi contradicit per hoc, quod in solutionibus argumentorum, & locis suprà citatis concedat voluntatem secundùm quid talem, quæ non adimpleatur, quia prima resolutio intelligitur de voluntate simpliciter tali ; pariter Augustinus sibi non opponitur affirmans esse absurdum voluntatem Dei non adimpleri, & simul concedens voluntatem inefficacem ; qua admissa, verum est voluntatem Dei semper impleri ; quia voluntatem inefficacem non adimpleri, supponit in Deo aliam voluntatem simpliciter talem incompossibilem cum primę voluntatis adimpletione.

23 Ad confirmationem negandum est antecedens ; nam licèt illis terminis non dicat, dicit tamen æquivalentibus, ita vt nisi violenter de voluntate salutis in medijs intelligi possit : & ad probationem dicatur, permissive aliter explicari locum Pauli, dummodo non concedatur voluntas simpliciter talis, quæ non adimpleatur ; vel aliquid contingere in rebus, quod in voluntatem Dei saltim permittentem non reducatur ; quod non tenetur concedere affirmans dari voluntatem inefficacem. Ad secundam confirmationem ex Prospero dicatur, quod ex providentia erga omnes homines intulit voluntatem salutis ; non quia omnibus confert media sufficientia ; hoc enim potuit fieri ex alio fine, sed quia illa confert, vt salventur. Ad vltimam ex Chrysostomo respondetur, voluntatem illam licèt inefficacem dici vehemens desiderium salutis, quia ex illa oritur tot beneficiorum, & mediorum præparatio, quod in hominibus esset indicium vehementis desiderij.

24 Sed dices ; ergo sicut Chrysostomus vocat voluntatem illam vehemens desiderium, quia operatio Dei ad extra esset in nobis indicium vehementis desiderij, pariter, quia esset in nobis indicium desiderij, etiamsi non sit desiderium salutis in se, poterit vocari desiderium illius. Respondetur negando consequentiam ; nam intelligendo Chrysostomum de desiderio salutis in se, nullum sequitur absurdum, sumendo desiderium latè pro voluntate salutis ; atque ade-

adeò ſic eſt intelligendus; at cum ſit voluntas inefficax, non poteſt vehementiam intrinſecam habere in ordine ad proprium obiectum, ſed ab electione mediorum ex illo orta, vehementis denominationem accipit: & quidem, improprius dicitur vehemens deſiderium ſalutis voluntas mediorum ſufficientium non terminata ad ſalutem in ſe.

25 Hæc ſolutio probabilis eſt: mihi tamen probabilius apparet Chryſoſtomum loqui de Voluntate Signi, quæ ſolum metaphoricè eſt voluntas; quod indicat vterque terminus, *vehemens*, & *deſiderium*; quorum primus de Voluntate Inefficaci improprie dicitur, & ſecundus non niſi metaphoricè in Deo reperitur: vndè ex ipſo non ſummitur argumentum efficax pro noſtra ſententia, licèt illi non opponatur; ſicut neque D. Thomas interpretans Paulum loco ad Timotheum, citato de Voluntate Signi, quia Deus ſic ſe habet in operatione ad extra, quod in nobis eſſet ſignum voluntatis efficacis, quæ in Deo erga omnium ſalutem non eſt: cum quo benè componitur eſſe voluntatem inefficacem in Deo, vt clarè ibi docet Div. Thomas.

26 Secundo arguitur; Deus non vult ſalutem reproborum vt exiſtentem, futuram, vel vt poſsibilem; ergo nullo modo. Antecedens probatur; & quoad primam, & ſecundam partem conſtat, quia neque exiſtens, neque futura eſt: quoad tertiam colligitur ex ſupradictis, & inſuper; quia licèt Deus amet poſsibilia, voluntas, de qua in præſenti, non eſt complacentia in illarum bonitate, ſed libera voluntas ſalvandi homines, quæ ad ſalutem poſsibilem non terminatur. Reſpondetur; voluntatem illam terminari ad ſalutem, quę pro priori ad talem voluntatem eſt poſsibilis, & ex vi illius redditur inchoative futura: quod conſtat ex dictis dubio primo; vbi ſolvimus, quæ contra hanc doctrinam obijci poſſunt.

27 Ultimo arguitur; voluntas libera non poteſt intelligi in Deo abſque aliqua mutatione in creatura, quæ vel ſit forma conſtituens inadæquatè actum liberum, vel connotatum extrinſecum neceſſarium: ſed huiuſmodi mutatio aſsignari non poſsit; ergo talis voluntas non datur. Minor probatur; nam mutatio non eſt ex parte ſalutis; cum nunquam ſit ponenda reproborum ſalus; nec poteſt eſſe ſufficiens mutatio exiſtentia mediorum ſufficientium; cum hæc poſsint exiſtere abſque voluntate ſalutis: mutatio autem requiſita ad actum liberum abſque illo reperiri non poteſt.

Authores, qui requirunt mutationem phiſicam in obiecto ad decreti liberi exiſtentiam, valdè laborant in aſſignanda mutatione requiſita ad hanc voluntatem, quas ſupra reiecimus tractatu de Scientia Libera, dubio 3. Et ex principijs ibi dictis facilis eſt ſolutio, negando maiorem; cuius falſitas conſtat in decretis conditionatis, quæ eſſent in Deo, nulla exiſtente creatura; vel ſi hæc non admittantur, in Scientia Media, quæ ſi quid probant Adverſariorum argumenta, etiam debet requirere phiſicam mutationem.

§. IV.

Statuitur ſecunda concluſio.

28 VOLVNTAS Hæc ſalutis reproborum, & idem eſt de voluntate converſionis impiorum, qui non convertuntur, eſt actus liber, inefficax, & abſolutus. Hæc concluſio brevitèr eſt probanda per partes: & prima, quæ communitèr admittitur, probatur; tùm; quia, vt ſuprà vidimus, Deus nullo modo eſt neceſsitatus ad volendum creaturas. Tùm etiam; nam licèt Deus neceſsitetur ad complacendum in bonitate poſsibilium, nullo modo eſt neceſsitatus ad volendum illis exiſtentiam; hac autem voluntate Deus vult, licèt inefficacitèr exiſtentiam ſalutis. Tùm etiam; nam velle hominum ſalutem eſt beneficium indebitum, & ſuperadditum donò creationis; ſic enim de illo loquitur Paulus & PP. adducti. Tùm denique; quia ex vi illius voluntatis ordinantur homines

in finem ſupernaturalem, quę ordinatio eſt omninò gratioſa, & liberalis.

29 Secunda pars ponitur contra aliquos Recentiores aſſerentes voluntatem iſtam eſſe ſemiefficacem; quod in duobus conſiſtit. Primum, in eo, quod ex vi illius Deus plures adhibet conatus, vt homines conſequantur ſalutem, taliter quod non poſsit, niſi ex aliena determinatione oppoſitam habere voluntatem, ſeù incompoſsibilem cum exiſtentia ſalutis. Secundum, in eo, quod ad exiſtentiam obiecti voliti non ſit neceſſaria alia voluntas divina, ſed ſolùm quod determinatio libera creata non impediat eius exiſtentiam, quia Deus quatenus eſt ex ſe, ſerio vult exiſtentiæ obiectum: contra hos ergo probatur ſecunda pars concluſionis; quia cum voluntate ſalutis reproborum componitur in Deo voluntas illos excludendi à regno, ſaltim tanquam vt à beneficio indebito ante prævisa demerita, vt docetur communius á Theologis infrà quæſt. 23. ergo non habet illam ſemiefficaciam, quam adſtruunt Recentiores.

30 Secundo, Deus pro priori ad omiſsionem liberam converſionis impiorum vult negare gratiam efficacem ad illam; ergo pro priori ad omiſsionem liberam, ſeù ad determinationem liberam creaturæ habet Deus voluntatem cum cõverſione, quam inefficacitèr vult. Conſequentia conſtat; nam voluntas negandi gratiam efficacem incompoſsibilis eſt cum converſione, quæ cum carentia gratię efficacis componi non poteſt. Antecedens autem probatur; tùm, quia carentia prædeterminationis, in qua gratia efficax conſiſtit, præcedit omiſsionem liberam actus. Tùm etiam; quia gratia efficax datur, vt homo conſentiat, non quia conſentit; ergo efficax vt talis neceſſariò præcedit conſenſum, & illius negatio omiſsionem conſenſus. Tùm etiam; quia etiam ſi gratia efficax cõſiſteret in aggregato ex auxilio alio ſufficienti, & Scientia Media, complexum hoc deberet præcedere exiſtentiam conſenſus. Tùm denique; nam ſuppoſita voluntate converſionis impiorum Deus omittit dare auxilium, cum quo prævidit voluntatem conſenſuram, ſeù convertendam; conferretque aliud, quo prævidit non conſenſuram: at Deus ſcit eſſe omninò neceſſarium ad converſionem conferre auxilium, cum quo in ſtatu conditionato prævidit voluntatem conſenſuram; ergo conſulto ante determinationem voluntatis creatę omittit Deus dare id, ſine quo converſio non exiſtet; & conſequenter habet voluntatem incompoſsibilem cum converſione, quam inefficacitèr vult, inferentemque omiſsionem illius.

31 Tertio probatur concluſio quoad ſecundam partem; ante omiſsionem liberam actus præcepti, quem Deus inefficacitèr vult, decernit permittere peccatum omiſsionis; voluntas enim permittendi, ſicut & ipſa permiſsio præcedit peccatum, nec poteſt conſtitui in ratione permiſsionis per peccatum, aut per aliquid conſequens illud: ſed voluntas permittens, ſicut & ipſa permiſsio incompoſsibilis eſt cum adimpletione præcepti; ergo datur in Deo ante determinationem voluntatis creatæ voluntas incompoſsibilis cum adimpletione præcepti, quam Deus inefficacitèr vult.

32 Quarto, Deus optimè ſcit prærequiri ad converſionem impiorum efficax illius decretum, & Deus illud omittit ante omiſsionem liberam; ergo idem, quod priùs. Confirmatur; Deus elegit prædeſtinatos efficacitèr ante prævisa merita, etiam in ſententia Recentiorum, quam electionem eſſe neceſſariam ad ſalutem in hac providentia Deus optimè novit; in hac enim ſententia verum eſt nullum eſſe ſalvandum, niſi quem Deus ante prævisa merita elegit: at Deus ante prævisa merita, aut demerita hanc omittit electionem erga reprobos; ergo ponit aliquid incompoſsibile cum illorum ſalute. Quod vlteriùs explicatur; ante prævisa merita, aut demerita diſpoſuit Deus nullum ſalvandum, niſi quem elegerit ante prævisa merita: at Deus omittit ante prævisa merita, vel demerita electionem hanc erga reprobos; ergo ante prævisa demerita vult aliquid incõpoſsibile cum illorum ſalute. Et idem fit argumẽtum in ſententia ſatis communi etiam extra Scholam D. Thomæ aſſerente Deum intendere pœnitentiam ante prævisum peccatum, iuxta quam ante pravam determinationem creaturæ, cuius vitationem vult, eſt in Deo voluntas incompoſsibilis cum vitatione peccati.

33 Quinto; volens quatenus eſt ex ſe conſequutionem finis, ita vt ex propriâ determinatione non poſsit ponere aliquid incompoſsibile cum illa, debet ponere omnia, quæ ab ipſo neceſſario ſunt ponenda, vt conſequatur finis: ſed Deus hæc non

non posſit; ergo non ita vult Deus conſequutionem ſalutis reproborum. Minor probatur; nam Deus prævidit eſſe neceſſarium ad ſalutem donum perſeverantiæ ab ipſo conferendum; quod Deus reprobis nõ confert. Similiter prævidet neceſſarium ad converſionem in hac providentia iuxta Recentiores, conferre auxilium ex motivo efficaciæ, quod diſſentienti non confert. Similiter debet diſcernere ex propria voluntate prædeſtinatum à reprobo, & conſentientem à diſſentiente, quam diſcretionem non donat reprobo, aut diſſentienti.

34 Tandem; ex hac voluntate ſemiefficaci in ſenſu Recentiorum, duo ſequuntur inconvenientia. Primum eſt, quod voluntas divina vinceretur à voluntate creata; quod voluit vitare Auguſtinus vbi ſuprá: Secundum eſt, quod determinatio voluntatis creatæ impediens ad impletionem voluntatis divinæ, ſub eius diſpoſitione non caderet; cuius oppoſitum demonſtrat ratio D. Thomæ ſuprà adducta. Primum inconveniens deduci probatur; qui ita eſt determinatus ad conſequutionem finis, quod plures adhibeat conatus, & quod ex vi illius reddatur impotens ad cõponendum cum hac determinatione aliquid incompoſsibile cum finis aſſequutione, niſi ex alienę voluntatis determinatione, vincitur ab aliena voluntate, ſi impediatur finis aſſequutio: ſed ſic ſe habet Deus in hac ſententia erga ſalutem; ergo vincitur â voluntate creata. Maior exemplo fit manifeſta ſi quis eſſet determinatus ad eundem Matritum ſufficienti determinatione ad conſequendum finem, ſi ab alio non impediatur, & ita vt ad illum conſequendum plures adhibet conatus, impotens ex vi huius determinationis habere aliam voluntatem incompoſsibilem cum conſequutione finis; ſi, inquam, ſic volens detineretur in carcere ex aliena voluntate, proculdubiò ab aliena determinatione vinceretur; ergo maior eſt vera. Minor autem eſt doctrina Recentiorum. Quod clariùs conſpicitur, ſi determinatio creaturæ divinam voluntatem impediens ex alia voluntate divina non inferatur logicè, vt aiũt, vel phiſicè vt concedunt Recentiores; quapropter, ni fallor, hanc voluntatem ſalutis voluit Auguſtinus excludere in explicatio; ne Pauli, nè Omnipotentis voluntas, quæ ſine alia adiuncta voluntate divina obtineret finem, à creatura vinceretur.

35 Secundum inconveniens ſequi probatur; determinatio voluntatis creatæ impediens divinam non oritur, nec logicè, nec phiſicè ex aliqua providentia Dei, cum ipſum ſupponat indifferentem ad determinationem illam creaturę, & eius carentiã: imò quatenus eſt ex ſe, determinatum ad oppoſitum pravæ determinationis creatæ; ergo non cadit ſub diſpoſitione voluntatis divinæ; imò purè contra illam exiſtit: quod eſſe impoſsibile demonſtravit D. Thomas, vt probaret voluntatem Dei ſemper impleri. Ex quo vlteriùs adducor ad iudicandum hanc voluntatem reieciſſe Auguſtinum, & D. Thomam affirmantes voluntatem Dei ſemper impleri.

36 Ex his plura deduci poſſunt alibi diſcutienda; pauca breviter ſubijciemus. Primo deducitur carentiam converſionis, ſeù finalis perſeverantiæ accidere fortuito, & acaſu reſpectu Dei, iuxta ſententiam Recentiorum; cum eveniat præter diſpoſitionem voluntatis divinæ, illam logicè inferentis. Secundo infertur, iuxta hos Recentiores non dari in Deo voluntatem permiſsivam peccati; ſolùm enim datur voluntas efficax conferendi auxilium ſufficiens, & voluntas inefficax converſionis, ſeù adimplectionis præcepti; quarum neutra eſt permiſsiva peccati; cum vtraque ſit compoſsibilis cum carentia illius, & vtraque tendens in oppoſitum peccati.

37 Neque poteſt dici, quod voluntas conferendi auxilium ſufficiens ad converſionem coniuncta cum Scientia Media omiſsionis, eſt permiſsiva peccati. Non, inquam, dici poteſt: tùm, quia voluntas illa in ratione permiſsionis conſtitueretur per Scientiam Mediam; quod ipſi concedunt: eſt tamen impoſsibile; quia cum Scientia Media in manu Dei non ſit, ſed exiſtat ex determinatione creaturæ, & non Dei, permiſsio in ratione talis non eſſet Deo voluntaria. Tùm etiam; quia cum Scientia Media permiſsionem conſtituens exiſtat ex determinatione prava creaturæ, permiſsio in ratione talis conſequeretur peccatum; cum in ratione talis exiſtat ex determinatione peccati.

38 Tertio deducitur, hominem nõ cõverti, evenire Deo invito, & coacto; eſt enim purè contra voluntatem divinam, quin ex parte providentiæ Dei aſsignetur aliquid inferens, etiam logicè, ſalutis carentiam; quod licèt non multum abſit à mente Recentiorum, nihil aliud eſt quam creaturam vincere voluntatem Dei; oppo-

ni-

niturque Auguſtino lib. 4. contra Julianum, cap. 8. & in Enchiridione, cap. 25. & 27. vbi ſic habet: *Multi ſalvi non fiunt, non quia ipſi nolunt, ſed quia Deus non vult; quod abſque vlla controverſia manifeſtatur in parvulis.* Hęc Auguſtinus; vbi clare Recentioribus opponitur, noſtramque docet, atq; probat doctrinam exemplo parvulorum, qui ſine baptiſmo decedunt, & damnantur abſque actu propriæ voluntatis. Quod etiam expreſsit de Dono Perſeverantiæ, cap. 12. illis verbis: *Quid dicam, quod parvulus aliquando antequam illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſsit, expirat? Plerumque enim feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, vt baptiſmus parvulo detur, Deo tamen volente non datur*: vbi docet Deum velle parvulum non baptizari; & conſequenter non conſequi ſalutem, quàm inefficaciter vult, quin præcedat in ipſo actus propriæ voluntatis.

39 Opponitur etiam Sancto Remigio lib. de tribus epiſtolis, vbi hæc habet: *Hanc ſententiam Apoſtoli, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, fideliter poſſe reciri, ſi hanc voluntatem bonitatis ſuæ erga ſalutem hominum, non credatur humana obſiſtente voluntate impiere non poſſe.* Quid ergo reſtat, *niſi vt ille, qui omnia quæcumque voluit, fecit ideò hoc non faciat quia noluit, non quia non poſsit? Quia ſicut verè omnia, quæ voluit, fecit, ita verè noluit, quæ non fecit*: vbi expreſsè docet reprobos non ſalvari, quia Deus noluit, non quia eius voluntas, ipſo invito, ab aliquo impediatur. Quapropter ipſe Remigius vbi proximè poſt admiſſas explicationes Auguſtini ſuprà relatas, verſans quartam Damaſceni, hæc ait: *In quarto autem modo illud ſine dubio cavendum eſt; quia & occaſionem Pelagianæ pravitati præbet, quæ Deus vt ſalvet homines, humanas expectare aſſerit voluntates.* Idem docuit Magiſter in 1. diſt. 46. quod nihil aliud eſſe videtur, quam ſuppoſita illa voluntate, aliquos non ſalvari, non quia Deus noluit, ſed quia ipſi nolunt. Et quidem vt videre eſt in Auguſtino lib. 4. contra Julianum, cap. 8. ſic voluntatem iſtam intelligebant, vt determinationi voluntatis creatæ, reliquum prædeſtinationis negotium relinquerent.

40 Neque aliquid iuvat reſpondere, in teſtimonio Auguſtini ſuponi in parvulo peccatum originale, in cuius pœnam Deus vult ipſi non conferri baptiſmum. Tùm; quia doctrina Auguſtini eſt generalis, vt videre eſt locis citatis, licèt ſit manifeſtior in parvulo. Tùm etiam; quia ſuppoſito peccato originali Deus vult parvulum ſalvari, cum ob eius deletionem Sacramentum Baptiſmi inſtitutum ſit; & tamen ex ſe vult propter altiſsimos fines non conferri baptiſmum.

41 Ex his tandem deducitur, iuxta explicationem hanc aſſerendum eſſe, id, quo differt prædeſtinatus à reprobo, non voluntati divinæ, ſed humanæ tribuendum eſſe; nam ſtante hac voluntate ſalutis, ex qua conferuntur æqualia auxilia duobus, vnus ſalvatur, quia vult, & conſentit; alius deficit á conſequutione ſalutis, quia non vult; diſcretio ergo, non ad voluntatem divinam, ſed ad humanam reducitur, contra illud Apoſtoli.

42 Tertia pars concluſionis probatur ex D. Thoma in hoc articulo docente, voluntatem ſalutis eſſe ſecundum quid talem, & velleitatem; quod de decreto cõditionato, vtpotè efficaci verificari non poteſt. Secundò; nam voluntas hæc eſt affectus erga ſalutem ſecundum ſe conſideratam, attenta præciſè eius bonitate, vt docet hic D. Thomas: ſed actus ſic tendens ad ſalutem abſolutus eſt, quamvis ineffi-cax; ergo voluntas prædicta actus abſolutus eſt. Minor probatur; nam ſalus proùt ſic eſt attingibilis abſolutè à Deo: non decreto efficaci, quia hoc tendit in obiectum attentis omnibus circunſtantijs; ergo ineſficaci. Tertiò; nam concedere in Deo affectum illum inefficacem abſolutum erga ſalutem, quam Deus non vult per actum efficacem proſequi, nullam arguit imperfectionem, vt conſtat ex dictis; ergo aſſerendum eſt voluntatem ſalutis eſſe huiuſmodi.

43 Tandem; quia eſto erga ſalutem ſit affectus conditionatus, ſub conditione, ſcilicèt, meritorum, ſeú perſeverantię finalis, non tamen aſsignari poteſt ſub qua conditione Deus velit converſionem impij, ſeù ad impletionem præcepti, quod frangi permittit; præcipuè loquendo de primo actu, qui ſub conditione anterioris amari non poteſt; ergo neceſſario fatendum eſt, dari affectum ineſficacem abſolutum in Deo. Ex quo à paritate facilè perſuadetur eſſe ſimilem affectum erga ſalutem.

44 Fatendum tamen eſt cum Magiſtro Soto vbi ſuprà, quem alij ſequuntur Thomiſtæ, actum iſtum eſſe, aliquomodo

conditionatum ; non quia Deus illo velit formaliter ſub cõditione ſalutem, ſed quia illam volens inefficacitèr conſideratam ſecundum ſe , ſi aliæ non adeſſent circunſtantiæ, quibus attentis vult Deus efficacitèr aliquos à regno excludere , illam efficacitèr veller: quod non ita intelligendum eſt, vt actus inefficax tunc tranſiret ineffi-cacem; hoc enim eſt impoſsibile , cum ex intrinſecis inefficax ſit,& indigens alio efficaci, vt ſalus, vel converſio ponatur ; ſed quia ſi aliæ circunſtantiæ non adeſſent,actus iſte indicat Deum voliturum ſalutem efficacitèr : quo ſenſu accipiendus eſt Div. Thomas in 1.diſt.46.quæſt. 1. art. 1. docens; quod voluntas antecedens poteſt dici conditionata; non tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis divinæ , ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circunſtantijs , quæ exiguntur ad rectum ordinem ad ſalutem.

§. Vltimus.

Solvuntur argumenta.

45 ARGUITUR Primo contra ſecundam partem noſtræ cõcluſionis: poſſibilis eſt affectus ſalutis reproborum huius ſemiplenæ efficaciæ ſuprà aſsignatæ : ſed admiſſa eius poſsibilitate defacto concedendus eſt ; ergo huiuſmodi eſt prædictus affectus. Minor probatur; nam Patres huiuſmodi affectum valdè commendant , & Chryſoſtomus vehemens deſiderium ſalutis appellat ; quod pijs fidelibus conſtans eſt; ergo illi concedenda eſt omnis efficacia poſsibilis. Maior etiam probatur; poſſibilis eſt affectus erga ſalutem ita efficax, vt cum illo non poſsit componi ſalutis defectus, ſivè ex determinatione Dei , ſivè creaturæ : alius verò ita inefficax , vt cum illo poſsit componi ſalutis defectus,tàm ex parte creaturę , quàm ex parte Dei ; ergo poſsibilis eſt alius medius, qui poſsit componi cum defectu ſalutis ex determinatione creaturæ , non verô Dei.

46 Quod explicatur ex his , quæ apud homines contingunt; apud quos ſtat affectus erga finem ſic efficax , vt cum illo non poſsit componi libere facere, aut permittere aliquid incompoſsibile cum eius conſequutione : alius ita efficax , vt cum illo poſsit componi non conſequi finem ex eius determinatione: & alius medius , vi cuius homo plures adhibeat conatus , vt conſequatur finem, ita vt ex ipſo impediri non poſsit eius conſequutio , licèt poſsit impediri ex alterius determinatione ; ergo pariter in Deo diſtinguendi ſunt ſimiles affectus.

47 Confirmatur primo; Deus ſeriò,& ex animo vult ſalutem reproborum, admodum illius , qui ad conſequutionem finis plures adhibet conatus ; non ad modum illius, qui per ſimplicem voluntatem tendit in finem, qui cum videat plura eſſe neceſſaria , nihil præſtat ; nam Deus plura confert auxilia,& ſpecialia media ad ſalutem : at incompoſsibilia ſunt , plures adhibere conatus ad conſequutionem finis,& ſimul ex ſeipſo,& ex propria determinatione impedire finis conſequutionem ; vt ex terminis eſt notum : ergo ſic vult Deus ſalutem, vt ex propria determinatione non impediatur eius conſequutio.

Confirmatur ſecundo ; homo,qui ex propria determinatione peccando ponit impedimentum ad conſequutionem ſalutis, non ſeriò vult ſalutem ; ergo incompoſsibilia ſunt Deum ſeriò velle ſalutem, & ex ſe habere voluntatem cum illa incompoſsibilem.

48 Confirmatur tertio; talis eſt in Deo voluntas ſalutis, vt homo , qui illam non conſequitur , ſua propria determinatione impediat eius conſequutionem; aliàs non periret ſua culpa : ſed ſi ante determinationem pravam voluntatis creatæ, ſimul cum voluntate ſalutis haberet Deus aliam incompoſsibilem cum eius conſequutione, homo illam non impediret ſua prava determinatione; ergo talis eſt voluntas ſalutis, vt ſecum non admittat aliam incompoſsibilem cum eius conſequutione ante determinationem voluntatis creatę. Minor probatur; nam determinatio creaturæ ſupponeret impeditam conſequutionem ſalutis; ſupponeret enim in Deo voluntatem cum illa incompoſsibilem, & conſequenter illam impedientem.

Quod ſic oſtenditur , & explica-

tur;

tur; determinatio creaturæ ſupponens impeditam ſalutem, illam impedire non poteſt: tùm, quia ſalus ſemel excluſa iterùm impediri non poteſt, quamvis ponatur aliquid incompoſsibile cum illa; ſicut neque effectus ſemel productus, & exiſtens iterùm produci poteſt: quapropter in noſtra ſententia, quia omiſsio actus ſupponit carentiam phiſicæ prædeterminationis ad illum, quamvis incompoſsibilis cum prædeterminatione illam non excludit, ſeù impedi; ergo prava determinatio, ſupponens impeditam ſalutem, illam impedire non poteſt. Tùm etiam; nam, qui ſemel decrevit efficacitèr non audire Sacrum in die feſto, quo decreto impedivit auditionem ſacri, licèt poſtea libere faciat aliquid incompoſsibile cum adimpletione præcepti, tale opus illam non impedit, nec vitiatur malitia omiſsionis, vt frequentius docent Theologi 1.2. quæſt. 71. quia, ſcilicèt, illam impeditam ſupponit; ergo implicat, quod determinatio voluntatis creatæ, quantumvis incompoſsibilis cum conſequutione ſalutis illam impediat, ſi impeditam ſupponat.

49 Reſpondetur negando maiorem, ad cuius probationem omiſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia; nam in duobus primis affectibus nulla involuitur imperfectio: ſecus autem in tertio; quia voluntas divina vinceretur à creatura, cuius determinatio eſſet extra diſpoſitionem Dei: in homine autem illum actum concedere inconveniens non eſt.

Ad primam confirmationem concedimus Deum velle ſeriò hominum ſalutem, quamvis ineffacitèr; ad hoc enim ſufficit illos ordinaſſe in ſalutem, & tot media apponere, vt illam conſequantur; quāvis aliis attentis velit aliquos á gloria excludere. Quod manifeſtum ſit in adultis, quibus tot confert beneficia, & auxilia, vt ab illa non deficiant, niſi propria culpa; qui enim taliter vult amicum habere beneficium, v.g. vt in illius voluntate conſtituat eius conſequutionem, quamvis amicus à conſequutione deficiat ex propria determinatione, ſeriò vult habere beneficiū; pariter ergo Deus ſeriò vult hominum ſalutem, qui ab illo ita conſtituuntur, vt non niſi propria culpa à ſalute deficiant.

50 Sed dices; non poteſt homo velle ſeriò, vt amicus adipiſcatur beneficium, ſi ex ſe habet voluntatem incompoſsibilem cum eius conſequutione; ergo pariter Deus. Reſpondetur negando conſequentiam: ratio autem diſcriminis eſt duplex; prima eſt, quod in hominibus non ſtat relinquere conſequutionem beneficij in amici libertate, & ſimul habere voluntatem incompoſsibilem cum eius conſequutione; ſecus verò in Deo; cuius ratio eſt; nam voluntas, ſeù diſpoſitio divina, vtpotè primi Proviſoris, non aufert, ſed infert libertatem creaturæ, quę in hominibus non curit. Secunda diſcriminis ratio, & præced entis confirmatio eſt, quod ad Deum non ſolùm ſpectat velle ſalutem conſequēdam ab homine dependenter ab eius libertate, ſed etiam providere de determinatione libera creaturæ; atqueadeò benè ſtat, quod Deus velit ineffacitèr ſalutem, quam homo conſequetur, ſi per ipſum non ſtet, quod ad ſeriam voluntatem ſufficit, & ſimul quod poſteà ob alios fines ſibi notos permittat defectum in creatura impedientem conſequutionem ſalutis; quod in vno homine reſpectu alterius non contingit.

51 Ad ſecundam confirmationem conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Ratio diſcriminis eſt; nam determinatio prava hominis eſt impedimentum ſalutis, propter quod damnatur: voluntas autem in Deo, quantumvis incompoſsibilis cum ſalute, impedimentum cum proprietate non eſt; cum adhùc illa ſuppoſita ſit liberum homini conſequi ſalutem: & inſuper, quia vt diximus, Deus eſt ſupremus Proviſor, ad quem ſpectat hominem ordinare in ſalutem, in quo ſtat volitio ſeria ſalutis, & ſimul providere, vt aliqui illam conſequantur ex eius ſpeciali beneficio, & permittere, quod aliqui à ſalute deficiant, quod ſine voluntate incompoſsibili cum gloriæ conſequutione non ſtat.

52 Ad tertiam confirmationem neganda eſt minor: ad probationem ibi ſubiunctam dicendum eſt: voluntatem divinam cum ſalute incompoſsibilem, illam non impedire cum proprietate, eo quod relinquit libertatem in creatura ad eius conſequutionem; imò infert libere defecturam à conſequutione ſalutis; cōtra quod non vrgent aliæ probationes. Et argumētum habet manifeſtam inſtantiam in Adverſariorum ſententia; Deus enim volens ſeriò converſionem, & ſalutem, ſcit eſſe neceſſarium, vt homo convertatur, & fiat ſalvus, ipſi conferre auxilium, cum quo prævidit perſeveraturum, & convertendū;

&

& iuxta alios cognoſcit eſſe neceſſarium, conferre auxilium ex motivo efficaciæ, & directum ex Scientia Media, ſaltim iuxta hanc providentiam; & tamen ex propria determinatione hoc Deus reprobis non præſtat: à quibus poteſt inquiri, qualiter Deus velit ſeriò illorum perſeverantiam, & ſalutem, qui conſulto omittit id, ſine quo infallibile eſt, quod non conſequetur ſalutem? Cui interrogationi aliter ſatisfieri nō poteſt, niſi ſolutione noſtra, nempè aſſerendo omiſsionem liberam Dei, inferentem pravam determinationem creaturæ, & finalem impœnitentiam non auferre ab illa libertatem ad converſionem, & perſeverantiam; atqueadeò non auferre, quod propria culpa pereat.

53 Secundo arguitur, & contra dicta inſtatur primo; quia D. Thomas vbi ſuprà comparat voluntatem ſalutis volitioni boni iudicis, qui vult hominem vivere, & homicidam ſuſpendi; negari tamen non poteſt, quod iudex nulla apponit media ex vi illius voluntatis, vt homo mortem evadat; Deus autem plura adhibet media, vt homines ſalventur; ergo eſto vtraque voluntas ſit inefficax; voluntas tamen Dei aliquam habet efficaciam, qua caret voluntas iudicis; atqueadeò illa erit ſemiefficax. Quod exemplo mercatoris, quo etiam vtitur D. Thomas, convinci videtur; mercator enim voluntatem habet ſemiefficacem, & talem affectum ad divitias, vt cum illo non poſsit componere voluntatem illas proijciendi ante imminentiam tempeſtatis; imò nullus diceret habere ſinceram voluntatem ſalvandi merces, ſi habere poſſet voluntatem incompoſsibilem cum illarum conſervatione ante imminentiam tempeſtatis; ergo ſi fatemur in Deo ſinceram voluntatem ſalutis, non poteſt cum illa componere aliam incompoſsibilem cum eius conſequutione ante pravam determinationem creaturæ.

54 Secundo; Chriſtus Dominus ex charitate erga omnes, pro omnibus mortuus eſt, vt eſt omninò certum, quod ſine voluntate ſemiefficaci erga omnium ſalutem ſtare non poteſt; ergo potiori titulo Deus hanc habet voluntatem ſemiefficacem, cuius charitas in infinitum excedit charitatem Chriſti. Tertio; Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt magis convertatur, & vivat: neque eius vult perditionem; hæc enim ex ipſo homine eſt; ergo ita vult omnium ſalutem, vt ex ſeipſo nihil velit incompoſsibile cum eius conſequutione.

55 Ad primum reſpondetur iudicem velle ſeriò hominem vivere, quia alia adhibeat media, vt vivat, quia ad ipſum non ſpectat media apponere, vt vivat, ſed ſolùm punire peccata propter bonum commune, & nè alia committantur: ad Deum autem ſpectat homines ordinando ad ſalutem, ipſis conferre media ad illam; vndè ex ſeria voluntate ſalutis media oriuntur. Ad exemplum de mercatore, concedimus eius voluntatem eſſe ſemiefficacem: vndè coactus, & invitus proijcit merces; quod in Deo concedere, abſurdum putamus: neque quantum ad hoc adducitur ſimilitudo.

56 Ad ſecundum dicatur, voluntatem Chriſti fuiſſe omninò conformem voluntati divinæ: vndè ſicut Deus vult efficaciter aliquos ſalvare, & alios ſolùm ineffi caciter; pariter Chriſtus: quapropter ipſe docet, quod rogat pro prædeſtinatis, non pro mundo; oratione, ſcilicèt, explicativa voluntatis efficacis: quo ſenſu id docet D. Thomas 3. part. quæſt. 31. art. 4. ad 2. & vt ibi ex D. Thoma notavit Caietanus, oratio explicativa voluntatis inefficacis etiam fuit in Chriſto Domino exaudita, quia fuit ſub conditione, & omninò ſubdita voluntati divinæ: quapropter ſubiungit, *fiat voluntas tua*; quod explicat voluntatem deliberatam, vt fieret, quod Deus volebat; ſciebat enim Chriſtus, Deum velle aliquos á gloria excludere. Ex quo conſtat voluntatem ſalutis omnium non fuiſſe ſemiefficacem in ſenſu Recentiorum. Ad tertium conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia; quia ad veritatem antecedentis ſufficit Deum non velle peccatum, & relinquere in manu creaturę illud non committere; quod cum voluntate incompoſsibili cum vitatione, ſeù carentia peccati rectè componitur.

57 Tandem arguitur; etiamſi Deus nullam habeat voluntatem incompoſsibilem cum conſequutione ſalutis, aut converſionis, homo propria culpa deficiens non vincit voluntatem Dei; ergo falſa eſt doctrina traddita. Antecedens probatur; per hoc, quod ſubijciatur pœnæ à Deo ſtatutæ, ſi peccaverit, illius ſubditur poteſtati, vt docere videtur Auguſtinus vbi ſuprá, de Spiritu, & Littera; quod & probat exemplo à nobis adducto de domino creato.

Reſ-

58 Respondetur negando antecedens; nam eo ipso, quòd non possit habere voluntatem incompossibilem cum salute, vel cum conversione, necessitatur ex vi primæ voluntatis ad ponendum omnia, quæ sunt necessario ab ipso ponenda, vt sit salus; velle enim aliquid ex his omittere, est voluntas incompossibilis cum salute: & patet in exemplo supra adducto; qui enim ita vult ire Matritum, vt cum hac voluntate possit componere omittere aliquid necessarium, vt consequatur finis, voluntatem habet incompossibilem cum consequutione illius; atqueadeò purè inefficacitèr vult illum. Et quidem si voluntati mercatoris subesset tempestas quoad esse, vel non esse, ita vt de facili posset illam impedire, si defacto non impediret, non vellet semiefficacitèr merces conservare: ex quo apparet Deum media illa voluntate, iuxta Recentiores, omnia facere, quæ scit esse necessaria ad salutem ab ipso ponenda; atqueadeò eandem habet efficaciam hæc voluntas salutis, atque voluntas, vi cuius salvi fiunt prædestinati: at Deo sic volenti finem, vt ex vi illius voluntatis ponat omnia necessaria ex parte sui, vt consequatur, resistere, est eius vincere voluntatem, sicut prædestinatus illam vinceret, si non perseveraret.

Ad exemplum de domino creato dicendum, illius voluntatem esse quasi conditionatam, cuius conditionem purificare ad ipsum non spectat, sed solùm ad servum; atqueadeò si laboret in vinea, ejulabitur; si verò noluerit, punietur, & in vtroque voluntas domini impletur: voluntas autem salutis in Deo, licèt sit aliqualiter conditionata, purificare tamen conditionem ad illum spectat, qui dat merita, & perseverantiam; atqueadeò si esset semiefficax, necessitaret Deum ad illa ponenda: vndè homine non perseverante voluntas divina vinceretur.

59 Contra tertiam partem conclusionis arguitur; Deus promittit omnibus gloriam sub conditione meritorum, & perseverantiæ: sed promissio conditionata supponit voluntatem conditionatam eiusdem obiecti; ergo in Deo datur voluntas conditionata salutis, quæ alia non est à voluntate generali salvandi omnes. Confirmatur; hæc propositio est omninò infallibilis, si Iudas perseveraret, consequeretur salutem: sed hoc stare non potest sine decreto conditionato salutis; ergo hoc datur in Deo. Minor probatur; antecedens illius conditionalis esto habeat connexionem coniecturalem cum consequenti; non tamen metaphisicam, & omninò infallibilem; ergo non potest esse infallibiliter vera, nisi vi decreti conditionati. Consequentia hæc probatur; conditionalis, cuius antecedens solùm habet connexionem contingentem cum consequenti, non potest esse determinatè vera, nisi vi decreti; ergo illa, cuius antecedens non connectitur metaphisicè, & infallibiliter cum consequenti, non potest veritatem infallibilem habere.

60 Respondetur concedendo totum syllogismum: ex quo non infertur non dari aliam voluntatem absolutam inefficacem erga salutem secundum se; istæ enim voluntates non opponuntur. Contra quod non obstat, quod si huiusmodi daretur decretum, purificata conditione transiret in absolutum; atqueadeò non esset necessaria, neque admittenda electio efficax absoluta ad gloriam ante prævisa merita. Non, inquam, obstat; nam cum purificare conditionem sit electio medij vt talis, supponit in Deo salutis intentionem; neque ordinatè transiret ab hoc decreto ad purificandam conditionem, nisi prævia intentione salutis.

61 Secundo responderi potest ad principale argumentum, promissionem conditionatam supponere decretum conditionatum formaliter, vel æquivalenter: decreta autem, quæ defacto reperiuntur in Deo, æquivalenter sunt conditionata. De quo videantur dicta Tractatu præcedenti, dub. 4. per quod patet ad confirmationem.

Et hæc de isto dubio applicanda literæ Magistri in 1. dist.

47.

AR.

Articulus VII.

Vtrùm voluntas Dei ſit mutabilis?

Concluſio eſt. Voluntas Dei eſt omninò immutabilis.

Dubitatur. Vtrùm decretum Dei ſit immutabile?

§. I.

Referuntur ſententiæ.

1 DUPLEX Poteſt excogitari modus, quo decretum divinum mutetur. Primus per hoc, quod decretum abæterno habitum revocetur in tempore per oppoſitum; quod eſt propriè mutare conſilium, & ſæpè in hominibus contingit, qui hodie aliquid facturos determinant, & poſteà multoties oppoſitum decernunt. Secundus, per hoc, quod decretum Dei incipiat in tempore, quin abæterno oppoſitum extiterit; aut per hoc, quod decretum abæterno exiſtens deſinat in tempore per ceſſationem ab illo, quin ſuccedat alterum decretum oppoſitum, quod non videtur propriè mutare conſilium, ſed illud de novo habere, vel ceſſare à iam præhabito. Dubitatur ergo, an aliquo ex his modis poſsit mutari decretum? Et an ex huiuſmodi mutatione ſequatur immediatè phiſica mutatio in Deo, an ſolum moralis, ſeù inconſtantia; ex qua mediatè etiam inferri phiſicam mutationem, omnes fatentur.

2 Circa primum, ſententia affirmativa conformis eſt quibuſdam nominalibus, qui aliqua Deum incipere cognoſcere in tempore affirmant, vt hic referunt Recentiores: pro qua etiam referuntur Antonius Delphinus, Gabriel, Maior, & Rubion, quos ſequi videtur Herice, diſp. 20. cap. 10. & ſequentibus; vbi docet volitionem Dei ſolùm eſſe æternam intrinſicè ſecundum ſe ſpectatam, & qua ratione eſt neceſſaria: incipere tamen in tempore ſecundum eas denominationes, quibus conſtituitur in eſſe liberæ, & efficacitèr terminaræ ad creaturas. Eidem adhæret Gaſpar Hurrado de Voluntate, diſp. 1. difficultate 3. ibi enim docet: decretum efficax, quod extitit abæterno, ceſſare, ſeù deſinere in tempore, poſtquàm effectus eſt iam exequutioni mandatus; qui conſequenter ad ſuam doctrinam de conſtitutione actuum liberorum diſcurrunt; ſi enim decretum Dei inadæquatè conſtituitur per creaturam in tempore incipientem, & deſinentem, conſequenter aſſerere tenentur; vt ſuprà contra ipſos arguebamus, decreta abæterno non eſſe, neque in æternum durare, ſed incipere, & deſinere iuxta inceptionem, & deſitionem creaturæ. Hanc eandem ſententiam defendit Amicus, diſp. 14. numero 64. & 65. quamvis eam limitet ad aliquos actus liberos determinatos, quos in tempore incipere affirmat; indeque argumentum deſumit ad probandum inadæquatè conſtitui per creaturam. Sententia tamen negativa eſt communis inter Theologos, quorum plures aſſerunt eſſe de fide actum liberum Dei non poſſe vllo modo incipere, aut deſinere.

3 Circa ſecundum, prima ſententia docet ex inceptione, & deſitione decretorum non inferri immediatè phiſicam mutationem in Deo, quæ communior eſt extra Scholam Div. Thomæ; illam tenet Suarez in Metaphiſica, diſp. 30. ſect. 4. Molina ad quæſt. 14. articulo 15. ad 2. Secunda ſententia affirmat, ex eo, quod Deus aliquid in tempore inciperet velle, ſequi immediatè in ipſo phiſicam mutationem, quæ colligitur ex Div. Thoma in præſenti, & ſupra art. 2. & 1. contra Gentes, cap. 83. de Veritate, quæſt. 23. art. 4. ad 1. quibus in locis ex immutabilitate Dei infert non poſſe decretum Dei ſemel habitum ceſſare, aut in tempore incipere: eā docent communitèr Thomiſtæ, Albelda in præſenti, Patres Salmanticenſes, Serra, M. Sancto Thoma, Illuſtriſsim. Araujo,

libro 13. metaphiſicæ, quæſt. 4. art. 2. ad 3. quos refert, & ſequitur Illuſtriſsimus Godoy, diſp. 53. §. 2.

§. II.

Statuitur noſtra concluſio.

4 DECRETA Dei nullo ex prædictis modis mutari poſſunt, quod ex immutabilitate phiſica Dei rectè, & immediatè deducitur. Probatur primo ex Scriptura, Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Numerorum 23. *Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* Proverb. 19. *Multæ cogitationes in corde viri; voluntas autem Domini permanebit.* Pſalmo 39. *Conſilium autem Domini in æternam manet, cogitationes cordis eius in generatione, & generationem.* Malachiæ 3. *Ego Deus, & non mutor.* Ad Hebræos 6. *In quo abundantius volens Deus pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui interpoſuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, fortiſsimum ſolatium habeamus*: in quibus ſatis apertè concluſio continetur; ſivè enim revocetur conſilium prius habitum, ſivè de novo incipiat, aut deſinat, non ſtat immutabilitas, & æternitas decretorum, quæ in his teſtimonijs affirmatur.

5 Secundo probatur ex D. Auguſtino lib. 12. Confeſsionum, cap. 15. vbi ſic habet: *Nunc dicetis falſa eſſe, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit de vera æternitate Creatoris, quod nequaquam eius ſubſtantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra eius ſubſtantiam ſit: vndè non eum modo velle hoc, modo velle illud; ſed ſemel, & ſimul, & ſemper velle omnia, quæ vult, non iterùm, & iterùm, neque nunc iſta, nunc illa, nec velle poſteà quæ nolebat, aut nolle quod prius volebat; quia talis voluntas mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt: Deus autem noſter æternus eſt*: quibus expreſsit adæquatè concluſionem; ex eo enim, quod ſubſtantia Dei non varietur, & eius voluntas ab ea non diſtinguatur, intulit Deum ſemper velle, quod ſemel vult, & oppoſitum non poſſe ſtare ſine mutabilitate voluntatis.

6 Tertio probatur concluſio ratione D. Thomæ ad hanc formam redacta; quod Deus incipiat velle de novo, vel à volitione ſemel habita ceſſet, ſolùm poteſt provenire ex eo, quod incipiat ſibi eſſe conveniens, & bonum, quod bonum, & conveniens non erat; vel ex eo, quod de novo vt bonum cognoſcat, quod anteà vt tale non cognoſcebat: ſed vtrumque arguit phiſicam mutationem in Deo; ergo quælibet inceptio, vel deſitio decreti arguit in Deo phiſicam mutationem; atque adeò ex Dei immutabilitate phiſica rectè infertur eius decreta non poſſe incipere, aut deſinere. Maior exindè conſtat; quia voluntas verſatur erga bonum vt cognitum, vtpotè eius proprium obiectum; ergo inceptio volitionis, vel ex boni inceptione, & novitate, aut ex inceptione cognitionis debet provenire. Minor pro prima parte probatur; quia bonum incipere eſſe conveniens Deo, arguit in eius ſubſtãtia phiſicam mutationem: quod explicatur à D. Thoma exemplo illius, cui incipit eſſe conveniens ad ignem ſedere, cum tamen prius diſconveniens eſſet, aut non conveniens; quod aliundè provenire non poteſt, niſi quia mutatur de calido in frigidum, vel de non frigido in frigidum; & ſimiliter homini peccato videtur diſconveniens inimici vindicta, ipſi tamen irato videtur conveniens. Pro ſecunda parte probatur minor; nam modo cognoſcere, quod anteà non cognoſcebatur, arguit mutationem phiſicam in cognitione; quod de cognitione regulante primum actum liberum, vtpotè neceſſaria, evidens eſt.

7 Huic argumento communitèr reſpondetur ex Suarez vbi ſuprà, negando maiorem; poteſt enim ex alijs capitibus cõtingere, quod quis incipiat velle, quod anteà non volebat, ſcilicèt, ratione libertatis, vt in nobis contingit, qui invariato bono, & illius cognitione poſſumus illud amare, vel non amare, ab amore iam habito ceſſare, & diligere quod anteà non diligebamus. Hæc tamen ſolutio reijcienda eſt; quia eſto imprudens voluntatis

mutatio contingere posit absque novitate boni, aut cognitionis; prudens tamen esse non potest; ergo supposita in Deo summa prudentia, vt debet, summa prudentia in volendo, ex eius physica immutabilitate rectè infertur æternitas, & immutabilitas decreti. Neque exercere in tempore libertatem potest Deo esse bonum, est enim summè immutabilis, & eius æternitas tota simul: quapropter licèt possit velle creaturam existere in tempore; eius tamen actus immanentes esse in tempore non potest velle.

8 Ex quo secundo probatur conclusio; implicat actum liberum semel existere, quin æternitate ipsa per identitatem duret: at implicat durare per æternitatem secum identificatam, quin semper existat; ergo implicat incipere, aut desinere esse in tempore. Maior est certa, cum actus liber sit adæquate intrinsecus Deo, & cum ipso identificatus. Minor etiam constat: quia eo ipso, quod per æternitatem secum identificatam duret, æternitas ipsi tribuit suum effectum formalem, qui ex nullo capite limitari potest: at effectus formalis æternitatis est constituere rem, cuius est connaturalis, & per identitatem duratio, semper, & simul, & semel durantem; ergo implicat actum liberum Dei durare per æternitatem, secum identificatam, quin semper existat. Quæ ratio etiam fundatur in physica immutabilitate Dei: ex qua infertur decretum esse omninò indistinctum à Deo; cuius oppositum esset dicendum, si semel existens non semper existeret, vt constat ex ratione facta.

9 Ex his deducitur, denominationem libere volentis abæterno dari; hæc enim, vel non requirit mutationem in creatura; vel si illam exigit tanquam extrinsecum connotatum, non est necessariũ abæterno dari, sed iuxta dispositionem voluntatis divinæ: vndè decretum conditionatum non requirit mutationem, nisi solum conditionatam; quia solùm hanc vult Deus per tale decretum: & similiter decretum absolutum abæterno existens non requirit mutationem existere abæterno, sed in tempore; quia mutatio in tempore facta est obiectum decreti. Præterquàm quod mutatio creaturæ in tempore existit in æternitate abæterno, & proùt sic est extrinsecum requisitum ad existentiam decreti.

§. III.

Solvuntur argumenta.

10 ARGUITUR Primo; decretum liberum Dei constituitur, vt suprà ostendimus, per intrinsecam terminationem defectibilem sub conceptu terminationis, seù denominationis; indefectibilem autem sub conceptu entitatis: sed ex nova terminatione ad creaturã, aut ex eo, quod desinat terminatio abeterno existens, non sequitur physica mutatio; ergo neque ex novo decreto. Minor probatur; quia mutatio physica est transitus de non esse ad esse, seù de esse ad non esse: sed transitus de non esse ad esse terminationis non est trãsitus de non esse ad esse; neque transitus de esse terminationis ad non esse illius est transitus de esse ad non esse: cum terminatio novam entitatem non addat; ergo ex nõvitate, aut desitione illius non sequitur physica mutatio.

11 Confirmatur primo; Deo potuit deficere abeterno aliquod decretum, quod defacto habet, & similiter potuit habere decretum, quo defacto caret, absque alietate aliqua ex parte Dei, eo quod in primo casu nõ esset defectus aliquis quoad entitatem, sed solum quoad terminationem; sed in secundo non esset superadditio quoad entitatem, sed quoad terminationem; ergo si in tempore hoc ipsum contingeret, non esset aliqua physica mutatio, eadem ratione.

Confirmatur secundo; etiamsi denominatio creantis sit intrinseca, incipit in tempore; ergo quantumvis denominatio volentis sit intrinseca, potest in tempore incipere. Et vrgetur; denominatio creantis, vipotè intrinseca, identificatur cum Deo, duratque ipsa æternitate secum identificata: & tamen in tempore incipit; ergo quantumvis actus liber duret æternitate secum identificata, poterit in tempore incipere.

12 Respondetur concessa maiori, distinguendo minorem, non sequitur à priori, seù tanquàm ex forma immutante, cõcedo

minorem, arguitivè, nego minorem, & distinguatur consequens eodem modo. Ad minoris probationem, concessa maiori, distinguatur minor, non est transitus de non esse ad esse formaliter, concedo minorem, arguitivè, nego minorem, & consequentiam: mutatio ergo physica arguitur ex eo, quod esset mutatio in cognitione, aut in substantia Dei, iuxta rationem ex Div. Thoma factam, & iuxta secundum argumentum; quia si in tempore inciperet, aut desineret decretum, non duraret æternitate secum identificata; atqueadeò distingueretur à Deo, & per adventum ipsius physicè mutaretur.

13 Ad primam confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia; in casu enim antecedentis neque arguitive daretur mutatio, aut compositio in Deo; non enim sequitur mutatio in cognitione, aut substantia Dei; neque arguitur distingui decretum à Deo, cum semel existens semper existat: arguitur tamen in casu inceptionis, aut desitionis.

Ad secundam concesso antecedenti, neganda est consequentia; nam denominatio creantis, licèt quantum ad rectum sit intrinseca, quantum ad obliquum extrinseca est, & obliquum in tempore incipit; est enim creatura, vt in propria mensura existens: at verò denominatio volentis, seú intelligentis est adæquatè intrinseca, neque importat alicuius extra Deum existentiam, saltim in propria mensura; atqueadeò semel existens semper existit. Huius autem differentiæ ratio est; quia volitio, & intellectio prout sic sunt actus immanentes: vt verò sunt productio, aut creatio habent rationem actionis transeuntis, & propterea important in obliquo creaturam productam, aut creatam.

Ad vltimam dicatur, denominationem creantis duo dicere, vnum in recto, & alterum in obliquo, & vtrumque necessarium est ad absolutam denominationem: vnde licèt rectum, nimirùm creatio, identificetur cum Deo, existatque abæterno, denominat solum in tempore; quia obliquum importatum in denominatione, nimirùm creatura, existit in tempore: at denominatio volentis est adæquatè intrinseca; quapropter adæquatè mensuratur æternitate, semelque existens semper existit.

14 Secundo arguitur; decretum efficax Dei nequit versari circa præteritum, & impossibile; ergo decretum creandi Adamum in tempore, quod iam præterijt, non durat hodie in Deo. Probatur consequentia; si hodie Deus decerneret creare Adamum in tempore, quod iam præterijt, decretum versaretur circa præteritum, vt patet; versaretur etiam circa impossibile; quia hodie impossibile est creare Adamum ante hodiernum diem. Confirmatur; quia ello posset existere hodie in Deo decretum creandi Adamum tempore, quod iam præterijt; est tamen otiosum, cum effectus decreti iam extiterit.

15 Respondetur concesso antecedenti negando consequentiam, vel distinguatur consequens, non durat vt mensuratum tempore, concedo consequentiam, mensuratum æternitate coexistente omni tempori, nego consequentiam. Ad probationem distinguendum est antecedens, si decerneret hodie decreto durante per æternitatem, quæ omni tempori indivisibiliter coexistit, nego antecedens, decreto mensurato tempore nostro, concedo antecedens. Contra quod non obstat probatio subiuncta; tempus enim, quo creatus est Adamus, licèt præterierit in se; in æternitate tamen hodie, & semper existit; atqueadeò decretum æternitate durans semper illi coexistit.

Ad confirmationem, negandum est antecedens; est enim omninò idem, decretum semel durare, & semper durare; cum eius duratio sit ipsa æternitas; ac proindè sicut non est otiosum existere decretum pro tempore exequutionis; ita neque est otiosum existere per totum tempus; hoc enim ex parte Dei est idem omninò, vt dictum est; licèt ex parte rerum creatarum detur successio, & diversitas ex divina dispositione.

16 Ex hac doctrina reijcienda venit alia quorundam Recentiorum, qui post Patrem Arriaga in præsenti asserunt, quod Deus est liber hodie in decernendo, quia licèt ex suppositione decreti existentis abæterno non possit non decernere: absolutè tamen, & præscindendo à suppositione potest: & idem putant accidere, si actus liber noster ex suppositione, quod existeret, semper, & in æternum duraret; tunc enim hodie maneret in nobis potestas ad non esse actus heri eliciti, quia potestas hæc præscinderet ab esse actus, vel non esse illius.

Ver-

Venit, inquam, reijcienda; quia licèt vera sit prima pars, quod, scilicèt, libertas in Deo, quæ existit in ipso abæterno, non potest non semper manere; cum in ipso aliud non sit esse abæterno, atque esse nunc, & prædicatum semel existens in Deo semper existit; quapropter sicut abæterno suppositio decreti est consequens libertatem, similiter, & nunc. Secunda autem pars, scilicèt, quod sic contingeret, si actus liber noster semel existens semper existeret, falsa est; quia licèt actus ille in primo instanti libere eliceretur; post primum tamen instans, licèt maneret vt terminus libertatis exercitæ in primo instanti; non tamen esset formaliter liber, neque homo post primum instans exerceret per illum suam libertatem: sicut qui libere se proiecit in puteum, à quo exire non potest, non habet libertatem post proiectionem ad non essendum iam in illo, quamvis illam exercuerit in proiectione. Ratio autem huius est; quia actus creatus non coexistit simul, & semel tempore hesterno, & hodierno, & heri verificari non poterat, quod coexistit tempore hodierno; neque homo hodie esset potens facere, quod hesterna die non esset elicitus actus ille: in Deo autem oppositum contingit, vt vidimus; decretum enim indivisibiliter simul, & semel omni tempore coexistit: vnde in ipso idem omninò est hodie durare, atque abæterno, & inæternum durare; durat enim per æternitatem, quæ amplectitur omne tempus. Ex quo deducitur, quod sicut abæterno est potens Deus facere, quod non existat decretum, pariter, & nunc.

17 Et quidem mirùm est, quod Authores supra citati hoc argumento vtentes asserant Anti-Christum, verbi gratia, tempore, quo existet, posse facere, vt non extiterit in nobis actus fidei, quo credimus plura peccata comissurum: & tamen negent Deum hodie posse facere, quod Adamus existat, seù creetur tempore, quo creatus est; si enim posset facere, posset velle: neque est minus difficilè hodie posse facere, quod præteritum non extiterit, quam quod factum tempore præterito existat, & fiat tempore, quo factum est. Nos autem in Anti-Christo id iudicamus impossibile, ratione nuper traddita: in Deo autem necessarium propter indivisibilitatem suæ æternitatis.

18 Tertio arguitur; Deum odio habere peccatorem est actus liber divinus: & tamen neque existit abæterno, neque in æternum durat; ergo non omnis actus liber Dei semel existens semper existit. Minor pro prima parte probatur; nam Deus non odio habet peccatorem, quem anteà existentem in gratia diligebat, nisi dum incipit esse peccator; ergo odium in Deo non existit abæterno, sed incipit in tempore. Pro secunda etiam parte probatur; nam homo, qui fuit peccator, postquàm consequitur gratiam, non odio habetur, sed diligitur amore amicitię; ergo prius habitum desinit; & consequenter non durat in æternum.

Confirmatur; Deus nunc non prosequitur odio Divum Petrum propter peccatum negandi Christum: at in tempore negationis illum odio prosequebatur; ergo tale odium in æternum non durat. Minor est certa; maior etiam constare videtur; quia nunc odio prosequi Divum Petrum, est esse modo inimicum illius: at Deus nunc non est in veritate quantum ad voluntatis affectum inimicus D. Petri, sed potius verè, & sincerè amicus; ergo nunc non prosequitur ipsum odio propter peccatum negandi Christum. Idem fit argumentum de amore amicitiæ, qui incipit, & desinit ad inceptionem iustificationis, & desitionem gratiæ.

19 Si autem dicas, quod licèt Deus nunc odio prosequatur Divum Petrum, non tamen respectivè ad hoc instans, sed respectivè ad tempus præteritum negationis, quia nunc Divus Petrus est iustus; tempore autem negationis fuit peccator. Contra est; si homo nunc de præsenti odio prosequatur alterum propter iniuriam præteritam, nunc verè de præsenti est inimicus, quamvis modo non velit per effectus exteriores explicare inimicitiam; ergo si Deus nunc verè exercet odium inimicitię erga Divum Petrum propter peccatum præteritum, quamvis modo non velit, quia iustus est, exercere actum inimicitiæ, verè modo est inimicus illius.

Quod vlterius explicatur; si homo in instanti, in quo ab alio iniuriatur, ipsum odio prosequitur propter iniuriam illatam, & illa transacta in eodem odio perseveret propter iniuriam iam præteritam, non minus est inimicus in instanti, quo iniuria afficitur, atque

posteà, licèt motivum inimicitiæ non æquè præsens sit, quia ex parte actus semper manet idem affectus, quamvis non respectivè ad omne tempus ex parte obiecti; ergo similiter si in Deo nunc manet affectus inimicitiæ erga D. Petrum licèt propter negationem præteritam, verè inimicus est D. Petri, quamvis iniuria sit transacta. Hoc autem non videtur cohærere cum promissione Dei facta pœnitentibus apud Ezequielem, cap. 18. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor*; & pugnare videtur cum alijs testimonijs Scripturæ, quibus docemur Deum diligere existentes in gratia, & ipsum diligentes.

20 Huius argumenti prima solutio est P. Amici, qui vbi suprà fatetur Deũ odio prosequi peccatorem, incipere, & desinere; quia concretum illud duo dicit; & actum internum Dei, qui est sufficiens amor, & odium omnium amabilium, & odibilium; & aliud ex parte creaturæ, nimirùm infici peccato, aut affici gratia: quapropter quolibet horum incipiente, aut desinente, incipit, aut definit concretum; & cum homo in tempore incipiat, & desinat esse peccator; in tempore etiam incipit, & desinit, Deum illum odio habere.

21 Hęc tamen doctrina nobis placere non potest; & reijcitur primo; ex Paulo ad Romanos 9. illis verbis: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: ex quo deducunt PP. Deum dilexisse homines abæterno, & ante mundi constitutionem. Secundo; quia opponitur Augustino vbi suprà expressè asserenti, simul, & semel, & semper velle Deum omnia, quæ vult: cuius rationem desummit ex vera æternitate creatoris, atque ex eius immutabilitate; quæ si quid probat, de omni actu libero convincit, & rationes à nobis factæ ex Augustino, & Div. Thoma desumptæ idem convincunt, vt illas recolenti constabit.

22 Tertio reijcitur; quia supponit actum liberum constitui inadæquatè per aliquid creatum; quod suprà reiecimus. Quarto; quia ex hac doctrina sequitur, nullum actum liberum Dei fuisse abæterno, sed quodlibet decretum incipere in tempore: quod salva fide sustineri non potest. Assumptum probatur; ideò odium erga peccatorem asserunt incipere in tempore, quia inadæquate actus iste constituitur per aliquid creatum, quod in tempore incipit; sed iuxta ipsos omne decretum divinum constituitur inadæquatè per aliquid creatum; ergo omne decretum incipit in tempore: & eadem illatione sequitur Deum non cognoscere abæterno futura; quod insanissimum est; cognitio enim libera, sicut & volitio constituitur inadæquatè per aliquid creatum: & cum omne creatum in tempore incipiat, Deum futura cognoscere in tempore incipit. Imò cum cognitio illorum non detur, quoysque existant, sequitur Deum nullomodo cognoscere futura.

23 Secunda solutio est quorũdam Complutensium asserentium, decretum liberum Dei adæquatè constitui per aliquid intrinsecum; cum quo componunt denominationem diligentis amicabiliter iustum, & odio habentis peccatorem incipere, & desinere in tempore, sicut denominatio creantis; quod de decreto ponendi iustitiam, vel permittendi peccatum non potest dici: & Paulum ad Roman. 9. interpretantur non de amore amicitiæ, seù odio inimicitiæ, sed de volitione decernente talia, vel talia bona, & de nolitione exclusiva illorum, seù de decreto permittendi peccatum. Ratio autem differentiæ inter denominationem diligentis amicabiliter, & odio habentis, & inter alia decreta, ea est; quia nequit Deus suscipere denominationem diligentis amicabiliter, aut odio habentis, donec illas rationabiliter suscipiat: at irrationabile est Deum has denominationes suscipere, quoysque adveniat tempus, in quo homo incipit esse iustus, vel peccator; non sic autem in alijs decretis; ergo prædicta differentia inter denominationem diligentis amicabiliter, aut odio habentis, & inter alia decreta, rectè assignata est.

24 Minor pro prima parte probatur; quia irrationabile est Deum amarè hominem, nisi sit dignus amore ratione alicuius dotis, aut bonitatis: sed non est dignus, quoysque tali dote, aut bonitate est ornatus; ergo irrationabile est ante adventum talis dotis, aut bonitatis Deum hominem amicabiliter diligere. Quod in odio clarius conspicitur: est enim prorsus irrationabile odio prosequi Petrum, donec tali odio dignus sit: sed per peccatum fit dignus, vt odio prosequatur à Deo; ergo irrationabile est ante peccatum illum odio prosequi. Quoad secundam partem; scilicèt, quod alia decreta non incipiant, aut de-

desiniant, etiam quoad denominationem probatur; quia quodlibet decretum debet habere tantam perfectionem, quantam potest habere salva eius libertate, & contingentia: at durare sine principio, & sine, est perfectio, quam potest habere quodlibet decretum salva eius contingentia, & libertate; ergo hanc debet habere. Maior probatur; ex eo, quod decretum est actus liber divinus, liber, & contingens. Minor autem quoad primam partem probatur; quia cæteris paribus, melius est durare sine principio, & sine, quam incipere, & desinere: quoad secundam verò; quia Deus potest velle sine principio, & sine, quod Petrus incipiat esse iustus, potestque permittere, vt in tempore peccet, & sic de alijs, quin ex hoc colligi possit hæc decreta libera, & contingentia non esse, aut quod Deus illa irrationabiliter cõcipiat; ergo quodlibet aliud decretum potest durare abæterno, salva eius libertate, & contingentia.

25 Sed hæc solutio etiam est insufficiens, & reijcitur primo; quia concedit aliquem effectum divinum adæquatè Deo intrinsecum incipere, & desinere: quod manifestè opponitur Augustino vbi suprà, qui ex eo, quod Deus habeat veram æternitatem, & eius voluntas intra substantiam Dei sit, intulit simul, & semel, semperque velle omnia, quæ vult, & oppositum contra immutabilitatem esse divinæ voluntatis: quod de omni affectu convincit, præcipuè si adęquatè intrinsecus sit. Secundo; quia tenentur admittere realem mutationem in Deo: quod vltra rationes pro conclusione factas, probatur ad hominem; hi enim Authores asserunt, actum liberum constitui per modum quendam intrinsecum, non plenè identificatum cum Deo, sed ab ipso distinctum, licèt non tanquam res à re: sed si incipiat in tempore, Deus transit de non habendo modum istum ad illum habendum, & si desinat, transit de habendo ad non habendum; ergo realiter mutatur: qualiter in sententia Thomistarum mutatur album, quando intenditur, aut remittitur. Tertio; quia si decretum mensuratur æternitate, & omni tempori coexistit, non est inconveniens, sed necessarium, quod modo existat decretum in Deo creandi mundum tempore, quo creatus est, vt ipsi rectè concedunt; ergo si affectus odij erga D. Petrum pro tempore negationis æternitate mensuretur, & modo verùm sit coexistere negationi, inconveniens non erit asserere, quod de facto datur in Deo. Tunc sic: sed affectum illum mensurati æternitate, inconveniens non est, sed necessarium; cum identificetur cum Deo; ergo neque est inconveniens nunc dari in Deo.

26 Confirmatur; in nobis velle hodie ambulare heri, vel impossibile, vel irrationabile èst, quia neque nos, neque actus nostri modo coexistunt diei hesterno, qui nobis præteritus est: & tamen in Deo non est inconveniens, quod permaneat hodie decretum creandi mundum, quia Deus, & eius decretum omni tempori coexistit; ergo similiter dicendum est in nostro casu, quod, scilicèt, Deus semper retineat actum odij erga D. Petrum pro tempore negationis, quæ licèt in se sit præterita, in æternitate tamen est præsens. Confirmatur secundo; Deo nihil est præteritum, aut futurum, sed omnia sunt ipsi in æternitate præsentia, vt docetur à Thomistis supra quæst. 14. à quibus in re non dissentiunt Recentiores; ergo homo semel in tempore in gratia existens, & dignus amore, semper in æternitate est dignus amore; ergo semper manet in Deo idem affectus internus erga ipsum.

27 Tandem reijcitur; quia sequitur non decreviſſe Deum abæterno pœnam æternam infligendam reprobis propter peccatum, sed in tempore post peccatum commissum: consequens non admittunt, neque admittendum est; ergo neque solutio. Sequela probatur ex ipsorum principijs; ideò enim non odio habet peccatorem abæterno, sed in tempore post peccatum commissum, quia ante peccatum non est odio dignus, & est irrationabile odium concipere contra aliquem, nisi supposita condignitate ad illud: sed neque etiam ante peccatum est pœna dignus, & irrationabile videtur velle pœnam alicui, quia dignus est illa, antequam dignus sit; ergo ex doctrina solutionis infertur non decreviſſe Deum abæterno pœnam æternam reprobis infligendam propter peccatum, sed in tempore post peccatum commissum. Ad motivum pro hac solutione adductum constabit ex dicendis.

28 Tertia solutio docet, affectum amicitiæ, & inimicitiæ in Deo esse conditionatum, qui transit in absolutum purificata conditione: vndè absque inceptione, & desitione affectus interni incipit Deus de-

denominari absolutè diligens, vel odio habens per hoc, quod in tempore incipiat, vel desinat esse conditio: amor igitur amicitiæ rendit in Petrum sub conditione gratiæ iustificantis, qui absolutè non denominat Deum amantem, nisi purificata conditione: odium similiter sub conditione peccati; quod extendunt ad decretum puniendi.

29 Sed neque hæc solutio sustinenda est; ex illa enim sequitur Deum quantum ad affectum internum esse eodē modo inimicum D. Petri pro nunc, atque pro tempore negationis; purificatio enim conditionis non variat vllo modo affectū internum, quia ad intra est conditionatus. Secundo sequitur Deum quoad affectum internum eodem modo amare iustos, & peccatores; eodem modo D. Petrum, & Iudam: imò eodem modo Beatissimam Virginem, atque hominem, qui semper fuit in peccato. Assumptum probatur; Deus erga omnes homines habet affectum conditionatum, & odium, & solum est differentia in purificatione conditionis, quæ nullo modo variat actum internum; ergo eodem modo affectus est erga omnes. Imò sequitur non habere affectum amoris, aut odij liberum; nam Deus iuxta ipsos est necessitatus ad diligendum Petrum sub conditione, quod existat in gratia, & ad odio illum habendum sub conditione peccati; ergo affectus ille conditionatus in Deo est necessarius iuxta illorum principia; & si Deo liberum sit purificare conditionem, non tamen est liber amor conditionatus, qui ad sui existentiam non requirit purificationem conditionis.

30 Tandem reijcitur hæc solutio; quia ex illa sequitur, Deum punire reprobos pœna æterna, sine voluntate efficaci, aut inferente infallibiliter pœnam. Quod sic ostenditur; decretum conditionatum puniendi non est voluntas efficax absoluta pœnæ, neque illam infallibiliter infert; cū possit componi cum carentia pœnæ. Insuper decretum permissivum peccati, & impœnitentię finalis potest componi cum carentia pœnæ; quia hoc decretum est indifferens iuxta hos Authores, & potest componi cum carentia finalis impœnitentiæ. Similiter complexum ex vtroque decreto est indifferens ad pœnam, & illius carentiam; ergo non datur in Deo voluntas efficax pœnæ, aut illam infallibiliter inferens.

31 His ergo relictis, pro solutione notandum est ex D. Thoma infra quæst. 20. art. 2. & 3. Deum amare creaturas, esse ipsis velle bonum: ex quo infert art. 4. Deum magis diligere creaturam, cui maius bonum vult; omnis ergo amor erga creaturam est volitio communicandi illi aliquod bonum; quod erit naturalis, si bonum sit naturale, & supernaturalis, si fuerit supernaturale; eritque amor amicitiæ supernaturalis, si bonum volitum sit gratia habitualis, aut forma constituens hominem sanctum: vndè ipsa volitio infundendi gratiam est ipse amor amicabilis, vt communius docent Thomistæ Tractatu de Iustificatione. Sed quia homo iustus capax est, & dignus ratione gratiæ vitæ æternæ, vltra voluntatem infundendi gratiam, potest Deus velle homini iusto vitam æternam, & alia dona motus ex dignitate gratiæ, vt contentę in bonitate divina; quæ est obiectum adæquatè motivum divinæ voluntatis; qui amor potest esse efficax, qualis est erga prædestinatos, vel ineffieax, vt erga reprobos iustos; supponitque amor iste amorem amicabilem, scilicet, volitionem infundendi gratiam, vel est iuxta alios ipse amor amicabilis.

32 Secundo advertendum est, odium erga peccatores, vel esse volitionem permittendi peccatum; vel volitionem inefficacem, qua Deus vult non esse peccatum coniunctum cum illius permissione, vel voluntatem infligendi pœnam æternā propter peccatum, quæ in reprobis est efficax, & in prędestinatis peccatoribus inefficax. Ex his facilè intelligitur, quod sit æternus in Deo amor, quo diligit iustum, qui anteà fuit peccator; est enim æterna volitio conferendi illi gratiam pro tempore, quo illam habet: est etiam æterna volitio conferendi gloriam ex complacentia in gratia, vel efficax, vel inefficax, sicut est abæterno volitio salvandi omnes homines; cui non obest, quod Deus non possit moveri ex gratia ad conferendum gloriam, quovsque detur gratia; quia eadem est difficultas in decreto conferendi gloriam propter merita; quod tamen esse æternum fatentur omnes, etiam Authores tertię solutionis: & ratio est; quia gratia in tempore existens est abęterno in æternitate Deo prędens: etiam intelligitur odium erga peccatorem prædestinatum, æternum esse; volitiones enim assignatæ, in quibus odium consistere potest, æternæ sunt.

Ter-

33 Tertiò advertendum eſt, quod hæc propoſitio: *Hic homo diligitur amicaliter à Deo*, à nobis prolata in hoc inſtanti, facit ſenſum duplicem: in primo ſignificat Deum velle hunc hominem habere gratiam, vel velle ex complacentia in gratia ipſi conferre gloriam præſcindendo à gratia habita in hoc inſtanti, vel in alio: qui ſenſus poteſt eſſe verus, etiam ſi homo in hoc inſtanti non ſit in gratia; de prædeſtinato enim peccatore illa verificantur; cum erga ipſum ſit ſemper in Deo vtraque illa voluntas; quo ſenſu verum eſt dilexiſſe abæterno prædeſtinatos, & in hoc loquutus eſt Paulus vbi ſupra, & in eodem concedit D. Thomas, artic. 4. citato ad 5. Deum magis diligere prædeſtinatum peccatorem, quam reprobum iuſtum. In ſecundo ſignificat Deum velle huic homini gratiam pro hoc inſtanti, vel Deum velle ex complacentia in gratia, quam in hoc inſtanti habet, ipſi conferre gloriam: in quo ſenſu communius accipitur, & ad illius veritatem neceſſarium eſt hominem exiſtere in gratia; quod ſi ſit in peccato, erit falſa propoſitio, & ſemper eſt falſa; quia in Deo nunquam fuit talis voluntas; & eodem modo diſcurrendum eſt de odio.

34 Ex quibus ad argumentum negandum eſt odium erga peccatorem non exiſtere in Deo abæterno. Ad huius probationem negandum eſt antecedens; Deus enim abæterno voluit permittere peccatum; voluit inefficacitèr non eſſe, & voluit ex eius diſplicentia pœnam: quo ſenſu hæc propoſitio: *Deus odio proſequitur Petrum*, verificatur ante peccatum, & eſt vera tempore, quo exiſtit in gratia: quia tamen cõmunitèr in ſecundo ſenſu accipitur, nimirùm Deum velle permittere peccatum pro hoc inſtanti, quo profertur propoſitio, vel velle pœnam propter peccatum commiſſum in illo inſtanti; hinc fit, quod prolata ante peccatum ſit falſa: imò id, quod ſignificatur per illam, nunquam eſt; nam pro inſtanti ante peccatum, nunquam verificatur Deum habere aliquam ex illis voluntatibus.

35 Ad confirmationem eodem modo reſpondendum eſt, nimirùm, in Deo manere odium, quod concipit erga Sanctum Petrum pro negationis tempore; manet enim voluntas permittendi peccatum pro illo tempore, ſicut manet volitio creandi mundum: manet etiam nolitio inefficax peccati coniuncta cum prima voluntate, & voluntas puniendi D. Petrum propter peccatum in illo inſtanti commiſſum: non tamen abſolutè conceditur Deum modo odio proſequi D. Petrum; quia modo prolata illa propoſitio communitèr accipitur in ſecundo ſenſu ſuprà aſsignato, in quo falſa eſt.

36 Ad replicam contra ſolutionem ibi datam, quę eadem eſt cum noſtra reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam; quia modo eſſe inimicum D. Petri in ſecundo ſenſu accipitur, & idem eſt atque aſſerere Deum velle propter peccatum in hoc inſtanti commiſſum, punire Divum Petrum, quod falſum eſt: eſt tamen verum retinere modo Deum affectum illum, in quo poteſt odium conſiſtere, vt dictum eſt. Quare autem Deus poſsit retinere affectum illum odij, & nunc eſſe amicum, eſt; quia Deum velle permittere peccatum D. Petro pro inſtanti, quo peccavit, & ex diſplicentia in ipſo velle illi pœnam inefficacitèr, & ſimul velle illi communicare gratiam, & gloriam pro hoc tempore, non opponuntur; ſicut neque decernere Petrum exiſtere hodie, & cras non exiſtere: eſt tamen modo amicus Div. Petri; quia propoſitio modo prolata ſignificat Deum velle communicare pro hoc inſtanti illi gratiam: & non eſt modo inimicus; quia non vult permitterere peccatum pro hoc inſtanti; neque vult illi pœnam ex diſplicentia in peccato nunc commiſſo: in æternitate tamen verum eſt Deum eſſe amicum, & inimicum D. Petri; ſicut & quod in æternitate B. Petrus eſt iuſtus, & peccator: tamen potiori titulo eſt amicus, quia illi vult Deus gloriam æternam; reſpectu etiam reprobi, qui in diverſis temporibus fuit peccator, & iuſtus, eſt etiam Deus amicus, & inimicus in æternitate; magis tamen inimicus; quia illi vult pœnam æternam: homo autem modo retinens odium propter iniuriam ei illatam, hodie eſt inimicus, & non poteſt eſſe ſimul amicus, quia amor, & odium inter ſe opponuntur: quod tamen homo poteſt facere diverſis temporibus, in Deo compatiuntur in eadem menſura æternitatis, quæ ambit diverſa tempora, & vt explicatum eſt, amor, & odium pro diverſis temporibus non opponuntur.

37 Tandem arguitur, ſi decreta Dei non poſſunt incipere, & deſinere in tempore, non eſt Deus liber in decernendo;

do;ergo possunt incipere,& desinere. Antecedens probatur; non est liber ad inceptionem decretorum, neque ad ipsorum permanentiam; ergo non est liber in decernendo. Antecedens pro prima parte constat,quia Deus non est liber,aut potens ad impossibile essentialiter: sed inceptio decreti est impossibilis essentialiter; ergo non est liber, aut potens ad inceptionem decretorum. Quoad secundam etiam probatur; libertas ad permanentiam decretorum dicit potentiam in Deo ad faciendũ, quod non permaneant: sed hæc potestas non datur; ergo neque libertas ad permanentiam. Minor probatur; potestas ad faciendum,quod non permaneant,est potestas ad faciendum, quod desinant decreta iam præhabita: sed ad hoc non est potestas in Deo, quippè est essentialiter impossibile; ergo non datur in Deo potestas ad faciendum, quod non permaneat decretũ.

38 Confirmatur; nunquam exercetur libere decretum, si essentialiter est æternum; ergo vel non est essentialiter æternum,vel non exercetur libere. Antecedens probatur; hodie non excetur libere, neque heri,& sic in alijs durationibus antecedentibus; ergo nunquam. Probatur antecedens pro prima parte; ante diem hodiernum existit hoc decretum: sed ex suppositione,quod extiterit, non potest nõ esse hodie, si decretum est essentialiter æternum; ergo sic existit hodie decretum, vt hodie non possit non existere;& consequenter hodie non libere exercetur: quo argumento etiam probatur in nulla duratione antecedenti exerceri libere.

Confirmatur secundo; quod Deo est necessarium ex aliqua suppositione, quam hodie vitare non potest,non est hodie simpliciter,& absolutè Deo liberum: sed Deo est necessarium,hodie existere decretum ex suppositione,quod heri extiterit; & hæc suppositio hodie à Deo vitari non potest; ergo existere hodie decretum, non est hodie simpliciter Deo liberum. Minor pro secunda parte probatur; quia hodie est impossibile,quod redeat tempus præteritum: sed hoc erat necessarium, vt Deus faceret, quod coniungeretur omissio decreti cum tempore præterito;ergo hodie non potest Deus facere,quod heri nõ extiterit decretũ.

39 Respondetur negando antecedens: ad probationem iterum negandum est pro secunda parte;& ad probationem concessa maiori,neganda est minor; ad probationẽ negarda est maior;non enim est idem decretum desinere, atque non permanere; decretum enim, quod nunquam fuit, non permanet; quod tamen non desinit: Deus ergo, sicut potest facere, quod non sit vnquam,potest facere,quod non permaneat, & in decreto idem est esse, atque semper esse, vt suprà diximus.

Ad primam confirmationem negandum est antecedens, & ad probationem iterum negandum,& ad probationem cõcessa maiori,& minori, distinguendum est consequens,sic existit,vt hodie non possit non esse,ex suppositione quod heri extiterit,concedo consequentiam, vt non possit non esse absolutè,nego consequentiam. Ad secundam confirmationem concessa maiori,neganda est minor pro secunda parte, quam non convincit probatio:ad illam cõcessa maiori,neganda est minor; hodie enim retinet Deus potentiam ad faciendum,quod omissio decreti coexistat tempori hesterno,sicut potest facere, quod non existat decretum: quæ solutio constat ex dictis.

40 Ex quibus etiam infertur scientiam Dei liberam esse omninò invariabilem, neque incipere, aut desinere posse. Quod convincitur ex eo, quod identificetur cum divina substantia, & mensuretur æternitate: qua ratione vsus est Magister Sententiarum in 1.distinct.39.& 41. confirmatque ex Augustino lib.15.de Trinitate;vbi eadem docet de Scientia, atque illa, quę suprà retulimus de Voluntate: ibi etiã D.Thomas eandem traddit doctrinam:vbi etiam docet hanc propositionem, *futurum est,vt Christus crucifigatur*, fuisse scitam à Deo,modo autem non sciri; quia per ipsam modo prolatam designatur esse rei cũ suis conditionibus:quod intelligendum est iuxta dicta;quia,scilicèt,modo prolata propositio illa ex consignificatione verbi denotat modo esse nobis futuram crucifixionem Christi;quod tamen falsum est: Deus autem semper scit verum esse in æternitate,Crucifixionem Christi futuram esse cõparative ad Patres Antiquæ Legis in æternitate; nobis autem præteritam. Et hæc de isto dubio applicanda litteræ Magistri in 1.dist. 39. & 41. §. Prætereà, & sequentibus. Et de isto Tractatu.

TRAC-

TRACTATVS V.

DE PROVIDENTIA DEI ERGA actus liberos, & eius concordia cum libertate creata.

PROOEMIUM.

EX Defectu Scientiæ Mediæ, cuius impossibilitatem iam ostendimus, conantur eius Authores deducere Divinam Providentiâ imperfectam esse, vel vt perfecta adstruatur, qualiter à Thomistis asseritur, & Divinam decet Maiestatem, liberum arbitrium creatum è medio tollere. Quapropter ad hanc inanem invidiam pulsandam, & vt appareat (vt cum Prospero loquamur in Epistola ad Rufinum) quam lucem, quibus tenebris conentur obducere, opere pretium duximus Divinæ Providentiæ perfectionem pro viribus tueri, eiusque cum libertate creata Concordiam pro tenuitate nostra explicare. Neque ex providentiæ perfectione, & vniversalitate, qua sibi subijcit voluntatem creatam, libertatis eius periculum timemus: vt enim docet Prosper contra Collatorem, cap. 12. *Non est periculum liberi arbitrij ex gratia Dei; nec voluntas aufertur, cum in illa bene velle generatur.* Duces eligimus, & veneramur, Augustinum, & Thomam Aquinatem: quorum illi (teste Prospero vbi proximè, cap. 19.) *contra inimicos gratiæ Dei dux est Catholicæ, cuius ductu pugnat, & vincit Ecclesia, nec patitur respirare, quos vincit:* hic autem fidelissimus eius discipulus, cuius Angelica luce difficiliora clarescunt. Sit ergo.

DISPVTATIO PRIMA.

DE EXISTENTIA EFFICACIS PRÆDEFINITIONIS.

DVBIVM PRIMVM.

VTRVM AD EXISTENTIAM ACTVS LIBERI *ſufficiat decretum indifferens?*

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Proponitur ſententia affirmativa, & primus modus illam explicandi reijcitur.

1 PRÆRBQVIRI Aliquod decretum ad exiſtētiam actus liberi creati, ab omnibus ſupponi debet: Tùm, quia actus liber ſupponit eſſentialiter ſubſtantiam intellectualem cum omnibus intrinſecè requiſitis ex parte actus primi ad illius exiſtentiam: hæc autem dari non poſſunt abſque prævio decreto Dei de conferendo ſubſtantiæ intellectuali exiſtentiam, & principia intrinſeca libertatis. Tùm etiam; quia implicat creaturam aliquam exiſtere abſque concurſu immediato Dei *in ipſam* libere, & voluntariè præſtito: quod de operatione libera creaturæ etiam eſſè intelligendū omnes contra Durandum communitèr ſupponunt; quem non ſatis fœlicitèr ſequutus eſt Ludovicus á Dola, de Concurſu Dei, parte 4. Concurſus autem voluntarius, & liber, includit actum liberum voluntatis divinæ. Eſt tamen non modica difficultas in explicanda huius decreti natura.

2 Authores Scientiæ Mediæ cum Molina in Concordia, quæſt. 14. art. 13. diſp. 16. & 31. & Suarez tomo 1. de Gratia Prologomenon 2. cap. 8. lib. 1. Opuſculorum, cap. 15. & diſp. 22. metaphiſicæ, ſect. 4. communitèr docent, decretum prærequiſitum non eſſe ab intrinſeco efficax, & infallibiliter connexum cum actu, eo quod illius everteret libertatem; ſed indifferens ad actum, & eius omiſsionem; coniungibileque diviſive cum quolibet extremo libertatis, contrarietatis, aut contradictionis, iuxta libertatem actus; ex cuius indifferentia concurſus divinus ad actum liberum vocatur indifferens: nō quia in exercitio determinatus non ſit, vtpotè identificatus cum actione creaturæ; ſed quia ad illum præſtandum applicat Divinam Omnipotentiam per decretum indifferens, quo Deus non vult determinatè amorem præ odio, vel è contra, aut horum actuum omiſsionem; ſed indifferenter offertur concurſus, relinquens illius determinationem voluntati creatæ, quæ pro ſua innata libertate eligens actum amoris, v.g. determinat Omnipotentiam, vt concurrat ad illum.

Diſident tamen valdè in aſsignando obiecto huius decreti; quidnam, ſcilicèt, Deus velit per hunc actum, & an hoc decretum ſi abſolutum, vel conditionatum, an vnum, vel multiplex: & quamvis conveniant in eo, quod non eſt omninò efficax, ab alijs vocatur ſufficiens, ab alijs inefficax, & ab alijs ſemiefficax.

Pri-

3 Primus modus explicandi hanc sententiam est aliquorum, quos suppresso nomine refert, & laudat Ribadeneyra, tract. de Prædestinatione, disp. 9. cap. 4. & Oviedo controversia 10. Philicorum, puncto 4. §. 4. affirmatque; quod supposita voluntate cum omnibus intrinsecè requisitis ex parte actus primi ad amandum, vel odio habendum, vel ad vtriusque omissionem, nullum requiritur decretum, quo Deus efficacitèr, aut inefficacitèr velit cum voluntate concurrere; sed sufficere decretum, quo statuat excludere omnem determinationem, sivè creatam, sivè increatam præcedentem actum voluntatis, & ad illum necessitantem: vndè si vt huiusmodi determinatio non sit, sufficiat omissio pura decreti prædeterminantis, nullum est necessarium decretum ad concurrendum cum voluntate creata præter illud, quod necessario in Deo supponitur ad constituendam voluntatem cum omnibus intrinsecè requisitis ex parte actus primi.

4 Huius sententiæ, quam pulchram cogitationem appellant Complutenses relati vbi supra, fundamentum est: quia ex vna parte integra manet voluntatis libertas; hæc enim potest ex extremis suæ libertatis, quod maluerit eligere absque eo, quod ab aliquo extra se determinetur; & ex alia sufficienter intelligitur applicata Omnipotentia ad concurrendum per hoc, quod contulerit Deus voluntati creatæ omnia principia intrinseca libertatis, nolitque liberum exercitium impedire.

5 Hæc tamen cogitatio, licèt videatur satis conformis principijs Scientiæ Mediæ, communitèr displicet etiam illius Authoribus, vt minus conformis perfectioni Providentiæ Dei; & contra illam obstare videtur, quod vltra principia intrinseca libertatis nõ indigeret volũtas alterius ope ad benè operandum; sic enim constituta solum indiget, vt benè operetur, quod non impediatur: hoc autem quid distinctum est ab hoc, quod est alterius ope indigere; & est manifestum absurdum; quod ab Adversarijs non admittitur, & merito: est enim principium cuiusdam discipuli Pelagij, qui, vt refert Hieronymus Epistola ad Tesyphontem, cap. 3. illud probat, eo quod destruitur libertas, quæ alterius ope indiget; constatque ex verbis à Hieronymo relatis, quæ talia sunt: *Aut vtor semel potestate, quæ mihi data est, vt liberum seruetur arbitrium; aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me destruetur*: quod ibi reprehendit Hieronymus, & passim Concilia, & PP. & consequenter sentiunt, quod vltra principia intrinseca libertatis, & indifferentia in actu primo indiget homo alterius ope ad bene operandum.

6 Nec sufficit, si dicas, quod in sententia, quam impugnamus, indiget homo concursu simultaneo. Non, inquam, sufficit: tùm; quia, vt plures probabiliter docent, hũc concursum non negabat Pelagius: & tamen reprehenditur à Hieronymo, tanquàm asserens alterius ope non indigere; ergo vt alterius ope indigeat, vltra principia intrinseca libertatis, & concursum simultaneum, alio debet indigere: quod sine novo decreto non intelligitur. Tùm etiam; quia si altero decreto non indiget, quamvis requiratur concursus simultaneus, non est verum, quod alterius ope indiget: concursus enim simultaneus subditur voluntati creatæ, & iam constitutæ in actu primo secundo illi: quamvis enim requiratur cõcursus potentiæ vitalis ad actum vitalem non est verum, quod alterius ope indiget, Deus ad producendum actum vitalem, quia scilicèt concursus potentiæ vitalis illi subditur. Tùm denique; quia sine alio decreto concursus Dei ad amorem præ odio voluntarius non est: concursus autem Dei non voluntarius ipsi Deo implicatorius est: sed hæc commodiùs infra ponderabimus.

7 Modo reijcitur hic primus modus dicendi: primo; quia nulla creatura potest existere absque eo, quod velit ipsi communicare existentiam, vt constat ex illo Sapiẽtiæ 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses*: si enim permanentia in esse semel habito positivam voluntatem Dei necessario desiderat, primum esse illius illam à fortiori debet supponere, vt non negabunt Adversarij. Et Judith 9. *Hoc factum est, quod ipse voluisti: omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua iudicia in tua prouidentia posuisti*: quod expressit Paulus de Actu Voluntatis creatæ. Ad Philipenses 2. *Deus qui operatur velle, & perficere, pro bona voluntate sua*, vt legit Augustinus de Bono Perseverantiæ, cap. 14. Idem docet Apostolus de Omnibus Operibus Dei. Ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

8 Eandem docuit veritatem Augustinus in Enchyridione cap. 10. illis verbis:

Neque inique aliquid facit, nec nisi volens; vel ergo non facit actum liberum, vel positive vult illum producere, seú ad illum cum voluntate creata concurrere. Idem docuit D.Thomas pluribus in locis, præcipuè 1.p.q.25.art.5. solutione ad 2. Ubi loquens de Omnipotentia Dei, sic habet: *Non tamen potest esse, quod aliqua faciat, quæ non præsciverit, & præordinaverit se facturum*; & subdit rationem: *Quia ipsum facere subiacet præscientiæ, & præordinationi*; qua ratione infrà vtemur; & 3.contra Gentes,cap. 98.ibi: *Non est possibile, quod aliquid faciat, quod non sit ab eo volitum.* Et 2.contra Gentes,cap.23.inter alia, quibus hanc veritatem prosequitur, eam ratione 4. confirmat: *Quia operatio Dei, qua creaturas producit, & causat, est actio immanens, scilicèt intellectio, & volitio; & consequenter Deus operatur, & agit intelligendo, & volendo; atqueadeò quidquid ab ipso causatur, cognitum est, & volitum à Deo.* Ex quo intulit cap. 25. sequenti ratione 15. *Deum non posse facere, quæ non potest velle; quia, scilicèt, non nisi volendo facit.* Pro qua veritate adducit Hilarium libro de Synodis, illis verbis: *Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit*; Et infrà: *Talia cuncta creata sunt, qualia ea Deus facere voluit.*

9 Secundo: vltra illa, quæ infra adversus alios modos dicendi proponemus, quæ à fortiori istum falsitatis convincunt: ex hac cogitatione sequitur non alium concursum Dei exigere actum bonum ad sui existentiam, atque peccatum, seú actum malum; neque aliam in Deo voluntatem præparantem, seù applicantem Omnipotentiam ad concurrendum. Primum constat: nam in sententia horum Authorum Deus ad vtrumque physicè per Omnipotentiam concurrit à creatura determinatus, etiam ad ipsam formalem malitiam. Secundum etiam constat: quia ad vtriusque existentiam requiritur Deum excludere, sivè per decretum positivum, sivè per puram omissionem, omnem determinationem antecedentem, & necessitantem; & neuter exposcit Deum velle positive concurrere; ergo actus bonus ad sui existentiam non ampliús exposcit, neque ex parte concursus divini, nec ex parte voluntatis Dei præparantis concursum, quam actus malus, seù peccatum.

10 Ex quo vlterius evidenter, ni fallor, infertur; quod sicut ex illo modo concurrendi ad peccatum, inferre debent Deum non esse Authorem illius, sed illud permittere; ex eodem modo concurrendi ad actum bonum, & præparandi concursum ad illum, tenentur etiam admittere, si consequenter loquantur, Deum non esse Authorem illius, sed solum illum permittere; vel saltim dari actum bonum, cuius Deus Author non sit; sed permissor.

11 Rursus: ex illa cogitatione sequeretur non esse necessarium, vt ignis comburat, vel quævis alia causa naturalis suum effectum producat, aliquod decretum ex parte Dei præparans Omnipotentiam ad concurrendum cum illa, decernensq; positive productionem effectus; sed sufficere Deum per omissionem, seú positivum decretú excludere impedimenta ad concurrendum: quod Adversarij non admittunt. Sequela videtur manifesta: si enim sufficienter est parata Omnipotentia ad concurrendum cum voluntate creata in actu primo constituta per hoc, quod nolit eius liberum exercitium impedire; quare non erit sufficienter parata ad concurrendum cum igne per hoc præcisè, quod nolit eius operationem impedire? Sicut enim ignis applicatus ad passum est determinatus ad comburendum, & defacto comburit, si à Deo nó impediatur; similiter voluntas in actu primo libertatis constituta, determinata est ad vnum ex extremis libertatis vagè; ergo sicut hęc solum indiget à Deo non impediri, neque est necessarium decretum, quo velit concurrere cum illa; pariter ignis, & quælibet alia causa naturalis.

12 Imò in causa naturali potior est ratio: causa enim libera quamvis vagè determinata ad aliquod ex extremis suæ libertatis, supposito quod á Deo non impediatur decreto prędeterminante: est tamen indifferens adhùc suppositá non impeditione ad ponendú vnum exercitium præ alio, amorem, v.g. præ odio: & adhùc indifferentia, & non impeditione suppositis non videtur à Deo sufficienter provisum, & dispositum, quod existat amor præ odio; cú ex vi illorú neuter actus determinatè ponatur: causa autem naturalis, ignis. V.g. est determinatus ad comburendum, & combustio infallibiliter ponitur existente igne, & applicatione ad passum, Deoque illius activitatem non impediente; ergo potiori titulo dicendum est, esse à Deo provisam, & dispositam ignis combustionem, paratamque Omnipotentiam ad concurrendum per positionem ignis,

ignis,& decretum non impediendi illius activitatem; quam actum liberum per decretum ponendi causam indifferentem in actu primo,illamque non impediendi.

13 Et vrgetur : cum decretis illis in Deo respectu ignis non potest componi carentia combustionis ; cum hæc esse non possit ex determinatione ignis , qui liber non est ad non comburendum : nec ex determinatione Dei , qui supponitur volens non impedire actionem ignis : cum decreto autem non impediendi causam liberam componi potest carentia amoris, & concursus Omnipotentiæ ad illum;ergo potiori titulo intelligitur parata Omnipotentia ad concurrendum cum igne , quam ad concurrendum cum voluntate ad amorem. Consequentia probatur : nam eo potiori titulo intelligitur sufficienter parata,& applicata Omnipotentia ad concurrendum , quo magis determinata est, vt concurrat : sed magis determinata est ad concurrendum cum igne ad combustionem cum decretis , quibus coniungi non potest carentia combustionis , quam ad concurrendum ad amorem decretis , quibus potest coniungi carentia amoris , & concursus Omnipotentiæ ad illum ; ergo potiori titulo est parata illis decretis ad concurrendum cum igne ad combustionem , quam ad concurrendum cum voluntate ad amorem.

14 Urgetur secundo : ex eo posita non impeditione ex parte Dei esset sufficienter parata Omnipotentia ad concurrendum cum voluntate creata ad liberum amorem, quia voluntas creata , quamvis indifferens ad amorem,& odium, ex innata libertate potest se determinare ad amorem præ odio; & consequenter ipsam Omnipotentiam ad concurrendum ad illum: sed ignis ex sua natura est determinatus ad comburendum ; ergo posita non impeditione ex parte Dei determinabit Omnipotentiam ad concurrendum ad combustionem ; in vtroque ergo casu per decretum non impediendi sufficienter est parataOmnipotentia,& in neutro est necessarium decretum positivum concurrendi.

15 Dices:disparitatem consistere in eo , quod etiamsi concedatur decretum necessarium , quo Deus velit positive concurrere cum causa naturali , nullum sequitur inconveniens , & alias perfectiorem arguit providentiam erga operationes naturales , & ideò eius necessitas non est neganda ; est enim Deo necessario concedenda Providentia perfectissima possibilis : ex concessione autem decreti necessarij ad existentiam actus liberi , quo Deus velit positive ad illum concurrere, sequitur eversio libertatis; quapropter Deo est omninò denegandum.

16 Sed præterquàm quod decretum necessarium etiam efficax ad existentiam actus liberi , illius libertatem non lædere , infrà est probandum :& præterquam quod decretum inefficax superadditum illam non lædit in sententia Adversariorum ; atqueadeò saltem hoc superaddendum esset. Contra est : nam operatio causæ naturalis nequit exigere perfectiorem providentiam in Deo, quam actus liber : quo enim creatura perfectior est , potiori titulo , & perfectiorem exigit providentiam ; ergo operatio causæ naturalis , & non libera nequit exigere providentiam in Deo includentem decretum efficax concurrendi , quam actus liber non desiderat. Antecedens adeò certum videtur , vt Paulus 1. Corinthiorum 9. videatur negare Deo curam de bobus , vt intelligeremus speciali modo , & titulo substantiam liberam divinæ subijci providentiæ , vt explicat Div. Thomas in præsenti articulo 2. ad 5. Quam veritatem agnovit etiam Philosophus in 1.Ethicorum dicens ; quod Deus maximè curat de his,qui diligunt illum.

17 Idem docuit Div. Thomas pluribus in locis,præcipuè 3. contra Gentes cap.84.ratione 9.cap.89.& 90. vbi ex maiori perfectione substantiarum intellectium probat electiones humanas , & actus liberos potiori iure , & specialiori subijci providentiæ,quàm operationes naturales: Et adducens argumentum desumptum ex læsione libertatis,& loca Sacra , quę nobis communiter opponuntur , & iam dudum Augustino fuerunt opposita , quæ contrarium sonare videntur,in legitima explicatione exponit. Item Gregorium , & Damascenum,qui Divinam Providentiam erga actus liberos negare videbantur , eo quod asserebant Deum illos non prædeterminare,etiã exposuit,vt infrà videbimꝰ.

18 Ex quibus sic licèt argumentari : Div. Thomas ex læsione libertatis non est motus ad negandum erga actus liberos providentiam eandem , ac erga actus necessarios ; sed potiùs perfectiorem esse affirmat:cum quo libertatẽ composuit;

ergo qui cum perfectiſsima providentia Dei erga actus libero: illorum libertatem componere neſcierunt, audiendi non ſunt; ſed defendenda providentia perfectiſsima erga illos,& deindè pro viribus cum illa libertatem componere, vt fecit D. Thomas. Et quidem quod requiritur, vt Deus ſit perfectus Proviſor actuum liberorum, ſicut,& naturalium, illorum libertatem, & naturam deſtruere non poteſt.

19 Secundo; ex eo, quod ſit perfectior providentia, quæ claudit decretum poſitivum concurrendi, non ſequitur exigi neceſſario ad exiſtentiam operationis naturalis; ergo etiamſi Deus poſsit illam habere, non ſequitur ſine illa exiſtere non poſſe operationem naturalem. Antecedens probatur; perfectior eſt providentia actus liberi, ſi Deus conferat auxilium efficax ad illum ex intentione efficaci illius, & directus ex Scientia Media, quam abſque tali decreto, & directione, vt oppoſiti Authores non negant: & tamen ſine his exiſtere poteſt actus liber in eorumdem ſententia; ergo ſimiliter.

20 Tertio; vel providentia actus liberi abſque decreto, quo Deus poſitive velit ad illum concurrere, eſt poſitive imperfecta, vel non? Si primum; ergo abſque decreto illo non poteſt exiſtere actus liber: Si ſecundum; ergo etiamſi operatio cauſæ naturalis exiſtat abſque ſimili decreto Dei, providentia non erit poſitive imperfecta, quamvis non ſit ita perfecta, ſicut illo exiſtente: omnia enim inconvenientia, quæ deduci poſſunt ex negatione decreti erga actum neceſſarium, deducuntur ex negatione illius erga actum liberum; & ratio â priori illius probativa æquè vtrumque convincit,& potiori titulo erga actum liberum.

21 Tandem alijs relictis, ex neceſſitate decreti erga actum neceſſarium placuit neceſsitatem illius erga actum liberum abſque inconvenienti hoc ratiocinio deducere: actio neceſſaria oritur à cauſa neceſſaria,& naturali, non neceſsitate omninò infallibili,& metaphiſica, ſed phiſica; cum qua de potentia abſoluta poteſt componi carentia operationis: & tamen Deus per decretum omninò infruſtrabile, & metaphiſicè infallibile, cum quo carentia operationis non poteſt coniungi, facit quod actio naturalis neceſsitate ſolum phiſica oriatur ex tali cauſa; ergo ſimiliter decreto omninò infallibili poteſt Deus facere, vt actus ex cauſa libera contingenter oriatur: neceſsitas enim phiſica minor eſt metaphiſica,& metaphiſicè impedibilis; ſi ergo hæc à Deo cauſatur per decretum etiam metaphiſicè infruſtrabile, poterit etiam libertatem,& contingentiam Deus cauſare. Quæ ratio deſumitur ex D. Thoma pluribus in locis. Videatur in præſenti art. 4. ad 1.

§. II.

Alij modi dicendi referuntur, & reijciuntur.

22 SECVNDVS Modus dicendi eſt. P. Suarez vbi ſupra aſſerentis neceſſarium eſſe decretum ad exiſtentiam actus liberi, quo Deus velit cum voluntate concurrere: hoc tamen decretum non eſſe abſolutum, ſed conditionatum, ſcilicèt ſub conditione determinationis voluntatis creatæ. Docet itaque, quod Deus præparat Omnipotentiam ad concurrendum huiuſmodi decreto: Volo concurrere cum voluntate, ſi ipſa ſe determinaverit,& ad actum, ad quem ipſa ſe determinaverit, amorem ſcilicèt, vel odium: quod decretum coniungi poteſt cum carentia concurſus ad amorem, & cum carentia amoris; nam cum ſit conditionatum, deficiente conditione, deficit concurſus per illud volitus.

23 Sed hic modus dicendi communiter diſplicet,& reijcitur primo: Decretum debet reſpicere obiectum contingens: ſed Deum ad amorem concurrere, ſi voluntas ad illum ſe determinaverit, eſt omninò neceſſarium; cum enim voluntas per amorem ad amandum ſe determinet, implicat ſe ad amorem determinare, quin ſit amor,& conſequenter concurſus divinus ad illum omninò neceſſarius, imò cum eo identificatus; ergo concurſus ſub conditione determinationis voluntatis creatæ nõ poteſt eſſe obiectum decreti liberi. Secundo: Deum concurrere ad amorem, ſi voluntas ad illum ſe determinaverit, eſt omninò neceſſarium; ergo vt parata ſit Omnipotentia ad concurrendum, neceſſarium non eſt Deum illum obiectum decernere:

Deus

Deus enim ex se, & secluso decreto paratus est ad faciendum id, quod non potest non facere. Tertio: actus voluntatis creatæ idem est cum concursu divino, vt ipsi asserunt; ergo hoc decretum: *Volo concurrere, si voluntas se determinaverit, idem est, atque, volo concurrere, si concurram*: huiusmodi autem decretũ indignum est Deo.

24 Propter hæc,& similia asserunt Recentiores, Patrem Suarez non asseruisse decretum hoc esse conditionatum, sed quasi conditionatum; quod sic ab ipso appellatur, quia non est decretum efficax, sed inefficax; quod non aliter habet effectum, nisi ex determinatione voluntatis creatę: eo modo, quo habitus charitatis dicitur, quod concurrit ad actum charitatis, si voluntas ad illum se determinaverit: per quod solum significatur concurrere cum voluntate ad amorem determinatum à voluntate: similiter decreto ipso Deus vult concurrere cum voluntate ad actum, tàm bonum,quàm malum; non tamen efficacitèr ad bonum præ malo, vel è contra; sed huius determinationem relinquit voluntati creatæ; & propterea decretum dicitur conditionatum, & obiectum illius conditionatè significatur, licèt revera conditionatum non sit, sed absolutum; inefficacitèr tamen volitum.

Sed cuiuscumque sit ista sententia, falsa est,& pro illa in sensu à nobis explicato Alarcòn adducit Patrem Suarez, ipsumque impugnat Tract. 2.de Scientia Dei,disp.5.cap.8. Quod non leve fundamentum habere in P.Suarez testatur Oviedo controversia 10.Phisicorum, punct. 4. §. 3.

25 Quidquid tamen de hoc sit, adhùc sic explicata sententia hæc nobis placere non potest: & in primis iuxta illam fatendum est, vel Deum non esse Authorem actus boni,vel esse Authorem peccati. Quod ex eo manifestum videtur; quia Deus eodem modo ad vtrumque concurrit,& eodem modo præparat Omnipotentiam per decretum solum inefficax,& quasi conditionatum, quo vult concurrere ad actum bonum,si voluntas ad illum se determinaverit;& similiter ad actum malum sub conditione, quod voluntas illum eligat;ergo vel vtriusq; est Author,vel vtriusque solum permissor.Quod à P.Suarez negari non posse,ex eo mihi persuadeo, quod tomo 1.metaphisicæ,disp.22.sectione 4. à numero 1.ex eo probat peccatum in Deum vt Authorem,& primam causam,seù originem non reduci, quia Deus non vult efficacitèr actum malum; sed solum conditionatè, seù inefficacitèr, relinquens determinationem voluntati creatæ: ex quo intulit determinationem creaturæ ad actum malum in Deũ tanquàm in primum Authorẽ, & originem non reduci, & consequenter neque peccatum: sed Deus solum inefficacitèr,seù conditionatè vult actum bonum, & relinquit determinationem ad illum voluntati creatæ; ergo iuxta ipsum determinatio ad actum bonum non debet reduci in Deum tanquàm in primum Authorem, & originem, & consequenter nec actus bonus.

26 Secundo: nam vel Deus hoc decreto vult indifferenter omnia extrema libertatis,contrarietatis scilicèt, & contradictionis; vel solùm extrema positiva libertatis contrarietatis. Si hoc secundum dicatur: sequitur per hoc decretum non velle omissionem liberam, neque etiam inefficacitèr, seù indifferenter;& consequenter hanc esse præter Dei intentionem, & providentiam: ideó enim decretum saltem indifferens admittunt ad actum positivum, vt iste præter intentionem, & providentiam Dei non eveniat. Sequitur secundo; non esse in voluntate creata liberam potentiam ad omissionem: nam licèt hoc decretum sit indifferens; est tamen necessario connexum cum aliquo ex extremis positivis vage; per illud enim vult Deus efficacitèr concurrere cum voluntate; sed non ad amorem determinatè præ odio, sed indifferenter, relinquendo determinationem vnius præ alio voluntati creatæ; ergo illo posito decreto non potest voluntas non concurrere; & consequenter non est libera ad purè omittendum.

27 Si autem dicatur primum, scilicèt Deum per hoc decretum velle indifferenter omnia extrema libertatis, etiam contradictionis: sequitur Deum velle per hoc decretum extrema positiva, vel negativa; & consequenter velle concurrere, vel non concurrere; concursus enim identificatur cum extremo positivo, & negatio concursus cum omissione extremi positivi; & aliàs velle plura indifferenter, & sub disiunctione, est velle vnum, vel alterum; atquea deò obiectum decreti est concurrere,vel non concurrere: quod sponte concedunt aliqui ex oppositis Authoribus; esse autem implicatorium, constat,

quia concurrere, vel non concurrere est obiectum necessarium; ergo decretum Dei liberum terminare non potest. Insuper huiusmodi decretum superfluum esse, constat: nam Deus ex se est determinatus ad concurrendum, vel non concurrendum; cum necessarium sit concurrere, vel non concurrere; ergo absque hoc decreto æquè parata est Omnipotentia, atque cum illo; & consequenter non necessarium, sed superfluum est.

28 Respondent aliqui, quod extrema libertas, quæ disiunctim sunt necessaria, sunt determinatè contingentia, in quæ prout sic tendit decretum, modo tamen disiuncto: quod sufficit, vt obiectum decreti sit contingens, & non necessarium. Sed contra est: nam quamvis quodlibet ex extremis sit contingens, eo ipso quod decretum tendat in ipsa modo disiuncto, obiectum decreti est necessarium; ergo solutio est nulla. Probatur antecedens: hoc ipso, quod disiuncto modo tendat, Deus non vult decreto illo existere amorē præ odio, neque vult existere odium præ amore, aut omissionem alicuius ex his actibus præ actu: sed in obiecto nihil aliud datur contingens; ergo nihil contingens vult Deus per tale decretum. Maior est certa: si enim Deus vellet amorem prę odio, non posset voluntas odium elicere; velle enim amorem præ odio, est velle efficacitèr amorem, seù velle non esse odium: quod cum libertate ab his Authoribus non componitur. Minor etiam videtur constans; nam vltra illa solum restat disiunctum; quod necessarium est.

29 Dices meliùs cum alijs, quod posita voluntate cum omnibus intrinsecè requisitis ad vtramque libertatem, contingens est aliquod ex extremis libertatis existere: nec est necessarium aliquod illorum etiam vage dari; potest enim Deus prædeterminare, & necesitare voluntatem ad amorem, qua posita prædeterminatione nullum extremum libertatis existeret; solū enim esset amor necessarius, qui extremum libertatis non est. Sed contra est: quia ex hac solutione sequitur, quod si Deus haberet decretum non prędeterminandi voluntatem, per illud absque alio esset parata Omnipotentia ad concurrendum; atqueadeò absque decreto, quo velit positive concurrere; nam ex suppositione huius decreti, posita voluntate cum omnibus intrinsecè requisitis ad vtramque libertatem necessarium est aliquod illorum; ergo absque alio decreto est sufficienter parata Omnipotentia.

30 Alia via incedit Alarcòn disp. 5. cap. 8. citatis, qui postquàm alias sententias reiecit, docet Omnipotentiam applicari ad concurrendum per quamdam obligationem moralem ortam ex decreto, quo Deus se voluit obligare ad concurrendum cum causis secundis iuxta illarum propensionem, inclinationem, & libertatem; quod decretum constare asserit ex revelatione Dei: additque esse efficax; quatenus ex illo oritur aliud decretum, quo Deus hic, & nunc concurrit cum causa secunda ad suos effectus iuxta illius naturam, propensionem, & libertatem: quod secundum decretum asserit includi in promissione Dei, & esse quasi indifferens, quo in actu primo applicatur Omnipotentia indifferenter ad amorem, & odium cum subordinatione ad voluntatem creatam, in cuius potestate, & non Dei est amor, vel odium, suppositio decreto.

Sed etiam hic modus dicendi displicet. Primo; quia tandem applicationem, seù assistentiam divinæ Omnipotentiæ reducit ad decretum indifferens, quo Deus vult indifferenter amorem, vel odium, relicta determinatione ad vnum præ alio voluntati creatæ, cui Omnipotentiam subordinat.

Displicet secundo: quia inconsequenter loquitur; adstruit enim decretum indifferens, quod paulò ante reiecerat. Tertio: quia huius decreti expectantis determinationem voluntatis creatæ nequit assignare connotatum; quod necessariò existere debet, iuxta ipsum, ad decreti existentiam. Assumptum probatur; quia huius decreti connotatum nequit esse amor; hic enim est connotatum decreti terminati determinatè ad amorem: neque potest esse odium; quia hoc est connotatum decreti terminati ad odium: nec amor, vel odium vage; quia hoc disiunctum vage sumptum nunquam datur in rerum natura: connotatum autem decreti existere necesse est, vt existat decretum; ergo decretum indifferens ab ipso positum implicat ex eius doctrina; hac enim ratione ipse reiecerat decretum conditionatum Patris Suarez, & indifferens aliorum.

31 Quarto; quia hoc decreto, vt ab ipso assignatur, non magis vult Deus amorem, quam odium; ergo vt existat amor

amor præ odio, non eſt ſufficiens. Antecedens ab ipſo aſſeritur : & conſequentia ex eodem probatur, qui putat, & benè, nullum eſſe dicturum, amorem Dei ſuper omnia, quem B. Paulus elicuit, proceſsiſſe à Deo per decretum, quo decrevit non magis amorem ſui, quam odium fieri à B. Petro. Quinto : quia poſito decreto, quo Deus ſe obligavit ad concurrendum cum cauſa ſecunda iuxta ipſius naturam, inclinationem, & libertatem, nihil determinationis addit ſecundum decretum : primo enim manet Deus determinatus ad concurrendum cum cauſa libera ad amorem, ſi ipſa ad illum ſe determinaverit ; & ſimiliter ad odium. Sexto; quia promiſsio, aut obligatio orta ex promiſsione, neceſſaria non eſt, vt Deus concurrat; Deus enim abſque obligatione, & promiſsione poteſt facere, quod promittit. Quod per ſe videtur evidens : & inſuper; quia decretum ſecundum, quod ex promiſsione oritur, & quo immediatè applicatur Omnipotentia, poteſt Deus habere, quin præceſſerit obligatio, aut promiſsio; ergo hæc abſque neceſsitate adſtruitur.

32 Dicere autem, quod caſu, quo exiſteret ſecundum decretum ſine primo, Deus taliter concurreret, quod poſſet, non concurrere ; atque adeò neceſſarium eſſe, quod præcedat promiſsio, vt ipſe videtur aſſerere; inſufficiens eſt : tùm, quia Deum concurrere taliter, quod poſsit non concurrere, non poteſt eſſe inconveniens, niſi inconveniens reputetur, Deum eſſe Dominum ſuarum creaturarum, & liberum in earum productione : imò vt Deus in concurrendo eſſet liber immediatè, & poſſet non concurrere, releganda eſſet promiſsio antecedens, ſi hac ablata illud ſubſiſteret: tùm etiam; quia hoc poſito decreto Deus non eſt liber ad concurrendum in eius ſententia ; cum iam non ſit in poteſtate Dei, quod exiſtat, vel non exiſtat amor.

§. III.

Cæteri modi dicendi proponuntur, & reijciuntur.

33 QVARTVS Modus dicendi eſt aliorum, qui vt vitent Deum eſſe Authorem peccati, vel ſolùm permiſſorem actus boni, aſſerunt præparare Omnipotentiam ad actum bonum per decretum ſemiefficax, quo vult concurrere ad illum, & quod eſt medium inter volitionem plenè efficacem, & purè inefficacem ; ad actum verò malum per decretum purè inefficax; ex cuius diſcrimine inferunt Deum eſſe Authorem actus boni, & ſolùm permiſſorem actus mali.

34 Sed neque iſti vitant inconvenientia : vel enim Deus ex vi huius decreti tenetur conari quantum poteſt ad actum bonum; vel non ? Si primum; ſequitur eſſe plenè efficax, & infallibiliter connexum cũ exiſtentia actus boni, atque incompoſsibile cum illius carentia ; alias actus bonus eſſet Deo impoſsibilis; vel ſaltim Deo conanti quantum poteſt ad eius exiſtentiam poſſet humanum reſiſtere arbitrium : quod ex terminis abſurdum apparet ; & eſſe contra Scripturam, & PP. infrà conſtabit. De quo etiam videantur dicta Tractatu præcedenti artic. 6. dub. vnico, §. 4. Si ſecundum dicatur; ergo tale decretum eſt ex ſe omninò inefficax : cum adhùc ex illius ſuppoſitione poſsit non eſſe actus bonus, etiam quantum eſt ex parte Dei, qui ex vi illius non tenetur facere quantum poteſt, vt exiſtat.

35 Secundo : quia ſi actus bonus exigit decretum ſemiefficax, vt ſufficienter ſit applicata Omnipotentia ad concurrendum, non erit ſufficienter applicata ad actum malum non poſito ſimili decreto erga illum ; ergo vel ad vtrumque, vel ad neutrum tale decretum requiritur. Antecedens probatur : tùm ; quia concurſus Omnipotentiæ ad vtrùmque actum æqualis eſt; ergo æqualem, & eandem exigit applicationem

voluntatis divinæ : tum etiam; quia eo actus bonus illud decretum petit, quia creatura est, exigens à Deo providè poni, ab eoque per intellectum, & voluntatem causari : quod si hoc titulo illud non petit, ex nullo capite tale decretum desiderat : sed titulus iste æquè militat in actu malo; ergo ad vtrumque desideratur, vel ad neutrum: tùm denique : quia actus potest transire de bono in malum absque intrinseca variatione, in sententia probabili Adversariorum; ergo si actus bonus ex prædicatis intrinsecis exigit decretum semiefficax, pariter, & actus malus, qui quantum ad intrinseca à bono non distinguitur.

36 Tertio : Deus taliter vult concursum ad actum malum, vt non possit esse actus malus ex determinatione Dei, sed solum ex determinatione creaturæ : sed hac ratione decretum actus boni vocatur semiefficax; ergo etiam semiefficax erit decretum actus mali. Minor docetur ab ipsis, qui asserunt decretum actus boni esse semiefficax, quia Deus taliter illum vult, vt neque detur decretum prædeterminans, neq; principiũ necessitans antecedẽter. Maior etiam constat : quia si Deus necessitaret ad actum malum, non esset liber : si autem ad actum oppositum, non esset parata Omnipotentia ad concurrendum ad actum malum.

37 Tandem : quia si semel Deus potest inefficacitèr velle actum malum, poterit absque aliqua imperfectione illum semiefficacitèr velle ; imò efficacitèr, si non obsit læsio libertatis, vt disputatione vltima ponderabimus; ergo decretum semiefficax non constituit Deum Authorem actus boni; vel Deus potest esse Author peccati : cum erga actum malum simile decretum sit possibile.

38 Propter hęc alij, quos referunt Complutenses, disp. 9. citat. cap. 4. asserunt, Deum parare Omnipotentiam ad concurrendum ad actum bonum per decretum prędictum : ad actum verò malum nullum requirunt decretum, quo aliquomodo velit ad ipsum concurrere ; sed solum requiritur, quod non velit efficacitèr actum bonum, aut necessitare ad malum. Hi divisi sunt : aliqui enim asserunt, Omnipotentiam ad actum malum nullomodo concurrere ; propterea quæ decretum applicans Omnipotentiam non esse necessarium: Alij verò concursum physicum Omnipotentiæ fatentur, & decretum negant.

39 Sed primi non satis tute procedunt, vt infrà videbimus : est enim communis sententia Theologorum, Deum libere ad entitatem actus peccati concurrere; præcipuè Augustini 3. de Trinitate, cap. 4. & D. Thomæ 1. 2. quæst. 79. art. 2. pro quo etiam adducit Dionisium, cap. 1. de Divinis Nominibus. Et in 2. dist. 37. art. 2. docet oppositam sententiam nullos, aut paucos tenere, quia propinquissima duplici errori : secundi autem convicti manent ex dictis §. 1. si enim concurrit Deus, non potest non voluntariè, & per intellectum, & per voluntatem concurrere.

40 Sed non est prætermittenda explicatio huius secundæ sententiæ, quam adhibet P. Oviedo vbi suprà. Asserit ergo ad odium Dei, v. g. & ad eius omissionem præparare Deum Omnipotentiam hoc decreto : *Volo, vt quatenus est ex me, non deficiat actus odij, vt iura libertatis non infringam*; quem tamen actum vellem à voluntate non esse : & ad amorem, & eius omissionem, etiam instante præcepto, præparat Omnipotentiam hoc decreto : *Volo, vt quatenus est ex me, non deficiat omissio amoris.*

41 Quæ satis implicata expositio reijcitur : quia velle, quod non deficiat odium, quatenus est ex se, est velle illud esse; idem enim est non deficere, atque esse, vt ipse contra Vazquez, & alios argumentatur; ergo in explicatione fatetur Deũ velle esse actum odij : quod sententia, quam explicat, & sequitur, negat. Secundo ; velle non deficere odium quatenus est ex se, est velle quatenus est ex se non esse eius omissionem; ergo in potente odio Deum prosequi, & illud omittente, non odio Deũ habere ex Deo non est ; & consequenter neque vitare peccatum odij : quod non nisi per omissionem fit.

Et idem est de altero decreto constituente libertatem ad amorem, & eius omissionem : nam instante præcepto amoris. Deum velle quatenus est ex se non deficere omissionem, est velle quod existat omissio. Insuper velle, quod quatenus est ex se, non deficiat omissio, est velle, quod quatenus est ex se non sit amor : quia deficere omissionem amoris, est esse amorẽ; ergo velle quatenus est ex se, non deficere omissionem, est velle quatenus est ex se non esse amorem : & consequenter si ex determinatione voluntatis existat, vt potest ; non existet quatenus est ex parte

Dei;

Dei; & conſequenter ab ipſo non erit: cum tamen omne donum perfectum deſurſum ſit deſcendens à Patre luminum.

§. IV.

Decreta indifferentia alijs rationibus reijciuntur.

42 EX Dictis inter referendum varios modos explicandi decretum indifferens, ſatis conſtat nullo ex prædictis modis congruenter explicari, atque ad exiſtentiam actus liberi eſſe inſufficiens. Eſt tamen modo poſitivè probandum. Primo; actus liber exigit eſſentialiter, vt exiſtat, à Deo providè cauſari: ſed poſito ſolum decreto indifferenti abſque providentia Dei exiſteret; ergo non ſufficit ad eius exiſtentiam decretum indifferens. Minor probatur; poſito ſolum decreto indifferenti, non exiſteret amor præ odio. V. g. ex diſpoſitione divina; ergo exiſteret abſque providentia Dei. Antecedens probatur: ex vi decreti indifferentis non diſponit eſſe amorem potius quam odium: cum decretum indifferens in vtrumque indifferenter feratur, & in illorum ſententia ponatur amor. V. g. ſolum ex determinatione creaturæ; ergo poſito ſolum decreto indifferenti non exiſteret amor præ odio ex diſpoſitione divina. Conſequentia autem probatur ex definitione providentiæ tradita à Boetio, lib. 4. de Conſolatione, Proſa 6. adducta à D. Thoma, hac quæſt. 22. art. 2. *Providentia eſt ipſa divina ratio in ſupremo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit*; ergo id, quod ex diſpoſitione Dei non exiſtit, abſque Dei providentia exiſtit; atqueadeò cum amor præ odio non ſit ex diſpoſitione Dei, abſque eius providentia exiſtit.

43 Confirmatur: poſito ſolum decreto indifferenti, exiſtere amorem potius quam odium eſſet à caſu reſpectu Dei, & præter illius intentionem: ſed hoc, & in ſe abſurdum eſt, & exiſtere amorem abſque providentia Dei; ergo ſolum decreto indifferenti poſito non exiſteret amor ex providentia Dei. Minor conſtat: & maior probatur: illud eſt acaſu reſpectu Dei, & præter illius intentionem, quod eſt præter eius voluntatem, & quod exiſtit, quia Deus exiſtere velit: qua ratione probat D. Thomas 1. contra Gentes, cap. 78. ratione 4. Deum velle omnia bona in ſingulari, & determinatè; ſcilicèt, quia ex oppoſito ſequeretur acaſu exiſtere: ſed poſito ſolum decreto indifferenti, amor determinatè præ odio exiſteret præter Dei voluntatem; illo enim non vult Deus amorem determinatè præ odio; ſed vtrumque indifferenter; ergo amor determinatè præ odio exiſteret acaſu reſpectu Dei, & præter illius intentionem.

44 Confirmatur ſecundo: id, quod exiſtit Domino non iubente, abſque Dei providentia exiſtit: quapropter teſte Div. Thoma 3. contra Gentes, cap. 90. ex perſona blaſphæmantium dicitur Threnorum 3. Quis eſt iſte, qui dixit, vt fieret Domino non iubente? ſed amor præ odio exiſteret Domino non iubente; cum Deus non velit vnum præ alio exiſtere; ergo abſque providentia Dei exiſteret.

45 Confirmatur tertio: quod non exiſtit ex determinatione divina, exiſtit abſque Dei providentia, ſi exiſtit: ſed amor præ odio exiſteret abſque determinatione Dei; ergo abſque Dei providentia. Minor vltro conceditur ab Adverſarijs, qui ideò decretum indifferens adſtruunt, vt adæquatam determinationem amoris præ odio ſoli tribuant voluntati creatæ. Maior autem eſt D. Thomæ 1. p. quæſt. 23. art. 1. & 3. contra Gentes vbi proximè: ibi enim fatetur, quod negare Deum prædeterminare electiones noſtras, eſt auferre ab illo illarum providentiam: quapropter Damaſcenum, qui id videtur negare, interpretatur de prædeterminatione neceſsitante; non autem de prædeterminatione non cogente; quam non negavit Damaſcenus, ſicut nec providentiam.

46 Aliqui providentiam Dei ſalvare contendunt aſſerendo amorem præ odio ex providentia Dei exiſtere; quia Deus tribuit ex propria determinatione principia intrinſeca libertatis voluntati creatæ, & alias præparat Omnipotentiam ad concurrendum cum illa, non volens æqualiter vtrumque actum; ſed magis amorem, quã odium; ſeù actum bonum, quam malum; illum enim vult ſemiefficacitèr; hunc autem,

tem vult purè inefficacitèr, vel nullo modo: ex qua dispositione oritur actus voluntatis; atqueadeò amor præ odio non existit præter intentionem Dei, aut acasu respectu illius; quia non existit absque eius amore.

47 Sed ex dictis facilè reijcitur. Primo; quia saltim in sententia P. Suarez asserentis vtrumque conditionatè velle, sivè vtrumque semiefficacitèr, aut absolutè inefficacitèr, æqualiter tamen in sensu à Recentioribus explicato, in quo ipsum cõmunitèr sequuntur Authores oppositi, vt testatur Oviedo vbi suprà puncto 4. §. 3. non solvitur argumentum. Secundo; quia falsem sequitur actum malum absque Providentia Dei existere, quem Deus nullo modo vult, vel saltim non vult semiefficacitèr. Tertio; quia ex illa positione solùm sequitur ex dispositione,& providentia Dei habere voluntatem, indifferentiam, & libertatem in actu primo: non verò amorem præ odio in actu secundo; ergo solutio est nulla. Antecedens constat ex dictis: ex illa enim solum sequitur ex determinatione Dei, Dominoque iubente existere voluntatem liberam in actu primo;non autem, quod ex determinatione Dei, aut ipso iubente sit amor præ odio: cum hic suppositа indifferentia adęquatè existat ex determinatione voluntatis creatę; cuius proindè determinationis videntur constituere Deum expectatorem,non dispositorem, seú Provisorem.

48 Propterea alij respondent existere amorem præ odio ex ProvidentiaDei; quia Deus prævidens per Scientiam Mediam, quod si voluntati conferat hanc numero libertatem, & offerat indifferentem concursum ad amorem,& odium, voluntas eliciet amorem præ odio, talem confert libertatem, offertque indifferentem concursum: per hoc enim salvatur, quod ex dispositione Dei existit amor præ odio, quatenus scilicèt, disponit conferre libertatem, quam prævidit per amorem à voluntate determinandam.

49 Sed contra est primo: quia amor (& idem de quolibet actu voluntatis) petit essentialiter fieri ex providentia,& dispositione Dei, sicut quælibet alia creatura, vt multis probat D. Thomas locis adductis: sed Deum conferre principia intrinseca libertatis,& offerre indifferentem concursum, prævidentem actum determinatum, quem voluntas est elicitura, necessarium non est ad illius existentiam, in sententia communiori horum Authorum,qui directionem ScientiæMediæ,& ipsam scientiam negant esse necessariam ad existentiam actus liberi, nè eius lędatur libertas; ergo prævisio hæc prędecedens decretum indifferens necessaria non est ad Providentiam Dei; & consequenter illa non intellecta debet salvari adæquatè providentia.

50 Nec potest dici cum aliquibus, scientiam hanc, & eius directionem necessariam non esse, aut essentialiter exigi ab actu libero: requiri tamen ex parte Dei,vt Deus providè ad illum concurrat. Contra enim est primo: quia si semel essentialiter præsupponitur ad existentiam actus liberi, licèt hoc ab actu non exigatur, non salvatur illæsa libertas in eorum principijs,iuxta quę quodlibet necessario antecedens existentiam actus, illumque infallibiliter inferens, si in potestate voluntatis non sit, eius lædit libertatem: quod debet esse verum, sivè ab actu exigatur, sivè non; cum eadem sit ratio in vtroque casu: ideò enim quando præsupponitur ex exigentia actus, eius lædit libertatem, quia per actum acquiri non potest, nec per eius omissionem potest voluntas facere, quod non sit: sed si semel essentialiter prędupponitur, quocumque titulo hoc sit, per actum acquiri non potest, nec per eius omissionem impediri; ergo non salvatur illæsa libertas.

51 Secundo; nam implicat esse necessariam ex parte Dei prævisionem illam ad existentiam actus, & actum illam non exigere: tùm; quia actus essentialiter petit à Deo providè causari; exigit enim causam primam in essendo, & in causando perfectissimam,& absque aliqua imperfectione; eius enim existentia reduci debet ad aliquam causam,& principium absque imperfectione existens,& operans; ergo implicat prævisionem illam necessariam esse ex parte Dei, vt Deus providè, & absque imperfectione ad actum concurrat, & ab actu essentialiter non exposci. Tùm etiam: nam quidquid exigitur per se ex parte causę ad productionem effectus, exigitur ab effectu: quapropter, quia causa requirit virtutem,& esse ad effectus productionem, totum hoc essentialiter exposcit effectus ex parte causæ; ergo si ex parte Dei prævisio hæc prędequiritur, ab actu essentialiter exposcitur.

52 Quod vlteriùs confirmatur: etenim,quia Deum non concurrere ad actum

tum liberum eſt imperfectio ex parte Dei, nedum Deus ob ſui perfectionem exigit concurrere, ſed effectus etiam illius eget concurſu, illumque eſſentialiter expoſcit, vt exiſtat; ergo ſi Deum præparare concurſum non prævidendo actum à voluntate eliciendum, eſſet imperfectio ex parte Dei, nedum Deus ob ſui perfectionem exigit præparare concurſum prævidens actum à voluntate eliciendum; ſed hoc etiam ab actu eſſentialiter exigitur: cum ergo præparare concurſum ſine hac prævisione imperfectio ſit iuxta hanc doctrinam; nedum Deus ad concurrendum; verumetiam actus ad ſui exiſtentiam hanc prævisionem expoſcit.

53 Secundo principaliter reijcitur ſolutio: in obiecto Scientiæ Mediæ ex parte conditionis ingreditur Divina Providentia: & tamen Scientia Media non ingreditur; ergo hęc in conceptu Divinę Providẽtiæ non clauditur; & conſequenter illa non intellecta debet ſalvari Providentia Dei. Minor eſt certa: aliàs obiectum Scientiæ Medię non contingens, ſed neceſſarium eſſet; cum ex parte conditionis poneretur aliquid eſſentialiter connexum cum actu; nempè auxilium, præparatio Omnipotentiæ per decretum indifferens, & Scientia Media actus ſub illis: quod complexum abſque actu poni non poteſt. Maior etiam facilè conſtat: nam ex parte conditionis debent ingredi omnes cauſæ, à quibus actus eſſentialiter dependet: ſed præcipua inter illas eſt Divina Providentia; ergo hæc ex parte conditionis ingreditur.

54 Tertio: nam præparare concurſum prævidendo quem actum ſit elicitura voluntas, non eſt providere de actu, ſed ſolum diſponere principia actus, & prævidere diſpoſitionem, ſeú determinationem erga actum à voluntate eliciendum; ergo etiam admiſſa hac prævisione, Divina Providentia erga actum non ſalvatur: hæc enim debet eſſe non prævisio diſpoſitionis, ſeù determinationis voluntatis creatæ, ſed diſpoſitio, & determinatio Dei, cuius exequutio ſit determinatio creata; quia vt docet D. Thomas hac quæſt. 22. art. 3. Deus immediatè habet omnium providentiam, & omnia ſe ſolo diſponit: vnde quamvis admittat conſortium in gubernatione, ſeù exteriori exequutione; non tamen in Providentia; quia humana eſt exequutio divinę, & præordinata à Deo; non mediatè, quatenus contulit principia ad illam; ſed immediatè, quia ipſius ordinationis, & determinationis creatæ præexiſtit præordinatio, & diſpoſitio in Deo.

55 Ex quibus altera conſurgit ratio ad probandum aſſumptum; quę ſic formatur: implicat actum liberum exiſtere Deo cęco, & ignoranti modo concurrenti: ſed decreto indifferenti Deus cæco, & ignoranti modo concurreret; ergo inſufficiens eſt decretum hoc ad exiſtentiam actus liberi. Minor probatur: ille cęco, & ignoranti modo concurrit ad aliquem effectum, qui prępparat concurſum neſciens quiſnam effectus ſequendus ſit, quia ex determinatione alterius eſt ponendus, quã neſcit: ſed Deus per decretum indifferens ſic præparat concurſum; ergo cæco, & ignoranti modo cum voluntate concurreret. Maior videtur nota, & hoc exemplo explicatur. Qui manum præparat ad ſcribendum, quam alteri tradit, ex cuius determinatione formanda eſt potiùs littera *A*, quàm littera *B*, cæco, & ignoranti modò concurrit ad illam formandam; ergo maior eſt vera. Minor etiam conſtans videtur: Deus enim præparat per decretum indifferens Omnipotentiam ad concurrendum, illam ſubordinando voluntati creatæ, ex cuius determinatione ponendus eſt amor præ odio. Quod autem prępparet cõcurſum neſciens effectum ex determinatione voluntatis ponendum, probatur: nam præparat non prævidens illum; ergo illum neſciens. Antecedens probatur: illum non prævidet per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ ad poſsibilia ſolum terminatur; neque per Scientiam Mediam, quæ talem præparationem non præcedit: neque per ſcientiam viſionis, quæ ſupponit exiſtentiam effectus, & determinationem voluntatis; ergo Deus prępparat concurſum, non prævidens effectum ſequendum, atqueadeó ignoranti modo. Ex quo etiam ſequitur, præter eius intentionem eſſe vnum actum præ alio, quamvis vnus præ alio deſideretur: quod & exemplo adducto manifeſtum eſt, de calamo præparabili ad ſcribendum.

56 Dices, quod licèt Deus præ priori ad decretum indifferens non videat effectum ſequendum: videt tamen abſolutè, tùm per Scientiam Mediam, qua Deus prævidet actum ponendum ſub conditione ſui concurſus, ſeú decreti indifferentis: tùm per ſcientiam viſionis, qua actum exiſtentem intuetur: quod ſufficit, vt non con-

currat ignoranti modo; ad hoc enim erat necessarium non solum non videre actum ponendum, pro priori ad decretum; sed nullomodo illum videre.

57 Hoc tamen non sufficit ad vitandum inconveniens. Et in primis, quod Deus per scientiam visionis videat determinationem creatæ voluntatis, non sufficere probatur: nam notitia effectus subsequuta ad illius existentiam, non tollit, quominùs causa ad illum concurrens cæco, & ignoranti modo illum producat; vt patet in exemplo allato: quod enim puer videat litteram, quam ex alterius determinatione formavit, non obest, quominùs cæco, & ignoranti modo ad illam formandam concurrat, eo quod talis notitia ad litteræ existentiam consequitur: sed scientia visionis consequitur ad effectum, illiusque existentiam supponit; ergo illa non tollit, quominùs Deus cæco, & ignoranti modo ad effectum concurrat: & ratio est; nam scientia effectus requisita, vt causa non cæco, & ignoranti modo procedat, debet dirigere eius operationem, illamque præcedere: quod præstare non potest notitia ad existentiam effectus consequuta.

58 De Scientia Media idem probatur: hæc enim etiam consequitur existentiã absolutam actus liberi; voluntas enim potens se determinare ad actum amoris potest media existentia illius Scientiam Mediam acquirere, & per omissionem amoris facere, quod non existat; ergo consequitur ad existentiam actus: & consequenter sicut hac de causa non vitatur scientia visionis, quominùs cæco, & ignoranti modo Deus concurrat; pariter nec Scientia Media. Tùm etiam; nam Deus per Scientiam Mediam videt, quod si præparet concursum per decretum indifferens, concurret ad amorem, ad quem voluntas se determinabit; ergo videt se præstare concursum absque prævia Scientia Media; ergo videt se cæco modo concurrentem; atqueadeò sic concurret purificata conditione. Tùm denique; quia quamvis Scientia Media non consequatur ad existentiam actus; existit tamen in Deo concomitanter ad decretum indifferens, & in signo quasi disparato, vt ipsi loquuntur: sed notitia concomitans, & existens in signo quasi disparato ad concursum causæ, non tollit quominùs cæco, & ignoranti modo concurrat;

ergo.

§. V.

Exclusio decreti indifferentis concluditur ex Adversariorum principijs.

59 DENIQUE Alijs omissis, quæ infrà commodiùs adducemus, probatur assumptum: Nam si sufficeret decretum indifferens ad existentiam actus liberi, absque aliquo inconvenienti negaretur illius necessitas; consequens non admittunt, nec admittere possunt Authores illud adstruentes, vt constat ex dictis, & ex dicendis clarè constabit; ergo tale decretum ad existentiam actus liberi insufficiens est. Sequela probatur: in primis inconveniens non esset negata illius necessitate, quod voluntas prævenia omnibus intrinsecè requisitis ad se determinandum, se determinaret ad vnum actum præ alio, & Omnipotentiam ad concurrendum cum illa: posito enim decreto indifferenti, voluntas adhùc sub illo indifferens se, & Omnipotentiam determinat. Neque esset inconveniens, quod positis omnibus intrinsecè requisitis ad concurrendum, Deus non posset illius determinationem, aut proprium concursum impedire: tùm; quia hoc non sequeretur: vt enim possit impedire determinationem voluntatis, sufficeret esse necessarium, vt voluntas operaretur, vltrà principia intrinseca, decretum illam non impediendi: tùm etiam: nam licèt hoc inferatur; inconveniens tamen non est: nam voluntas expedita ad se determinandum tàm per principia intrinseca, quàm per extrinsecum decretum indifferens, vel si quid aliud requiratur ad eius expeditionem, non potest à Deo impediri absque eo, quod hoc reputetur inconveniens ab his Authoribus; ergo si constituatur omninò expedita, positis præcisè principijs intrinsecis, inconveniens reputari non debet, quod á Deo impediri non possit. Consequentia probatur: ideó enim primum inconveniens non reputatur; quia Deo omninò liberum est voluntatem sic expeditam constituere, ex cuius libera determinatione non posse illam impedire, inconveniens non est; sed si esset omninò expedita positis præcisè intrinsecè requisitis,

tis, sic expedita constitueretur â Deo principia intrinseca libere conferendo; ergo inconveniens non esset, quod ex illa suppositione Deo libera, ipsam impedire non posset.

60 Confirmatur: nam in sententia plurium ex Adversarij, absque decreto indifferenti terminato ad materiale peccati, quod negant posibile, voluntas est omninò expedita ad se determinandum ad illud, & Divinam Omnipotentiam ad concurrendum cum illa: ex qua suppositione Deus non potest impedire determinationem voluntatis ad illud, neque concursum suæ Omnipotentię; ergo inconveniens non est, quod absque decreto indifferenti, ex suppositione aliàs Deo libera sit impotens ad impediendam determinationem voluntatis creatæ, & concursum suę Omnipotentiæ.

61 Dices, esse inconveniens voluntatem creatam positis solum intrinsecè requisitis ad operandum non posse impediri à Deo: si enim Deus causam naturalem determinatam ex se ad operandum impedire potest, vt constat in igne Babylonico; à fortiori poterit causam liberam impedire, quæ magis determinata non est ad aliquod exercitium vage, quam naturalis ad determinatam operationem.

62 Contra tamen est: nam ad hoc sufficit, quod principijs intrinsecis superaddatur decretum non impediendi, vt nuper diximus. Secundo; nam causam naturalem ad passum applicatam impediri non posse à propria operatione, inconveniens reputari non debet: si enim causa libera potens amorem elicere, & impedire eius existentiam; ex suppositione decreti indifferentis á Deo impediri non potest ex illâ suppositione; Quid mirúm, quod causa naturalis applicata ita determinata sit ad operandum, vt illam Deus impedire non posit, quæ à nullo agente creato impediri potest?

63 Quod ampliùs explicatur: inconveniens non est, Deum non posse impedire amorem liberum ex suppositione, cum qua voluntas creata potest carentiam amoris coniungere; ergo multominús debet reputari inconveniens Deum non posse coniungere carentiam operationis causæ naturalis cum existentia illius ex suppositione applicationis ad passum; cum qua nullam agens creatum potest carentiam operationis coniungere. Et quidem si non implicat Deum producere causam creatam, quę in actu primo indifferens ad amorem, & odium, posit se determinare ad amorem, quin Deus ex suppositione indifferentiæ possit amorem impedire: nullum inconveniens apparere debet in eo, quod Deus creet causam secundam ex se determinatam ad operationem, ex cuius suppositione non posit illius operationem impedire.

Exemplum adductum de igne Babylonico ad rem non est: non enim negamus Deum posse impedire operationem causæ naturalis, sicut & liberæ; sed asserimus in principijs oppositis sine inconvenienti negari. Præterquàm quod iuxta illa dici posset, Deum operationem ignis impediisse auferendo illius intrinsecam virtutem; sicut iuxta nostra illam impedivit non impertiendo intrinsecam prædeterminationem: vel dici posset illam impediisse auferendo applicationem per appositionem alicuius intermedij impedientis eius in pueros operationem, vel productionem alicuius qualitatis in passo resistentis combustioni.

64 Est tamen advertendum, quod iuxta nostra principia, licèt Deus posit impedire exercitium causæ liberæ præventæ omnibus requisitis in actu primo ad illud, quatenus potest facere, quod non existat amor decernendo efficacitèr actum odij; & quod non existat odium efficacitèr decernendo amorem: si tamen voluntas habeat omnia intrinsecè prærequisita ad libertatem contrarietatis, & contradictionis, in sententia asserente, posse dari puram omisionem liberam, Deus non potest omne exercitium liberum collective impedire; licét posit quodlibet divisive: ex vi enim decreti, quo sic voluit liberam constituere voluntatem, manet necessitatus ad decernendum aliquod vage; cum libertate tamen ad decernendum amorem præ odio, vel è contra: quod absque inconvenienti dicitur; nam cum exercitium causæ liberæ sit non solum actus, sed ipsius carentia, non potest absque vtroque collective existere: cuius oppositum in causa naturali contingit; & in libera, in sententia asserenti non posse

dari puram omissionem liberam; in illa enim exercitium tàm causę naturalis, quàm liberæ est sola operatio, vel illam essentialiter supponit, & Deus potest ad nullam operationem concurrere.

65 Pater Oviedo controv.10.Physic, puncto 4. necessitatem decreti indifferentis probat ex eo, quod perfectio providentię Dei petit, quod omnis effectus existat non solum non repugnante voluntate Divina, sed positive determinante: neque effectus non ita dependens esset voluntarius Deo neque in se, neque in causa.

Sed hæc non debent reputari inconvenientia iuxta principia decreti indifferentis; ergo ad illa vitanda frustra ponitur. Antecedens probatur discurrendo per singula: & in primis non debet reputari inconveniens effectum existere non determinante positive voluntate Divina: posito enim decreto indifferenti existit amor præ odio absque hac determinatione; decretum enim indifferens non determinat ad amorem, sed reliquit voluntatem, & Omnipotentiam indifferentem, & cum illo est coniungibilis tàm amor, quàm odium, & illius omissio.

66 Dicere autem esse determinationem indifferentem, non sufficit: nam præterquàm quod videtur in terminis implicare determinatio indifferens eadem existere negato decreto indifferenti: ex vi enim decreti conferentis principia intrinseca libertatis, esset determinatio ad aliquod exercitium vage cum indifferentia, vt voluntas ex propria determinatione eligeret amorem præ odio; quæ, & non maior est determinatio decreti indifferentis.

Quod autem non debeat censeri inconveniens, effectum existere non volente Deo positive, probatur eodem modo: nam posito decreto indifferenti, existit amor præ odio, quin Deus velit existere amorem præ odio; sed solum amorem, vel odium. Secundo; nam si esset inconveniens existere effectum, quin Deus velit positive illius existentiam, eo esset, quia est inconveniens existere, & non existere ex determinatione voluntatis divinę, sed ex alterius determinatione: sed hoc necessario fatendum est iuxta principia decreti indifferentis, vt vidimus; ergo iuxta illa necessarium non est, vt effectus existat, quod Deus velit positive illius existentiam.

Deindè; eadem ratione, qua posito decreto indifferenti ex providentia Dei existeret effectus, existeret etiam illo negato: sicut enim Deus per decretum indifferens parat Omnipotentiam ad concurrendum cognoscens per Scientiam Mediam actum á voluntate eliciendum; pariter negato tali decreto conferret principia intrinseca libertatis cognoscens per eandem scientiam actum à voluntate eliciendum.

67 Præterquàm quod; decreto, quo Deus vellet conferre voluntati principia intrinseca libertatis, vellet aliquod ex illius exercitijs vage; ergo vltra illud decretum, alterum necessarium non est. Antecedens probatur; nam velle principium, ex quo infallibiliter sequitur aliquod exercitium vage, est velle tale exercitium vage; qua ratione velle physicam prædeterminationem ad actum est velle actum: sed negato decreto indifferenti, velle principia intrinseca libertatis esset velle principium, ex quo infallibiliter sequitur aliquod exercitium libertatis vage; ergo esset velle aliquod ex illis vage.

68 Dices, negata necessitate decreti indifferentis decretum conferendi principia intrinseca libertatis esse solum virtualem volitionem alicuius exercitij liberi; non autem formalem; atqueadeó vltra illud, alterum decretum admittendum est respiciens formaliter libertatis exercitia. Contra tamen est: nam vel ad existentiam exercitij liberi sufficit hæc virtualis volitio, vel non? Si primum; habemus intentum. Si secundum; ex primo necessariò sequitur secundum decretum: cùm virtuali enim volitione alicuius effectus, qualis esset decretum illud, non componitur carentia effectus; & consequenter nec carentia decreti ad existentiam effectus requisiti: ex quo vlteriùs infertur decretum illud esse inseparabile à primo: quod negant Authores oppositi.

69 Quod autem voluntas divina eodem modo sit causa effectus negato decreto indifferenti, probatur sic: Voluntas Divina ea ratione est causa, qua applicat Omnipotentiam ad concurrendũ sed eodem modo est applicata decreto indifferenti, atque illo negato; ergo eodem modo esset causa effectus. Minor probatur: negata necessitate decreti indifferentis esset applicata Omnipotentia ad aliquod exercitium voluntatis vàge per decretum con-

conferens principia intrinseca libertatis; & aliàs determinaretur à voluntate creata ad vnum exercitium præ alio: sed hoc solum præstaret decretum indifferens; ergo eodem modo esset applicata Omnipotentia per vnum decretum, atque per alterum.

70 Ex quo deducitur, esse eodem modo voluntarium effectum Deo; & patet: nam eodem modo est voluntarius, quo est à voluntate: sed esset eodem modo à voluntate divina concesso decreto indifferenti, atque illo negato, vt videmus; ergo esset eodem modo voluntarius. Et confirmatur, eodem modo esset liber; ergo eodem modo voluntarius. Antecedens probatur; eodem modo esset in Dei potestate: posito enim decreto indifferenti, est in potestate Dei actus, quatenus est in potestate Dei habere decretum indifferens, quo semel pro libertate Dei posito, in eius potestate non est, quod sit, vel non sit actus amoris; verbi gratia, sed solum in potestate creaturæ: sed negata necessitate talis decreti, esset in potestate Dei decretum conferendi principia intrinseca, quo semel posito pro libertate Dei iam non esset in eius potestate esse, vel non esse actus; sed solum in potestate creaturæ; ergo eodem modo esset in potestate Dei actus, concesso decreto indifferenti, atque illo negato; & consequenter eodem modo esset liber, & voluntarius; ergo vt hęc inconvenientia vitentur frustra ponitur decretum indifferens.

71 Sed quid in hoc immoramur? cum ipsi fateantur actum liberum creaturæ non esse Deo liberum immediatè, sed solùm mediatè; cum quo immediatam providentiam ergà illum statuere impossibile est, vt iam vidimus. Et vt credo, in eorum principijs fatendum est nullo modo esse Deo voluntarium, & liberum: nam in sententia ipsis communi voluntas creata in statu absoluto habet in sua potestate Scientiam Mediam consensus; verbi gratia, quia potens elicere amorem est potens medio illo acquirere Scientiam Mediam amoris, sicut, & scientiam visionis: sed Deo nullo modo est libera, aut voluntaria Scientia Media; neque in eius est potestate illam habere, vel non habere, vt ipsi fatentur; ergo neque etiam ipsi voluntarius est amor, quo acquiritur; neque in eius est potestate: eadem enim ratione, qua alicui voluntarius est actus, quo aliquis terminus acquiritur, est ipsi voluntarius terminus acquisitus, si non ignoret talem actum esse illius acquisitionem; & eadem ratione, qua in alicuius est potestate acquisitio, est etiam terminus; ergo si Deo nullo modo est voluntarius terminus, nimirùm Scientia Media, aut in eius potestate, neque etiam actus, qui est illius acquisitio.

§. V.

Solvuntur argumenta.

72 ARGVITVR Primo in favorem decreti indifferentis pluribus locis Sacræ Scripturę, quibus denotari videtur, quod semel collata homini indifferentia liberi arbitrij, Deus deposuit curam electionum illius. Quale est illud Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & relinquit illum in manu consilij sui.* Et infrà: *Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabetur illi.* Et Matthæi 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum super vos*; & alia huiusmodi: ex quibus videtur inferri, Deum semel collata indifferentia voluntati, ipsi adæquatè relinquere determinationem vnius præ alio; neque esse necessarium auxilium efficax; sed sufficere decretum ex parte Dei indifferens.

73 Hæc autem si ad intentum aliquid probarent, convincerent etiam non esse necessarium decretum indifferens; sed sufficere principia intrinseca libertatis: convincerent electionem nostrarum non esse in Deo immediatam providentiam, nec actus liberos dependere immediatè à Providentia Divina, quæ nostræ Providentiæ causa non esset. Sed audiamus D. Prosperum in Epistola ad Rufinum pro nobis respondentem ex Evangelio: *Audiant,*

& dictum à Domino libero arbitrio vtentibus; sine me nihil potestis facere: & nemò potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo: & sicut Pater vivificat mortuos, ita & filius, quos vult, vivificat: & nemò novit Filium nisi Pater, & cui voluerit Filius revelare. Quæ omnia cum sint incommutabilia, & nequeant vlla interpretatione in sensum alium detorqueri: quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi, obedientique generavit? Alioquin sufficeret moneri hominem, non etiam in ipso novam fieri voluntatem; sicut scriptum est: præparatas voluntas à Domino. Et sicut ait Apostolus: *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate; pro qua bona voluntate, nisi qua in ipsis operatus est, vt qui donaverit velle, donaret, & facere*: in quibus vltrà indifferentiam voluntatis, quæ per decretum indifferens in sententia contraria constituitur, indigentia vlterioris voluntatis, & gratiæ ad benè operandum evidenter demonstratur: neque solum concursum Omnipotentiæ indicat determinandum; sed gratiam subijcientem sibi voluntatem.

74 Præfata ergo testimonia in argumento adducta ad hoc inducuntur, vt homines esse liberi arbitrij ostendatur: non vt eorum electiones à Divina Providentia subtrahantur: quasi semel collata indifferentia voluntati creatæ, vlterior voluntas, & dispositio Dei necessaria non sit. Sic ea intellexit D. Thomas 3. contra Gentes, cap. 91. & in hac quæst. artic. 2. hoc argumentum sic solvit: *Ad quartum dicendum, quod in hoc, quod dicitur Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo à Divina Providentia; sed ostenditur, quod non præfigitur ei virtus operativa determinata ad vnum, sicut rebus naturalibus: quæ aguntur tantum, quasi ab altero directæ in finem; non autem seipsa agunt, quasi se dirigentia in finem; vt creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur, & eligunt.* Vndè signanter dicit in manu consilij sui. *Sed quia ipse actus liberi arbitrij reducitur in Deum sicut in causam, necesse est vt ea, quæ ex libero arbitrio fiunt, Divinæ Providentiæ subdantur. Providentia enim hominis continetur sub Providentia Dei, sicut causa particularis sub causa vniversali.*

75 Secundo arguunt: decretum requisitum ad existentiam actus liberi nequit esse connexum cum eius existentia; ergo est indifferens. Consequentia: & antecedens probari poterat omnibus, quibus decretum efficax impugnari solet, de quibus infra. Modo sic probatur; decretum requisitum constituit in actu primo expeditam causam liberam creatam: sed nihil constituens actum primum causæ liberæ potest esse connexum cum illius actu; ergo neque decretum requisitum. Minor per se nota videtur: nam causa libera potens est coniungere omissionem actus cum omnibus prærequisitis ex parte actus primi ad illum, seù constituentibus actum primum: quòd præstare non potest, si aliquod ex his requisitis connecteretur cum actu; ergo nihil ex parte actus primi se tenens potest connecti cum actu. Maior autem probatur; nequit intelligi causa libera potens in actu primo ad actum, quin intelligatur parata Omnipotentia ad concurrendum cum illa: cum enim sit causa secunda, sine influxu primæ operari non potest; atque adeò neque in actu primo potest intelligi constituta, quin causa prima intelligatur parata ad concurrendum cum illa: qua ratione causa naturalis, ignis; verbi gratia, non est potens complete ad calefaciendum, nisi posito decreto deindè concurrendo cum illo: sed decretum præ requisitum ad existentiam actus liberi est illud, quo paratur Omnipotentia ad concurrendum cum voluntate creata, neque aliud exigitur; ergo hoc decretum non est connexum cum actu, sed indifferens.

76 Confirmatur: Deus parat Omnipotentiam ad concurrendum cum causa naturali per decretum omninò connexum cum eius operatione; ergo ad concurrendum cum causa libera per decretum indifferens. Consequentia probatur: nam ideò primum ita contingit, quia causa naturalis cum operatione connectitur: sed causa libera cum propria operatione non conectitur; sed est indifferens ad illam; ergo requirit paratam Omnipotentiam per decretum non connexum, sed indifferens.

77 Ad argumentum respondetur, negando antecedens: ad probationem, nego maiorem intellectam de omni decreto requisito, vt existat actus: non enim negamus aliquod ex decretis requisitis se tenere ex parte actus primi, ni-

mi-

mirúm decretum conferendi principia intrinſeca libertatis: negamus tamen omne decretum requiſitum eſſe huiuſmodi. Ad eius probationem claritatis gratia, diſtinguo maiorem; nequit intelligi voluntas creata, potens in actu primo non intellecta Omnipotentia parata in actu primo, concedo maiorem: parata in actu ſecundo per applicationem actualem Omnipotentiæ ad concurrendum, nego maiorem: & nego etiam minorem: vel diſtinguo illam iuxta diſtinctionem maioris; ſed decretum requiſitum ad exiſtentiam actus liberi eſt illud, quo paratur Omnipotentia in actu ſecundo per applicationem actualem, concedo minorem: in actu primo, ſubdiſtinguo illam; eſt requiſitum per excluſionem alterius actualiter applicantis, nego minorem: aliud non excludens, tranſeat minor, & nego conſequentiam.

Dicimus ergo, quod vt voluntas creata ſit potens in actu primo, debet intelligi parata Omnipotentia ad concurrendum: hęc tamen præparatio conſiſtit in eo, quod Deus poſsit ſe determinare ad concurrendum: ſicut enim voluntas creata parata eſt ad concurrendum cum Omnipotentia per hoc, quod poſsit ſe determinare ad actum; pariter nos dicimus de Omnipotentia Divina: quam præparationem in Deo prærequiri, vt voluntas creata ſit potens in actu primo, libenter fatemur: negamus autem hoc ſufficere ad exiſtentiam actus liberi; vltrà enim requiritur decretum, quo Deus velit efficacitèr ad amorem concurrere: ſicut enim in voluntate creata vltrà potentiam ad concurrendum requiritur, quod ſe ad concurrendum determinet; pariter in Deo, qui non minus liber eſt in concurrendo, imò magis quam creatura: potiori ergo titulo exigit Deus, qui eſt ſupremus Dominus amoris creati; verbi gratia, ad illum non concurrere, niſi ex determinatione propriæ voluntatis, quam creatura: hęc tamen determinatio, ſicut non requiritur, vt Deus ſit potens concurrere, ſed vt defacto concurrat; pariter neque requiritur, vt voluntas creata poſsit, ſed vt defacto, & cum ſubordinatione ad Deum ſe determinet. Neque imaginandum eſt Deum parare Omnipotentiam per hoc, quod velit ipſam ſubijcere creaturæ; ſed per hoc, quod poſsit ſibi ſubijcere voluntatem creatam in concurrendo. Ad probationem ſubiunctam idem dicimus, nimirùm, quod vt ignis poſsit calefacere, decretum concurrendi cum illo non requiritur; ſed vt defacto, & cum ſubordinatione ad Deum calefaciat.

78 Et ex his ad confirmationem conſtat ignem habere paratam Omnipotentiam vt poſsit, per hoc, quod Deus poſsit ſe determinare ad faciendum, quod calefaciat: ſe autem in actu ſecundo determinare ad concurrendum requiritur, vt calefaciat cum ſubordinatione ad Deum; non tamen vt poſsit. Neque inconveniens eſt, neceſſarium eſſe ad concurrendum cum vtraque cauſa decretum efficax: nam cum vtriuſque operationem cauſet Deus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ; vtramque debet cauſare ex propria electione, & determinatione.

79 Sed dices: implicat voluntatem libere elicere amorem, niſi habeat paratam Omnipotentiam ad concurrendum cum illa ad odium: ſed implicat paratam eſſe ad concurrendum ad odium, ſi Deus efficacitèr velit ad amorem concurrere; ergo hoc decretum nedum neceſſarium non eſt ad exiſtentiam liberi amoris, ſed eſt incompoſsibile cum illo. Maior ſupponitur: & probatur minor; implicat Deum eſſe paratum ad concurrendum ad odium, & velle efficacitèr non concurrere ad illud, vt ex terminis videtur notum: ſed Deus volens efficacitèr concurrere ad amorem vult efficacitèr non concurrere ad odium cum amore incompoſsibile; ergo Deus volens efficacitèr concurrere ad amorem, non eſt paratus ad concurrendum ad odium.

80 Vel aliter idem argumentum proponitur: eſſe paratam Omnipotentiam ad concurrendum cum voluntate ad amorem, eſt velle concurrere ad amorem, ſi per ipſam non ſteterit: ſed implicat ſic velle concurrere, & velle efficacitèr concurrere ad entitatem odij cum amore incompoſsibilem; ergo implicat eſſe paratam Omnipotentiam ad concurrendum ad amorem, & velle efficacitèr Deum ad entitatem odij concurrere. Minor probatur; Deum velle concurrere ad amorem, ſi per voluntatem non ſteterit, eſt velle, vt non niſi per voluntatem ſtet omiſsio amoris: ſed velle efficacitèr concurrere ad entitatem odij, eſt velle

non esse amorem,& consequenter omissionem amoris per ipsum non stare, & non solum per voluntatem creatam ; ergo implicat velle concurrere ad amorem, si per voluntatem non steterit, & velle efficacitèr ad entitatem odij concurrere.

81 Sed omnia ista falsa imaginatione nituntur : non enim, vt iam monuimus, putandum est Deum parare Omnipotentiam per hoc, quod illam subijciat voluntati creatæ, ita vt creatura possit vti Omnipotentia quasi illius Domina, illam determinando,& disponẽdo quid ipsa factura sit; & sicut vnus homo,qui alteri præstat famulatum illi subijciendo proprias operationes, iam nihil, nisi ex determinatione Domini, cui se voluntariè subiecit, operatur:sic Deus in horum sententia.Hæc tamen indigna sunt,& longè absunt à perfectione Dei, eiusque supremo dominio, & immediata providentia : per hoc enim, quod homini cõtulerit liberum arbitrium, non sibi suarum dispositionum abstulit potestatem,vt ex Prospero vidimus.

Sufficienter ergo intelligitur parata Omnipotentia, si Deus tanquàm supremus Dominus in sua habens potestate electiones creatas, intelligatur potens pro suo nutu facere, quod voluntas creata ex se indifferens determinetur ad amorem præ odio, vel è contra. Etenim creatura est potens ad amorem eliciendum cum subordinatione ad Deum; & Deus est potens concurrere sibi subijciendo voluntatem creatam,vt famulam suorum donorum, vt infrà dicemus: Et ratio videtur manifesta; Deus enim concurrit vt primus Dominus actus liberi; homo autem vt secundus ; atqueadeò non sic vterque debet esse paratus pro priori ad concursum, vt creatura possit vti Omnipotentia, quasi Domina illius; alias vt primus Dominus concurreret ; sed è contra, ita vt Deus possit vti voluntate creata ad actum,quem ipse disposuerit.

82 Ex quibus ad argumentum concessa maiori in sensu explicato, nego minorem. Ad probationem, nego maiorem; quæ nedum ex terminis non est nota ; sed ex terminis repugnans est, neque potest habere veritatem, nisi esse paratam Omnipotentiam sit illam subijci voluntati creatæ : quo nihil dissonantius rationi.Nos verò, qui illam paratam intelligimus per hoc, quod possit sibi subijciendo voluntatem facere, quod existat entitas odij, & permittere eius malitiam,negare non possumus esse paratam ad concurrendum ad entitatem odij, quamvis velit efficacitèr existere amorem; sicut ipsa voluntas amans in actu secundo retinet potentiam ad odio habendum : in quo sensu est parata ad illud; pariter ipse Deus.

83 Ad secundum,neganda est maior absolutè : nam vt Deus sit sufficienter paratus ad concurrendum ad aliquod exercitium determinatum,non est necesse illud formaliter etiam inefficacitèr velle à voluntate creata poni. Per quod non negamus, quod quotiesDeus præcipiens actum amoris prædefinit entitatem actus odij, vult inefficacitèr actum amoris ; sed asserimus hoc inefficax decretum non sufficere ad existentiam amoris,neque ad illam esse necessarium. Non sufficit ; quia vltra illud requiritur decretum efficax : non est necessarium; quia semel concesso decreto efficaci amoris, decretum inefficax eiusdem necessarium non est, quamvis non sit cum illo incompossibile.

84 Quomodo autem cum negatione decreti eficacis necessarij ad amorẽ, per voluntatem stet amoris omissio ; infrà explicabimus. Modo breviter dicimus, quod vt per voluntatem stet,sufficit voluntatem libere omittere : quod rectè componitur cum negatione decreti efficacis ad amorem : imò decreti illius negatio est omninò necessaria, vt omissio amoris sit, & vt libera sit voluntati ; media enim illa in libere omittendo Deo subordinatur : & sicut decretum efficax actus illius libertatem non tollit, sed infert ; pariter negatio decreti non aufert omissionis libertatem, sed infert.

85 Sed dices : licèt hoc verum sit; inde tamen non infertur per solam voluntatem stare omissionem amoris peccaminosam : quod necessario videtur dicendum; alias non solum in voluntatem, sed in Deum, per quem staret, refunderetur peccatum : quod exemplo adducto convincitur ; etenim quia prædefinitio actus illum,& eius libertatem infert, non solùm per voluntatem stat existentia actus, sed per Deum prædefinientem; imò per Deum potiori titulo; ergo pariter si negatio decreti infert omissionem peccaminosam,per Deum negationem ponentem, stabit omissio peccaminosa.

De hoc etiam argumento redibit sermo: ad quod modo dicendum,omissionem amoris peccaminosam posse considerari

rari in esse phisico,& in esse morali, sicut, & actus malus: sub prima considerationè in Deum refunditur, sicut, & entitas peccati commissionis: sub secunda autem minimè; sed solùm in voluntatem creatam: malitia ergo omissionis per solam voluntatem creatam stat; nam licèt ex permissione divina inferatur logicè; non tamen phisicè: ipsa autem carentia actus in esse phisico est à Deo,& à voluntate creata,à quibus causatur eo modo,quo non esse rei causari potest.

86 Sed adhùc instabis: vt per voluntatem stet omissio actus, non sufficit posse illum prædefinire, si aliás habeat decretum non concurrendi cum voluntate ad illum;ergo vt per voluntatem stet omissio amoris,non sufficit Deum posse illum prædefinire, si habeat decretum non concurrendi ad illum,seù concurrendi ad entitatem odij;& consequenter vt parata sit Omnipotentia ad actum amoris, ita vt per voluntatem stet illius omissio, non sufficit Deum posse illum prædefinire, si habeat decretum non concurrendi ad illum. Antecedens probatur; in sententia non admittente puram omissionem liberam, si Deus decernat non concurrere cum voluntate ad aliquem actum, retinerer potentiâ ad illum prędefiniendum: & tamen per voluntatem non staret omissio actus, quæ tunc contingeret; aliás ipsi esset libera, quod non admittit sententia,quam supponimus; ergo verum est antecedens.

87 Respondetur antecedens esse verum in sententia, quam supponit illius probatio: si enim Deus decerneret ad nullum actum concurrere, daretur carentia omnis actus,quæ vtpotè pura, voluntati libera non esset; atqueadò per ipsam non staret: non tamen esset, eo quod non esset parata Omnipotentia ad concurrendum in actu primo,aut per hoc,quod voluntas esset impotens antecedenter ad actum; sed quia Deus ad nullum exercitium liberum illam determinavit, sed solùm ad puram omissionem,quæ in hac sententia libera nõ est: est tamen neganda consequentia; quia si Deus potens prædefinire amorem, prædefiniat actum odij; cum hoc sit liberum voluntati, omissio amoris ad odium consequuta etiam ipsi esset libera; atqueadeò per ipsam staret. Et hęc de hoc dubio.

(§)

DVBIVM II.

Vtrùm ad existentiam actus liberi sufficiat decretum concomitans.

1 PATER Vazquez 1. p. disp. 99. cap. 5. vsque ad 8. quem imitantur aliqui Recentiores, quos referunt, & sequuntur Complutenses citati tract. de Prædestinatione, disp. 10. cap. 1. vidit insufficientiam decreti indifferentis: quapropter asserit esse necessarium efficax decretum ad singula opera nostra, vt in Deo salvetur perfecta providentia: quod optimè probavit ex PP. præcipuè ex Magno Gregorio lib. 12. Moralium, cap. 2. ita docenti: *Cuncta Deus præsciens ante sæcula decrevit, qualiter per sæcula disposuit*: quod vsque ad tempora ipsius Vazquez fuisse indubitatum restatur ipse in fine capitis 5. Asserit tamen decretum hoc non esse antecedens, sed concomitans. Discriminantur autem illius Authores in illo explicando: & insuper in eo, quod P. Vazquez consequentius ad materiale peccati illud requirit, & etiam extendit ad causas naturales; ad quarum operationes non antecedens, sed concomitans decretum requirit: alij autem Authores frequentius asserunt solum esse requisitum ad actum solum bonum, & liberum.

§. I.

Primus modus explicandi decretum concomitans refertur, & reijcitur.

2 PRIMUS Modus explicandi decretum concomitans est Patris Vazquez vbi proximè, qui asserit de-

decretum hoc esse simul cum nostra operatione, sicut & concursus Dei, non illam præcedens ordine causalitatis: quod habere non posset, nisi præcederet Scientia Media, qua Deus sic prævidit: *Si Petrus in tali occasione excitaretur, neque illi deesset meus concursus, consentiret.* Et similiter respectu non consentientis sic: Si tali vocatione excitaretur, ipse mihi deesset, & ideò ego non deberem illi cooperari: Deus ergo sic prævidens decernit in primo signo tali vocatione Petrum prævenire, qua prævidit consensurum: in secundo verò decernit cooperari cum determinatione voluntatis, quam prævidet sub conditione futuram: ex quo infert, decretum non antecedere, sed concomitari determinationem liberam. Quod si Scientia Media non præcederet; vel decretum præcederet nostram determinationem, & consequenter illius auferret libertatem; vel consequeretur ad determinationem creaturę; ex quo etiam sequeretur Dei concursum esse posteriorem concursu creaturæ.

3 Sed in hoc modo dicendi plura involuuntur difficilia: & in primis obiectum Scientiæ Medię assignatum est omninò necessarium, non contingens; nam ex parte conditionis ponitur aliquid connexum cum consensu, imò cum illo identificatum: conditio enim est, quod ponatur vocatio, & non desit concursus Dei: sed non deesse concursum, idem est, ac esse concursum; ergo concursus Dei ex parte conditionis ponitur; & consequenter aliquid connexum, & identificatum cum consensu; atqueadeò fit obiectum necessarium.

Nec dici potest, (vt aliqui benignè interpretantur) per concursum divinum intellexisse illius oblationem factam per decretum indifferens; quia respectu non consentientis non apponitur ex parte conditionis concursus Dei; quod fieri deberet, si per concursum intelligeret decretum indifferens.

4 Sed quidquid de hoc sit: etiam falsum est decretum hoc necessario supponere Scientiam Mediam: nam eo ipso, quod sit necessarium ad existentiam actus liberi, debet ingredi obiectum Scientiæ Mediæ: sed obiectum Scientiæ Mediæ ab illa non dependet, sed ad illam supponitur; ergo decretum hoc Scientiam Mediam nō supponit, sed ad illam supponitur. Maior probatur primo; nam non potest esse, aut videri consensus sub conditione futurus absque illo, sine quo futurus non esset: sed eo ipso, quod decretum sit necessarium, vt actus liber sit, non esset futurus sine illo; ergo non potest intelligi sub conditione futurus absque illo, & quin videatur simul decretum. Secundo; nam in sententia huius Authoris decretum non est aliud, quam essentia Dei, & concursus ad extra cum ipso actu identificatus; ergo sicut implicat, quod videatur actus sub conditione futurus, quin videatur concursus Dei cum illo identificatus, implicat videri non viso decreto; quod ad essentiam Dei nihil addit præter concursum.

5 Ex quo tertio reijcitur: quia in statu conditionato pro priori ad Scientiam Mediam ad illum consequutam esset futurus conditionatè consensus, concursus Dei, & decretum concomitans; ergo non prævideretur liber. Consequentia probatur; nam in statu absoluto posito decreto liber non esset, nisi Scientia Media præcederet decretum, & actum; ergo si in statu conditionato non præcedit, sed consequitur vtrumque, non prævidetur liber; atqueadeó purificata conditione liber non esset.

6 Quarto; si Scientia Media præcederet necessario decretum, & absolutam existentiam actus, non posset videri sub conditione futurus actus, quin ex parte cōditionis prævideretur Scientia Media: sed hoc admitti non potest; ergo Scientia Media non precedit necessario decretum, & existentiam absolutam actus. Maior probatur; nam vt videatur sub conditione futurus, debent etiam ex parte conditionis præsupponi, & videri omnia, quæ essentialiter præsupponuntur ad existentiam actus; ergo si Scientia Media præsupponitur, debet similiter ex parte conditionis prævideri. Minor autem probatur: nam Scientia Media consequitur ad consensum sub conditione futuru m; ergo non potest præsupponi ex parte conditionis inter prærequisita ad illum. Secundo; nam ante consensum conditionatè futurum prævideretur ex parte conditionis aliquid cum illo connexum; nempè complexum ex vocatione, & Scientia Media; ergo non posset prævideri liber in illo statu.

7 Aliqui, quos refert P. Oviedo vbi suprà, §. 2. asserunt, Scientiam Mediam, quæ ad hoc decretum supponitur, habere huiusmodi obiectum: *Si hæc voluntas haberet hanc vocationem, & non dependeret à*

me

me in operando, defacto operaretur. Ex quo deducere conantur in ſtatu illo conditionato, cuius prævisio antecedit decretum abſolutè exiſtens, non prævideri ipſum decretum, neque ex parte conditionis Scientiam Mediam prærequiſitam ad decretum: quapropter in illo prævideretur actus liber, & ex illa ſuppoſitione decretum in ſtatu abſoluto habet eſſe, non antecedens, ſed concomitans.

8 Sed hoc ad mentem Vazquez non eſt; neque ſufficiens: primum conſtat; nam, vt vidimus, ipſe in obiecto attacto per Scientiam Mediam ex parte conditionis appoſuit concurſum Dei, vel ſaltem illius oblationem: his autem impoſsibilem ſupponunt concurſum. Secundum etiam conſtat: nam vel videretur futurus conditionatè conſenſus, qui defacto poſsibilis eſt, vel alter chimæricus: ſi primum; videretur à Deo dependens: eſt enim de eſſentia illius hæc dependentia: ſi alter chimæricus; illius conditionata futuritio, & Scientia Media illius, dato quod poſsibilis ſit, nihil poteſt conducere ad libertatem conſenſus, qui defacto datur: quid enim conducit Deum videre conditionatè libere futurum conſenſum quemdam chimæricum, vt alter poſsibilis, & qui de facto datur, liber ſit? Maximè, quia ille chimæricus prævideretur independens à conditione cum illo connexa, nimirùm decreto prædefinitivo; hic autem, qui defacto datur, ab illo eſſentialiter dependet.

9 Ex quo quinto reijcitur modus iſte dicendi: ex eo enim, quod actus prævideatur ſub conditione liber futurus, non infertur fore liberum in ſtatu abſoluto; ſi in hoc ſtatu varietur conditio, ſub qua videbatur libet: qua ratione etiamſi prævideatur liber ſub conditione futurus, ſi Deus in ſtatu abſoluto prædeterminaret voluntatem ad illum, non ſervaret libertatem in illorum ſententia; ergo ſimiliter quamvis prævideatur liber futurus ſub conditione, non ſequitur in ſtatu abſoluto, in quo prædefinitur, eſſe liberum.

10 Sexto reijcitur, ſupponendo Scientiam Mediam non eſſe Deo liberam, neque in eius eſſe poteſtate, quod ſit, vel non ſit; quod libenter cum communioti ſuorum ſententia admittit Vazquez: quo ſuppoſito ſequitur decretum concomitans non eſſe Deo liberum: conſequens admitti non poteſt; ergo. Sequela probatur; nam poſita vocatione, & Scientia Media conſenſus non poteſt Deus ſuſpendere decretum concomitans; alias illis poſitis non eſſet conſenſus, & conſequenter eſſet falſa Scientia Media; ergo decretum non eſſet Deo liberum.

11 Dices non eſſe liberum proximè, & formaliter; eſſe tamen liberum remotè, quatenus in poteſtate Dei eſt ponere vocationem, qua prævidit voluntatem conſenſuram: ſemel tamen poſita nullam in Deo remanere libertatem. Contra tamen eſt primo: nam neque proximè, neque remotè eſſet ex determinatione voluntatis divinæ; ergo non eſſet Deo liberum etiam remotè. Antecedens probatur: ex voluntate ponendi vocationem non determinatur Deus ad habendum hoc decretum; ergo non exiſtit ex determinatione libera Deo nec proximè nec remotè. Antecedens probatur: volitio ponendi vocationem indifferens eſt, ſicut & ipſa vocatio, potenſque coniungi cum carentia decreti: ergo ex voluntate illa non determinatur Deus ad habendum tale decretum. Et vlteriùs explicatur; vt hoc decretum ſit liberũ Deo, non ſufficit poſſe illud non habere non ponendo vocationem, ſed requiritur exiſtere ex propria determinatione: at nulla eſt determinatio libera in Deo, vi cuius detur hoc decretum; ergo ipſi liberum non eſt.

12 Dicere autem cum Vazquez, decretum conferendi vocationem, quam Deus prævidit congruam, eſſe virtualem prædefinitionem conſenſus; atqueadeò ex illo determinari Deum ad habendum decretum concomitans: ſufficiens non eſt, niſi talis volitio, vel decretum connectatur cum conſenſu: quod ſi hoc velit Vazquez, fatemur decretum concomitans exiſtere ex determinatione libera Dei, & ipſi eſſe liberum, ſaltim remotè: tenetur tamen fateri conſenſum liberum ſupponere eſſentialiter decretum cum illo connexum, antecedens prioritate cauſalitatis, nempè decretum ponendi vocationem congruam; cum quo componere libertatem non habet minorem difficultatem, quam illam componere cum decreto antecedenti prædefinitivo conſenſus.

13 Deindè; ſi hoc decretum non ſit Deo liberum formaliter, & proximè, ſequitur ex illius poſitione nihil addi perfectionis Divinæ Providentiæ, neque aliter ex diſpoſitione libera Dei res contingere illo poſito, atque ablato. Conſequens non admittit Vazquez, qui vt ſalvet perfectio-

nem

nem Divinæ Providentiæ, illud adſtruit; ergo debet admittere eſſe liberum proximè, & formaliter. Probatur ſequela: nam ex diſpoſitione liberaDei nihil ponitur non indifferens ad conſenſum,& illius omiſsionem; ſolùm enim decernit Deus libere vocationem omninò indifferentem; ergo conſenſus; v. g. præ diſſenſu, æquè eſſet ex diſpoſitione libera Dei, poſito, atque ablato decreto.

14 Confirmatur; Omnipotentiam neceſsitari ad concurrendum ad amorem ex decreto ponendi vocationem compoſſibili cum carentia concurſus, ſine medio decreto cum concurſu connexo, quamvis primum ſupponat Scientiam Mediam, inconveniens, & imperfectio eſt, ob quam vitandam ponit Uazquez decretum concomitans; ergo à fortiori imperfectio erit ex illo neceſsitari ad decernendum efficacitèr conſenſum. Conſequentia probatur: eo enim primum inconveniens eſt; quia primum decretum dandi vocationem poteſt componi cum carentia conſenſus:ſed etiam poteſt componi cum carentia decreti concomitantis; & aliàs maius apparet inconveniens, voluntatem divinam neceſsitari, & non ex propria determinatione, quam Omnipotentiam; illa enim eſt primum liberum, & primum determinans; ergo à fortiori inconveniens, & imperfectio erit ex decreto dandi vocationem illam neceſsitari voluntatem divinam ad decernendum efficacitèr concurſum ad amorem.

15 Tandem reijcitur: nam ex eo, quod decretum ſupponat Scientiam Mediam, non infertur non præcedere determinationem voluntatis creatæ vt abſolutè exiſtentem; ergo falſo nititur fundamento ad aſſerendum eſſe concomitans. Antecedens probatur; ex illo ſolum ſequitur ſupponere determinationem voluntatis in ſtatu conditionato: ſed ſtat ſic eam ſupponere, & antecedere in ſtatu abſoluto; ergo non infertur non præcedere illam vt abſolutè exiſtentem. Minor probatur;tùm,quia Scientia Media eam in ſtatu conditionato ſupponit,& illam præcedit in ſtatu abſoluto, vt aſſerit ipſe Vazquez: tùm etiam; nam decretum, licèt illam ſupponat in ſtatu conditionato; non illam ſupponit in ſtatu abſoluto, ſed concomitatur; ergo ſtat quod ſupponat determinationem voluntatis in ſtatu conditionato; illamque præcedere in ſtatu abſoluto.

16 Et quidem in ſtatu abſoluto non præcedere, eo deberet eſſe, quia non eſt cauſa determinationis voluntatis: idem autem continget, etiamſi Scientia Media non præcederet: cum quo componitur, quod expoſitione iſta etiam inferatur conſequi determinationem voluntatis in ſtatu abſoluto: quod probatur; quia Scientia Media conſequitur determinationem voluntatis in ſtatu conditionato, illam etiam conſequitur in ſtatu abſoluto;eſtque in poteſtate voluntatis conſtitutum, quod ſit, vel non ſit; ergo ſi decretum conſequitur ſtatum conditionatum, etiam conſequitur abſolutum; eritque in poteſtate voluntatis ipſum ponere, vel auferre. Undè expoſitione Vazquez vtrumque inconveniens, quod vitare intendit, ſequitur; nempè decretum præcedere determinationem voluntatis,& ad illam conſequi.

Non poſſumus prætermittere, quod ex decreto concomitanti circa concurſum in cauſis naturalibus; ſequitur poſitis in actu primo non poſſe Deum omittere decretum concomitans, neque impedire illarum operationem; cum ipſæ ſint ex natura ſua determinatæ ad operandum; ſicut neque illud poteſt omittere reſpectu cauſę liberæ, quam prævidit conſenſuram.

§. II.

Reijcitur ſecundus modus explicandi decretum concomitans.

17 RECENTIORES Sæpè citati aliter explicant decretum hoc: aſſerunt ergo cum Uazquez non præcedere cauſalitate actum voluntatis creatæ, ſed illum comitari; ſicut concurſus ſimultaneus cõcomitatur concurſum creaturæ:addunt tamen decretum hoc eſſe, & videri conditionatè futurum ſub eadem conditione,ſub qua futurus eſt,& videtur actus voluntatis creatæ: purificata verò conditione, ſicut voluntas poteſt non concurrere, & conſequenter facere, quod Deus ſub illa conditione non viderit ipſam conditionatè con-

consensuram; pariter,& Deus potest non decernere actum, & consequenter facere, quod non esset conditionatè futurum decretum sub illa conditione, & consequenter neque actus: & tandem docent voluntatem potentem se ad actum determinare posse similiter facere, quod Deus actum decernat; & similiter Deum potentem purificata conditione actum decernere in sua habere potestate determinationem voluntatis, & facere quod ad actum se determinet.

Ex quo inferunt decretum hoc non supponere essentialiter Scientiam Mediam, sicut neque illam supponit concursus voluntatis: secundo inferunt, Deum independenter à Scientia Media in sua habere potestate quemlibet hominem in quacumque occasione, quocumque auxilio sufficienti ad se convertere: nam quamvis ad hoc sit necessaria Scientia Media; est tamen in manu Dei illam habere, vel illa carere medio decreto concomitanti sibi libero; ad modum, quo creatura in actu primo constituta illam habet in sua potestate, & dominio.

18 Sed quamvis hi Authores magis ad veritatem accedant; decretum sic explicatum subsistere non potest. Et in primis iuxta hunc modum dicendi Scientia Media ad negotium nostræ prædestinationis, & ad concordiam gratiæ cum libertate creata nullatenus est necessaria: quod licèt verum sit, & non multum absit ab horum Authorum mente, in quo nobis displicere non possunt; est tamen vt inutilem reputare laborem, quo ipsi cum suis Scientiam Mediam adstruere conantur. Quod autem ex hac doctrina sequatur, constat: quia Deus potest à quolibet homine independenter à Scientia Media liberum extorquere consensum; scit enim independenter ab illa in sua habere potestate media efficacia ad huius finis consequutionem; potestque conferre auxilia sufficientia, & superaddere pro sua libertate decretum hoc: quibus omnibus positis infallibiliter erit consensus; neque aliquid horum impediri potest à voluntate creata.

19 Secundo reijcitur: nam decretum hoc est omninò antecedens, sicut decretum Thomisticum; quod ipsi fateri recusant, & sic probatur, est applicatio Omnipotentiæ ad concurrendum cum causa libera, & vt Omnipotentia effective concurrat, & causet consensum creaturæ; ergo præcedit concursum Dei, & creaturæ cum illo identificatum. Antecedens ab ipsis negari non potest: sicut enim applicatur Omnipotentia ad producendum Angelum per decretum, quo vult illum producere; pariter applicatur ad concurrendum cum creatura, & ad producendum consensum per decretum, quo vult cum illa concurrere, & producere consensum. Consequentia autem est nota; quia enim decretum producendi Angelum est applicatio Omnipotentiæ ad illius productionem, præcedit natura, & causalitate Angelum, & concursum exteriorem, seù influxum, quo illum producit; ergo si decretum concurrendi cum creatura est applicatio ad concurrendum, debet præcedere concursum natura, & causalitate.

Confirmatur; quia prædeterminatio physica determinat, & applicat voluntatem ad concurrendum, distinguiturque ab eius concursu, illum præcedit natura, & causalitate; ergo si decretum determinat Omnipotentiam ad concurrendum, debet præcedere illius concursum.

20 Nec sufficit dicere decretum constitui inadæquatè per extrinsecum connotatum, nimirum per ipsum exteriorem concursum. Non, inquam, sufficit; quia oppositum verum est, & defenditur à Recentioribus, contra quos disputamus: tùm etiam; nam hac sententia admissa, corrit argumentum factum: in illa enim debet verificari Deum per Omnipotentiam concurrere, quia libere vult, ly *quia* dicente causalitatem decretiuum concursum; omnis enim creatura existit, quia Deus libere vult illam producere, Deumque libere velle est causa illius existentiæ: quidquid ergo sit de constitutione decreti, debent omnes fateri, Deum libere velle esse causam, vt existat actus creaturæ; licèt hoc difficiliùs in illa sententia salvetur; quod, & nihil aliud ad antecedentiam decreti requiritur.

21 Explicatur primo: Deus per suum decretum liberum est causa creaturæ, & influxus exterioris, quo illam producit; hic enim etiam obtinet rationem creaturæ; ergo decretum Dei præcedit natura, & causalitate non solum creaturam, sed etiam influxum in ipsam: & tamen in hac sententia constituitur per ipsum inadæquatè; ergo etiamsi decretum concurrendi cum creatura per ipsum concursum inadæquatè constituatur, debet di-

ci

ci decretum antecedere natura, & cauſalitate concurſum.

Explicatur ſecundo: decretum producendi Angelum non ſolum eſt antecedens reſpectu Angeli, ſed etiam reſpectu influxus exterioris, quo producitur; vel quia influxus non diſtinguitur ab Angelo, vt plures ex Adverſarijs volunt; vel quia etiamſi diſtinguatur, eſt creatura: & tamen decretum producendi Angelum, & influxum in ipſum conſtituitur, vel per ipſum Angelum, vel per influxum; ergo idem quod prius. Ex quo evidenter, ni fallor, infertur, decretum hoc eſſe antecedens reſpectu concurſus Omnipotentiæ, & voluntatis creatæ, ſi decretum producendi Angelum illum præcedit, vt tenentur aſſerere. Fateor tamen iuxta huiuſmodi conſtitutionem decreti difficilius ſalvari decretum producendi Angelum eſſe antecedens reſpectu productionis ipſius, aliaſque patitur difficultates huiuſmodi conſtitutio: de quibus late egimus tractatu præcedenti.

22 Vltimo confirmatur: decretum concurrendi cum cauſa neceſſaria; verbi gratia cum igne, conſtituitur inadæquatè in hac ſententia per concurſum Dei identificatum cum combuſtione ignis; & tamen debet eſſe antecedens; ergo etiam decretum concurrendi cum cauſa libera. Minor probatur: nam ſi eſſet concomitans, ignis per ſuum concurſum determinaret Deum ad decernendum combuſtionem; hac enim ratione cauſa libera per proprium actum Deum determinat ad illum decernendum iuxta hos Authores: hoc autem falſum eſt, alias Deus non ſolum in concurrendo, ſed in decernendo ſubordinaretur non ſolum cauſæ liberæ, ſed etiam cauſæ neceſſariæ: quod nullus admittit. Imò ſequeretur non eſſe in manu Dei ſuſpendere concurſum ſemel exiſtente igne ad paſſum applicato: nam ſi cauſa libera non poſſet ex propria determinatione non recurrere, nec Deus poſſet non decernere illius concurſum: ſed ignis non poteſt ex propria determinatione non concurrere; ergo nec Deus poſſet combuſtionem non decernere.

23 Tertio reijcitur: quia decretum hoc etiam erit neceſſarium ad materiale peccati: quod licèt inconveniens non ſit; ab ipſis tamen vt tale reputatur. Quarto; nam hoc decreto non ſalvatur dominium proximum Dei in actus noſtros ſuperius ad dominium creatæ voluntatis: at non ſolum debet ſalvari dominium proximum, ſed ſuperius, cui dominium creaturæ ſubordinetur; ergo. Maior probatur; nam ſicut Deus plenum habet dominium ad determinandum voluntatem creatam, vt velit; pariter voluntas creata illud habet ad determinandum Deum, vt velit cum ipſa concurrere; ergo æquale dominium proximum in Deo, & in creatura reperitur, nec vnum alteri ſubordinatur. Quinto; quia ſequitur diſcretionem conſentientis à non conſentiente, ſuppoſita æqualitate in actu primo æqualiter reduci ad voluntatem creatam, ac ad Divinam; contra illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Quis te diſcernit?* cum illa ſuppoſita conſenſus ita procedat ex determinatione propria, atque ex determinatione Dei; & verum eodem modo ſit Deum per decretum concomitans donare conſenſum, quia voluntas illum determinavit ad ſic decernendum, ſicut è contra.

24 Inſuper ſequitur, eâdem proprietate, qua verum eſt, quod Deus ſuppoſita poſsibilitate nobis donat conſenſum, eſſe verum nos ipſi donare illum decernere, & nobiſcum concurrere: ideò enim primum eſt verum, quia Deus nos ad conſenſum ſuo decreto pro ſua libertate determinat: ſed nos ipſum determinamus pro noſtra libertate ad concurrendum, & decernendum; ergo eâdem proprietate vtrumque erit verum. Sequitur etiam, quod ſicut Deus ſuo decreto facit, vt faciamus; ita noſtra determinatione facimus, vt ipſe concurrat, & decernat: quod abſurdum videtur, & expræſsè Adverſari Auguſtino, qui lib. de Prædeſtinatione SS. cap. 10. de Fide Gentium Abrahæ à Deo promiſſa; ſic habet: *Prædeſtinatione quippè* (hoc eſt decreto) *Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus. Vnde dictum eſt: Fecit quæ futura ſunt.* Et paulò infrà: *Promiſit enim, quod ipſe facturus fuerat, non quod homines, quia etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, vt illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, vt ipſe faciat, quod promiſit: aliòquin vt Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate*; & quod à Domino promiſſum eſt ab ipſis redditur Abrahæ.

Tandem ſequitur, quod ſuppoſita potentia ad amorem non indigemus oratione, vt nobis Deus donet conſenſum: quod eſſe falſum, & contra Auguſtinum

ipſa

ipsi fatentur, & infra constabit. Sequela probatur; quia supposita potestate in actu primo est plenè in nostra potestate consensus, & Deum determinare ad concurrendum nobiscum, nihilque Deus vltra præstare potest, nisi à nobis determinatus; ergo supposita potestate non indigemus oratione, sed solum determinatione nostra.

25 Nec satis sit per hoc, quod etiam sit in potestate Dei consensus, & ex eius determinatione ponendus sit. Primò; quia hoc non obest, quominùs plenè sit in nostra potestate consentire, & Deum determinare ad concurrendum eodem modo, & ita perfectè, ac si non esset necessaria determinatio libera Dei; ergo non obest, quominús oratione non indigeamus: quod inconveniens infra à nobis ponderandum, vitare intendunt decreto concomitanti. Secundo; quia posita voluntate in actu primo, vt ponatur consensus, Deus nullo indiget, quod in eius potestate non sit, nihilque est necessarium non ponendum ex eius determinatione, non indiget oratione, quamvis requisita sit determinatio voluntatis creatæ ad consensum; ergo pariter. Et quidem saltim, quod posita voluntate in actu primo non magis sit necessaria oratio creaturę ad Deum, quam Dei ad creaturam: cumque hæc necessaria non sit propter perfectionem dominij Dei; nec erit necessaria oratio creaturæ ad Deum propter eandem dominij perfectionem, & plenitudinem. Omitto in terminis implicare mutuam determinationem liberam in ordine ad idem, scil. dominium adæquatum, & æquale in duobus respectu eiusdem actus. Omitto etiam in formali dominio voluntatis creatæ nullam dari subordinationem respectu Dei. Et hæc de isto dubio.

DVBIVM III.

Vtrùm ad existentiam actus liberi requiratur efficax Dei prædefinitio?

§. I.

Statuitur conclusio, & prima ratio pro illa explicatur.

1 SIT Conclusio: Efficax Dei prædefinitio necessaria est ad existentiam actus liberi: est communis Thomistarum, & frequens apud Scotistas contra Authores Scientiæ Mediæ, qui vel negant possibilem prædefinitionem, vel illam vt necessariam reijciunt contra paucos Recentiores, qui convicti Scripturę, & PP. authoritate, necnon rationum pondere, & ex alia parte videntes insufficientiam decreti concomitantis à nobis impugnati, prædefinitiones vt necessarias admittunt, & fortè nè videantur suorum deserere sententiam, Scientiam Mediam supponere affirmant.

2 Quamvis conclusio nostra constet ex dubijs præcedentibus, vlterius probatur hac ratione: actus liber nequit existere absque concursu Dei iuxta illud Pauli ad Philippēses 2. *Qui operatur in nobis velle, & perficere*: sed hic dari non potest absque efficaci Dei prædefinitione; ergo neque actus liber. Consequentia est legitima. Maior certa; & minor pluribus est probanda in sequentibus. Modo probatur sic; si concursus divinus existeret absque efficaci prædefinitione, existeret solum ex determinatione voluntatis creatæ Omnipotentiam determinantis, quin ex parte Dei præcederet nisi decretum indifferens; quod Adversarij non negant: Esse autem omninò impossibile, vltra dicta probatur sic; sequeretur Deum non habere in sua potestate existentiam actus liberi independenter â Scientia Media: consequens est absurdum; ergo illud ex quo sequitur;

Consequentia est bona: Maior Adversariorum doctrina, & probatur sic; nam si existeret actus liber solum ex determinatione voluntatis creatæ, non posset Deus hominem ad actum secundum liberum reducere, nisi prius per Scientiam Mediam prævideret quo auxilio eliciendus esset ab homine actus liber, illiusque determinanda voluntas; nec Deus posset hac scientia non præeuntè actum liberum prædefinire; ergo non haberet in sua potestate existentiam actus liberi independenter à Scientia Media.

3 Absurditas autem consequentis probatur primo; quia exindè sequitur Deum non habere in sua potestate absolutè actum liberum creaturę, neque ab homine posse liberum consensum extorquere vi suæ Omnipotentiæ: quod sic ostenditur; nam Deus vi suæ Omnipotentiæ non habet, neque habere posset omnia requisita ad liberum consensum; ergo vi illius non posset hominem convertere. Consequentia constat; posse enim ad aliquem effectum, vel dicit omnia requisita ad illum, vel potentiam ad illa acquirenda: quod in principijs Adversariorum negari non potest; neque de posse primo, quasi est divinum posse, à nobis negatur; ergo si ex vi suæ Omnipotentię non habet omnia requisita, nec illa acquirere potest, non potest ex vi illius hominem convertere, aut ab illo liberum extorquere consensum. Antecedens autem probatur; vnum ex requisitis ad liberum consensum est esse conditionatè futurum, & à Deo per Scientiam Mediam vt tale cognosci: sed Deus vi suæ Omnipotentiæ hoc non habet; ergo in sua potestate non habet omnia requisita ad consensum. Minor ab ipsis conceditur; non enim subditur Divinæ Omnipotentiæ Scientiam Mediam existere, aut consensum esse conditionatè futurum.

4 Confirmatur: quidquid Deus potest facere vi suæ Omnipotentiæ cognoscit per Scientiam Simplicis intelligentię, qua suam Omnipotentiam comprehendit; sed per Scientiam Simplicis intelligentiæ non cognoscit se posse convertere hominem; ergo non potest illum convertere vi suæ Omnipotentiæ. Minor probatur. Deus per Scientiam Simplicis intelligentiæ non cognoscit existere Scientiam Mediam consensus; hæc quippè contingenter existit: nec scit illam acquirere posse pro suo libito; quippè hoc falsum est: at vt per scientiam simplicis intelligentiæ Deus cognosceret se Petrum posse convertere, necessarium esset, vel per illam cognoscere existere Scientiam Mediam, vel Deum illam pro suo libito acquirere posse; cum illius existentia necessaria sit ad consensum; ergo Deus per scientiam simplicis intelligentię non cognoscit se posse Petrum convertere.

5 Secundo absurditas sequelæ probatur; ex doctrina enim illa sequitur posse dari saltim metaphisice hominem, quem Deus nullomodò posset convertere. Sequela probatur; potest Deo deficere Scientia Media, qua illum pręvideat consensurum: sed tunc nullomodo posset illum convertere; cum non posset, nec vi suæ Omnipotentiæ, nec iuvamine Scientiæ Mediæ, quæ non esset; ergo. Maior probatur; nam Scientia Media contingenter existit, & non ex dispositione Dei, aut alicuius creaturæ; cum etiam non existentibus creaturis eodem modo existeret; ergo dabilis est casus, in quo Deus non habeat Scientiam Mediam alicuius consensus liberi conditionatè futuri; neque illam possit acquirere. Secundo; ideò potest contingere casus, in quo Deus non prævideat Petrum consensurum sub auxilio *A*, quia hoc non connectitur cum consensu, & cum illo potest voluntas coniungere omissionem consensus: sed nullum ex collectione auxiliorum possibilium cum libero consensu connectitur, & cum quolibet potest voluntas coniungere omissionem consensus; ergo dabilis est casus, in quo Deus non videat aliquem liberum consensum Petri conditionatè futurum.

6 Quod autem vtrumque inconveniens sit, & Deum vi suæ Omnipotentię non posse hominem convertere, & dabilem esse casum metaphisice, in quo Deus hominem non possit convertere, constat primo ex Scriptura, in qua Omnipotentiæ Dei, & illius efficaciæ omnium rerum dispositio tribuitur, & Deum sibi omnia subijcere vi suæ Omnipotentiæ asseritur. Esther 13. *Domine Rex Omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, nec est, qui tuæ possit resistere voluntati, si decreveris salvare Israel*: vbi vi Omnipotentiæ Dei eius subdi potestati quemlibet salvare, & convertere docemur. Idem habetur Iudicum

Iudicum 16. ibi: *Adonai, Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest, &c. & non est qui resistat voci tuæ.* Et 2. Paralipomenon 2. dicitur: *Tu es Deus in Cœlo, & dominaris cunctis regnis gentium, in manu tua est fortitudo, nec quisquam potest tibi resistere.* Et Sapientiæ 11. *Multum enim valere illi soli supererat semper, & virtuti brachij tui quis resistet?* Et Danielis 4. *Potestas eius potestas sempiterna, &c. iuxta voluntatem suam facit tàm in volucribus Cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius.* Et Isaiæ 14. *Dominus Deus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? & manus eius extensa, quis avertet eam?* Et Proverbiorum 21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*: & alibi sæpè; in quibus, ex eo, quod Deus est Omnipotens, & supremus Dominus omnium, habetur, quod eius voluntas sit ita efficax, vt infallibiliter sequatur effectus, nec aliquis possit ei resistere.

7 Secundo constat ex PP. Augustinus id docet lib. de Correptione, & Gratia, cap. 14. ibi: *Sic enim velle, vel nolle in nolentis, aut volentis est potestate, vt divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*: talis autem non esset si ex suppositione sibi non libera redderetur impotens ad cor hominis inclinandum, & ad se convertendum; vel si vi suæ Omnipotentiæ hoc præstare non posset nisi iuvamine Scientiæ Mediæ; cuius contingens existentia eius Omnipotentiæ non subditur. Quæ omnia præclarè confirmat Augustinus in Enchyridione cap. 95. illis verbis: *Deus autem noster in Cœlo omnia quæcumque voluit, fecit: quod vtique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit; & quod est indignius; idèo non fecit, quoniam nè fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit: hoc nisi credamus, periclitatur nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia quidquid vult potest; nec voluntatem cuiuspiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.*

Insuper posse dari hominem, quem Deus convertere non possit impiam insipientiam vocavit Augustinus vbi proximè, cap. 97. illis verbis: *Quis tam impie desipiat, vt dicat Deum, malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cum facit, per misericordiam facit; cum autem non facit, per iudicium non facit.* In qua doctrina perpetuus est Augustinus in omnibus locis, quibus de hac re agit; videatur lib. 4. contra Julianum, cap. 3. lib. 5. cap. 30. lib. 1. ad Bonifacium, cap. 20. de Gratia Christi, cap. 24. de Correptione, & Gratia, cap. 14. de Prædestinatione SS. cap. 20. Quem imitantur eius discipuli Prosper, Hilarius, Fulgentius, Anselmus, & Divus Thomas locis infrà referendis.

§. II.

Prima solutio refertur, & reijcitur.

8 HVIC Argumento Adversarij varias adhibent solutiones. Prima est, quam facilem existimavit P. Quiròs, tract. de Prædestinatione, disp. 11. sectione 3. num. 13. concedens casum esse possibilem: inde tamen nihil contra Dei Omnipotentiam inferri, neque quod supra voluntates humanas supremum, & infrustrabile dominium non habeat; sed solum Deum esse necessitatum ad non producendum hominem, quem prævidit nunquam consensurum, nè sit verum existere hominem, quem convertere non possit.

9 Hæc tamen solutio, & doctrina sustineri non potest. Primo propter dicenda contra alias solutiones. Secundo; quia implicat Deum reddi impotentem ad producendum hominem ex se possibilem, ex suppositione sibi non libera: at homo ille possibilis est ex se; ergo implicat reddi impotentem ad illum producendum ex suppositione Scientiæ Mediæ, quæ ipsi libera non est. Maior probatur: nam etiam si admittamus, quod operatio libera creaturæ

reddatur impoſsibilis Deo ex ſuppoſitione ſibi non libera ; hominem tamen reddi impoſsibilem, quid inauditum eſt, & nullatenus admitti poteſt : ideò enim primum ab Authoribus Scientiæ Mediæ conceditur; quia operatio libera ſit à Deo ex determinatione creaturæ, & quia erga illam Deus immediatam libertatem non exercer; quapropter ex determinatione creaturæ reddi poteſt impoſsibilis Deo : at Deus non producit hominem ex determinatione libera hominis, ſed ex propria ; ergo implicat, quod ex hac ſuppoſitione Deo non libera reddatur ipſi impoſsibilis hominis productio.

10 Tertio : quia ex hac doctrina ſequitur, Deum vi ſuę Omnipotentiæ non poſſe producere hominem, nec per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcere poſſe illum producere : quod ſic patet ex dictis : Deus enim per hanc ſcientiam non cognoſcit Petrum eſſe conditionatè conſenſurum; vtpotè hoc contingens eſt : ſed vt cognoſcat poſſe illum producere, neceſſarium eſt, quod cognoſcat eſſe conditionatè futurum conſenſum ; cùm hoc neceſſarium ſit, vt illum producat; ergo. Quarto; maior eſt impotentia non poſſe hominẽ convertere, neque ipſum producere ex ſuppoſitione Deo non libera, quam ex eâdem illum convertere non poſſe ſemel exiſtentem : ſed ſolutio hæc reputant inconveniens, & benè, exiſtere hominem, quem Deus convertere non poſsit ex ſuppoſitione ſibi non libera ; ergo potiori titulo debet inconveniens cenſeri, quod ex ſuppoſitione Deo non libera, non ſolùm non poſsit hominem convertere, verum etiam, neque ipſum producere.

11 Quinto ; impium eſt, teſte Auguſtino, aſſerere, Deum non poſſe hominem convertere, vbi, quando, & quomodo voluerit ; ergo impium cenſeri debet non poſſe hominem producere vbi, quando, & quomodo voluerit. Sexto ; ex impotentia Dei ad convertendum hominem arguit Auguſtinus periclitari noſtræ confeſsionis initium, qua credimus in Deũ Patrem Omnipotentem; ergo à fortiori ex impotentia Dei ad producendum hominẽ, noſtræ confeſsionis periclitatur initium.

12 Septimo; quia eſt omninò chimericum, & inintelligibile hominem ex terminis poſsibilem, intra ſtatum poſsibilitatis exiſtentem ita eſſe potentem, vt ſeipſum impoſsibilem reddat, Deumq; impediat, nè ipſum poſsit producere: quia enim intra ſtatum poſsibilitatis nihil eſt, nihil intra illum ſtatum efficere poteſt; qualiter ergo intelligi valet intra illum ſtatum Dei Omnipotentiam impedire, illiq; reſiſtere, ita vt Deus hominẽ ſic reſiſtentem producere non poſsit ? Inſuper; quod de vno homine reputatur metaphiſice poſsibile debẽt admittere poſsibile de omnibus ; imò de omni creatura rationali poſsibili; nimirùm eſſe caſum metaphiſice poſsibilem, quem Deus vitare nullomodo poſsit, in quo nequeat aliquam creaturam rationalem producere: eſt enim metaphiſice poſsibile, quod nulla in ſtatu cõditionato prævideatur aliquo ex auxilijs poſsibilibus conſenſura ; eſt ergo metaphiſice poſsibile Deum nullam poſſe aliquomodo producere : quod quis credat, quin timeat periclitari noſtræ confeſsionis initium.

13 Tandem impugnatur: nam implicat ſtatus conditionatus operationum hominis, ex quo inferatur implicare hominẽ exiſtere; ergo implicat; quod ex ſtatu conditionato, in quo prævidetur homo nõ cõſenſurus, inferatur implicare eius exiſtentiam. Antec. prob. 1. implicat ſtatus poſsibilitatis operationum hominis, ex quo inferatur implicare eius exiſtentiam; ergo implicat ſtatus conditionatus earundẽ, ex quo inferatur implicare eius exiſtentiam. Conſeq. prob. ideò primum implicat, quia ſtatus poſsibilitatis operationũ hominis, ſupponit hominis poſsibilitatem, & cum illa connectitur: ſed ſtatus conditionatus magis illam ſupponit; cum magis accedat ad exiſtentiam; ergo implicat, quod ex illo inferatur implicare hominis exiſtentiam.

Secundo prob. antecedens; ſtatus conditionatus impedire non poteſt, quod ad illã eſſentialiter ſupponitur : ſed ad ſtatum cõditionatum operationum Petri, v.g. eſſentialiter ſupponitur Petrum poſſe exiſtere abſolutè; ergo non poteſt impedire, quominús Petrus poſsit abſolutè produci. Maior probatur; ſtatus conditionatus operationum eſſentialiter ſupponit poſsibile abſolutè, quod ſtatus abſolutus earundem operationum, ſi daretur, ſupponeret abſolutè exiſtens : ſed ſtatus abſolutus exiſtentiæ operationum ſupponit eſſentialiter Petrum abſolutè exiſtentem; ergo ſtatus conditionatus illum ſupponit abſolutè poſsibilem.

Denique : ſi ex futuritione conditionata operationum Petri, verbi gratia, in-

inferretur impoſsibilitas abſoluta Petri, etiam inferretur illarum impoſsibilitas: at implicat, quod ex ſtatu conditionato alicuius inferatur eiuſdem impoſsibilitas; ergo implicat, quod ex futuritione conditionata operationum Petri inferatur abſoluta incompoſsibilitas illius. Maior probatur; ſtatus conditionatus operationum de conditione impoſsibili, impoſsibilis eſt; vt communiter docent Authores oppoſiti; ergo ſi ex ſtatu conditionato operationum infertur impoſsibilitas Petri, cuius exiſtentia eſt conditio, ſub qua prævidetur ſtatus ille, infertur impoſsibilitas talis ſtatus.

§. III.

Refertur, & reijcitur ſecunda ſolutio.

14 SECVNDA Solutio eſt aliorum Recentiorum aſſerentium; implicare hominem, quem Deus abſolutè non poſsit convertere; quia licèt ſit poſsibilis caſus, in quo nunquam prævideatur conſenſurus ſub auxilio relinquente potentiam ad peccandum, vel potentiam ad puram omiſſionem conſenſus, ob rationes ſupra datas: nullus tamen dari poteſt, quem Deus convertere non poſsit conferendo auxilium auferens potentiam ad peccandum, & ad puram omiſsionem conſenſus, ſeù actus boni, relinquendo ſolùm indifferentiam ad plures actus honeſtos; quod ſufficere aſſerunt ad ſalvandum ſupremum dominium Dei, & quod poſsit per merita ad gloriam perducere; ad quod libertas ad bonum, & malum non requiritur; ſed ſufficit indifferentia, ſeù libertas ad actus honeſtos; vt patet in confirmatis in gratia, & Chriſto Domino.

15 Si autem illis obijcias, quod etiam eſt poſsibile metaphiſice, quod homo ſic indifferens prævideatur eliciturus actum minimum, ſeú minus perfectum ex illis, ad quos habet indifferentiam; in quo eventu, quamvis libere eliciat talem actum; non tamen merebitur: homo enim neceſsitatus ad aliquem actum bonum vage, nequit mereri ex eo, quod ad minus perfectum ex illis ſe determinet, ſeú adæquè perfectum: eſt enim communis ſententia hominem neceſsitatum ad aliquem ex duobus actibus vage omninò æqualibus non habere ſufficientem libertatem ad meritum; eo quod nullum ex propria determinatione Deo præſtet obſequium eligendo potius vnum, quam alterum: quod fortius militat, ſi neceſsitatus ad aliquem vage ex actibus inæqualibus minus perfectum eligat.

Reſpondent, quod ſi ſit neceſsitatus ad aliquem ex actibus vage æqualibus, vel inæqualibus in determinata intenſione, eſſe poſsibile ſemper prævideri hominem eliciturum minus perfectum, ſeù æquè perfectum; atqueadeò eſſe poſsibile Deum illum per merita ad gloriam perducere non poſſe; ſecus ſi ſit neceſsitatus ad aliquem vage, & indifferens ad plures actus, quorum quemlibet elicere poſsit in minori intenſione: Et quia Deus quemlibet hominem ſic neceſsitare poteſt prædictam indifferentiam relinquendo, poteſt illum ad gloriam per merita perducere.

16 Sed quis non videat anguſtias ad quas Omnipotentia Dei reducitur? Et in primis argumentum ex Auguſtino non ſolvitur: impiam enim inſipientiam vocat aſſerere Deum non poſſe hominem convertere, quomodo voluerit; ergo nè impie deſipiamus, aſſerendum eſt, poſſe illum convertere, non ſolum illum neceſsitando, ad non peccandum, ſed etiam relinquendo potentiam ad peccandum. Secundo; iuxta ipſum periclitatur noſtræ confeſsionis initium, ſi aſſerimus, Deum non poſſe hominem convertere, & perducere ad gloriam per merita; ergo etiam aſſerendo non poſſe illum convertere relinquendo potentiam ad peccandum. Conſequentia probatur; quia ideò primum eſt verum, quia hominem converti abſolutè, & per merita ad gloriam perduci eſt poſsibile ex terminis; atqueadeò illud negare Deo poſsibile, eſt eius Omnipotentiam negare: ſed hominem converti converſione coniuncta cum potentia ad peccandum eſt poſsibile ex ſe; ergo illud Deo negare poſsibile, eſt illius Omnipotentiam negare.

17 Tertio; iuxta Auguſtinum Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas: ſed homo ita habet in ſua poteſtate voluntatem ſuam, vt poſsit cum potentia ad peccandum conſungere conſenſum; ergo hoc Deū poſſe negandū nō eſt: aliâs dictū Auguſtini verū non

esset; cum homo erga propriam voluntatem aliquid posset, ad quod Omnipotentia Dei non extenderetur.

Nec video qualiter verificari possit, quod dicitur Proverbiorum 21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*: si Deus in sua potestate non habeat hominem potentem peccare ad se convertere; quod ipse homo potens est præstare: ibi enim est sermo de homine potente peccare; ex qua suppositione adhùc Deus in manu sua illius habere conversionem, sicut divisiones aquarum dicitur.

18 Nec dici potest, ibi quidem esse sermonem de homine potente peccare; cuius cor in manu Dei; quia ab illo auferre potest potentiam ad peccandum, & illa ablata illum ad se convertere. Contra enim est; quod ibi est sermo de potentia ad cõponendam conversionem cum hominis libertate, & dominio: à potentia enim in divisiones aquarum fit paritas ad potentiam ad actus liberos; sermo ergo est de potentia ad coniungendum conversionem cum dominio, & libertate, non solum contradictionis, sed etiam contrarietatis: est enim de vtraque eadem ratio, & vtraque Deo æquè subditur.

19 Insuper huic doctrinę obstant loca Sacræ Scripturæ supra adducta, & adducenda; in quibus omnia subdi Omnipotentiæ Dei docemur: quod non salvaretur, si hominem coniungere consensum, & meritum cum potentia ad peccandum Omnipotentiæ Dei non subderetur. Tandem; quia adhùc suppositа necessitate ad non peccandum, & indifferentia ad plures actus honestos, specie distinctos, Dei Omnipotentia manca maneret ad hominis conversionem: Deus enim vi suæ Omnipotentiæ, ex suppositione, quod homo prævideretur semper eliciturus actum imperfectiorem ex specie, (quod metaphisicè possibile, & Deo non liberum fatentur) non posset ab illo actum perfectiorem extorquere; & consequenter aliquid ex terminis possibile subterfugeret Divinam Omnipotentiam.

(§)

§. IV.

Tertia solutio reijcitur.

20 TERTIA Solutio, quam adducit P. Quirós tract. 6. de Providentia, disp. 6. sect. 5. & disp. 11. sect. 3. admittit casum esse metaphisicè possibilem: non tamen derogare Omnipotentiæ Dei; eo quod ex eius omnipotentissima potestate rectè colligitur, in eius esse potestate aliquod auxilium non vagum, sed determinatum ita efficax, vt moraliter sit impossibile frustrari, etiamsi metaphisice non repugnet: ex quo nullus, nisi desipiat, putare potest eventurum oppositum; vt docuit Augustinus: Quæ impossibilitas non fundatur in præscientia, sed in intrinseca entitate auxilij; quod quia Deus potest conferre quoties voluerit; potest hominum voluntates vbi, quando, & quomodo voluerit ad se convertere: & addit, indemnem salvari Omnipotentiam per hoc, quod defacto videat aliquod determinatum auxilium efficax: ex qua suppositione iam est metaphisice impossibile Deum non posse hominem convertere.

21 Sed contra est primo; ex illa sequitur, Deum non cognoscere ex vi cõprehensionis Omnipotentiæ se posse hominem convertere, vt supra arguebamus; ex vi enim illius solum cognoscit prædicata necessaria metaphisice; posse autem cõvertere hominem, licèt sit necessarium moraliter; est tamen metaphisice contingens; cum oppositum possit metaphisice evenire. Hoc autem esse absurdum constat vt supra: ex eo, quod ex vi comprehensionis Omnipotentiæ cognoscit quidquid ex vi illius potest; ergo si ex vi comprehensionis Omnipotentiæ non cognoscit se posse hominem convertere, ex vi illius non potest hominem convertere; cuius oppositum ex locis suprà adductis manifestè colligitur.

22 Sed dices, quod Omnipotentia non connectitur cum possibilitate creatu-

rari

rarum; atqueadeò ex vi ſoliùs comprehenſionis illius non poteſt Deus illas cognoſcere, neque poteſt aliquam creaturam producere ex vi ſoliùs Omnipotentiæ: quod proindè de conſenſu libero affirmare inconveniens non eſt. Contra tamen eſt: nam etiam illa ſententia admiſſa, ſaltim ſequitur, Deum ex vi comprehenſionis Omnipotentię adiuncta cognitione poſsibilitatis converſionis, non cognoſcere, ſe poſſe hominem convertere. Ex quo vlterius ſequitur, non poſſe hominem convertere ex vi Omnipotentiæ: ſuppoſita enim effectus poſsibilitate, ex vi comprehenſionis Omnipotentię cognoſcit quidquid ex vi illius efficere poteſt. Prętęrquàm quod hanc connexionem Omnipotentię inferre abſolutam potentiam Dei ad producendũ hominem non aliundè, quam ex prædicatis Dei ipſi convenire, tractatu de ſcientia monſtravimus: ex quo fere eâdem inconvenientia, atque ex futuritione conditionata Deo non libera intulimus.

23 Secundo reijcitur ſolutio; ex illa enim ſequitur Deum non eſſe ita Omnipotentem ad hominis converſionem, vt illius poteſtati metaphiſice reſiſti non poſſit: conſequens eſt abſurdum; ergo. Sequela conſtat; nam licèt moraliter non poſſit contingere, quod homo pręventus auxilio moraliter cum conſenſu connexo non convertatur: poteſt tamen metaphiſice; ergo Omnipotentia Dei talis adſtruitur, vt poſsit metaphiſice illi reſiſti, & ab aliquo extrà ſe impediri: etenim eius vis in auxilio, cui metaphiſice reſiſti poteſt, explicatur. Minor etiam eſt manifeſta; nam potentia, quę ab aliquo extrinſeco impediri poteſt, & reſiſti, non eſt ſumma, ſed alteri ſubiecta, nimirùm illi, â quo impediri poteſt; & conſequenter non eſt Omnipotentia; ſi ergo Omnipotentia Dei impediri poteſt ab aliquo extra ſe, Omnipotentia non eſt.

Confirmatur; potentia, quę ab alio neceſsitari poteſt ad aliquid faciendũ, ſumma non eſt, ſed inferior illo, à quo neceſsitari poteſt; ergo potentia, quæ ab alio poteſt impediri, non eſt ſumma, ſed inferior illo, à quo impediri poteſt. Et ratio eſt manifeſta; potentia enim, quæ impediri ab actu, vel ad illum neceſsitari poteſt ab aliquo extra ſe, ab illo ad poſitionem actus dependet.

24 Tertiò ſequitur, volentis, & nolentis poteſtatem impedire, & ſuperare poſſe poteſtatem Dei contra illud Auguſtini; velle, vel nolle ita in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Aſſumptum probatur; nam ſaltim metaphiſice voluntas humana poteſt impedire poteſtatem Divinam ad hominis converſionem, vt concedit ſolutio; ergo impedire, & ſuperare poteſt divinam poteſtatem: quod ſi defacto non impedit, aut non ſuperat, non eſt, quia metaphiſice impoſsibile ſit; ſed quia homo non vult.

25 Confirmatur; hominem prævenţum auxilio illo moraliter infruſtrabili poſſe illud fruſtrare concedunt huius ſolutionis Authores; taliter quod illud non fruſtrare ſit ipſi omninò liberum, & nullatenus Deo; ergo poteſtas divina ad hominis converſionem, quam obtinet medio illo auxilio, non ſibi, aut ſuę Omnipotentiæ tribuenda eſt; ſed hominis potati, & dominio, in cuius ſolius libertate fuit illud fruſtrare, vel non fruſtrare. Confirmatur ſecundo: in poteſtate creaturæ poſitum eſt Deum habere, vel non habere poteſtatem; ergo poteſtas creaturæ ſuperat poteſtatem Dei. Conſequentia patet: poteſtas enim ex cuius libera determinatione dependet alterum habere, vel non habere poteſtatem, ſuperior eſt poteſtate ſic dependenti, & illam ſuperare poteſt. Antecedens autem probatur: Deum habere poteſtatem ad converſionem dependet ab eo, quòd auxilium ad illam non ſit fruſtrandum: at hoc ſolum à voluntate creata dependet, quæ pro ſuo libito poteſt quodlibet auxilium fruſtrare; ergo in poteſtate creaturæ eſt Deum ad hominis converſionem habere, vel non habere poteſtatem.

26 Quarto reijcitur ſolutio: nam eſto poteſtas hæc moraliter infruſtrabilis, metaphiſice tamen fruſtrabilis ſufficiat ad ſalvandam ſummam poteſtatem, & Omnipotentiam in Deo ad hominis converſionem: tamen vt Deus ſit ſumme potens abſolutè, debet habere hanc ſaltim poteſtatem moraliter infruſtrabilem reſpectu cuiuſcumque poſsibilis: ſed licèt illam habeat in ordine ad converſionem abſolutè; non tamen in ordine ad quodcumq; poſsibile iuxta hanc ſolutionem; ergo inſufficiens eſt. Maior probatur; ideò reſpectu converſionis hæc poteſtas moraliter infruſtrabilis tribuitur Deo, quia converſio poſsibilis eſt ex ſe; atqueadeò vt Deus ſit Omnipotens, debet habere reſpectu illius poteſta-

testatem moraliter infrustrabilem ; ergo vt sit Omnipotens, hanc saltim debet habere respectu cuiuscumque possibilis. Minor probatur; nam conversionem fieri à Petro; v. g. medio auxilio sufficienti moraliter frustrabili sine novi auxilij superadditione possibile est : & tamen ad ponendum hoc possibile, nimirùm coniunctum ex auxilio, & conversione non habet potestatem moraliter infrustrabilem ; ergo hanc potentiam non habet Deus respectu cuiuscumque possibilis. Maior est nota. Minor in eorum principijs est evidens ; nam in omnibus auxilijs, sub quibus vidit voluntatem non consensuram , frustratur potentia illa : non enim Deus vllo modo potest coniungere conversionem cum auxilio , cũ quo prævidit voluntatem non consensuram; ergo potentia in Deo ad illud possibile est frustrabilis nedum metaphisice, sed etiam moraliter.

Secundo minor illa constat in sententia apud Adversarios satis communi asserente, hanc numero conversionem essentialiter dependere ab hoc numero auxilio ; quod saltim de actione productiva actus voluntatis, in quo conversio consistit, à quo apud illos actio productiva distinguitur, non videtur posse negari : de hac ergo actione ab hoc auxilio essentialiter dependenti fit argumentum : hæc enim est possibilis : & tamen Deus non habet potestatem ad illius productionem moraliter infrustrabilem ; cum omnibus auxilijs , sub quibus Deus prævidit voluntatem non consensuram,frustretur; ergo.

§. V.

Refertur,& reijcitur quarta solutio.

27 PRÆCEDENTI Solutioni quartam adiunxit Pater Quirós vbi suprá , asseritque casum esse metaphisice possibilem; moraliter tamen impossibilem ; non quia Deus vi suæ Omnipotentiæ possit conferre auxilium moraliter infrustrabile, vt asserebat præcedens solutio ; sed quia inter tot auxilia impossibile est saltim moraliter voluntatem non videri sub aliquo consensuram; atqueadeò est moraliter impossibile Deum non posse hominem convertere: ex suppositione verò, quod viderit sub aliquo consensuram, est impossibile metaphisice.

28 Sed hęc solutio non minus insufficiens est, quam præcedens : & reijcitur primo argumento facto : quia hominem converti possibile est, necessarium iudicat ad salvandam Omnipotentiam De , esse moraliter impossibile Deum aliquo ex auxilijs possibilibus non posse homin ẽ convertere; ergo quia converti medio hoc auxilio est possibile, vt Deus sit Omnipotens, debet esse impossibile saltim moraliter Deum non posse hominem convertere medio hoc auxilio; at hoc non est moraliter impossibile iuxta Adversarios, vt vidimus; ergo Omnipotentiam Dei non salvant.

29 Secundo reijcitur vt supra; potestas enim, quæ ab aliquo extra se impediri potest, non est summa; ergo si potestas Dei ad convertendum hominem potest metaphisice ab alio extra se impediri , non est summa. Confirmatur primo ; quia voluntas humana potest impediri à Deo , nè exeat in actum conversionis, eius potestas ad conversionem non est summa ; ergo si potestas divina à creatura impediri potest, non est summa. Confirmatur,& explicatur secundo : quia voluntas creata in actu primo constituta indiget iuxta Thomistas physica prædeterminatione , vt convertatur, quæ ex eius arbitrio non dependet , eius potentia ad conversionem non solùm non est summa, sed iuxta Adversarios vera potentia libera non est : & iuxta nos,& veritatem summè libera non est , sed subdita Deo prædeterminanti ; ergo si Deus indiget aliquo ad conversionem , cuius positio in eius potestate non est, sed solum in potestate creaturę , eius potestas ad conversionem non erit summa , imò nec libera potestas erit.

30 Tertio reijcitur ; quia ex hac solutione sequitur, æqualem habere potestatem creaturam ad conversionem, ac ipse Deus habet : quod nullatenus admitti potest. Assumptum probatur : sicut creatura habet potentiam dependenter à Deo , ita Deus dependenter à creatura; ergo æqualem. Antecedens probatur ; Deus potestatem non habet, nisi ex suppositione , quod

viderit voluntatem elicituram converſionem : at hæc ſuppoſitio eſt vnicè à creatura dependens ; ergo ſicut creatura habet dependenter à Deo poteſtatem, Deus illam habet dependenter â creatura.

31 Confirmatur : ſicut creatura poteſt impediri à Deo, nè convertatur, auferendo ab illa potentiam ; poteſt pariter creatura impedire Deum auferendo aliquid requiſitum ad poſſe : & ſicut Deus nequit impedire creaturam ſemel potentem converti ; pariter creatura Deum ſemel potentem expedite ad converſionem impedire non poteſt ; ergo æqualis eſt vtriuſque potentia. Imò videtur potentiam creaturæ excedere divinam poteſtatem: creatura enim nondum exiſtens poteſt impedire potentiam Dei ; cum nulla exiſtente creatura ſit caſus metaphiſice poſsibilis, in quo Deus defectu conditionatę futuritionis non poſsit creaturam convertere: Deus autem ſua indiget Omnipotentia ad impediendum converſionem creaturæ; potentior ergo videtur creatura, quæ nondum exiſtens poteſt Deum impedire, quam Deus, qui ſua indiget Omnipotentia ad impediendum creaturam. Quod ampliùs explicatur : potentia, quæ à debiliori agente extra ſe impediri poteſt, debilior eſt, quam illa, quæ ſolum ab Omnipotenti impediri poteſt : at Deus à creatura nondum exiſtenti impediri poteſt; creatura autem â ſolo Deo ; ergo Dei Omnipotentia debilior erit potentia creaturæ.

32 Quarto reijcitur : ex eo, quod caſus ſit metaphiſice poſsibilis, ſequitur Deum non eſſe Omnipotentem ; ergo hæc ſolutio ſuſtinenda non eſt. Antecedens probatur ; ſequitur ad aliquid metaphiſicè poſsibile non extendi potentiam Dei, & aliquid non implicans contradictionem non ſubdi Omnipotentiæ Divinæ; ergo ſequitur Deum non eſſe Omnipotentem. Conſequentia probatur; Deum eſſe Omnipotentem eſt poſſe omnia, quæ non implicant contradictionem, vt eſt lumine naturali notum, & docetur à D. Thoma infra, quæſt. 25. art. 3. vbi docet; quod ſolum illud non ſubditur Divinæ Omnipotentiæ, quod implicat eſſe, & non eſſe, & quod omnia illa, quæ ex terminis contradictionem non implicant, ſub illis poſsibilibus continentur; reſpectu quorum Deus eſt, & dicitur Omnipotens; ergo eo ipſo, quod aliquid metaphiſicè poſsibile non ſubdatur Omnipotentiæ, Deus nequit eſſe Omnipotens : caſus autem ille metaphiſicè poſsibilis Omnipotentiæ Dei non ſubditur; non enim eſt in eius poteſtate caſum illum defacto dari; vt Adverſarij fatentur.

33 Confirmatur ; etiamſi ipſis concedamus non eſſe contra Omnipotentiam Dei, quod aliquis actus liber creaturę ipſi reddatur impoſsibilis ex ſuppoſitione contingenti Deo non libera : nihilominùs ipſi fatentur, actum, qui in nulla ſuppoſitione contingenti poteſt ſubdi Omnipotentiæ Dei, eſſe metaphiſice impoſsibilem: ſed caſus ille in nulla ſuppoſitione contingenti, & in nullo eventu poteſt Dei Omnipotentiæ ſubdi; vt etiam fatentur; ergo negare non poſſunt caſum eſſe metaphiſice impoſsibilem.

34 Confirmatur ſecundo : illud, quod eſt metaphiſice poſsibile, & contingens, poteſt poni ab aliqua potentia, & ex alicuius determinatione, ſed caſus ille reduci non poteſt ad actum ab aliqua potentia etiam metaphiſice ; ergo nullo modo eſt poſsibilis. Maior eſt nota : id enim, quod poſsibile eſt, & contingens, ſeipſo ad actum reduci non poteſt, aut extrahi á poſsibilitate. Minor autem probatur ; caſus ille non poteſt reduci ad actum ab Omnipotentia Dei; cum illi non ſubdatur: non á potentia, aut voluntate creata ; ergo à nulla. Conſequentia conſtat ; antecedens autem quoad primam partem ipſi concedũr: quoad ſecundam verò probatur primo ; id enim, quod Omnipotentiæ Dei non ſubditur, vel permittentis, vel poſitive influentis, aut providentis, nequit potentiæ creatæ aliquomodo ſubdi; aliàs potentia creata Deo ſubiecta non eſſet ; ergo ſi caſus ille non ſubditur potentiæ Dei, neque ſubditur potentiæ creatę. Secundo probatur ; id, quod Omnipotentiæ Dei non ſubditur, neque ſubdi poteſt in aliquo caſu poſsibili, implicat eſſe, & non eſſe; vt ex D. Thoma vidimus; ſed id, quod implicat eſſe, & non eſſe, ſubdi non poteſt potentiæ creatæ ; ergo caſus ille non eſt poſsibilis creaturæ. Tertio; caſus ille, ſi daretur, daretur etiam nulla exiſtente creatura : ſed creatura non exiſtens, ſed poſsibilis, nihil poſsibile poteſt ad actum reducere ; ergo caſus ille à creatura non reduceretur ad actum ; & conſequenter à nulla potentia creata reduci poteſt.

35 Quinto reijcitur : quia iuxta Auguſtinum, ſi Deus hominem convertere non poſſet, periclitaretur noſtræ confeſsionis

nis initium, qua credimus esse Omnipotentem; vtpotè, quia si non posset, non esset vere Omnipotens: ergo cum impossibile metaphisice sit Deum non esse Omnipotentem, impossibile etiam metaphisice censeri debet id, ex quo non esse Omnipotentem infertur. Confirmatur primo: iuxta eundem Augustinum Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quã ipsi suas: sed impossibile est metaphisice, quod homõ cum auxilio sufficienti non possit se convertere; ergo etiam est impossibile metaphisice Deum non posse illum convertere. Secundo; ex Omnipotentia Dei inferunt PP. Deum posse hominem convertere; ergo stante Omnipotentia Dei deficere non potest potentia ad hominis conversionem. Et quidem Scriptura, & PP. iuxta ipsam, ad Omnipotentissimam voluntatem Dei reducunt posse quemlibet hominem convertere; & consequenter quousque hæc deficiat, (quod impossibile metaphisice est) fatendum est Deum posse hominem convertere. Rursus Deum habere in manu sua cor hominis summa perfectio est; quæ deficeret, si non posset hominem convertere: atqueadeó cum impossibile sit Deo aliquam perfectionem deficere; impossibile censeri debet id, ex quo deficere colligitur.

36 Respondent ad hoc, quod ex suppositione, quod homo sit sub aliquo auxilio consensurus, Deus Omnipotens nõ esset, si ipsum convertere non posset; sicut ex suppositione, quod homo possibilis sit, Deus non esset Omnipotens, si illum producere non posset: ex suppositione tamen quod sub nullo auxilio sit consensurus, inconveniens non est, Deum ipsum convertere non posse; sicut ex suppositione, quod homo non esset possibilis, nullam inconveniens foret Deum ipsum non posse producere. Sicut ergo Omnipotentia in ordine ad alia possibilia est potentia conditionata; quapropter etiamsi non posset aliquid producere ex ipsius repugnantia, maneret omninò perfecta: pariter ex suppositione illius casus Deum non posse illum convertere nullum esset inconveniens.

Ex quo inferunt, quod quia defacto nullus est homo, qui sub aliquo auxilio non sit consensurus; si Deus illum convertere non posset, inferretur non esse Omnipotentem: & in hac suppositione loquuti sunt PP. illudque intulerunt, non in casu metaphisico. Similiter asserunt, habere Deum magis in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; quia defacto prævidetur sub aliquo auxilio consensurus, quo defacto habet Deus in manu sua hominis conversionem: & similiter ad alias confirmationes respondent ad Omnipotentissimam potestatem Dei reduci hominis conversionem; quia ex suppositione, quod sub aliquo auxilio prevideatur consensurus, ad Omnipotentiam Dei spectat ipsum convertere posse.

37 Sed hoc non satisfacit: Et præterquàm supponit sententiam minus gratam, nimirùm Omnipotentiam non connecti cum possibilitate creaturarum, reijcitur primo; nam iuxta hanc solutionem asserendum est, quod PP. doctrinam illam non traderent, nisi scirent intra statum possibilitatis nullum dari hominem, qui non prævideatur sub aliquo auxilio consensurus: & cum oppositum supponatur possibile, non facilè apparet, ex quo principio illud deducant. Secundo: nam etiamsi eadem maneret Omnipotentia quoad perfectionem intrinsecam possibilitate alicuius creaturæ deficiente: si tamen posset fieri, quod creatura non implicans fieret implicans, & hoc non à Deo, sed ab alio independenter à Dei voluntate; nulli dubiũ est, quod Deus perfectè Omnipotens non esset: cum aliquid possibile, nimirùm creaturam non implicantem reddi ex terminis repugnantem, Deo esset ex terminis impossibile; ergo licèt ex suppositione, quod Petrus non sit consensurus sub aliquo auxilio, sine imperfectione non posset illum convertere; si tamen suppositio illa ab aliquo poni potest, & non à Deo, non potest Omnipotẽtia sine imperfectione subsistere.

38 Tertio; potestas, quæ ad effectus positionem indiget alio, quod à se ponendum, vel permittendum non est, sed ab alio, perfecta non est; vt patet in potẽtia creata, & supra ponderavimus; ergo si divina potestas indiget suppositione contingenti ponenda ab alio, perfecta non est. Quarto; quia in sententia, quam supponit solutio, ex eo, quod creatura non implicans fieret implicans, non destrueretur Omnipotentia, quia ex suppositione illa adhuc Deus maneret potens ad omnia, quæ implicationem ex terminis non involvunt: at Deus ex suppositione illa contingenti ab ipso non ponenda maneret impotens ad aliquid ex terminis non repugnans; ergo paritas est nulla.

Quin-

39 Quinto ; potentia conditionata de conditione neceſſaria à Deo non ponenda, ſed ab alio , arguit imperfectionẽ; ſecus autem potentia conditionata de conditione neceſſaria, & à nullo auferibili , ſeù ponibili : ſed Omnipotentia in ordine ad poſsibilia dicitur in illa ſententia conditionata de conditione neceſſaria , & à nullo auferibili ; conditio enim eſt poſsibilitas rei illi intrinſeca, & eſſentialis, quę à nullo auferri poteſt, ſicut neque prædicata neceſſaria : potentia autem conditionata ad cõverſionem eſt de conditione contingenti à Deo non ponibili , ſed ab alio ; ergo eſto illa imperfectionem non dicat ; hæc tamen ab imperfectione liberari non poteſt.

40 Sexto reijcitur inſtaurando argumentum factum : nam iuxta Auguſtinum Omnipotentia Dei non ſalvatur , ſi Deus non poſsit convertere hominem: quod docuit attendendo præciſsè ad naturam Omnipotentiæ,& poſsibilitatem converſionis ; ergo iuxta ipſum ſalvari non poteſt manente natura Omnipotentiæ , & converſionis poſsibilitate , quod Deus ad converſionem non poſsit. Secundo ; nam Deum eſſe Omnipotentem per hoc , quod poſsit ad converſionem , ex ſuppoſitione libera creaturæ , magis arguit ſummam potentiam creaturę , & illius vrbanitatem, quia potentiam Dei non impedivit eum poſſet, quam poteſtatem divinam,quæ non impedita potens eſt : at Auguſtinus,& PP. non ad benignitatem creaturę , ſeù liberam illius non impeditionem , ſed ad ſummam Dei poteſtatem reducunt poſſe hominem convertere ; ergo ſupponunt,quod huiuſmodi potentia non expectat conditionem contingentem Deo non liberam.

41 Tertio : quia aſſerere defacto exiſtere hominem, quem Deus non poſsit convertere, vel quia non eſt moraliter impoſsibile non prævideri ſub aliquo auxilio conſenſurum ; vel quidquid ſit de morali impoſsibilitate, hoc quod eſt metaphiſice poſsibile, defacto datur, vel à caſu, vel ab illo,à quo reduci poteſt ad actum , non eſſet contra Omnipotentiam , quam initio noſtræ confeſsionis profitemur : at hoc eſt falſum; ergo,& ſolutio. Minor conſtat ex Auguſtino vbi ſuprà. Maior autem probatur ; nam caſum illum defacto dari contra Omnipotentiam non eſt : nihil enim metaphiſice poſsibile , etiamſi defacto detur, poteſt eſſe contra illam , quæ etiam metaphiſice eſt indefectibilis. Similiter contra Auguſtinum nihil impium aſſereret ob eandem rationem.

42 Quarto; quia,vt vidimus, vitare non poſſunt ; quod aliquod poſsibile ex terminis Deus non poſsit : quippè converti hominem medio hoc auxilio eſt poſsibile : quod tamen iuxta Adverſarios à Deo fieri non poteſt ex ſuppoſitione ſibi non libera : quod ſi hoc impium non eſt , neque contra fidem Omnipotentiæ ; neque etiam erit contra illam Deum non poſſe abſoluté hominem convertere : cum ad omnia poſsibilia Omnipotentia extendatur; & eâdem ratione eius oppoſitum docuit Auguſtinus. Quod aliter ſic proponitur,& vlterius explicatur : eo docuit Auguſtinus periclitari fidem Omnipotentiæ , ſi Deus non poſſet hominem convertere, impiumque eſſe illud aſſerere ; quia impium eſt , & contra Omnipotentiam, non poſſe Deum aliquod poſsibile : at hoc vitare non poſſunt Adverſarij; ergo ſolutio eſt nulla. Minor probatur; nam hominem converti hoc auxilio eſt poſsibile : at hoc à Deo fieri non poteſt iuxta Adverſarios;ergo vitare non poſſunt Omnipotentiam non extendi ad omne poſsibile ; eſt enim omnium poſsibilium eâdem ratio.

43 Quinto ; quia ſi Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominũ, quam ipſi ſuas præciſsè , quia defacto videtur homo ſub aliquo auxilio conſenſurus , ſequitur eſſe metaphiſice poſsibile oppoſitum, nempè Deum non magis habere in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas : conſequens eſt abſurdum; ergo. Sequela conſtat; eſt enim metaphiſice poſsibile non videri hominem ſub aliquo auxilio conſenſurum. Minor autem probatur; nam Deum magis habere in poteſtate ſua voluntates hominum, eſt ipſum ſupremum dominium Dei erga voluntates creatas : quod deficere impoſsibile eſt metaphiſice.

44 Et confirmatur : de quolibet actu voluntatis debet verificari Deum magis illum habere in ſua poteſtate , quam creaturam; eſt enim eâdem ratio de omnibus : at iuxta Adverſarios actum liberum elici à creatura medio auxilio. A. eſt in poteſtate creaturę,& non in poteſtate Dei, vt ſæpè vidimus ; ergo doctrina ſolutionis cum Auguſtino non componitur. Quod argumentum vrgetur in ſententia ſupra relata aſſerente hunc numero actum dependere ab hoc numero auxilio eſſentialiter

ter; iuxta quam ex ſuppoſitione, quod homo non ſit ſub illo auxilio conſenſurus, hic numero actus non eſt in poteſtate Dei; & tamen medio hoc auxilio eſt in poteſtate creaturæ: cum quo non video qualiter magis habeat Deus in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.

45 Tandem; iuxta Auguſtinum abſurdum eſt aſſerere creaturam impediſſe nè fieret, quod volebat Omnipotens: at iuxta hos Authores hoc abſurdum devorandum eſt; ergo. Minor probatur; ex determinatione voluntatis creatæ impeditur Deus, nè poſsit facere vllo modo voluntatem conſentire medio auxilio *A*: quod tamen Deus volebat; ergo voluntas creata impedit, nè fiat quod volebat Omnipotens.

46 Nec ſufficit reſpondere, quod ex ſuppoſitione, quod voluntas creata medio illo auxilio non ſit conſenſura, Deus non poteſt velle efficacitèr medio illo conſentire: ſicut ex ſuppoſitione, quod ſub nullo ſit conſenſura, non poteſt velle efficacitèr conſentire; atqueadeò verificari nõ poteſt creaturam impedire, nè fiat quod Deus efficacitèr vult. Contra enim eſt primo: voluntatem creatam non impedire divinam ex ſuppoſitione ipſi libera, qua ſupponitur ex propria determinatione non impediens Deum, non arguit ſummam poteſtatem in illo: at ex ſumma poteſtate Dei arguit Auguſtinus eſſe abſurdum voluntatem creatam poſſe impedire divinam; ergo hæc explicatio iuxta mentem Auguſtini non eſt. Maior videtur per ſe nota; quia Petrum, v.g. non poſſe impedire Ioãni voluntatem efficacem operandi, quia ſupponitur volens non impedire eius operationem, non arguit magnitudinem poteſtatis in Ioanne, ſed vrbanitatem in Petro.

47 Secundo; iuxta hanc doctrinam, etiamſi voluntas creata impediret, nè fieret, quod volebat Omnipotens, non argueretur Deus impotentiæ, ſed imprudentiæ, vel ignorantiæ: ſed ad ſummam poteſtatem Dei reducit Auguſtinus impotentiam creatam ad impediendum Deum; ergo idem quod prius. Maior probatur; ex eo, quod Deus vellet Petrum conſentire ſupponendo, quod in ſtatu conditionato ſub nullo auxilio eſt conſenſurus, ſolum argueretur Deum velle efficacitèr fieri, quod ſcit non faciendum, vel quod falſo putat, aut ignorat faciendum: at hoc ſolum arguit imprudentiam, vel ignorantiam; cum Deum ex illa ſuppoſitione non poſſe, defectus Omnipotentiæ non ſit iuxta hos Authores; ergo in illa ſuppoſitione non argueretur Deus impotentiæ, ſed imprudentiæ, vel ignorantię.

48 Tertio; maiorem arguit imperfectionem, vel ſaltim non minorem, Deum poſſe impediri á creatura, nè poſsit velle, quod eſt abſolutè poſsibile, quam ſuppoſita voluntate divina illius effectum impedire: ſed primum non reputant inconveniens Adverſarij; ergo neque ſecundum. Tandem; Deum velle inefficacitèr aliquid, & illud non poſſe velle efficacitèr, impotentia eſt: ſed in caſu poſito eſto Deus velit inefficacitèr actum elici ſub illo auxilio; impotens tamen eſt ad volendum efficacitèr impotentia inducta ex creatura; ergo impotentiæ imperfectio arguitur, & contra divinam Omnipotentiam eſt.

§. VI.

Vltima ſolutio reijcitur.

49 VLTIMA Solutio docet, caſum eſſe metaphiſice impoſsibilem: eſt enim (aiunt) implicatorium ex terminis, Petrũ, v.g. non prævideri conſenſurum ſub aliquo ex alijs poſsibilibus; atqueadeò implicat caſus, in quo Deus non poſsit illum convertere, conferendo illi auxilium, quo prævidit conſenſurum.

Hæc tamen ſolutio, licèt magis ad veritatem accedere videatur, non ſatisfacit: & reijcitur primo; nam in tota collectione auxiliorum nihil eſt excedens connexionem moralem cum conſenſu; ergo non eſt metaphiſice neceſſarium aliquo prævideri conſenſurum. Antecedens probatur; nullum datur auxilium in tota collectione metaphiſice connexum cum conſenſu, ſed quodlibet diviſive ſolum habet allicere moraliter voluntatem ad conſenſum, & ad ſummum connecti moraliter cũ illo; ergo in tota collectione nihil eſt ex-

ce-

cedens connexionem moralem cum consensu. Consequentia probatur; implicat dari in tota collectione connexionem metaphisicam, si in nullo singulari reperitur; maximè, quia eâdem est ratio de tota collectione, atque de quolibet auxilio in singulari: eo enim in nullo divisive reperitur amplius, quam connexio moralis, quia quodlibet divisivè solum concurrit allicien-do moraliter: sed neque in tota collectione amplius reperitur quam hæc moralis allicientia; neque in illa assignabile est prędicatum aliquod ratione cuius connectatur metaphisice cum consensu; ergo solum datur connexio moralis.

50 Secundo; eo modo est impossibile hominem non consentire aliquo ex tot auxilijs, quo impossibile est, vt inter tot homines non oriatur aliquod scandalum: sed hoc solum est impossibile moraliter, & moraliter solum necessarium, vt veniant scandala; ergo illud solum est moraliter impossibile. Et ratio est eadem: quia enim quilibet homo divisivè potest vitare scandalum; licèt sit necessarium inter plures homines aliquod scandalum oriri, non potest esse necessarium metaphisice: similiter ergo, quia homo quolibet auxilio divisivè potest non consentire, licèt sit necessarium aliquo ex tot auxilijs consentire, non potest esse necessarium metaphisice, sed solum moraliter.

51 Tertiò: quidquid de hoc sit, eò ipso, quod sit impossibile metaphisice hominem aliquo ex auxilijs possibilibus non consentire, independenter à Scientia Media per scientiam simplicis intelligentiæ Deus cognoscit se posse hominem convertere; & consequenter poterit hac sola scientia directus eius conversionem efficacitèr decernere: at hoc ab ipsis admitti non potest; ergo hæc solutio doctrinæ eorum non congruit. Minor probatur; iuxta illorum principia nihil connexum infallibiliter cum consensu potest præcedere consensum, nisi talis sit naturę, quod ad illud Scientia Media essentialiter supponatur; quæ cum possit pro libertate creaturæ deficere, potest etiam deficere pro eiusdem libertate id, quod Scientiam Mediam essentialiter supponit, de quo infra; ergo decretum efficax infallibiliter cum consensu connexum, independensque à Scientia Media ab ipsis admitti non potest.

52 Quarto; licèt Deus, iuxta hanc solutionem, ex vi comprehensionis Omnipotentiæ cognoscat posse hominem convertere; non tamen ex vi illius cognoscit medium, quo convertendus esset; atque adeò ex vi Omnipotentiæ tale medium non habetur, sed aliundè emendicandum est: quod non minus derogat Omnipotentiæ. Quinto; nam isti Authores reputant absurdum, Deum reddi impotentem ad hominis conversionem ex suppositione sibi non libera; quapropter impossibile iudicant metaphisice, hominem non prævideri consensurum aliquo ex auxilijs possibilibus: at hoc inconveniens vitare non possunt; ergo absque fundamento, & inconsequenter ad propria principia casum reputant impossibilem. Minor probatur vt supra; hominem converti auxilio *A* possibile est: & tamen ex suppositione Deo non libera redditur impotens ad conversionem ponendam medio illo auxilio; ergo vitare nō possunt, quominùs Deus ex suppositione sibi nō libera reddatur impotens ad effectū absolutè possibilē.

53 Respondet Quiròs vbi suprà, semper esse in potestate Dei hominem convertere; quia licèt hoc auxilio, quod prævidit inefficax non possit; potest tamen absolutè medio aliquo auxilio: si autem fiat vis in eo, quod Deus non possit hominem convertere medio auxilio, quod prævidit inefficax, & ex suppositione, quod inefficax sit, afferit inconveniens non esse, nec minuere potentiam Dei: sicut non minuit in sententia Thomistarum, quod Deus non possit prædestinare per auxilium sufficiens. Imò nos (prosequitur ipse) maiorem damus Deo libertatem, & potestatem, quam Thomistę; isti enim adstruunt plura auxilia sufficientia, quibus solis implicat conversionem componi: nos autem de illo auxilio, quod est purè sufficiens, diximus tale esse, quod quantum est de se, potuit contingere, quod Deus per illud hominem converteret. Quod si Deus in Thomistarum sententia potest facere, vt auxilium sufficiens fiat efficax superaddendo physicam prędeterminationem; ita dicimus posse auxilio prævisō sufficienti superaddere aliud, quod prævidit efficax, quin Deo deficiat auxilium sic efficax, quod superaddere possit pro suo libito.

54 Sed hæc doctrina plura continet

falsa, & argumentum non solvit : & in primis inconsequenter loquitur ad propria principia : ipse enim admittit, & probat casum esse metaphisice possibilem ; quod tamen hic videtur negare, dum asserit, Deum per Scientiam Mediam non posse impediri, nè vllo modo hominem convertat.

55 Secundo argumentum non solvitur: concedit enim dari aliquid possibile, quod ex suppositione Deo non libera, sit ipsi impossibile : conversionem enim coniungi cum solo auxilio *A* sufficienti est possibile apud ipsum, & in manu voluntatis creatæ præventæ auxilio *A*; quod tamen Deus non potest facere ex suppositione, quod ipsum præviderit inefficax; quod ipsi liberum non est; ergo licèt hominem convertere, sit absolutè possibile, poterit fieri Deo impossibile ex suppositione sibi non libera absque aliquo inconvenienti contra Dei Omnipotentiam. Ex quo constat, quod admisso Deum posse superadendo novum auxilium hominem convertere, argumentum non solvitur : cum converti non superaddito novo auxilio sit possibile ; Deo tamen impossibile ex suppositione sibi non libera.

56 Tertio; hanc numero conversionem dependere essentialiter ab hoc numero auxilio est valdè probabile apud ipsos; & vt supra dicebamus, de actione productiva actus voluntatis, qui est conversio, difficilè negabitur ; cum seipsa dependeat ab hoc numero auxilio, & consequenter essentialiter : quam tamen Deus non potest producere superaddendo novum auxilium; cum actio illa, seú conversio à novo auxilio dependens sit distincta ab illa, quæ à solo primo dependeret ; datur ergo aliquid possibile; quod ex suppositione sibi non libera Deus est impotens producere.

57 Ex quo constat, quam sine fundamento doceat Quiròs maiorem libertatem, & dominium Deo tribuere, quam Thomistas. Quod sic patet ; ipsi enim asserunt, esse possibile coniungi conversionem cum solo auxilio *A* : & tamen Deus hoc coniunctum ponere non potest ex suppositione sibi non libera : Thomistæ autem nunquam concedunt, vt ipse negare non potest, aliquod possibile ex terminis, quod pro libito Dei dari non possit : & quamvis cum solo auxilio sufficienti non possit cõversionem coniungere ; eo est, quia apud Thomistas coniunctio illa implicat ex terminis: implicat enim actum componi cum carentia physicæ prædeterminationis ad illum; atqueadeò, quod coniungatur actus cum solo auxilio sufficienti : & licèt cum solo auxilio sufficienti possit creatura ponere actum, & solum auxilium sufficiens det potentiam ad illum ; non tamen potest, nec dat potentiam ad coniungendum actum cum solo illo auxilio : & ratio horum omnium est manifesta ; scilicèt, quia implicat poni effectum, quin causa prima illum ponat, & producat : coniungi autem cum auxilio sufficienti actum sit â Deo media physica prædeterminatione ; atqueadeò cum carentia illius effectus ille componi non potest ; sicut neque mundus cum carentia creationis, quamvis creatio non constituat Deum potentem creare : idemque explicari potest in concursu simultaneo. Adversarij autem concedunt esse possibile creaturæ, quod Deus nullo modo potest facere; cum auxilio enim sufficienti solo potest creatura coniungere consensum ; Deus autem hoc præstare non potest, estque impotens ad faciendum, quod creatura faciat id, quod ipsa facere potest.

Itaque quod creatura potest, apud nos Deus pro suo libito potest præstare vt faciat creatura : vndè si creatura potest cum solo auxilio sufficienti coniungere consensum, Deus facere potest hanc coniunctionem, & quod creatura illam faciat: si autem Deus non potest coniungere conversionem cum solo auxilio sufficienti, eo est; quia hoc ex terminis implicat ; quapropter neque creatura potest hanc ponere coniunctionem : neque auget potentiam Dei, quod potuisset contingere, Deũ posse coniungere conversionem cum auxilio, quod modo est inefficax ; sed potiùs destruit : nam casus, in quo Deus posset, eius potentiæ non subditur ; sed potentiæ creatæ ; atqueadeò ab hac, & non à Deo dependet, quod possit Deus, vel non possit id, quod ex terminis est possibile ; quod cum Omnipotentia non componi, satis iam probavimus.

§. VII.

§. VII.

Solvuntur argumenta.

58 PRÆCIPUUM Argumentum desumunt Adversarij ex læsione libertatis, quod ferè vnicum est illorum asylum in hac materia; quod sic proponitur: id quod necessarium est ad salvandam libertatem creatam, nequit opponi Omnipotentiæ Dei: sed Deum non posse ex suppositione sibi non libera, nimirùm ex suppositione determinationis voluntatis creatæ prævisæ per Scientiam Mediam, hominem convertere, necessario admittendum est possibile ad salvandam libertatem creatam; ergo Deum sic impotentem esse, contra eius Omnipotentiam non est. Maior est nota; libertas enim creata componi debet cum Omnipotentia Dei. Minor autem probatur omnibus argumentis, quibus probare contendunt, efficacem prædefinitionem independentem à Scientia Media, & necessariam ad existentiam actus liberi destruere eius libertatem. Cui argumento neganda est minor: cuius probationes infra solvendæ sunt.

59 Arguunt secundo; absque aliquo inconvenienti contra Omnipotentiam Dei asserunt Thomistæ Deum non posse malas Angelorum voluntates in bonum convertere: apud illos enim Angeli ex propria electione semel mali, sunt omninò inflexibiles, & impotentes ad bonum; ergo non erit contra Omnipotentiam Dei, quod ex determinatione voluntatis humanæ præcisa per Scientiam Mediam Deus non possit hominem convertere. Consequentia probatur: tùm; quia eâdem est vtriusque ratio. Tùm; quia authoritates supra adductæ eodem modo convincunt in Angelo, atque in homine, & è contra: sicut enim Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas, pariter, & voluntates Angelorum: & sicut cor hominis in manu Dei est, pariter, & Angelorum liberum arbitrium; est enim vtriusque supremus dominus: vndè sicut impia insipientia est negare Deum posse hominem convertere; pariter impia erit insipientia hoc erga Angelum negare: vndè si hoc secundum insipientia non est apud Thomistas, primum nequit esse insipientia. Imò hoc secundum magis videtur esse contra Augustinum; cum asserant Thomistæ Deum non posse defacto Angelum malum ad se convertere: quod de homine defacto concedere impietas est: quapropter nullus ex Scientiæ Mediæ Authoribus negat posse Deum defacto hominem convertere, etsi aliqui illud reputent possibile in casu metaphisico. Sic argumentantur ex hac vniversalitate docti Recentiores.

60 Facilè tamen respondetur, distinguendo antecedens; non potest de potentia ordinaria, concedo antecedens; nego tamen illud de potentia absoluta, & consequentiam. Thomistę igitur cum D. Thoma infra quæstione 64. artic. 2. docent: Angelum ex propria electione ad malum determinatum inflexibilem esse, & impotentem ad recedendum à determinatione, quam semel habuit; quia vt decet D. Thomas ex Damasceno: *Hoc est hominibus mors, quod Angelis casus*: vndè sicut homo peccator post mortem est obstinatus in malo, impotensque ad bonum, pariter & Angelus post casum: quod non tollit quominùs Deus homini obstinato in malo, & impotenti ad bonum possit conferre potentiam ad bonum, ipsumque de facto convertere, & similiter Angelo post casum: quod tamen in sententia ipsorum non potest Deus ex suppositione determinationis voluntatis creatæ prævisæ per Scientiam Mediam, quę Deo libera non est.

61 Addimus tamen; quod etsi Deus Angelum semel malum convertere non posset hæc impotentia ab imperfectione foret liberanda: tùm, quia esset impotentia ex suppositione peccati illius; quod Deus pro suo libito potuit vitare. Tùm; quia si Deus non posset, eo esset apud Thomistas, quia conversio Angeli de malo in bonum ex terminis implicaret: impotentia autem ad id, quod ex terminis implicat, imperfectio non est; neque tunc casus Angelus esset potens ad conversionem, ad quam Deus esset impotens;

at Adversarij Deum constituunt impotentem ad hominem convertendum ex suppositione, quam Deus non potuit vitare. Insuper asserunt; conversionem non implicare ex terminis, ad quam Deum impotentem, creaturam autem potentem agnoscunt.

62 Tertio arguitur: Deum indigere ad convertendum hominem futuritione conditionata conversionis ex determinatione creaturæ ponendæ, ab ipsaque impedibilis, non autem à Deo, non tollit quominùs perfectissima sit Dei Omnipotentia ad convertendum hominem; ergo quod ex defectu futuritionis conditionatæ conversionis sit impotens Deus ad hominem convertendum, Omnipotentiam non minuit. Consequentia constat; si enim indigere aliquo, quod deficere potest, non minuit potentiam Dei, nec defectus ipse minuit; neque id, quod ad defectum consequitur imperfectio erit: aliàs cum defectus possibilis sit, possibile esset deficere Omnipotentiæ perfectionem. Antecedens probatur primo; Dei potentiam indigere aliquo ad positionem effectus exacto ex natura effectus, & ex eiusdem natura a Deo non ponibili, sed à creatura solum, perfectam Dei potentiam non destruit; sed natura actus liberi exigit existere ex determinatione creaturæ, & non aliter, & statum conditionatum solum ab ipsa impedibilem; ergo hoc indigere Deum ad eius positionem, prævidisseque Deum actum futurum sub conditione, ponendumque à creatura, vt sic posit providere de auxilio, sub quo prævisus est futurus, non potest minuere potentiã Dei.

63 Secundo; voluntatem creatam indigere physica prædeterminatione ad actum ab ipsa creatura non ponenda, sed solum à Deo, non minuit potentiam illius in ordine ad actum, iuxta Thomistas; nec prędeterminationis existentia destruit potentiam, sed perficit; ergo Omnipotentiam Dei indigere futuritione conditionata ab ipsa creatura ponenda, vel saltem non à Deo, non destruit potentiam Dei. Consequentia probatur: tùm à paritate rationis: tùm etiam; quia ideò prædeterminatio potentiam voluntatis non destruit, sed perficit, quia actus liber iuxta Thomistas exigit procedere à voluntate creata prædeterminata à Deo: sed etiam exigit iuxta Authores Scientiæ Medię procedere ex sola determinatione creaturæ; ergo hac Deum indigere ad positionem actus non est contra Omnipotentiam Dei.

64 Confirmatur primo; si ex sola determinatione libera Dei non poneretur physica prædeterminatio ad conversionem, non esset Deus perfectè liber in hominis cõversione: & tamen creatura perfectè libera est ad conversionem, etiamsi ex eiusdem determinatione non existat physica prędeterminatio; ergo similiter quamvis Deus non sit liber in positione status conditionati requisiti ad existentiam absolutam actus, sed solum creaturæ; poterit perfectè liber manere ad actus positionem. Consequentia probatur; quia ideò primum est verũ iuxta Thomistas, quia ad creaturam non pertinet ponere physicam prædeterminationem, sed ad Deum: at status conditionatus nõ spectat ad Deum, sed ad creaturam, ex cuius determinatione datur, vel impeditur; ergo quantumvis existat, & non ex determinatione Dei, sed creaturæ, poterit Deus potentiam, & libertatem sibi propriam retinere.

65 Confirmatur secundo: Deum indigere potentia vitali creata ad actum vitalem creatum producendum, non est contra Omnipotentiam Dei; ergo indigere statu conditionato actus liberi ad illius absolutã positionem, contra illam esse non potest. Consequentia probatur; ideò indigere potentia creata contra Omnipotentiam non est, quia actus vitalis illam essentialiter exposcit: sed actus liber essentialiter exposcit determinationem voluntatis creatæ conditionatè futuram ab illa ponendam, & non à Deo; ergo hac Deum indigere, contra Omnipotentiam non est.

66 Confirmatur tertio; prævisa conversione per Scientiam Mediam, Deus est perfectè potens ad illam absolutè ponendam sibi subordinando creaturam: creatura autem non sic, sed indiget auxilio à solo Deo ponendo; ergo status conditionatus, & Scientia Media non destruit, sed maximè conducit ad perfectionem Omnipotentiæ. Antecedens probatur; prævisa conversione per Scientiam Mediam, liberum est Deo, quod ponatur, vel non ponatur: non sic autem est in potestate creaturæ, quæ ad positionem illius indiget accipere à Deo esse, & auxilium, quo prævisa est consensura; quorum vtrumque potest Deus negare; ergo status conditionatus maximè conducit, vt Deus tanquàm supremus Dominus sit potens hominem convertere.

Ref-

67 Respondeo ad argumentum, negando antecedens: ad primam probationem, neganda est maior; cuius falsitas constat ex dictis; indigeret enim Deus alterius juvamine, á quo acciperet posse, & ex cuius defectu impotens esset: quod esse impossibile pluries constitit, & docetur à D. Thoma quæst. 23. sequenti art. 8. ad 2. vbi docet, aliquem adiuvari ab alio accipiendo virtutem, infirmi esse; ac proindè Deo non competere. Secundo docet: Deum adiuvari per nos præcisè, quatenus exequimur suam ordinationem; ex quo duo inferuntur: primum est Deum nō adiuvari per hoc, quod ex determinatione nostra existat Scientia Media necessaria, vt Deus possit: hæc enim non existit ex determinatione Dei; atque adeò nec ex iuvamine nostro. Secundum est, nos eliciendo actum liberum Deum adiuvare præcisè, quatenus suam ordinationem exequimur; & consequenter actus noster ordinationem, & determinationem Dei, cuius est exequutio, supponit. Ex quo falsitas minoris etiam constat, quæ asserit huiusmodi esse actum liberum; nam quamvis existat ex determinatione creaturæ; quia hæc est illius domina; etiam petit procedere ex Dei determinatione potiori titulo; est enim illius supremus Dominus.

68 Ex quo ad secundam probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia: quamvis enim physica prædeterminatio non destruat, sed perficiat libertatem; supponit tamen potestatem, & dominium limitatum, & finitum, & impotens ad operandum, nisi alteri subordinatum; quæ subordinatio habetur media physica prædeterminatione: & cum hęc limitatio nequeat admitti in Dei Omnipotentia, & dominio; neque admittendum est alio indigere, quod in eius potestate non sit. Ex quo constat ad primam consequentiæ probationem ex paritate desumptam. Ad secundam fatemur iuxta Authores Scientiæ Mediæ actū liberū exigere solū procedere ex determinatione volūtatis creatæ: cæterū cum hoc non componi Omnipotentiam satis efficacitèr probavimus: id autem quod sequitur ex suppositione diminuente Omnipotentiam Dei, non potest non arguere illius imperfectionem. Thomistæ verò cum primatu divinæ libertatis, creatam rectà componunt, illam in ipso exercitio Deo subordinando.

69 Ad primam confirmationem constat, quod potentiæ limitatæ, & finitæ non opponitur indigentia alicuius ponendi ab alio, cui subordinatur: secus autem Omnipotentiæ. Ubi notandum est, oppositos Authores velle carentiam prædeterminationis, si semel hæc sit necessaria ad actum, nō componi cum libertate creata; & simul quod carentia futuritionis conditionatę necessariæ ad absolutam existentiam actus, quæ in manu Dei non est, illius libertatem integram relinquat, nec minuat potentiā: in quo perfectiorem libertatem creaturæ tribuunt, quam Deo; cum indigere alio ad ponendum effectum, quo Deus inevitabiliter caret, eius potentiam, & libertatem minuat; & hoc ipsum libertatem creaturæ destruat. Est insuper alia ratio discriminis; nā physica prædeterminatio, qua indiget creatura, non se tenet ex parte actus primi, sed ex parte actus secundi, supponitque potentiam creaturæ, & Dei; atqueadeò nec aufert, nec dat potentiam, quam supponit; sed illam reducit ad actum secundum; & idem dicendum est de carentia prædeterminationis: cæterùm Scientia Media se tenet ex parte actus primi; Deumque constituit potentem; atqueadeò illius carentia potentiam, & libertatem non relinquit in Deo.

70 Ad secundam confirmationem, admisso Deum indigere potentia vitali ad actum vitalem; sumpto ly *indigere*, pro eodem ac requirere, neganda est consequentia, & ad illius probationem neganda est minor. Et si quæras cur actus vitalis possit essentialiter exigere potentiam vitalem absque imperfectione Omnipotentiæ, & actus liber exigere non possit statum conditionatum? Eo est, quia effectum exigere ad sui existentiam aliquid, cuius positio est in potestate Dei, non minuit eius potentiā: potentia autem vitalis exacta ab actu vitali in potestate Dei est, & ex illius determinatione ponenda: exigere autem aliquid, cuius positio in manu Dei non sit, cum Omnipotentia non componitur. Ad vltimam, negandum est antecedens: quamvis enim Deus supposita Scientia Media dici possit potens ad ponendum actum; hanc tamen potentiam ex se non habere, sed ab alio, imperfectionem dicit; neque intelligi potest sibi subordinare creaturam per potentiam ab illa acceptam, & ab ipsa auferibilem.

§. VIII.

Proponitur secunda ratio in favorem conclusionis.

71 SECUNDA Ratio sic formatur. Implicat actum liberum existere, nisi ex determinatione voluntatis divinę; ergo omnis actus præsupponit essentialiter decretum efficax. Consequentia constat; nam omnia decreta indifferentia relinquunt voluntatem etiam sub reduplicatione decreti coniungibilem cum actu, & eius carentia. Antecedens probatur; implicat existere actum liberum, nisi dependenter à dominio Dei formaliter, & proximè: sed nisi ex determinatione Dei existat, nequit sic à dominio Dei dependere; ergo neque existere nisi ex determinatione voluntatis divinæ. Consequentia est bona. Minor videtur certa; exercitium enim dominij divini erga existentiam creaturæ est libera determinatio voluntatis divinæ ad dandum illi existentiam; ergo nisi existat ex determinatione Dei, nequit à dominio Dei formaliter, & proximè dependere. Maior autem probatur; Deus est supremus, & primus Dominus actus liberi; ergo nequit existere secluſa dependentia formali, & proxima ab eius dominio: consequentia probatur; nullus effectus existere potest absque dependentia proxima, & formali à prima causa efficienti; quapropter præter influxum Dei vt primæ causę in principia proxima, datur alius influxus proximus, & immediatus in actum liberum; ergo omnis actus petit essentialiter dependere formaliter, & proximè â primo, & supremo dominio; atqueadeò ab eius dominio, nec sufficit mediata dependentia, quatenus, scilicèt, principia proxima ex Dei dominio ponuntur.

Secundo probatur; quia supremum, & primum dominium Dei ita vniversale est, sicut eius efficientia: quapropter sicut omne ens creatum, quia finitum, & limitatum est habet esse participatum â primo ente, ita habet subijci primo Domino; ergo sicut implicat existere, nisi per influxum immediatum primæ causæ, cuius est participatio, ita implicat existere absque dependentia proxima, & formali à primo Domino.

72 Confirmatur primo; omne ens dependens infieri, seù in primo esse proximè, & formaliter à dominio Dei non potest non dependere etiam immediatè ab eodem in eius conservatione; ergo omne ens dependens immediatè, & formaliter à Deo vt primo efficienti, necessario dependet ab eodem vt primo Domino etiam immediatè. Antecedens admittitur communitèr ab Adversarijs, & est certum: aliàs posset dari creatura, quæ semel existens ex dominio Dei non posset ab illo non conservari, contra illud Sapientiæ 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses.* Consequentia probatur; quia antecedens non potest esse verum, nisi quia ita vniversale est dominium Dei, atque eius efficientia; atqueadeò sicut efficientia Dei extenditur non solum ad primum esse creaturę, sed ad eius conservationem, pariter & eius dominium; ergo omne ens dependens à Deo vt efficienti formaliter, & proximè, debet ab eodem dependere vt primo Domino etiam immediatè.

73 Confirmatur secundo, & explicatur secunda ratio: nequit Deus necessitari ad influendum in actum liberum ex eo, quod contulerit principia proxima expedita ad illum; ergo vltra dominium, quod exercuit in conferendo principia, necessarium est aliud eiusdem dominij exercitium proximum erga actum: consequentia est bona; & antecedens probatur; nequit Deus necessitari ad conservandam creaturam ex eo, quod ipsi contulerit primum esse; ergo multominùs potest necessitari ad influendum in actum liberum, ex eo, quod contulerit principia proxima expedita ad illum. Antecedens supponitur: & consequentia probatur; ideò nequit necessitari ad conservationem ex vi primæ productionis, quia ad conservationem non sufficit dependentia à Deo infieri, seù in primo instanti existentiæ rei, sed requiritur continuatus influxus, & dependentia in conservari, & in eiusdem rei permanentia: sed ad existentiam actus non sufficit dependentia principij proximi illius; sed requiritur dependentia formalis, & proxima ipsius actus; ergo ex vi collationis principij proximi nequit necessitari Deus ad influendum in actum.

74 Confirmatur tertio; non potest dari creatura talis conditionis, quod in sui con-

conſervatione non dependeat formaliter,& proximè, ſed ſolum remotè à Deo, quatenus ex dominio ipſius in primo eſſe depẽderet; ergo nequit dari creatura, quæ in ſuo eſſe formaliter,& proximè à dominio Dei non dependeat, ſed ſolum remotè, quatenus à dominio Dei dependent principia indifferentia. Vltimo confirmatur; quia ex oppoſito ſequeretur dominium creaturæ non ſubordinari dominio Dei: conſequens admitti non poteſt; ergo neque illud, ex quo ſequitur. Sequela probatur; determinatio creaturę, quæ eſt exercitium dominij ipſius, à dominio Dei formaliter non dependet, ſed ad ſummum præſuppoſitive; ergo dominium creaturæ dominio Dei non ſubordinatur: ſi enim concurſus creaturæ, vt cauſa efficiens eſt, ab efficientia Dei ſolum præſuppoſitive dependeret, cauſa efficiens creata non ſubordinaretur primo efficienti; atqueadeò ſi dominium creaturæ preſuppoſitive ſolum à dominio Dei dependeret, ipſi formaliter non ſubordinaretur.

75 Ex quo alterum conficitur argumentum. Sequeretur enim creaturam ſibi ſubordinare,& ſubijcere Omnipotentiam in concurrendo ad actum liberum: conſequens admitti non poteſt;ergo neque quod determinatio creaturæ non dependeat formaliter,& proximè à dominio Dei. Sequela communitèr à Recentioribus admittitur, & conſtat: nam Omnipotentia non concurrit ad actum liberum proximè, & formaliter ex dominio,& determinatione Dei, ſed ex dominio,& determinatione voluntatis creaturæ; ergo hęc ſibi ſubordinat Omnipotentiam: cauſa enim, quæ ex ſe alteram determinat, & ex cuius dominio,& determinatione altera influit, illam ſibi in influendo ſubijcit: quapropter,quia ex determinatione, & dominio voluntatis habitus concurrit cum ipſa,illum ſibi ſubijcit voluntas: & quia potentia deambulativa determinationi voluntatis obedit, illi ſubijcitur. Falſitas autem conſequentis, quod Recentiores admittere non recuſant; probatur primo; nam ſubordin atio,& ſubiectio vnius cauſæ inferioritatem dicit reſpectu cauſæ, cui ſubordinatur,vt ex terminis conſtat: ſed hoc admittere in Omnipotentia comparative ad voluntatem creatam ex terminis videtur abſurdum; ergo. Secundo; ex duabus cauſis concurrentibus ad eundem effectum,& neceſſarijs ad eius exiſtentiam, illa principalius concurrit,quæ in concurrendo ſibi ſubijcit, & ſubordinat alteram: eſt enim ex terminis notum,quod cauſa illa,quæ vt domina concurrit,principalior eſt, quam illa, quæ alterius imperio ſubdita influit; ergo ſi Omnipotentia concurrit ſubdita creatæ voluntati, creatura autem vt Domina, principalius hæc, quam Omnipotentia concurrit.

76 Tertio; ſi Omnipotentia influit vt ſubordinata voluntati creatæ,ſequitur non concurrere vt primam cauſam: conſequens admitti non poteſt; ergo nec quod Omnipotentia influat vt ſubordinata voluntati creatæ. Sequela probatur; prima cauſa vt talis debet concurrere formaliter vt ſuperior in influendo; & conſequenter ſibi ſubordinando alias cauſas: eſſe enim primam non ſolum conſiſtit in vniverſalitate concurſus, ſed principalius independentia aliarum cauſarum ab ipſa in influẽdo; ergo ſi Omnipotentia non ſolum non ſubordinat ſibi voluntatem, ſed voluntas Omnipotentiam, non ſolum non concurrit vt cauſa prima; ſed voluntas creata erit prima, Omnipotentia verò cauſa ſecunda. Quæ omnia manifeſta fiunt exemplis ſupra adductis: quia enim habitus in concurrendo voluntati ſubordinatur, inferior eſt ipſa in concurrendo: potentia deambulativa, quæ ex determinatione voluntatis in propriũ actũ influit,inferior eſt volũtate: imò ipſe intellectus, licèt abſolutè ſuperior ſit voluntate, ab ea aliquomodo exceditur, quatenus quoad exercitium ab eius determinatione,& dominio dependet.

77 Huic argumento reſpondent Recentiores, quod ad ſubordinationem dominij creati ſufficit dependentia illius à dominio Dei mediata, & præſuppoſita, quatenus pro eius beneplacito ponuntur principia indifferentia ad actus liberos. Cuius rationem deſumunt ex eo, quod actus liber,non poteſt petere ſubordinationem,& dependentiam à Deo deſtruentem eius libertatem: ſubordinatio autem ad Deum per immediatam dependentiam ab eius dominio, & determinatione, tollit libertatem creatam; fieret enim actus ex determinatione Dei,& non ex determinatione voluntatis creatæ: cuius oppoſitum eſt neceſſarium, vt ſit liber. Et ad vltimum etiam reſpondent: ſubordinari Omnipotentiam voluntati creatæ,non eſſe contra eius perfectionem, ſed maximè illam commendare: & ratio eſt, quia hęc ſubordinatio naſcitur ex voluntate divina, quę vo-

luit

luit offerre ſuam Omnipotentiam ad concurrendum pro determinatione voluntatis creatæ, vt ſic eius libertas non lædatur; quod ad perfectionem Omnipotentiæ pertinet: ſi enim ita non eſſet, non poſſet producere creaturam liberam; quæ dari non poteſt, ſi in operando non ſubordinet ſibi Omnipotentiam.

78 Sed hoc effugium inſufficiens eſt: & reijcitur primo; id, quod requiritur ad ſalvandum ſupremum dominium Dei erga actum liberum creatum, eius libertatem deſtruere non poteſt: ſed vt ſalvetur, non ſufficit dependentia mediata, & remota, ſed requiritur proxima, & formalis; ergo hæc nequit deſtruere libertatem. Minor probatur, ad ſalvandam enim primam efficientiam Dei reſpectu creaturæ non ſufficit dependentia mediata in genere efficientis; ergo ad ſalvandum ſupremum, & primum dominium Dei non ſufficit dependentia mediata actus liberi à dominio Dei. Vel aliter proponatur argumentum. Ad ſalvandum ſupremum dominium Dei erga creaturam neceſſaria eſt hæc immediata dependentia actus liberi ab illo, ſicut ad ſalvandam ſupremam efficientiam; ergo vel non eſt poſsibilis actus liber creatus, vel debet cum hac dependentia proxima componi eius libertas.

79 Secundo; creatura non dependens immediatè à dominio Dei implicatoria eſt; ergo vel implicat actus liber, vel immediatè à Deo dependet. Antecedens probatur primo, vt ſupra: implicat enim creatura, cuius Deus ſupremus Dominus non ſit. Secundo; implicat creatura, quæ ſolum dependeat á Deo in fieri, non autem in conſervari; ergo implicat creatura, quæ ſolum præſuppoſitive dependeat à dominio Dei. Conſequentia probatur; tùm à paritate rationis: tùm etiam; quia minus opponeretur dominio Dei creatura dependens á determinatione divina in fieri, non autem in conſervari, quam actus liber ſolum præſuppoſitive dependens ab illo: illa enim creatura, quamvis formaliter á dominio Dei in conſervari non dependeret; præſupponeret tamen exercitium divini dominij, & Dei determinationem connexam eſſentialiter cum eius conſervatione, nimirùm, decretum producendi illam: cum enim hoc decretum connecteretur cum eius primo eſſe, & primum eſſe illius cum eius conſervatione; de primo ad vltimum decretum illam producendi connecteretur cum eiuſdem conſervatione: at actus liber; v.g. amor ſolum ſupponit decretum conferendi principia indifferentia ad amorem, & eius omiſsionem; quod proindè cũ amore non connectitur; atqueadeò poſitio amoris ex Dei dominio non eſſet, neque Dei diſpoſitio ad illius eſſe extenderetur: ſolum enim poſſet ponere principia indifferentia, cum quibus non poni omiſsionem amoris in manu Dei non eſſet; atqueadeò neque amoris exiſtentia; ergo ſi implicat creatura non dependens formaliter, & proximè à dominio Dei in conſervari, potiori titulo implicabit actus liber ex determinatione Dei ſolum præſuppoſitive dependens.

80 Quod amplius explicatur; Deus poſſet ſimpliciter, & abſolutè pro ſuo nutu facere, quod talis creatura haberet eſſe, & permanentiam in illo, vel vtrumque illi negare; cum omninò eſſet in poteſtate Dei illam produce, vel non: Quod non contingeret reſpectu actus liberi; licèt enim Deus pro ſuo nutu poſsit impedire eius exiſtentiam, auferendo potentiam; non tamen eſſet in illius poteſtate dare illi exiſtentiam; cum ſolum poſſet conferre principia indifferentia, cum quibus componi, vel non coniungi amorem, in eius non eſſet conſtitutum poteſtate, ſed creaturæ; ergo illa creatura magis ſubderetur dominio Dei, quam actus liber: illa enim eſſet ſubiecta quoad eſſe, & non eſſe; actus autem liber ſolum quoad non eſſe modo dicto; atqueadeò ſi illa implicat, quia contra dominium Dei eſt, potiori titulo actus liber, vt ab Adverſarijs adſtruitur.

81 Nec timendum eſt ex hac ſubordinatione, & dependentia auferri libertatem, vt ex Proſpero ſupra vidimus; non enim libertas aufertur, cum in voluntate benè velle generatur: & eſt manifeſtum; Deum enim facere, quod voluntas libere operetur, eius libertatem non aufert, vt eſt omninò certum; atqueadeò neque velle hoc facere. Quod ſic convincitur; velle id, quod libertatem non aufert, non poteſt libertatem auferre: ſed Deum facere, quod voluntas operetur actum liberum, eius libertatem non aufert; ergo neque hoc velle. Tùm etiam; quia vt ex Auguſtino vidimus, Deus nihil facit, niſi volens; & vt D. Thomas paſsim docet, in agentibus per intellectum, & voluntatem, potentia operatur ex imperio voluntatis: quod de Deo Apoſtolus docuit ad Epheſios 1. *Qui ope-*

ra-

ratur omnia secundum consilium voluntati suæ;& ex ipso sæpè D.Thomas.

82 Insuper ; libertas actus non auferetur per hoc,quod nobisDeus donet actum: est enim fide certum præter potentiãDeum donare nobis actum liberum bonum : donare autem sine voluntate donandi adhùc in creaturis non intelligitur ; nullus enim donat nisi volens; & potiori titulo in Deo, qui sua dona summa cum libertate distribuit. Insuper præter potentiam ad bene operandum , & ad adimplendum divina mandata piè, & fructuosè petunt fideles actum liberum bonum , & mandatorum adimpletionem:quod si vltra potentiam, & sufficientiam nõ indigeremus,vt Deus vellet facere,vt faciamus,& donare nobis actum,præceptorumque adimpletionem, invtilis esset oratio;quod enim in nostra solum potestate est constitutum, invtilitèr ab alio petitur. Imò nulla oratione indigeremus : cum enim posse,& sufficientia omnibus fidelibus conferatur,vt fatentur Adversarij,& potentia suppositа actus bonus, adimpletioque præceptorum in nostra solum sit potestate, nihil restat petendum,neque sperandum à Domino : non sufficientia,quæ ex communi lege omnibus confertur : non actus,qui in nostra solum est potestate.

83 Insuper potestas expedita ad bene operandum non destruitur per hoc, quod indigeat alterius ope superaddita potestati in actu primo constitutæ : non enim est contra sufficientiam liberam creatam alio indigere,vt contra nos argumentantur Recentiores,& olim volebant illi, quos refert,& reijcit Hieronymus in Epistola ad Tesyphontem; sicut neque potestas necessaria,& determinata aufertur per hoc,quod indigeat vlteriori decreto Dei ad existentiam sui actus : & ratio est iam adducta; quia liberum arbitrium creatum habet dominium secundum; atqueadeò subordinari primo,& eius determinationem ex primo derivari libertatem destruere non potest;quin potius hac subordinatione deficiente deficeret actus liber.

84 Insuper; potentia necessaria, & determinata ad actum , non potest talem necessitatem habere,vt non indigeat vlteriori decreto ad eius actum , quod Deus pro sua libertate potest non habere : & ratio est; quia necessitas causæ creatæ determinatæ ad actum,ita debet constitui , vt dominium Dei in reducendo ipsam ad actum secundum non auferat ; quapropter nulla potest infallibiliter connecti cum actu;ergo similiter sufficientia,& indifferentiæ causæ liberę sic debet constitui cum indigentia vlterioris decreti,ex cuius subordinatione eliciat actum.Et quidem difficilè valdè est, Deum velle efficacitèr vt homo libere operetur actum bonum,ex cuius nutu omnia dependent,eius destruere libertatem : & mihi omninò incredibile apparet, quod cum Deus sit Author liberi arbitrij, sicut cuiusvis alterius creaturæ,eius libertas destruatur,si eliciat actum cum subordinatione ad Deum,eiusque dominium , à quo omnis entitas,omnis modus , ipsa libertas creata, & creatum dominium derivatur: quapropter meritò dicitur,& est Rex Regum,& Dominus dominantium.

85 Item ; creatura, quę ex se non habet esse,sed est in pura potentia obiectiva, quæ non potest habere esse, nisi ab omniũ Authore,& prima causa ; talis tamen conditionis,vt si indigeat ad essendum , quod eius Author,à quo,& non aliundè derivatur,potest habere esse , velit existere , destruatur,non creatura,sed chimæra est,& dè numero rerum delenda : talis autem est actus liber in sententia Adversariorum.Undè non immeritò interrogare possumus Adversarios cum Hieronymo vbi suprà: *Quis destruit arbitrium? Ille qui semper Deo agit gratias , & quodcumque in suo ribulo fluit, ad fontem refert ? An qui dicit : Recede à me , non habeo te necessarium , dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem , vt faciam quod voluero : quid rursus te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris?*

86 Tertio reijcitur solutio ; si quis negaret Deum immediatè efficienter influere in effectum cuiuscumque creaturæ, & in actionem ipsam creaturæ,seù in actũ vitalem; falsitatis cõvinceretur ex eo,quod Deus est primum efficiens ; atqueadeò debet influere in quãcumque entitatem. Nec satisfaceret asserendo , Deum quidem influere in omne ens creatum distinctum ab actione creaturę,seù actu vitali;non tamen in ipsam actionem,& illius effectum , seù in actum vitalem , eo quod cum creatura illum efficienter causet , & actus vitalis sit ab intrinseco , Deus in illum influere non potest immediatè , sed solùm mediatè ; si enim Deus illum produceret, creatura nihil ageret; quod est contra fidem,& actus vitalis ab intrinseco non esset; quod est absur-

ſurdum. Non, inquam, ſatisfaceret, & reijciendus eſſet argumentis factis: tùm, quia influxus neceſſarius ad ſalvandum conceptum primi efficientis non poteſt efficientiam creaturę deſtruere: neque Deum facere actum vitalem, impedit, ſed facit, vt ab intrinſeco potentiæ vitalis procedat: tũ etiam; quia efficientia creaturæ, vtpotè ens limitatum à primo ente debet efficienter derivari; atqueadeò dependentia ab illo illam non poteſt deſtruere: tùm denique; quia creatura non dependens efficienter immediatè à Deo implicatoria eſt; ergo vel creatura non operatur, vel eius efficientia, & actio à primo efficienti dependet immediatè. His argumentis convinceretur falſitatis, quantumvis conaretur incompoſsibilitatem vtriuſque influxus aliundè oſtendere: ſed eandem efficaciam habent hæc argumenta facta pro ſupremo dominio Dei; ergo & debent convincere.

87 Quod explicari poteſt alijs exemplis: Si quis ad componendam libertatem divinam cum eius ſimplicitate aſſereret actum liberum conſtitui modo ſuperaddito realiter ab actu neceſſario diſtincto, omninò eſſet reijciendus, quamvis ſint argumẽta valdè difficilia ad probandum non poſſe aliter intelligi actum liberum Dei. Non, inquam, eſſet audiendus, ſed reijciendus; eo quod vtrumque debet componi, & ſumma ſimplicitas, & divina libertas: neque iterùm audiendus eſſet, ſi aſſeret compoſitionem illam, vtpotè neceſſariam in Deo ad ſalvandam perfectionem liberi arbitrij, non eſſe imperfectionem, ſed potius perfectionem. Non, inquam, eſſet audiendus; eo quod compoſitio in quocumque genere imperfectionem dicit; quapropter à Deo etiam in actu libero releganda, & conſequenter aliter ſalvanda eſt libertas; pariter ergo inſufficienter ſolvitur argumentum noſtrum per hoc, quod aliter ſalvari non poteſt libertas creata; ſed fatendum ſupremum, & immediatum dominium Dei erga omnem creaturam tàm liberam, quàm neceſſariam; quia eâdem eſt in omnibus ratio ſubiectionis, & poſteà cum illo componere libertatem: quod nos Deo dante in ſequentibus præſtabimus; vbi alia, quæ hic deſiderantur, adducemus.

88 Ex his conſtat, ſubordinationem Omnipotentiæ reſpectu voluntatis creatæ ab imperfectione liberam nõ poſſe ſalvari, quantũvis dicatur naſci hoc ex volũtate divina: ſicut nõ poteſt ab imperfectione liberari Deum non concurrere vt cauſam primam, ſed vt cauſam ſecundam, ſeú immediatè non concurrere, quantumvis fingatur naſci ex voluntate divina. Imò; quia imperfectio eſt Omnipotentiæ ſic concurrere, Deus hoc nullatenus poteſt velle: ſicut neque poteſt eſſe Dei perfectio poſſe producere creaturam eius dominio perfectè non ſubiectam, & ad cuius productionem indigeret Deus ſubordinari creaturæ.

Et hæc de iſto dubio.

DIS-

DISPUTATIO II.

DE CONCORDIA DECRETI PRÆDEFINITIVI cum libertate creata.

DVBIVM QVARTVM.

VTRVM DECRETVM PRÆDEFINITIVVM ACTVS liberi rectè cohæreat cum eius libertate, ex eo quod præsupponat Scientiam Mediam?

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Refertur, & reijcitur sententia Recentiorum.

1 ALIQUI Recentiores asserentes esse necessarium decretũ prædefinitivum ad existentiam actus liberi, illud cum libertate componunt, quia tale decretum præsupponit essentialiter Scientiam Mediam: quapropter sicut ipsa quoad existentiam subditur libertati creatæ; pariter decretum quoad à se, & non esse eidem subditur; atque adeò quantumvis sit necessarium, & cum actu connexum, eius libertatem non lædit.

2 Contra quos sit nostra conclusio negativa: quæ probatur primo ex impossibilitate Scientiæ Mediæ; hac enim deficiente, huiusmodi compositio sustineri nequit. Secundo probatur: implicat decretum esse necessarium ad existentiam actus liberi, & præsupponere essentialiter Scientiam Mediam; ergo nequit componi cum libertate creata ex eo, quod Scientiam Mediam essentialiter supponat. Antecedens probatur; eo ipso, quod sit prævie necessarium ad existentiam actus liberi, ad ipsum essentialiter supponitur: at si ad ipsum supponitur essentialiter, supponitur essentialiter ad Scientiam Mediam; ergo nequit illam essentialiter supponere. Minor probatur; actus liber creatus essentialiter supponitur ad Scientiam Mediam; cum scientia existat ex actus determinatione; ergo si essentialiter supponitur ad actum, pariter ad Scientiam Mediam.

Secundo probatur minor; in statu conditionato decretum hoc non supponit Scientiam Mediam actus, sed ad illam supponitur; ergo in statu absoluto nequit illam essentialiter supponere. Consequentia probatur; nam decretum nequit esse conditionatè futurum, nisi pręsuppositis omnibus, à quibus essentialiter dependet, & quæ essentialiter præsupponit; ergo si in statu conditionato non præsupponit Scientiam Mediam, sed illam antecedit, nequit in statu absoluto illam essentialiter supponere. Antecedens autem probatur: decretum hoc in statu conditionato prȩcedit actum liberum, vtpotè, quia actus liber ab illo essentialiter dependet; ergo prȩcedit Scientiam Mediam, quæ supponit actum conditionatè futurum.

3 Confirmatur, & explicatur: actus liber in statu absoluto non prȩsupponit essentialiter Scientiam Mediam: sed si decretum prædefinitivum illam essentialiter supponeret, eam etiam supponeret, & actus liber; ergo decretum prædefinitivum

Scien-

Scientiam Mediam non præsupponit. Maior, & minor indigent probatione: & minor probatur. Actus liber essentialiter supponit decretum prædefinitivum; ergo supponit quidquid essentialiter ad tale decretum præsupponitur: & consequenter si decretum Scientiam Mediam essentialiter supponit; pariter, & illam supponeret actus liber. Maior verò probatur; in statu conditionato actus liber non supponit Scientiam Mediam, sed ad illam essentialiter supponitur: cum Scientia Media aliter existere non possit, nisi præsupponendo suum obiectum, quod est actus liber sub conditione futurus; ergo in statu absoluto non potest illam essentialiter supponere, aut ab illa essentialiter dependere. Consequentia probatur vt supra; quia scilicèt ab eisdem causis dependet consensus in statu absoluto, atque in statu conditionato; ergo si in statu conditionato non dependet á Scientia Media, neque illam supponit, pariter nec in statu absoluto.

4 Secundo probatur conclusio; quantumvis decretum prædefinitivum presupponat Scientiam Mediam, si semel essentialiter ad actum præsupponitur, non potest quoad esse, & non esse subijci libertati creatæ; ergo etiamsi supponat Scientiam Mediam, non rectè per hoc componitur cum libertate creata in sententia horum Authorum. Consequentia apud ipsos est nota; nam non habenti tale decretum, impotentique ad illud habendum deficeret aliquid requisitum ad actū, cuius acquisitio in eius potestate non esset: & similiter habens tale decretum necessitaretur ad actum, quia cum actu connectitur, & homo eius existentiam vitare non potest. Antecedens autem probatur; & in primis decretum hoc non posse acquiri per actum probatur; id quod essentialiter supponitur ad actum, nequit per actum acquiri: sed decretum prædefinitivum præsupponitur essentialiter ad actum; ergo nequit per actum acquiri. Consequentia est bona; Minor Adversariorum doctrina: maior autem videtur per se nota; quia enim causa efficiens præsupponitur existens ad proprium effectum, per ipsum acquiri non potest: qua ratione docent Theologi auxilium sufficiens per actum, ad quem dat sufficientiam, acquiri non posse: similiter physica prædeterminatio ad actum per illum acquiri non potest, quia supponitur existens pro priori ad actus existentiam; ergo si decretum præsupponitur essentialiter ad actum, per illum acquiri non potest: & è contra, si semel decretum præsuppositum potest per actum acquiri, non est ratio, quare physica prædeterminatio in nostra sententia præsuppositа essentialiter ad actum, non possit per actum acquiri: quo semel admisso tenentur fateri libertatem non auferre: quod sic patet; eo enim decretum, quantumvis præcedens existentiam actus, illamque infallibiliter inferens, libertatem actus non aufert, quia cum hoc componitur subijci voluntati creatæ quoad esse, & non esse; ergo hoc concesso in physica prædeterminatione, necessario fateri tenentur non lædere libertatem creatam.

5 Quod autem voluntati creatæ non subdatur decretum quo ad non esse illius, eodem modo probatur: omissio enim decreti essentialiter supponitur ad omissionem actus; ergo per carentiam, seù omissionem actus acquiri non potest carentia decreti; atqueadeò neque impediri illius existentia. Nec potest recurri ad statum conditionatum, in quo exercitium libertatis præsupponitur ad Scientiam Mediam; atqueadeò illi subditur quoad esse, & non esse; & consequenter decretum, quod Scientiam Mediam supponit: Non, inquam, potest: tùm, quia implicat in statu absoluto libertatis exercitium essentialiter supponere decretum, & Scientiam Mediam, & non in statu conditionato, vt vidimus. Tùm etiam; quia quidquid sit de statu conditionato, dummodo libertati creatæ in statu absoluto non subdatur esse, & non esse decreti, argumentum non solvitur: id enim, quod voluntas creata in statu absoluto non potest, absolutè non potest; & quod illi in statu absoluto non subditur, absolutè non subditur: & ratio est in promptu; nam voluntas in statu conditionato libertatem non habet, sed haberet; solumque in statu absoluto illam habet, atque exercere potest.

Confirmatur; quia scientia visionis actus liberi in sententia contrariorum acquiritur per existentiam actus liberi, & per eius omissionem impediri potest, nequit præsupponi ad decretum prædefinitivum actus, neque ad ipsum actum præsupponi essentialiter; ergo si decretum, & Scientia Media essentialiter ad actum præsupponuntur, per illum acquiri non possunt.

6 Tertio probatur conclusio, sup-

pos-

ponendo ex Adverſarijs ex vi decreti prædefinitivi vnicè poni auxilium ſufficiens ad actum, vel ſaltim decretum, à quo vnicè dependet auxilium ſufficiens connecti eſſentialiter cum actu, & præſupponere eſſentialiter Scientiam Mediam; quod ideò cum libertate creata componitur, quia illi ſubditur quoad eſſe, & non eſſe. Sic ergo arguitur: decretum hoc licèt ſupponat Scientiam Mediam, nequit acquiri, aut impediri per liberum exercitium creatum; ergo medio hoc decreto nequit conſiſtere libertas creata quantumvis præſupponat Scientiam Mediam. Antecedens quoad primam partem probatur: ſi poſſet homo per actum acquirere hoc decretum, poſſet acquirere auxilium ſufficiens: at hoc acquirere non poteſt; nequit enim homo, iuxta Auguſtinum, ſibi tribuere, quod vocatus eſt; ergo nec decretum. Maior probatur; potens acquirere influxum cauſę in effectum, præcipuè illum, à quo effectus vnicè dependet, poteſt effectum acquirere, vt per ſe eſt notum: ſed potens acquirere decretum, à quo vnicè dependet auxilium, poteſt acquirere influxum Dei in auxilium; ergo & ipſum auxilium.

Quoad ſecundam partem probatur; ſi poſſet impedire decretum per liberũ exercitium, poſſet impedire exiſtentiam auxilij ſufficientis: ſed hanc impedire non poteſt; ergo neque illud. Minor conſtat: implicat enim hominẽ impedire per liberum exercitium exiſtentiam illius, quod tale exercitium eſſentialiter ſupponit: ſed exercitium liberum ſupponit eſſentialiter exiſtentiam auxilij ſufficientis; ergo implicat per tale exercitium impediri. Maior autem etiam videtur certa: potens enim impedire influxum, à quo vnicè dependet effectus, poteſt impedire exiſtentiam effectus; ſed potens impedire decretum, à quo vnicè dependet auxilium ſufficiens, poteſt impedire influxum Dei, à quo vnicè dependet auxilium; ergo & exiſtentiam auxilij.

7 Reſpondent, quod licèt poſsit impedire decretum, à quo defacto dependet auxilium: non tamen poteſt, niſi ponendo alterum decretum non connexum cum actu, vi cuius exiſtat auxilium. Similiter aſſerunt, non poſſe acquirere exiſtentiam auxilij; quia licèt poſsit facere, quod exiſtat medio hoc decreto; non tamen quod abſolutè exiſtat: ſi enim hoc decretum cũ actu connexum non exiſteret, exiſteret aliud, quo abſolutè poneretur auxilium.

8 Sed contra eſt primo: Pro ſigno, pro quo nondum intelligitur aliquod decretum, intelligitur homo potens acquirere decretum divinum deponendo auxilio; ergo poteſt ſibi tribuere exiſtentiam auxilij. Antecedens probatur; pro ſigno, pro quo intelligitur potens determinare Deum ad decernendum auxilium medio decreto cum actu connexo, non intelligitur decretum aliquod: cum pro illo ſigno nondum intelligatur decretum cum actu connexum; vtpotè hoc exiſtit ex determinatione voluntatis creatæ, quæ pro illo ſigno non intelligitur, ſed pro ſequenti: neque intelligitur decretum deponendo auxilium non connexum cum actu; vtpotè hoc non datur in Deo in caſu, quem ſupponimus, nimirùm, quod homo ſe determinet ad actum; ergo pro ſigno, pro quo nondum intelligitur decretum aliquod in Deo erga poſitionem auxilij, intelligitur homo, potens acquirere decretum de ponendo auxilio.

9 Secundo; implicat præſupponi auxilium ad exercitium liberum, & non præſupponi hic, & nunc decretum determinatum, vi cuius ſit poſitum; non enim poni poteſt per decretum vage: at non obſtante quod præſupponatur ad actum decretum determinatum, & cum actu connexum, poteſt voluntas ſibi tribuere, quod per tale decretum ponatur; ergo ſimiliter poterit ſibi tribuere exiſtentiam auxilij. Tertio; Deo tribuitur exiſtentia auxilij, præciſsè ratione illius decreti, quo defacto illud decrevit: ſed hoc exiſtit ex determinatione voluntatis creatæ; ergo potiori titulo ipſi tribuenda eſt.

10 Ex quo quarto reijcitur, & probatur concluſio: nam ſi hoc decretum acquireretur per actum creaturę, exiſteret in Deo ex determinatione voluntatis creatæ: at hoc dici non poteſt; ergo non poteſt acquiri per actum creaturæ. Maior eſt Adverſariorum: & minor probatur; ſi exiſteret ex determinatione creaturæ, non eſſet Deo liberum; at hoc dici nõ poteſt; ergo. Maior probatur: quia Scientia Media exiſtit ex determinatione creaturæ, non eſt Deo libera; ergo ſi decretum ex eâdem determinatione exiſtit, non erit Deo liberum. Secundo; quia voluntas creata prædeterminata à Deo conſentit ex alterius determinatione, nimirùm Dei, non eſt libera in conſentiendo, iuxta Adverſarios; ergo

ergo si Deus hoc habet decretum ex determinatione creaturę, non erit liber in decernendo.

11 Denique: quia si Deus concurrit ad actum liberum per Omnipotentiam à creatura determinatam, non est formaliter, & proximè liber in concurrendo, sed ad summum remotè; ergo similiter si voluntas divina hoc habet decretum determinata à creatura, non erit formaliter, & proximè libera in decernendo. Hoc autem concedi non posse, constat: nam decretum hoc Deo non liberum non commendat dominium Dei erga actum creatum, sed minuit: cum voluntas creata non solum sibi subijciat Omnipotentiam, sed ipsam divinam voluntatem, illam determinando vt velit actus creati existentiam: at decretum hoc ponitur ab Adversarijs necessarium ad existentiam actus liberi, vt Deus perfectum habeat dominium; ergo dicere non possunt non esse Deo liberum.

12 Confirmatur; Adversarij renuunt concedere voluntatem divinam determinare creaturam ad consensum, quia sic determinata non manet domina illius; ergo potiori ratione debent censere inconveniens voluntatem divinam à creata determinari, nè primus Dominus secundo subijciatur. Confirmatur secundo, semel concesso non esse hoc decretum Deo liberum, tenentur fateri Deum non solum non habere proximum, & immediatum dominium erga actum creatum liberum, sed etiam quod illud non habet erga ipsum auxilium: at hoc admitti non potest; ergo decretum hoc debent concedere esse Deo liberum. Minor est certa; alias liberæ voluntati Dei non esset tribuendum auxilium, nec Deus ex propria libertate, & determinatione suam conferret gratiam: quod est absurdum: vnde illud Psalmi 64. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*, de gratia interpretatur Augustinus, quia scilicèt nullis precedentibus meritis, & liberaliter nobis Deus illam confert. Et infra, super illa verba: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*; hæc habet: *In tua suavitate, non in illius facultate: egens est enim, quoniam infirmatus est, vt perficiatur, agnovit se indigentem, vt repleatur*: quod sæpè in Scriptura, & PP. traditum accepimus. Maior verò probatur; nam auxilium existit vnice ex vi decreti cum actu connexi, vt fatentur; at hoc non existit ex dominio, & libertate Dei; cum Deo sit necessarium, vtpotè existens ex determinatione libera creaturæ; ergo circa existentiam auxilij Deus dominium aliquod, aut libertatem non exercet; atqueadeò erga illam non habet proximum, & immediatum dominium.

13 Tandem reijcitur; nam hoc decretum non componitur cum decreto indifferenti relinquente Omnipotentiam indifferentem ad concurrendum, vel non concurrendum, & determinabilem à voluntate creata: at iuxta Adversarios decretum indifferens est necessarium, vt salvetur libertas creata; ergo cum hoc decreto non componitur. Maior probatur: ex vi decreti efficacis consensus manet Deus determinatus ad concurrendum ad illum; ergo non componitur cum decreto indifferenti relinquente Omnipotentiam in sua indifferentia, & à creatura determinabilem.

§. II.

Solvuntur argumenta.

14 CONTRA Nostram resolutionem sic arguunt Recentiores: quamvis sit necessaria efficax prædefinitio ad actum, dummodo omnia principia proxima ad illum maneant indifferentia, & composibilia cum carentia actus, non potest non esse liber: sed stat esse prærequisitam prædefinitionem, & omnia principia immediata esse indifferentia, & composibilia cum carentia actus; ergo stat actum esse liberum, & prærequisitam esse prædefinitionem. Maior probatur primo; tota libertas actus pensanda est penes principia proxima illius: causa enim remota se habet quasi nó esset, & peraccidens in ordine ad actum; cú effectus eodem modo existat, sivè detur, sivè nó detur causa remota: quapropter productioni Petri impertines est, quod existat, vel non existat eius avus, dummodo patet existat. Secundo; necessitas, quæ tollit libertatem, debet esse per modum causæ:

sed

ſed voluntas conſtituitur potens per principia proxima, & non per remota; ergo dummodo iſta indifferentia ſint, quidquid ſit de remotis, actus evadet liber. Minor verò probatur; voluntas efficacitèr volens poni principia proxima indifferentia, non tollit indifferentiam illorum, vt per ſe eſt notum: ſed prædefinitio efficax actus, ſivè virtualis, ſivè formalis vult poni formaliter, vel virtualiter principia indifferentia; vult enim poni principia, quibus Deus prævidit voluntatem libere conſenſuram; ergo non tollit indifferentiam principiorũ.

15 Confirmatur primo; prædefinitio efficax non neceſſaria ad exiſtentiam actus, illius libertatem non aufert in communi ſententia Recentiorum, eo quod non eſt cauſa immediata actus, & ex vi illius ponuntur principia indifferentia ad illum: ſed quantumvis ſit neceſſaria, hoc idem præſtat; non enim eſt cauſa immediata, ſed ex vi illius ponuntur principia indifferentia; ergo non aufert liberratem actus. Confirmatur ſecundo; directio Scientiæ Mediæ eſt prævièneceſſaria ad actum, ex qua, & auxilio etiam præeuntè actum reſultat infallibilis cum illo connexio: & tamen libertatem non aufert; quia non influit in actum immediatè; & aliàs componitur cum principijs indifferentibus ad illum; ergo quamvis efficax prædefinitio habeat eandem connexionem cum actu; quia tamen infert principia proxima indifferentia, & immediatè ad illum non concurrit, rectè cum libertate componitur. Antecedens probatur; Deus non poteſt decernere auxilium efficax, niſi prævidens eius efficaciam; aliàs cæco modo illud conferret; ergo directio Scientiæ Mediæ eſt previèrequiſita ad exiſtentiam actus.

16 Hoc argumentum contra nos nihil convincit, qui conſtanter tenemus efficacem prædefinitionem non auferre libertatem creatam: non tamen convincit illam non auferre ex eo, quod præſupponit Scientiam Mediam; ſupra enim probavimus non componi eſſe neceſſariam, & ſupponere Scientiam Mediam. Diſplicet etiam argumentum in eo, quod aſſerit, ſcilicèt, prędefinitionem vtpotè cauſam remotam peraccidens ſe habere ad exiſtentiam actus; cum alias fateantur eſſentialiter ab illo exigi; id enim, quod eſſentialiter exigitur ad effectum ex parte ipſius effectus, non poteſt peraccidens ſe habere ad illum, præcipuè ſi ad exiſtentiam cauſæ proximæ non requiratur: in præſenti autem efficax Dei prędefinitio eſſentialiter exigitur ab actu, & non requiritur, vt ex vi illius ponatur cauſa proxima; cum hæc poſsit exiſtere abſque efficaci prædefinitione actus; non ergò poteſt peraccidens ſe habere ad actum, & quaſi non eſſet.

17 Ex quo ad primam confirmationem conſtat diſparitas: nam eſto prædefinitio actus non neceſſaria ad illius exiſtentiam poſsit ſupponere Scientiam Mediam; non tamen prædefinitio neceſſaria; atqueadeò eſto illa non auferat libertatem, non infertur per hanc non lędi ex illo principio. Præterquam quod admiſſo eandem eſſe rationem de vtraque, nullam poſſe ſupponere Scientiam Mediam, neutramque eſſe in poteſtate creaturæ fidenter aſſerimus; & conſequenter in eorum principijs vtramque lædere libertatem. Ad ſecundam dicatur; quod ſi Scientia Media ſupponitur eſſentialiter ad actum, vt ſupponit argumentum, non poteſt iuxta illos ſalvari libertas: vel fateri tenentur, quod efficax prædefinitio non ſupponens Scientiam Mediam, libertatem non aufert, vt poſteà dicemus.

18 Secundo arguitur: non obſtante quod prædefinitio efficax præcedat eſſentialiter actum, poteſt ſupponere Scientiam Mediam; ergo male aſſerimus non poſſe vtrumque componi. Antecedens probatur, ipſa Scientia Media præcedit actum in ſtatu abſoluto; ergo licèt prædefinitio illum eſſentialiter prędecedat vt abſolutè exiſtentem, poteſt Scientiam Mediam ſupponere. Conſequentia probatur; ſi enim Scientia Media prędecedit actum, non eſt vndè repugnet mediare inter ipſam, & actum efficacem prædefinitionem. Antecedens autem conſtat; nam Scientia Media dirigit Deum ad conferendum auxilium; & conſequenter præcedit ipſum, & actum.

19 Confirmatur primo, & explicatur; non obſtante, quod Scientia Media ſupponat ſtatum conditionatum actus, præcedit abſolutum; ergo quamvis in ſtatu conditionato non præ intelligatur efficax prædefinitio actus, poteſt præcedere ſtatum abſolutum; & conſequenter minus rectè deduximus ex eo, quod præcedat ſtatum abſolutum, præcedere etiam ſtatum conditionatum.

20 Confirmatur secundo; id, quod ex prædicatis essentialibus habet existere pro priori ad actum, potest acquiri per illum, & per eius omissionem illius existentia impediri; ergo etiamsi efficax prædefinitio essentialiter supponatur ad actum, potest per ipsum acquiri, & per eius omissionem existentia prædefinitionis impediri; & consequenter quantumvis necessaria sit efficax prædefinitio, libertatem non auferret, eo quod potest subdi quoad esse, & non esse arbitrio voluntatis. Antecedens probatur; prædefinitio efficax non necessaria habet ex prædicatis essentialibus existere pro priori ad actum: implicat enim existere, & non præcedere actum: sed hæc subditur libertati creatæ quoad esse, & non esse; ergo verum est antecedens. Minor probatur: quoad non esse subditur; potest enim impediri eius existentia per omissionem actus, vt docent illius sententiæ Authores; ergo poterit acquiri per actum: non enim maius apparet inconveniens in eo, quod Deus necessitetur à creatura ad non prædefiniendum, quam ad prædefiniendum; aut in eo, quod decretum Dei quoad esse subdatur creaturæ, quam quoad non esse.

21 Respondetur negando antecedens: Ad probationem similiter negandum est antecedens: si enim Scientia Media præcederet statum absolutum, libertatem auferret in horum Authorum principijs. Vel dicendum, præsupponi; non tamen essentialiter: atqueadeò non esse necessarium, quod eadem Scientia Media præcedat actum in statu conditionato: efficax autem prædefinitio necessaria præcedēs actum in statu absoluto, debet illum præcedere in statu conditionato, vt supra vidimus. Vel dicendum, & melius, quod ex Scientia Media vtrumque ex contradictorijs inferri inconveniens non est. Per quod constat ad primam confirmationem. Ad secundam, negandum est antecedens: & ad probationem neganda minor, quidquid dicant Authores Scientiæ Mediæ. Nec est eādem ratio de Scientia Media; hæc enim ex prædicatis essentialibus non habet præcedere exercitium libertatis creatæ: vndè licèt admittamus illi subdi quoad esse, & non esse, id negamus de eficaci prædefinitione, oppositа de causa. Et hæc de isto dubio.

DVBIVM V.

Vtrùm decretum efficax sit incompossibile cum libertate creata, eo quod necessario præcedat actum illumque infallibiliter inferat?

§. I.

Statuitur nostra conclusio.

1 SENTENTIA Affirmativa est communis inter Authores Scientiæ Mediæ, qui nobiscum supponunt, quod si decretum est necessarium ad existentiam actus, illumque præcedit, non est in potestate voluntatis esse, aut non esse illius: quod ex dictis est manifestum; id enim, quod voluntas per exercitium suæ libertatis non potest, nullo modo libere potest: at per nullum suæ libertatis exercitium potest acquirere decretum, neque illius existentiam impedire, si semel necessario præcedit actum; ergo non est in potestate voluntatis esse, aut non esse illius. Minor quoad primam partem probatur; non enim potest acquiri decretum per omissionem actus; hęc enim est incompossibilis cum illo: nec per ipsum actum; quia implicat per actum acquiri, quod essentialiter præsupponitur ad illum. Quoad secūdam partem constat eodem modo: per actum enim impediri non potest, quod essentialiter præsupponitur ad illum; nec per omissionem excludi id, quod ad illam supponitur exclusum: sed actus supponit essentialiter decretum, & omissio ipsum exclusum supponit; ergo per actum impediri non potest, nec per omissionem excludi.

2 Ex quo desumitur ratio dubitandi, & fundamentum pro affirmativa sententia in hunc modum: stante decreto prædefinitivo actus non est potentia in homine ad omissionem illius; ergo actus non potest esse liber. Consequentia patet; nam potentia libera ad actum includit essentialiter potentiam ad non esse illius. Antecedens autem probatur; non est in homine potentia ad coniungendam omis-

omiſsionem cum decreto ; quippè hæc cõiunctio eſt ex terminis impoſsibilis ; neque ad illam vt ſeparandam â decreto ; non enim poteſt dividi ab illo, niſi per ablationem decreti; quod in manu voluntatis non eſt,ſicut neque exiſtentia decreti; ergo nullatenus eſt in homine potentia ad omiſsionem actus.

3 Hac ratione non obſtante concluſio noſtra eſt negativa , nimirùm decretum non eſſe incompoſsibile cum actus libertate , eo quod actum præcedat , & cum illo connectatur. Quæ primo probanda eſt ex Adverſariorum principijs : in ipſorum ſententia præcedit eſſentialiter actum liberum aliquid infallibiliter connexum; ergo titulo neceſſariæ anteceſsionis, & infallibilis connexionis cum actu non poteſt decretum libertatem auferre. Antecedens probatur;actus eſſentialiter ſupponit complexum ex auxilio ſufficienti , & Scientia Media : ſed hoc eſſentialiter connectitur cum actu; ergo actus ſupponit eſſentialiter aliquid cum ipſo eſſentialiter connexum.Conſequentia eſt bona : minor certa ; id enim,quod ſine alio nullo modo exiſtere poteſt,cum illo eſſentialiter connectitur : ſed complexum illud nequit dari ſine actu; ergo connectitur eſſentialiter cũ illo.Maior autem probatur primo : ſupponit eſſentialiter complexum ex auxilio ſufficienti,& potentia expedita in Deo ad prędefiniendum actum: ſed hoc claudit eſſentialiter auxilium , & Scientiam Mediam; ergo ſupponit complexum ex illis. Maior, & minor indigent probatione: Minor probatur ſic;potentia expedita ad prędefiniendum claudit eſſentialiter Scientiam Mediam ; ergo complexum ex auxilio, & huiuſmodi potentia includit eſſentialiter auxilium , & Scientiam Mediam.Antecedens probatur ; potentia expedita ad prædefiniendum actum claudit eſſentialiter omnia neceſſaria ad prædefiniendum , quorum acquiſitio in Dei poteſtate non eſt: ſed vt Deus prædefiniat actum , eſt omninò neceſſaria Scientia Media , & illius acquiſitio in poteſtate Dei non eſt ; ergo includitur in potentia expedita ad prædefiniendum ; atqueadeò complexum ex auxilio ſufficienti , & huiuſmodi potentia , etiam includit eſſentialiter auxilium ſufficiens , & Scientiam Mediam.

4 Quod autem actus ſupponat auxilium,& hanc potentiam ; quæ erat maior probanda,conſtat quoad primam partem , ſcilicèt actum ſupponere auxilium ſufficiens. Quod verò etiam ſupponat potentiam ad prædefiniendum probatur ex ſubiectione actus ad Deum,& ex Dei ſupremo dominio. Deindè ; implicat exiſtere actum, quin Deus ſit potens ad illum prædefiniendum, quamvis non ſit neceſſariũ, quod Deus ipſum prædefiniat : at ſemel data potentia ad prædefiniendum actum, implicat non ſupponi ad illum ; ergo. Minor probatur primo; potentia, cuius actus eſt prior effectu aliquo , precedit eſſentialiter talem effectum : ſed actus potentiæ prædefinitivæ, qui eſt prædefinitio , eſſentialiter eſt prior actu,vt ſupra vidimus ; ergo,& potentia ad prædefiniendum. Secundo; ſubiectio actus ad Deum,vt potentem prædefinire, eſſentialiter ſupponit talem potentiam in ipſo : ſed actus ex prædicatis eſſentialibus habet ſubijci Deo , vt potenti prædefinire; ergo ſupponit in Deo potentiam ad prædefiniendum. Tertio ; potentia ad prædefiniendum non poteſt conſequi ad actum vt abſolutè exiſtentem,neque haberi ex vi exiſtentiæ actus prædefiniendi ; ergo actus ſupponit eſſentialiter hanc potentiam. Conſequentia eſt bona iuxta hos Authores,qui ideò negant eſſentialiter precedere,quia exiſtit ex determinatione actus abſolutè exiſtentis. Antecedens verò probatur; nam ſi huiuſmodi potentia conſequeretur ad actum, quidquid potentiam hanc eſſentialiter ſupponit, conſequens eſſet ad illum ; ergo cum prędefinitio illam eſſentialiter ſupponat,conſequens eſſet ad actumtquod eſt contra conceptum prædefinitionis.

5 Reſpondent,quod licèt prædefinitio habeat ex prædicatis eſſentialibus præcedere actum,ſi ſemel exiſtat ; non tamen neceſſario exiſtit,etiã ex ſuppoſitione exiſtentiæ actus;atqueadeò non infertur, quod potentia ad prædefiniendum ſupponatur ad actum eſſentialiter ; ſed quod ſupponatur, quando datur prædefinitio.Quod exemplo explicatur;actio,qua ignis *A* producit calorem *B*;v.g.eſſentialiter precedit talem calorem,neq; aliter poteſt exiſtere , niſi prior ad illum:& tamen non infertur ignem *A* eſſentialiter præcedere calorem *B*; ſed ſolum præcedere,quando ab illo talis calor producitur : ſi enim hic ab alio igne produceretur, quamvis exiſteret ignis *A*; non tamen præcederet calorem *B* : in quo caſu non repugnaret ignem *A* exiſtere ex determinatione caloris *B*.

6 Sed contra est primo; quia potentia ad prædefiniendum implicat, quod sit pro posteriori ad existentiam actus; ergo quia quotiescumque datur, est in signo præcedente actum. Antecedens probatur; ex suppositione existentię actus Deus iam est impotens ad prædefiniendum; implicat enim prędefinire actum prędexistentem; ergo implicat, quod potentia sit pro posteriori ad actum. Secundo; quotiescumque existit actus absque prædefinitione, Deus libere omittit prædefinitionem, cum possit prædefinire: & tamen non omittit pro posteriori ad actum, pro quo est impossibilis prædefinitio; ergo pro signo, pro quo esset prædefinitio; & consequenter potentia prædefiniendi, sine qua non potest intelligi libera omissio prædefinitionis, nequit non esse pro priori ad actum. Tertio; esto prædefinitio non sit necessaria: potentia tamen ad prædefiniendum omninò requisita est; cum actus nequeat sine illa existere: & aliàs non est pro posteriori ad actum; ergo datur aliquid cum actu connexum non consequens existentiam actus; & consequenter quod impediri, aut auferri non possit per exercitium voluntatis creatæ, eius libertatem non lædens: quod nobis sufficit; hoc enim concesso manifestam accipiunt instantiam argumenta contra nostrum decretum. Quarto: quoties datur actus, Deus est potens illum prædefinire; ergo huiusmodi potentia existit in Deo in signo apto ad prædefiniendum: at signum non præcedens actum non est aptum ad prædefiniendum; ergo existit pro signo priori ad actum.

7 Per quod constat disparitas ad exemplum adductum: vt enim existat calor *B*, necessarium non est, quod ignis *A* possit illum producere, imò nec quod existat: ad hoc autem, quod sit actus, necessarium est, quod Deus possit ipsum prædefinire; quæ potentia in Deo dari non potest, nisi pro priori ad actum. Imò ex exemplo argumentum desumimus: si enim ignis *A* acquireretur ex vi caloris *B*, existeretque pro posteriori, non posset illum producere; ergo si existente actu necessarium est Deum posse illum prędefinire, potentia hæc nequit existere in Deo pro posteriori ad actum; & consequenter nequit per illum acquiri, aut per omissionem actus impediri.

8 Dices; quod licèt hic, & nunc non acquiratur per actum ratione facta, nec impediri possit per omissionem; hoc solum est ex suppositione prædefinitionis: quod non tollit absolutam potentiam. Sed contra est; nam hæc suppositio datur pro priori ad exercitium voluntatis creatæ; ergo voluntas est impotens hic, & nunc ex suppositione sibi non libera impedire potentiam ad prædefiniendum; & tamen libertas creata non aufertur; ergo. Quod ampliùs explicatur: quando Deus prædefinit actum, præcedit illius existentiam potentia prædefinitiva, & ad summum supponit statum conditionatum; ergo hic & nũc datur aliquid præcedens absolutam existentiam actus, illum infallibiliter inferens, absque lesione libertatis creatæ. Neque obest, quod supponatur status conditionatus, si semel præcedat absolutum: nam per hoc exercitium absolutum voluntatis acquiri, aut impediti non potest; & consequenter nullo modo potest.

9 Secundo probatur conclusio, & explicatur ampliùs præcedentia complexi ex auxilio, & Scientia Media: quoties Deus dat auxilium efficax, potest illud conferre ex motivo efficaciæ; ergo pro priori ad collationem auxilij Deus prævidet eius efficaciam; quod nisi per Scientiam Mediam esse non potest, vt fatentur: prędecedit ergo Scientia Media volitionem collativam auxilij efficacis; & consequenter complexum ex illâ, & auxilio existentiam actus. Antecedens ab ipsis frequenter admittitur: & consequentia est nota; nequit enim Deus intelligi potens ad conferendum auxilium ex motivo efficaciæ, nisi volitionem præcedat cognitio talis efficaciæ: Deus enim non potest conferre auxilium ex motivo non prędognito.

10 Confirmatur primo: Deus potest moveri ad decernendum auxilium ex eventu conditionatè futuro, & similiter ad nolendum eius existentiam: sed nequit moveri ex motivo non prędognito ante volitionem; ergo quoties confert auxilium, præcedit in ipso cognitio eventus conditionatè futuri, scilicèt efficaciæ, vel ineffi-caciæ. Antecedens ab ipsis negari non potest; Deus enim multoties negat auxilium, quia prævidit inefficax, & multoties confert, quia efficax. Confirmatur secundo: ipsi probant dari scientiam, eo quod PP. studiosè quærunt, quare Deus creavit hominem, quem peccaturum esse præsciebat: ex quo inferunt Deum cognovisse pro priori ad decretum creandi hominem hoc

con-

conditionatum : *Si creavero Adamum peccabit*; & hac scientia directum potuisse ex motivo vitandi peccatum Adami ipsum nō creare : pro priori ergo ad creationem Adami, Deus sciebat ipsum peccatum, si crearetur; ergo scientia hæc etiam præcessit collationem auxilij.

11 Confirmatur tertio : non solum est voluntarium auxilium Deo, sed circunstantia efficaciæ : sed nisi scientia efficaciæ præcedat collationem auxilij, nequit esse voluntaria; ergo præcedit. Consequentia est bona: minor certa ; nam voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione : quapropter si Deus non cognosceret sufficientiam auxilij, non esset ipsi voluntaria. Maior autem probatur: tùm, quia est donum Dei, vtpotè bonum creaturæ ; dona autem sua Deus volendo distribuit, neque aliter potest illa donare: *Cuius enim vult, miseretur*, vt ait Apostolus ad Romanos 9. & vt docuit Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis, & Remissione, cap. 18. *Quibus hoc Dominus donare voluerit, eius misericordiæ est : quibus autem noluerit, veritatis est*. Quam doctrinam sæpè repetit : videatur in Enchyridione, cap. 98. & 99. Tùm etiam; quia aliàs talis efficacia à casu, & Deo inscio accideret : quod est absurdum.

12 Confirmatur quarto : Deus volens auxilium efficax, non quia efficax, sed ex alio motivo, vult libere non moveri eius efficacia : cum enim ex illa possit moveri, & defacto non moveatur, libere vult ab illa non moveri : at hæc libera volitio non est consequens ad volitionem auxilij; ergo nec Scientia Media, à qua dirigitur. Confirmatur quinto; volitio auxilij ex alio motivo, quàm ex efficacia, est libera, non solùm, quia potuit non esse, sed quia potuit haberi ex motivo efficaciæ ; ergo supponit in principio indifferentiam ad volitionem ex motivo efficaciæ : at hæc indifferentia claudit cognitionem efficaciæ ; ergo illam præsupponit.

13 Quod vlteriùs explicatur: decretum conferendi auxilium est posterius libertate divina in actu primo ad ipsum : sed libertas in actu primo includit Scientiam Mediam consensus sub illo auxilio ; ergo hæc supponitur ad decretum. Minor probatur; tùm, quia in casu, quem supponimus, scilicèt voluntatem esse consensuram sub illo, Deus est potens, & liber ad decernendum ex motivo efficaciæ ; ergo si supponit libertatem in actu primo, hanc potentiam supponit, quæ includit Scientiam Mediam. Tùm etiam; quia decretum illud à Deo procedit summè, & infinite prudenter; ergo à Deo præcognoscenti efficaciam auxilij, potentique illud decernere, quia efficax : quomodo enim prudenter decerneret donum, cuius vtilitatem nō præcognosceret ? Tùm denique; quia auxilium decernitur à Deo vt perfectissimo Domino illius : sed illius perfectissimum dominium non stat sine eo, quod possit ipsum decernere ex motivo efficaciæ, vel ex motivo inefficaciæ negare; ergo cognitio efficaciæ si efficax sit, & inefficaciæ si inefficax, præcedit tale decretum.

14 Confirmatur sexto ; pro signo, pro quo Deus est potens decernere auxilium ex alio motivo, quam ex motivo efficaciæ, habet in sua potestate, quod non præcedat, sed concomitanter, vel consequenter se habeat Scientia Media consensus : sed pro illo signo hoc non posset, si pro illo non esset Scientia Media; ergo pro illo existit; & consequenter ad decretum. Consequentia est bona : Maior, & minor sunt probandæ. Maior probatur; Deus non aliter potest facere, quod concomitanter se habeat, quam decernendo auxilium ; & non ex motivo efficaciæ : per hoc enim asserunt ipsi concomitanter se habere Scientiam Mediam; ergo pro signo, pro quo ad hoc est Deus potens, est etiam potens facere, quod concomitanter se habeat. Minor verò probatur; non existente Scientia Media non potest Deus facere, quod concomitanter se habeat; ergo vt possit hoc præstare, supponitur existere ; & consequenter cum possit pro priori ad decretum, pro illo existit. Ex quo deducitur, quod cum impossibile sit existere pro priori ad decretum, & concomitanter se habere, implicatoria etiã sit doctrina Recentiorum, & falsum, quod in potestate Dei sit facere, quod concomitanter se habeat.

15 Quod vlteriùs sequenti argumento convincitur : Scientia Media existit in Deo independenter ab eius voluntate; ergo non est in potestate Dei, quod præcedat, aut consequatur ad decretum. Consequentia probatur; notitia existens independenter à proprio actu non potest pro libito hominis antecedere, vel subsequi actum; quapropter in potestate hominis non est, quod cognitio prohibitionis negandi eleemosynam extremè indigenti ; v. g. subse-

qua-

quatur, vel antecedat actum illam negandi; aliàs non faciens eleemosynam extremo indigenti posset pro suo libito facere, quod talis negatio peccetum non esset; scilicèt, faciendo, quod cognitio prohibitionis cõcomitanter; vel consequenter se haberet ad volitionem negandi eleemosynam; ergo si Scientia Media existit in Deo independenter ab eius voluntate, in Dei potestate non est, quod præcedat, aut subsequatur decretum: ex quo infertur, quod si aliquando præcedit, vt admittunt, semper præcedat. Confirmatur: etiamsi homo eleemosinam non neget, quia negatio illius prohibita est, cognitio prohibitionis non consequitur, sed præcedit negationem eleemosynæ; ergo etiamsi Deus non decernat auxilium, quia efficax, cognitio efficaciæ non consequitur, sed præcedit decretum.

16 Septimo confirmatur assumptum; nam si quando Deus confert auxiliu m efficax, concomitanter, vel consequenter se haberet scientia efficacię, illud conferens nullo modo esset specialis benefactor, nec maius faceret beneficium, quam tribuens auxilium inefficax: Consequens admitti non potest; ergo Scientia Media non se habet concomitanter. Minor constat; quia aliàs non essent Deo reddendæ speciales gratię pro auxilio efficaci; & consequenter neque pro bona operatione: quod plusquam absurdum est; cum sit omninò certum tàm auxilium, quàm eius efficaciam, & omnem eius vtilitatem, ipsamque operationem esse donum Dei. Maior probatur; Deus non ampliùs benefacit, aut donat, quam scit se donare dum donat; neque enim cæco modo sua dona distribuit: sed si concomitanter se haberet Scientia Media, Deus donans auxilium, quod alias est efficax, proùt sic donans nesciret eius efficaciam; ergo non ampliùs donaret, quam auxilium secundum suam entitatem, quam etiam tribuit, quando est inefficax.

17 Tandem; quando Deus confert auxilium, quia efficax, Scientia Media præcedit actum creaturę, quæ præcedentia independens est á libertate creata; ergo saltim tunc per actum acquiri non potest; & consequenter datur aliquid præcedens actum, cum illoque connexum, eius libertatem non lædens.

18 Ex quo deducitur; nunquam esse in potestate creaturæ acquirere Scientiam Mediam: non enim potest, quando hęc præcedit actum, vt vidimus: non quãdo consequitur, vel, vt ipsi volunt, quando concomitanter se habet respectu actus creaturæ; quia sic concomitanter, vel consequenter se habere habet Scientia Media pro libertate Dei, & non pro libertate creaturæ: at acquiri per actum est consequi, vel concomitanter se habere ad illum; ergo cum hoc habeat pro libertate Dei, & non creaturæ, acquiri Scientiam Mediam per actum erit Deo liberum, & non creaturę: cum quo non intelligitur, quomodo possit componi esse liberam creaturæ, & non Deo: quod ab ipsis inconsequenter dici constat ex dictis: & insuper, quia si creatura per actum illam posset acquirere; cum Deus magis habeat in sua potestate actum creaturæ, quam ipsa creatura, magis haberet in sua potestate Scientiam Mediam, quam illa.

Denique; intelligi non potest, quod directio ad conferendum auxilium prędecat actum creaturæ, & quod possit Deus dirigi ad illud conferendum per scientiam consequutam, & acquisitam per actum creaturæ. Similiter, cum potentia ad producendum actum creaturæ, vtpotè prima, debeat præcedere nedum actum, sed potentiam creaturę, percipi non potest, quod sic potens constituatur per aliquid acquisitum per actum. Ex quo vlterius fit, quod cui deficit Scientia Media actus, deficiat aliquid requisitum ad actum, quod per ipsum acquiri non potest: cum quo debent Adversarij libertatem componere.

19 Propter hæc argumenta aliqui Recentiores asserunt, Scientiam Mediam quoad primariam existentiam præcedere actum creaturæ, & per illum acquiri non posse; bene tamen quoad secundariam existentiam. Quod explicant per hoc, quod si aliundè non præexisteret Scientia Media, ex vi actus poneretur; quod sufficit, vt complexum ex auxilio, & Scientia Media, quamvis inferat infallibiliter actum, eius libertatem non auferat.

20 Sed his difficultatem non evadunt: tùm; quia complexum ex auxilio, & Scientia Media quoad primariam existentiam illius connectitur infallibiliter cum actu, illumque præcedit, & per ipsum proùt sic acquiri, aut deperdi non potest: & tamen libertatem non aufert; ergo verum est, quod non auferatur libertas actus per hoc, quod ipsum præcedat aliquid cum illo connexum; quod per voluntatem crea-

tam acquiri, aut deperdi non poteſt. Tùm etiam; quia acquiri quoad ſecundariam exiſtentiam nihil aliud eſt, quam connecti actum abſolutè exiſtentem cum exiſtentia Scientiæ Mediæ, illamque logicè inferre, quam quoad primariam exiſtentiam ſupponit: ſed hoc non evacuat difficultatem; ergo non ſubſiſtit. Minor probatur; actus abſolutè exiſtens etiam in noſtra ſententia connectitur cum decreto, quod ſupponit, illudque infert logicè: & tamen non eſt acquiſitio decreti quoad ſecundariam exiſtentiam, vel ſaltim hoc non tollit, quominùs abſolutè debeamus fateri præcedere actum aliquid cum illo connexum libertatem non auferens; atqueadeò reſponſione hac argumentum noſtrum non ſolvunt.

§. II.

Aliæ rationes pro noſtra ſententia afferuntur.

21 VT Formetur ſecundum argumentum ex principijs Adverſariorum, pono quod decetnat Deus nullum conferre auxilium, niſi quod præviderit efficax: quod in eius eſſe poteſtate, nulli poteſt eſſe dubium; cum ipſi omninò ſit liberum conferre, aut conferre auxilium, & ex poſsibilibus eligere quod præviderit efficax, vel ſi nullum prævidet, nullum conferre: Deindè decernat auxilium, quod prævidit efficax. Tunc ſic formatur argumentum: complexum ex vtroque decreto infert infallibiliter actum, illum præcedit, complexumque impedire, aut acquirere in poteſtate voluntatis non eſt: & tamen in caſu iſto libertas non auferetur; ergo vera eſt ſententia noſtra, & ab Adverſarijs neceſſario admittenda, nimirùm poſſe præcedere actum liberum aliquid cum ipſo connexum, cuius acquiſitio in poteſtate non ſit, actus libertatem non auferens. Minor ex ſe conſtat, & ab Adverſarijs frequenter admittitur: per hoc enim quod Deus conferat auxilium, quod prævidit efficax ad liberam converſionem, libertas non aufertur: nec per hoc, quod aliud conferre nolit: imò quoties confert efficax, & negat inefficax, hoc facit, quia vult.

22 Maior verò facilè probatur per partes: & in primis complexum ex vtroque decreto infert actum; nequit enim componi cum carentia actus. Deindè complexum præcedere exiſtentiam actus, patet; nam quodlibet ex illis decretis præcedit actum; ergo complexum ex illis præcedit actum. Conſequentia conſtat; nam complexum non eſt aliud quam ſuæ partes. Antecedens verò probatur: & in primis de decreto conferendi auxilium negari non poteſt: de altero verò decreto probatur ſic; ex vi illius decreti tenetur Deus antequam decernat auxilium examinare, & prævidere quodnam ſit efficax: alias illud decernens ſine hoc prævio examine, exponeretur periculo fruſtrandi decretum; ergo debet præcedere decretum conferendi auxilium, & conſequenter actum.

23 Quod autem in poteſtate voluntatis non ſit decreta, ſeu complexum acquirere eſt certum; cum creaturæ non ſubdatur, quod Deus habeat aliquod ex illis decretis. Quod denique nequeat voluntas eius exiſtentiam impedire, probatur: tùm; quia ſupponitur exiſtens ante exercitium libertatis, illudque præcedit: id autem quod ſic exiſtens ſupponitur, neque acquiri, neque impediri poteſt per libertatis exercitium. Tùm etiam; quia nullum ex illis decretis poteſt impediri à voluntate; ergo neque complexum ex vtroque. Conſequentia conſtat; quia complexum nequit deficere, niſi ex defectu alicuius ex partibus; ergo ſi voluntas impedire non poteſt alicuius partis exiſtentiam, nec poteſt exiſtentiam cõplexi. Antecedens verò de decreto conferendi auxilium probatur: tùm; quia, vt vidimus, præcedit voluntatis exercitium, vtpotè præcedens auxilium. Tùm; quia eſt compoſsibile cum quolibet ex extremis libertatis, ſicut, & auxilium: id autem, quod compoſsibile eſt cum exercitio voluntatis, per illud impediri non poteſt. Tùm denique; quia decretum illud ſe tenet ex parte ſufficientiæ, quam ſupponit eſſentialiter quodlibet exercitium libertatis; ergo per nullum poteſt impediri. De altero verò decreto etiam conſtat: tùm; quia etiã ſupponitur: tùm; quia Deus illud poteſt habere independenter à determinatione voluntatis creatę. Tùm denique; quia non

ſup-

ſupponit Scientiam Mediam; & conſequẽter eſto hæc impediri poſsit à voluntate creata; non tamen decretum ab illa independens.

24 Idem argumentum formari poteſt alio modo: cognoſcat Deus per Scientiam Mediam ſe non daturum auxilium Petro, niſi illud prævideat efficax; decernatque auxilium: complexum ex ſcientia illa, & decreto connectitur cum actu conſenſus, & in poteſtate voluntatis non eſt illum ponere, aut impedire: & tamen libertatem non aufert; ergo verum eſt aſſumptum. Minor conſtat vt ſupra: & ſimiliter maior; nam complexum illud præcedere exercitium voluntatis creatæ, conſenſum inferre, & in poteſtate voluntatis non eſſe, convincitur rationibus ſupra factis. Deindè ſcientia illa, etiamſi ſit media, impediri non poteſt â creatura, etiam iuxta Adverſarios, ſed ſolum à Deo iuxta eorum principia: & ratio eſt; nam obiectum illius eſt hoc conditionatum contingens: *Si videro auxilium non eſſe efficax, illud non conferam*, cuius veritas ſolum impediri poteſt ab illo, qui etiam purificata conditione poteſt conſequens falſificare, conferendo tale auxilium, qui ſolus eſt Deus; creatura ergo ſcientiam illam impedire non poteſt. Et quidem mirum eſſet, quod in poteſtate Dei non eſſet impedire Scientiam Mediam, cuius obiectum eſt actus liber creaturæ ſub conditione non connexa cum illo, & quod creatura poſſet impedire Scientiam Mediã, cuius obiectum eſt actus liber Dei, ad quem eſſet indifferens, etiam ex ſuppoſitione conditionis.

25 Quod amplius ſic explicatur: in poteſtate Dei non eſt, quod hæc propoſitio: *Si Petro conferatur hoc auxilium ſufficiens, conſentiet*; ſit vera, vel falſa, eo quod purificata conditione ſolum eſt in poteſtate creaturæ conſentire, vel non conſentire: ſed in conditionali ſupra allata, purificata conditione ſolum eſt in poteſtate Dei conferre, vel non conferre auxilium; ergo ſolum eſt in poteſtate Dei verificare, aut falſificare propoſitionem illam; & conſequenter illius veritatem cognoſcere ipſi eſt liberum, non creaturæ.

26 Huic argumento reſpondent, quod licèt creatura non poſsit impedire decretum conferendi auxilium; poteſt medio illo impedire, nè Deus haberet alterum decretum de non conferendo auxilium, niſi prævisum fuerit efficax: quod probant; quia poſito auxilio poteſt diſſentire: diſſenſus autem incompoſsibilis eſt cum tali decreto; atqueadeò potens eſt ad impediendum decretum; ſicut poſito auxilio eſt potens impedire Scientiam Mediam, quia potens eſt ad diſſenſum incompoſsibilem cum illa. Et ad ſecundum fere eodem modo reſpondent; nimirùm ſcientiam illam poſſe impediri à creatura poſito auxilio: hoc enim poſito eſt potens diſſentire; atqueadeò illam impedire: nam quamvis ſcientia hæc non connectatur cum conſenſu abſolutè, nec incompoſsibilis ſit cum illius carentia; eſt tamen incompoſsibilis cum illa ſuppoſito auxilio; atqueadeò illo ſuppoſito poteſt per diſſenſum Scientiam Mediam impedire.

27 Sed hæc ſolutio reijcitur primo: quia ex eo, quod decretum non conferendi auxilium niſi efficax, ex ſuppoſitione auxilij nequeat ſtare ſine conſenſu, ſitque incompoſsibile cum carentia illius, non infertur poſſe per diſſenſum excludi; ergo malè ex eo, quod auxilio ſuppoſito ſit incompoſsibile cum diſſenſu, inferunt per illum poſſe impediri. Antecedens probatur: vt per diſſenſum impediatur, neceſſarium eſt vltra incompoſsibilitatem cum illo, quod decretum non ſupponatur exiſtens ante exercitium libertatis: ſed decretum, vt probavimus, ſupponitur exiſtens ante illud; ergo malè ex illo principio inferunt potentiam ad illius impeditionem. Maior probatur primo; quia implicat ex terminis, quod impeditio exiſtentiæ alicuius, eiuſdẽ ſupponat exiſtentiam: eſt enim cum illa incompoſsibilis; ergo id, quod ſupponitur exiſtens ad exercitium libertatis, per illud impediri non poteſt. Secundo: quamvis diſſenſus incompoſsibilis ſit cum prædeterminatione ad conſenſum, nequit per diſſenſum impediri huiuſmodi prædeterminationis exiſtentia, quia prædeterminatio ad exercitium libertatis preſupponitur; ergo ſimiliter dicendum eſt de decreto.

28 Secundo reijcitur: hoc decretum non ſupponit determinationem volũtatis, neque abſolutam, neque conditionatam; ergo per voluntatem creatam impediri non poteſt. Antecedens eſt certum: & conſequentia probatur; vt enim prædefinitio actus poſsit per voluntatem impediri, eam conſtituunt Adverſarij dependentem à Scientia Media, vt ſcilicet ſupponat determinationem liberam voluntatis ſaltim conditionatam; ergo decretum â determi-

nationé voluntatis independens non poteſt per voluntatem impediri.

29 Tertio; ſi aliquod ex his decretis poſſet per voluntatem impediri, potius eſſet decretum conferendi auxilium, quam alterum decretum iuxta principia Adverſariorum: ſed hoc iuxta eoſdem impediri non poteſt; ergo neque alterum. Maior probatur; illud potius impediri poteſt à voluntate creata, quod hic,& nunc ſupponit determinationem liberam voluntatis, ſaltim conditionatam: ſed ex his duobus decretis ſolum decretum conferendi auxilium ſupponit determinationem liberam voluntatis conditionatam; ergo ſolum hoc poterit impediri. Minor probatur; primum decretum habetur à Deo indepenter à Scientia Media, & ex huius ſuppoſitione decretum conferendi auxilium non poteſt illam non ſupponere; ergo ex his duobus ſolum decretum conferendi auxilium ſupponit hic,& nunc determiuationem conditionatam voluntatis.

30 Quarto; per determinationem voluntatis creatæ non poteſt impediri decretum non conferendi auxilium, niſi præviſum fuerit efficax, non ablata potentia à Deo ad illud habendum: ſed hæc nequit auferri, aut impediri per determinationem creaturæ; ergo nec decretum. Maior, & minor ſunt probandæ: & maior primo ſic; per determinationem creaturę nequit impediri decretum prędefinitivum conſenſus, niſi ablata potentia ad prædefiniendum per ablationem Scientiæ Mediæ, quæ prę-requiſita eſt, vt Deus poſsit prædefinire conſenſum; ergo nec poterit impediri decretum, de quo in præſenti, non ablata potentia ad illud habendum,& Deo non neceſsitato ad illud non habendum. Secundo probatur eadem maior; ſuppoſita in Deo potentia expedita ad actum liberum, nequit impediri ab aliquo extra Deum talis actus liber; ergo non poteſt impediri decretum liberum â creatura, niſi impediri poſsit potentia expedita ad illud. Antecedens probatur; ſuppoſita in creatura potentia expedita ad actum liberum, à nullo extra illam poteſt impediri talis actus: ſi enim ab aliquo impediretur, neceſsitaretur creatura; cum qua neceſsitate non ſtat potentia expedita ad actum liberum, quam ſupponimus manere; ergo ſuppoſita in Deo potentia expedita ad liberum decretum, à nullo extra Deum impediri poteſt decretum. Antecedens eſt certum, & conſequentia eſt nota.

31 Minor verò, quam probandam promiſimus, ſic probatur: potentia expedita ad tale decretum eſt prædicatum neceſſarium Dei conveniens ipſi independenter â quoliber contingenti,& pro priori ad illud; ergo impediri non poteſt, aut auferri per liberam determinationem creaturæ. Conſequentia conſtat: nam eſto Scientia Media contingens,& alia prædicata ad nutum creaturæ adſint,& deſint; de prædicatis neceſſarijs hoc afferere nefas eſt. Antecedens verò probatur; nam præciſsè cognita Dei Omnipotentia,& dominio ſibi eſſentiali intelligitur omninò expeditè potens ad auxilia gratiæ neganda, vel donanda vbi, quando,& quomodo voluerit: niſi velint Adverſarij etiam in collatione auxiliorum, vel illorum negatione Deum creaturæ ſubordinare.

32 Tandem reijcitur: vel ex vi decreti conferendi auxilium indifferens impeditur Deus, nè habeat decretum non conferendi auxilium, niſi præviſum fuerit efficax; vel ex vi illius tradit poteſtatem creaturæ vt ſi velit, Deum impediat ad illud habendum: neutrum dici poteſt; ergo Deus impediri non poteſt ad habendum tale decretum ex coniunctione ad auxilium ſufficiens. Maior eſt certa: non enim aliter poteſt impediri, niſi aliquo ex illis modis. Minor autem pro prima parte etiam eſt certa: cum enim vtrumque decretum poſſit componi; ex vi vnius alterum non impeditur: quoad ſecundam verò probatur; ſi Deus ex vi decreti conferendi auxilium traderet poteſtatem creaturæ ad impediẽdum alterum decretum, ex vi primi non poſſet concipere decretum ſecundum, niſi præviſa determinatione voluntatis creatæ: Conſequens eſt falſum; ergo illud, ex quo infertur. Maior probatur primo; quia ſi ex vi decreti conferendi auxilium traderet poteſtatem creaturæ ad impediendum alterum, ſi hoc ſecundum haberet non præviſa determinatione creaturę, exponeretur periculo fruſtrationis: ſi enim creatura medio auxilio diſſentiret, fruſtraretur decretum non conferendi auxilium niſi efficax. Secundo; quia ex vi decreti conferendi auxilium ſufficiens, datur voluntati, in horum ſententia, poteſtas ad impediendum prædefinitionem conſenſus, non poteſt Deus conſenſum prædefinire non præviſa determinatione voluntatis creatæ, quia aliàs exponeretur periculo fruſtrationis; ergo ſimiliter.

Fal-

33 Falsitas autem consequentis probatur; quia sequeretur, quod Deus non posset habere decretum non conferendi auxilium, nisi præviſum fuerit efficax, non inquam, posset independenter à Scientia Media; & deindè præviſo consensu per Scientiam Mediam, moveri ex primo decreto ad decernendum auxilium, quod prævidit efficax: hoc autem est falsum; ergo illud, ex quo sequitur. Sequela est manifesta; nam quoties Deus confert auxilium sufficiens, dat potestatem creaturæ ad impediendum alterum decretum: quoties autem hæc potestas datur, haberi non potest hoc decretum, nisi prævisa determinatione creaturæ; ergo nunquam vtrumque decretum existere potest, quin secundum supponat previsam determinationem creaturæ. Quod autem hoc sit falsum, constat ex dictis; Deus enim independenter ab eo, quod voluntas prævideatur consensura, potest hoc decretum habere, & postea prævidens quo auxilio sit consensura, illud decernere: quod admittunt Adversarij casum supra positum admittentes.

34 Confirmatur; ex solutione sequitur vtrumque decretum non posse cõponi; ergo sibi constans non est. Sequela probatur; sequitur enim decretum non conferendi auxilium, nisi previsum fuerit efficax, non posse esse simul cum alio, nisi illud supponat: at nequit illud supponere; ergo nec esse simul cum illo. Maior probatur; non potest esse simul cum illo, nisi ex vi decreti conferendi auxilium teneatur Deus prævidere determinationem voluntatis creatæ, vt videat; an possit alterum decretum habere, vel non, nè exponatur periculo fruſtrationis; ergo decretum non conferendi auxilium, nisi efficax non potest esse simul cum alio, nisi illud supponat. Quod verò illud supponere non possit, cõstat: tùm ex dictis. Tùm; quia decretum non conferendi auxilium nisi efficax, est decretum saltim conditionatum non conferendi auxilium: sed decretum quamvis conditionatum non conferendi auxilium non potest supponere decretum absolutum conferendi; ergo nõ potest illud supponere.

35 Ex dictis supra deducitur primo, decretum non conferendi auxilium, nisi efficax non posse esse simul cum decreto absoluto conferendi auxilium, nisi illud supponat: quod ex dictis constat: & simul deducitur non posse existere, nisi supponat Scientiam Mediam; existente enim decreto absoluto conferendi auxilium, Deus non potest aliud habere, nisi prævideat, quod consensura est voluntas medio illo auxilio; ergo existente decreto collativo auxilij, non potest alterum non præsupponere Scientiam Mediam.

36 Deducitur secundo, non posse existere simul cum decreto conferendi auxilium, nisi supponat scientiam visionis cõsensus: quod sic patet; non potest existere simul cum illo, nisi ex vi decreti collativi auxilij Deus moveatur ad videndum an illo consensura sit voluntas, vel non: & requiritur prævideri consensuram; aliàs fruſtraretur decretum: at scientia consensus præsupponens absolutam existentiam auxilij est scientia visionis; ergo decretum non conferendi auxilium, nisi efficax supponit scientiam visionis.

37 Deducitur tertio, decretum hoc conditionatum componi non posse cum absoluto consensu voluntatis: quod sic patet; nam Deus non potest habere decretum conditionatum, non conferendi auxilium nisi efficax post absolutam existentiam auxilij, & consensus: debet enim decretum conditionatum præscindere à verificatione conditionis: sed quoties datur auxilium, & consensus, supponitur verificata conditio; ergo prædictum decretum conditionatum componi non potest cum absoluto consensu voluntatis.

38 Deducitur quarto: hoc decretum conditionatum nullo modo posse existere in Deo: quod sic probatur; decretum hoc non potest existere cum consensu, vi vidimus: neque à consensu, vel auxilio separatum; ergo nullo modo existere potest. Minor probatur; nequit existere, nisi ex vi illius Deus possit moveri ad non cõferendum auxilium, quia ipsum previdit inefficax, & ad conferendum quod prævidit efficax: sed nequit sic existere, quin possit ex se coniungi cum consensu; quod iuxta doctrinam solutionis impossibile est; ergo nullo modo potest existere in Deo. Ex quibus tandem deducitur, quod admissa existentia vtriusque decreti, vt debet admitti possibilis, fatendum est necessario dari aliquid antecedens actum cum illo connexum, quodque impedire in potestate voluntatis non est, actus libertatem non auferens.

39 Per quod constat insufficientia solutionis ad secundum, quæ etiam displicet, ex eo, quod ex illa sequitur Deum non esse

esse ita liberum in conferendo auxilium, sicut creatura in consentiendo: quod est absurdum. Ut Sequela manifestè appareat, cõsiderandum est, duas veritates Deum per Scientiam Mediam cognoscere. Prima est hæc: *Si Petro conferatur auxilium A, consentiet*: in qua conditio à solo Deo purificanda est collatio auxilij: conditionatum autem est actus liber creaturæ. Altera est hęc: *Si prævidero auxilium esse inefficax, illud non conferam*: in qua ex parte conditionis ponitur inefficacia auxilij, quæ solũ est in potestate voluntatis creatæ, iuxta hãc sententiam; conditionatum verò est actus liber voluntatis divinæ, quo vult non conferre auxilium. Tunc sic; quamvis Deus possit non purificare primæ conditionem, eius veritatem impedire non potest; quia cõditione posita, solum est in potestate creaturæ conditionatum, nimirùm consensus: Secundam autem veritatem potest creatura impedire iuxta hanc solutionem: at non quia in eius potestate sit purificare conditionẽ: hoc enim non sufficit; vt patet in prima cõditionali, cuius veritatem Deus impedire non potest, licèt possit purificare conditionem; ergo, quia creaturæ subditur nedum purificatio conditionis, verumetiam positio conditionati; & consequenter Deus in non conferendo auxilium illi subditur: non igitur est ita liber in conferendo auxilium, sicut creatura in consentiendo.

40 Tertium argumentum pro nostra conclusione desumitur ex sententia aliquorum ex Adversarijs, quos supra retulimus, asserentium esse impossibilem metaphisice casum, in quo Deus non possit hominem convertere; quia impossibile est metaphisice non prævideri consensurum aliquo ex auxilijs possibilibus: in qua sententia Deus potest decernere liberam conversionem Petri decreto regulato per Sciẽtiam simplicis intelligentiæ, qua Deus cognoscit sibi esse possibilem liberam conversionem: at decretum hoc præcedit conversionem, illam infert, & est in impedibile â voluntate creata; ergo vera est doctrina tradita. Quartum desumi potest ex sententia plurium ex Adversarijs sequentium P. Suarez, in qua vnio hypostatica, auxilium, & præceptum præcedunt in Christo Domino actum præceptum, illumque inferunt, & in eius potestate non est aliquod ex illis impedire: cum quibus libertas actus præcepti salvatur.

41 Tandem, vt alia omittamus, perseverare finaliter nascitur in homine perseverante ex decreto divino connexo cum finali perseverantia, quod impedire in potestate voluntatis non est: & tamen homo libere perseverat; ergo. Minor est certa; homo enim perseverans potens est non perseverare, sicut, & peccare. Maior quoad primam partem probatur; hominem perseverare nascitur ex speciali benevolentia Dei erga illum prę non perseverante: sed hæc est decretum efficax perseverantiæ; ergo nascitur ex decreto efficaci. Maior probatur; perseverantia est specialissimum beneficium, Deusque perseverantis est specialis benefactor; ergo perseverantia supponit in Deo specialem benevolentiam. Minor autem probatur; benevolentia non inferens perseverantiam communis est perseveranti, & non perseveranti; ergo specialis benevolentia Dei erga perseverantem est, vel includit decretum efficax perseverantiæ. Quod autem hoc decretum in manu voluntatis non sit, probatur: nihil præcedens perseverantiam, præcipuè si necessario præcedat, potest per perseverantiam acquiri, aut per liberam omissionem perseverantiæ impediri: sed hoc decretum præcedit necessario, vt vidimus; ergo in manu voluntatis non est. Sed de hoc argumento, quod præcipuum est pro nostra sententia, infra agemus. Hæc insinuare libuit: tùm, vt appareat argumenta Adversariorum, quæ infra proponemus, in illorum principijs esse solvenda: tùm etiam, vt constet vsum Scientiæ Mediæ plenum esse implicationibus: nec mirùm, cum ipsa tot titulis implicatoria sit.

42 Et quod in hoc dubio ex Adversariorum sententia supposuimus, nimirùm Scientiam Mediam abæterno existentem posse in tempore per creaturam acquiri, aut impediri, quasi Deus spectet dispositionem creaturæ transitoriæ existentis, vt pacificè possideat prædicata, quæ ipsi in sua æternitate conveniunt: cum enim abæterno possideat Scientiam Mediam, & decreta ipsam supponentia, quin abæterno detur aliquid potẽs ipsa impedire, aut acquirere; creatura in tempore existens, ad cuius productionem Deus vsus est Scientia Media, & efficaci decreto, potens est acquirere, & impedire id, quo Deus ipsi contulit esse; hoc, inquã, ex se satis absurdũ apparet, & alibi à nobis reijciẽdũ. Ad quod, ni fallor, respexit Augustinus lib. 3. Hypognosticon, cap. 6. ibi: *Qui nos liberavit, & vocavit vocatione*

ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia. Audis ante tempora ſecularia, quando in Dei erat homo præſcientia, & non in ſeculo, quia nondum erat ſeculum, & præponis dono eius opera voluntaria, cæcus veritati reſiſtens: quærens enim tuam iuſtitiam ſtatuere, iuſtitiæ Dei ſubiectus eſſe non potes. Hæc Auguſtinus: quibus ſatis indicat diſpoſitionem divinam, quia eſt ante tempora ſecularia in æternitate Dei, & illa menſurata ſubijci non poſſe voluntati creatæ, aut eius diſpoſitioni in tempore exiſtenti. Sed de his ſatis.

DVBIVM VI.

Vtrùm decretum efficax prædefinitivum componatur cum libertate creata?

§. I.

Statuitur concluſio.

1 EX Dictis ſatis conſtat requiſitum eſſe decretum prędefinitivum efficax præcedens actum liberum creatum ad illius exiſtentiam: eſt tamen maxima difficultas in compoſitione illius cum libertate creata, quæ fuit præcipuum, imò & vnicum fundamentum Authorum Scientiæ Mediæ ad illud negandum: rectè tamen cum illa componi, eſt omnium Thomiſtarum ſententia, & omnium Scotiſtarum vno, vel altero excepto: & eſt noſtra concluſio.

2 Quæ probatur primo ex dictis: id, quod eſt neceſſarium ad exiſtentiam actus liberi, eius libertatem auferre non poteſt: at decretum prædefinitivum neceſſarium eſt ad exiſtentiam actus liberi; ergo eius libertatem non aufert. Maior eſt certa: & minor conſtat ex dictis. Cõfirmatur; id, quod requiritur, vt actus liber creatus Deo vt primo domino ſubordinetur, eius libertatem non aufert: ſed ad illud neceſſarium eſt decretum prædefinitivum; ergo. Minor conſtat ex dictis; nam vt Deo tanquàm primo Domino ſubordinetur, requiritur, quod Deus proximum, & immediatum dominium exerceat erga illum: ſicut vt actio creata Deo vt primo efficienti ſubordinetur, requiritur influxus immediatus Dei in illam, & non ſufficit mediatus; ſed ſine decreto efficaci non ſtat Deum exercere proximum, & immediatum dominium erga illum; ergo neque ſtat Deo tanquàm primo Domino ſubordinari. Minor probatur. Tùm; quia ſine decreto efficaci Deus concurrit proximè, & formaliter determinatus à creatura ad actum liberũ, & illi ſubordinatur: ergo ſine illo non exercet proximum, & immediatum dominium in actum. Tùm; quia Deus ſolũ exercet dominium formaliter, & proximè in id, quod proximè, & formaliter eſt ſub eius poteſtate: ſed ſine decreto efficaci ſolum eſt ſub eius poteſtate actus liber mediatè, & remotè; ablato enim efficaci decreto ſolum eſt ſub eius poteſtate potentia proxima ad actum, qua poſita ex dominio Dei, ſub eius poteſtate iam non eſt actus creaturæ; ergo. Tùm denique; quia ſolum erga id exercet immediatum dominium, quod ex eius ponitur determinatione: ſed ſecluſo decreto prędeterminante efficaci, actus liber non ponitur ex determinatione Dei; ergo tali decreto ſecluſo Deus erga actum liberum non exercet immediatum dominium.

3 Confirmatur ſecundo; efficientiam creaturæ, ſeú actionem eſſe formaliter, & proximè ex influxu, & efficientia Dei, illam non deſtruit, ſed perficit, vtpotè quæ media efficientia Dei habet eſſe; ergo determinationem liberam creaturæ eſſe ex determinatione Dei formaliter, & proximè, illam deſtruere non poteſt. Conſequentia probatur; ideò primum eſt verum, quia efficientia creaturæ, vtpotè finita, & limitata, vt ſit, debet oriri, & derivari ex primo efficienti: ſed determinatio libera creaturę eſt ſecunda libertas, & ſecunda determinatio, vtpotè finita, & limitata; ergo derivari debet proximè, & formaliter ex prima; & conſequenter prima determinatio ſecundam non deſtruit, etiãſi hæc ex illa ſit.

4 Secundo probatur concluſio: Deum nobis donare bonam, & liberam operationem, eius libertatem non aufert, ſicut nec bonitatem. Sed non ſtat Deum illam nobis donare abſque decreto efficaci; ergo

ergo hoc libertatem illius auferre non poteſt. Maior eſt certa ; non enim poteſt in nobis eſſe bona,& libera operatio,niſi Deò donante : *Tanta enim eſt erga homines bonitas Dei* (ait Auguſtinus in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ 12. *vt noſtra velit eſſe merita,quæ ſunt ipſius dona* : in qua doctrina perpetuus eſt Auguſtinus, quam vt fidei dogma nobis amplectendam proponit;atqueadeò vel non eſt poſsibilis libera operatio, vel illam nobis donare Deum, eius libertatem non aufert. Minor verò probatur ex Auguſtino vbi proximè ; ibi enim reddens rationem , quare ſint dona Dei , ſubdit Auguſtinus : Agit quippè in nobis,vt quod vult,& velimus, & agamus; ergo ideò donum eſt Dei bona operatio, quia ex gratuita voluntate Dei derivatur.

Idem docuit de Dono Perſeverantiæ, cap. 17. vbi de Bonis Operibus , excepta fide, quam eſſe donum Dei Semipelagiani negabant, ſic habet contra illos arguens: *An fortè nec ipſa dicunt prædeſtinata ? ergo nec dantur à Deo, aut ea ſe daturum eſſe neſcivit : quod ſi & dantur , & ea ſe daturum eſſe præſcivit , profectò prædeſtinavit:* vbi ex negatione decreti efficacis erga opera virtutis , quod nomine prædeſtinationis intellexit Auguſtinus , intulit non eſſe dona Dei,& ex eo,quod donentur,prædeſtinationem intulit , ab oppoſito conſequẽtis ad oppoſitum antecedentis. Idem expreſsit Auguſtinus eodem cap. his verbis: *Iſta igitur ſua dona, quibuſcumque Deus donat ; proculdubiò donaturum ſe eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit.* Similiaque docuerat cap. 13. antecedenti , vbi ex varijs ſcripturæ locis , ſic concludit : *Undè ſatis evidenter oſtenditur, & inchoandi , & vſque in finem perſeverandi, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari , ſed donari ſecundum ſecretiſſimam , eandemque iuſtiſſimam, beneficentiſſimam ſapientiſſimam voluntatem , quoniam quos prædeſtinavit , ipſos & vocavit vocatione illa, de qua dictum eſt. Sine pœnitentia ſunt dona , & vocatio Dei:* quam eſſe vocationem includentem propoſitum,& decretum boni operis donati docuerat ipſe Auguſtinus de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 16. Deficeret tempus , ſi omnia teſtimonia Auguſtini hanc veritatem probantia adduceremus.

5 Idem docet Fulgentius de Incarnatione, & Gratia Chriſti , cap. 3. his verbis: *Hæc autem dona ſua ſemper Deus in æterna, ac incommutabili habet voluntate diſpoſita, in qua præordinavit, atque præparavit, & quæ daret , & quibus daret.* Idem docet lib. 1. ad Monimum , vbi latiſsimè probat, Deum abæterno prædeſtinare , & prædefinire noſtra bona opera ; cuius præcipua ratio eſt , quod ſint dona , & effectus Dei. Et cap. 14. ſic habet : *Totius bonæ voluntatis initium ab illa ſempiterna Trinitate , & prædeſtinatum confitemur, & datum : hoc enim homini gratuita iuſtificatione tribuit præparatum , quod in æterna prædeſtinatione præparaverat tribuendum.* Nomine autem prædeſtinationis ipſum, ſicuti , & Magiſtrum Auguſtinum prædefinitionem intellexiſſe, conſtat : tùm , quia ſuam , & noſtram confirmat doctrinam, cap. 22. ex illis verbis : Auguſtini de Prædeſtinatione SS. cap. 10. *Prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt ; poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia.* Tùm etiam, quia ipſe Fulgentius lib. 1. ad Monimum citato cap. 27. docet,quòd prædeſtinationis nomine miſericors , iuſtaque futuri operis divini ſempiterna diſpoſitio , & prædicatio prædicatur : quod deſumpſit ex Auguſtino ſic prædeſtinationem definiendo.

6 Hoc ipſum expreſsè docuerat Proſper ex vtriuſque,& communi Magiſtro Auguſtino ad capita Gallorum, reſponſione 14. illis verbis : *Fidei , & charitatis opera, quæ per Dei gratiam fuerunt prædeſtinata, rectè prædefinita dicuntur authoritate Apoſtoli dicentis : Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus,&c.* Quod etiam pluribus in locis docet Fulgentius lib. 2. de Veritate Prędeſtinationis , cap. 17. Quod autem hæc prædeſtinatio , ſeù prædefinitio ſit efficax; docet, & probat, lib. 1. ad Monimum, cap. 12. eo quod voluntas divina eſt ſua virtus,& Omnipotentia; conſtatque ex Auguſtino pluribus ſuæ doctrinæ locis: modo ab ipſo doceri convincitur authoritate nuper adducta; ibi enim docet in prędeſtinatione,de qua loquitur Deum cognoſcere, quæ fuerat ipſe facturus : quod verum eſſe non poſſet , niſi eſſet efficax prædefinitio ; in indifferenti enim vt tali nihil determinatum cognoſci poteſt.

7 Secundo probanda eſt minor: Deus nihil donat, niſi volens donare; ergo ſi donat actum , vult illum donare : quod non ſtat ſine volitione efficaci divina. Antecedens videtur certum ; & conſtat primo vt ſupra ; quia Deus ſua dona diſtribuit , vt vult : quapropter ; *Cui vult*

miſeretur, & quem vult indurat. Secundo; quia donum, cum ſit datio liberalis, voluntatem donandi ſupponit. Tertio; Deus nequit donare, niſi præſciat ſe donare, & cui donat: aliàs inſcius donaret; ergo nec poteſt, niſi volens donare: vtrumque enim requiritur ad prudentem, & liberalem donationem. Denique; quia cum donans, præcipuè Deus, ſit perfectiſsimus Dominus, donare, vel non donare ex eius determinatione dependet.

§. II.

Adverſariorum ſolutiones referuntur, & reijciuntur.

8 HVIC Argumento multiplex adhibetur ſolutio. Prima eſt aliquorum, quos ſupra retulimus, aſſerentium ad hoc ſufficere decretum cõcomitans, vel in ſenſu à P. Uazquez explicato, vel in ſenſu Recentiorum. Hæc tamen ſolutio multis impugnata manet in præcedentibus, vbi vtrumque ſenſum reiecimus; quæ omnia videnda ſunt. Tùm etiã; quia prędefinitio, præordinatio, & ſimilia, quibus PP. vtuntur, non decretum concomitans, ſed præcedens, ſeù antecedẽs prioritate cauſalitatis executionem ſignificat: neque in horum ſenſu poteſt verificari, nos non eligere Deum, ſed Deum nos eligere, contra illud Ioannis 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.*

9 Secunda ſolutio eſt aliorum, quos ſupra retulimus, aſſerentium: eſſe quidem neceſſariam efficacem prædefinitionem, vt Deus nobis donet actum; quod ex PP. & ratione ſatis convincitur: hanc tamen prædefinitionem ſupponere Scientiam Mediã, eſſeque in poteſtate creaturę, ſolumque determinare Deum ad conferendum auxilium ex ſe indifferens, ſub quo præviſa eſt voluntas conſenſura; non tamen determinare Omnipotentiam ad concurrendum; ſed hanc influere in actum determinatam à voluntate creata. Sed etiam hanc doctrinã, quæ ſingularis eſt inter Recentiores, quæ ſicut, & præcedens quoad ſubſtantiam minus videtur á veritate recedere, iam ſupra impugnavimus: & præter plures implicationes, quibus involuitur hæc prædefinitio, quæ facilè ex dictis intelligi poſſunt; nõ ſolùm admittit Omnipotentiam à creatura determinari, & illi ſubijci; ſed etiam diuinam voluntatem: vndè hac admiſſa prædefinitione difficiliùs defenditur libertas creata; quia creatura in hac ſententia á Deo non accipit actum; ſed determinando Omnipotentiam, & voluntatem, illum ſibi acquirit; ipſique tribuenda ſunt omnia, in quibus ille, cui Deus dicitur actum donare, diſtinguitur ab illo, cui non donat: ex quo infertur, quod Deus non ſit omnium bonorum largitor.

10 Tertia ſolutio aſſerit: ſufficere ad verificandum Deum nobis bona opera donare decretum conferendi auxilium, & voluntatem inefficacem actus, quo dato actus ex determinatione creaturæ exiſtens dicitur, & eſt á Deo donatus. Sed neque hæc ſuſtinenda eſt: primo; quia PP. ex eo, quod Deus nobis donet actum, inferunt ſpecialem electionem, ſeù dilectionem erga operantem præ non operante: quod ſine decreto efficaci non ſubſiſtit. Secundo; quia prædefinitio, præordinatio, & electio, quibus exprimunt voluntatem neceſſariam ad donandum, explicant volitionem efficacẽ, & omnipotentiſsimam, vt ipſi aſſerunt, vi cuius infallibiliter ſequitur actus. Tertio; quia voluntas inefficax donandi relinquit Deum indifferentem ad donandum, & non donandum: ſed voluntas requiſita debet Deum determinare; aliàs cum ex ſe ſit indifferens ad donandum, ſine aliqua voluntate poſſet donare; ergo non ſufficit voluntas inefficax. Quarto; donans, & non ex efficaci determinatione propria, ſed alterius, non libere donat, ſed ab alio determinatus: ſed Deus donat libere, vtpotè perfectiſsimus Dominus ſuorum donorum; ergo non ab alio determinatus, ſed à ſe; & conſequenter non inefficacitèr, ſed efficacitèr volens.

11 Quinto; voluntas, quæ poteſt coniungi cum carentia donationis, non ſufficit ad donandum: ſed voluntas inefficax poteſt coniungi cum carentia donationis; poteſt enim coniungi cum omiſsione actus; ergo non ſufficit ad donandum. Maior probatur; Deus, cui vult donat conſenſum: *Cuius enim vult miſeretur, & quem vult indurat*: quod verum eſſe non poſſet, in vniverſum, ſi ad donandum ſufficeret voluntas, quę componi poſsit cum carentia donationis: quod ſic patet; nam hanc voluntatem habet Deus erga illum, cui non miſeretur, & cui non donat cõſenſum; ergo

ergo aliquando erit falsum, quod cui vult miseretur, & cui vult donat consensum: hæc enim propositio facit sensum vniversalem; ac si diceret, quotiescumque vult, miseretur: reducit quippè Apostolus Dei misericordiam, & donum ipsi collatum ad voluntatem Dei: quod verum non esset, si adhùc posita ex parte Dei in nobis donum non esset.

Quod, & docuit Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. illis verbis: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit: si enim Deus miseretur, etiam volumus: ad eandem quippè misericordiam pertinet vt velimus: Deus enim est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*: vbi ex misericordia Dei, quę vtique actus est voluntatis, quo donat, intulit nostrum velle, quia hoc ipsum est donum Dei, & effectus misericordiæ ipsius ex illa infallibiliter illatus.

12 Per quod constat ad paritatem, quæ ex humanis desumi potest: quamvis enim homo habeat voluntatem sufficientem, & requisitam vt existat donatio; potest tamen alius non acceptare donum; atqueadeò potest non esse completa donatio, non ex defectu donantis; sed ex defectu recipientis: in Deo autem hoc contingere non potest; ipsa enim hominis acceptatio est donum Dei, quod nisi ab ipso habere non possumus; quod proindè ex eius misericordi voluntate donandi infallibiliter infertur: homo autem cum non sit dominus acceptationis alterius, non illam donat, sed alius, cuius est dominus; atqueadeò acceptatio est propria recipientis donum, & in eius solius posita voluntate, cuius alter dominus non est, & quam alter non donat: quapropter posita sufficienti voluntate in donante requisita ad donationem potest non compleri donatio ex defectu acceptationis requisitæ, quam homo alteri non potest donare, cum eius dominus non sit.

13 Imò ex hac paritate argumentum desumimus: vt homo habeat sufficientem voluntatem donandi, & requisitam ad actualem donationem, volitio talis debet esse naturæ, vt ex vi illius maneat determinatus ad faciendum, quod ipse debet facere, vt defacto detur donatio: cumque alterius acceptatio ab ipso non fiat, nec ab ipso donetur; non est necessarium, quod ex vi voluntatis donandi maneat determinatus ad ponendam acceptationem, sed hæc ab alio debet expectari; ergo vt Deus habeat sufficientem voluntatem, & requisitam, vt sit donatio, ex vi talis voluntatis debet manere determinatus ad faciendum omnia, quæ ipse debet, & potest facere, vt sit donatio cõpleta. Tunc sic: sed ipsa acceptatio hominis est donum Dei, quod ipse facit, & ipsum velle pertinet ad eandem misericordiam Dei, qua vult donare; ergo debet fieri à Deo; vt testatur Paulus ab Augustino adductus, *Deus est enim qui operatur in nobis velle, & perficere*; ergo ex vi voluntatis donandi debet manere determinatus ad omnia hæc ponẽda; atqueadeò voluntas in Deo sufficiens, & requisita ad donationem debet inferre ipsum velle nostrum; vt Augustinus docuit.

14 Neque hic valet confugere ad læsionem libertatis creatæ, quam deducere conantur ex hac efficaci voluntate: tùm; quia Augustinus vtrumque composuit, & libertatem, & efficaciam voluntatis divinæ. Tùm; quia ex eo, quod actus est donum Dei, & ad donandum requiritur voluntas efficax donandi; rectè infertur voluntatem efficacem libertatem non lædere. Quod eodem modo intulit Div. Thomas ad Romanos cap. 8. lect. 3. vbi super illa verba: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, postquam explicuerat homines spiritu Dei agi, non solum vt ductore, & directore, in quantum illuminat nos interius, quid facere debeamus, sed etiam vt motore voluntatis; docet: *Quod ideò liberum arbitrium non læditur, quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrij in nobis causat: secundum illud ad Philippenses 2. Deus est, qui operatur vobis velle, & perficere.* Si enim Deus causat, & donat, non destruit; sed perficit. Semperque hoc præ oculis est habendum: si Deum facere motum voluntatis, illumque donare, eius libertatem non destruit, vt est omninò certum; Deum velle facere, & velle donare, qui omnia operatur per intellectum, & voluntatem, libertatem auferre non potest. Et vt docet D. Thomas 1. ad Annibaldum, dist. 47. quæst. vnica, art. 4. ibi: *Voluntas Dei non solum res ineſſe, sed etiam rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminavit.*

§. III.

Recurrentes ad Scientiam Mediam, & efficacem prædefinitionem illa regulatam reijciuntur.

15 PROPTER Hæc, & alia, quæ ex dictis facilè colliguntur; communiter Recentiores addunt sufficere, vt Deus dicatur donare actum bonum, prædefinitionem, quam ipsi cum PP. concedunt; non tamen necessariam ad existentiam actus liberi, & per Scientiam Mediam regulatam. Contra quam doctrinam obstat primo; quod hæc prædefinitio est omninò necessaria iuxta PP. quod sic probatur: Augustinus hanc prædefinitionem intulit ex principijs omninò indefectibilibus; ergo vel non benè intulit; quod dicere non audebunt: vel consequens illatum est etiam indefectibile, sicut, & principia, ex quibus infertur. Antecedens probatur; id intulit Augustinus ex eo, quod actus bonus est donum Dei; quia Deus operatur in nobis velle, & perficere: quia omnia opera nostra operatus est in nobis: quia omne bonum perfectum desursum est descendens à Patre luminum: quia omnia operatur secundum consilium voluntatis suę; & alia similia, quæ longum esset recensere: sed hæc omnia sunt principia omninò necessaria, & quę aliter se habere non possunt; ergo omninò indefectibile est, & necessarium, quod si existit actus bonus à Deo donatus, existit ab ipso prædefinitus. Augustinum imitantur eius discipuli, quorum authoritates modo adducere non vacat: facilè tamen colligitur ex Fulgentio, & Prospero nuper adductis.

16 Et confirmatur; quia Deus facit, vt faciamus, quia omnia opera nostra operatur, intulerunt PP. efficacem prædefinitionem: & quia hanc negabant Hæretici, nè læderet libertatem; consequenter negare videbantur Deum facere, vt faciamus, & omnia opera nostra Deum in nobis operari: quapropter, quia in Scriptura differre docemur, omnia opera nostra Deũ in nobis operari, ipsique tribuenda esse; ex Scriptura efficacem prædefinitionem intulerunt: imò Deum in nobis bona operari, esseque ipsius dona, visum est PP. eorum doctrinæ apertè Adversari; vt constat ex Augustino lib. 1. Retractationum cap. 9. vbi sic habet: *Et in his libris, quis non contra illos omninò* (scilicèt Pelagianos) *quippè illi nondum erant, sed contra Manichæos cõscripti sunt de libero arbitrio, non omnimodò de ista Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre. Diximus quippè in secundo libro* cap. 19. *Non solùm magna, sed etiam minima bona non posse esse, nisi ab illo, à quo sunt omnia bona, hoc est à Deo.* Et paulò infrà: *Ecce quam longè antequam Pelagiana hæresis extitisset, sic disputavimus, velut iam contra illos disputaremus.* Et tandem concludit: *Et quia omnia bona, sicut dictum est, & magna, & media, & minima ex Deo sunt, sequitur vt ex Deo sit, & bonus vsus liberæ voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis*: similia passim habentur apud Augustinum, & alios PP; ergo quia sentiunt sine efficaci prædefinitione salvari non posse Deum in nobis bona opera operari, & omnia nobis donare: cumque hoc omninò sit necessarium, consequenter necessaria est efficax prædefinitio.

17 Explicatur amplius: inter Recentiores controvertitur an Pelagius negaverit concursum simultaneum, vel non: affirmat Bellarminus lib. 4. de Gratia, & libero Arbitrio, cap. 4. & probabile reputat Suarez, Prologomenon 5. de Gratia, cap. 4. & alij Recentiores id omninò certum existimant: imò in hoc situm esse errorem Pelagij affirmant, & probant ex D. Thoma in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 3. in fine corporis; vbi sic habet: *Sed si gratia pro divina voluntate, in nobis omnia bona causante accipiatur; tunc dicendum, quod neutro modo homo sine gratia præcepta adimplere potest, & ideò Pelagius erravit, qui simpliciter impleri præcepta Legis sine gratia posuit.* Ex quo inferunt errasse Pelagium negando concursum simultaneum: quod & probant ex Augustino lib. 1. de Gratia Christi, cap. 4. & ex Hieronymo Epistola ad Thesyphontem: in qua sententia, quæ verior mihi videtur, ex eodem principio, nimirùm, quia Deus concurrit faciendo, vt faciamus, intulerunt PP. prædefinire actiones nostras, & in eorum mentem cadere non potuit Deum aliquid facere, nisi volendo, & quia vult: imò & ipse Pelagius, vt negaret prædefinitionem, negavit concursum Dei,

& Deum facere, vt faciamus: quapropter PP. pro eodem vtrumque acceperunt, & constat ex testimonio D. Thomæ, quod pro hac sententia adducunt Recentiores, ibi: *Si gratia pro divina voluntate in nobis omnia bona causante accipiatur, &c.* in quibus verbis intelligunt cõcursum simultaneum, quem negavit Pelagius; in illis tamen prius voluntas, & deinde concursus exprimitur; imò pro eodem accipitur.

In alia autem sententia, quæ non mihi ita probatur, PP. contra Pelagium nõ concursum simultaneum, quem non negasse hæc sententia affirmat; sed prędefinitionem, quam negavit, adstruere, & firmare conantur, vt opera nostra, ad quæ Deus simultanee concurrit, sint dona Dei: & vt supra ex Hieronymo vidimus, liberum arbitrium in actu primo constitutum indiget ope Dei; quod intelligi non posse de concursu actuali Dei, nisi à Deo ex propria determinatione conferatur, iam supra probavimus; atqueadeò vtrumque pro eodem accipitur.

18 Secundo hæc solutio reijcitur: recurrentes ad prædefinitionem, illam necessariam putant, vt Deus nobis donet actum bonum: sed implicat existere actum bonum non donatum à Deo; ergo implicat existere sine prædefinitione; & consequenter debent sine prædefinitione salvare esse donum Dei, vel necessariam debent asserere prædefinitionem.

19 Alij verò non ad prædefinitionem, sed ad Scientiam Mediam recurrunt, asseruntque Deum actum bonum donare, quia confert auxilium in occasione, in qua prędivit voluntatem consensuram: ille enim, dicunt, donat actum, qui donat necessaria ad illum, in occasione, in qua eliciendus est. Sed isti reijciendi sunt primo; quia Scientia Media Deus prævidet voluntatem elicituram actum ex dono Dei; at per Scientiam Mediam, iuxta hos Authores, solum videtur actus eliciendus ex vi auxilij sufficientis determinati à voluntate creata; ergo Scientia Media non est necessaria, vt sit donum Dei, neque ad hoc conducere potest; sed necessario fateri tenentur præcisivè à Scientia Media salvari esse donum Dei.

20 Confirmatur, & explicatur hoc primo: Deus per Scientiam Mediam videt actum eliciendum à voluntate, & dependentem ab omnibus causis, vi quarum habendus, & posidendus est ab homine: sed solùm videt eliciendum à voluntate creata medio auxilio sufficienti, quod ab ipsa voluntate determinatur ad operandum, sicut, & Omnipotentia Dei ad simultanee concurrendum; ergo salvare tenentur præcisivè à Scientia Media ex vi solius auxilij sufficientis, & concursus simultanei actum bonum esse donum Dei.

21 Confirmatur, & explicatur secundo: actus bonus, vt vidimus, est essentialiter donum Dei, petitque essentialiter non existere, nisi à Deo donatus: sed non petit essentialiter ex intrinsecis Scientiam Mediam; ergo hæc, vt sit donum Dei non requiritur. Maior est certa: & minor probatur ex communi Adversariorum doctrina, iuxta quam si Deus donaret auxilia nõ prævidens per Scientiam Mediam illorum effectum, eodem modo operaretur homo; ergo actus non requirit, aut exigit Scientiam Mediam vt sit; licèt concedamus illam inferre, quia est; & si defacto requiritur, non est ex parte actus, sed ex parte Dei, nè cæco modo procedat: quapropter asserunt Adversarij communitèr, quod quantumvis præcedat directive collationem auxilij, non esse causam per se actus, sicut neque prædefinitio est causa, nisi ad summum peraccidens. Secundo probatur eâdem minor; nam vel requiritur vt præcedens directive, & regulative collationem auxilij, & ipsum actum, vel solum concomitanter; vel consequenter ad actum: quod iuxta propriam doctrinam cõsequentius dicitur: si primum tollit libertatem actus, rationibus supra factis: si autem dicatur secundum, & tertium, nihil potest conducere, vt sit donum Dei; scientia enim concomitanter se habens, vel consequenter in ordine ad actum, est quasi non esset.

22 Et ex his secundo reijcitur solutio: in communi Adversariorum doctrina Scientia Media, vt vidimus, non est necessaria ex parte actus, neque ab ipso, aut à creatura exigitur vt sit; sed solum ex parte Dei, nè cæco modo procedat nesciẽs effectum futurum ex auxilio, quod confert; ergo homo, vt habeat actum bonum, Sciẽtia Media non indiget, sed Deus; & consequenter si necessaria est, vt actus sit donum Dei, habere actum donatum non est ex indigentia creaturæ; sed nè Deus sit imperfectus cæco, & ignoranti modo procedens in collatione auxiliorum: quod ex se satis absurdum apparet; & ex illo plura inferuntur absurda.

Pri-

23 Primum est supra adductum, scilicèt, quod si Deus non attendens, aut nesciens effectum sequendum ex auxilijs, quæ defacto confert hominibus, eâdem auxilia conferret, ijdem perseverarent, & salvi fierent, nihilque ipsis deficeret ad salutem necessarium: quapropter, quod defacto superadditur, bonum ipsorum non est. Secundum est hominem non indigere oratione, qua à Deo petat actum bonum: nam à Deo donari, non est ipsi necessarium ad illum habendum; neque ad hoc indiget donatione; cum æquè sine donatione illum haberet. Quod sic patet; nam æquè illum haberet sine Scientia Media, sine qua donatio non subsistit: imò etiamsi hæc esset necessaria; cum eius existentia solum sit in potestate voluntatis creatæ, ad illam obtinendam oratio impertinens esset.

24 Tertium inconveniens est, quod Deus accipit ab homine, & ex eius determinatione id, quo constituitur donans: nam collatio auxilij sufficientis, quæ ex se est donatio auxilij, constituitur in ratione donationis actus per Scientiam Mediam: sed hanc habet Deus ex hominis libertate; ergo ex eiusdē libertate, & beneficio haber, quod sit donans: hoc autem, præterquàm quod perfectioni divinæ iniurioſum apparet, est contra conceptum donationis, quæ à recipiente esse non potest, nisi donum ipsum ab eodem sit; ab eo enim accipitur donum, à quo est donatio, & cuius est donare.

Quod vlterius sic explicatur: ille donat, qui ex propria determinatione ponit donationem: at homo ex proptia determinatione ponit donationem; ergo hic, & non Deus ibi ipsi donat. Consequentia est bona: maior ex terminis videtur nota; donum enim, & donatio ab eodem sunt. Minor autem probatur; ille ponit donationem, qui supposito subiecto, quod denominatur donatio, & quod ex se indifferens est, vt sit, vel non sit donatio, ex propria determinatione ponit id, â quo denominatur donatio: sed homo est huiusmodi; ergo ipse ponit donationem. Maior constat: ille enim facit, seù ponit calidum, qui supposito subiecto; v. g. ligno, quod indifferens est vt sit calidum, ponit id, quo præexistens subiectum denominatur calidum, seù determinatur ad esse calidum. Minor autem probatur; subiectum, quod denominatur donatio, est volitio auxilij sufficientis, & si velis, ipsa collatio exterior, vel etiam volitio inefficax actus: sed his suppositis ex hominis sola determinatione existit Scientia Media, â qua decretum collativum auxilij, vel ipsa exterior collatio, vel volitio inefficax actus, aut, si mavis, complexum ex his omnibus denominatur donatio; ergo homo ex propria determinatione ponit id, quo subiectum ex se indifferens vt sit donatio, habet denominationem donationis.

25 Et ex his quartum infertur inconveniens, scilicèt, quod non solum homo non habeat à Deo actum, à quo, vt vidimus, donatio illius non est, sed quod homo ex propria determinatione Deo tribuat id, sine quo imperfectus maneret, & quo indiget, vt ab imperfectione liberetur: quod etiam probatur; nam Deus sine Scientia Media actus cæco, & imperfecto modo procederet: sed hanc habet ex sola hominis determinatione, ex qua sola ponitur actus; ergo ex eius determinatione habet, quod imperfectus non sit.

Neque vitatur inconveniens, si dicas: necessarium esse, quod Deus habeat aliquam Scientiam Mediam, vel actus, vel omissionis; quæ necessitas ex prædicatis divinis, & ex summa intellectualitate oritur, vel est ipsa intellectualitas. Non, inquam, vitatur: nam esto hoc verum sit, ex determinatione creaturæ ponitur id, sine quo imperfectus esset; neque illa necessitas hoc tollit: sicut necessitas in voluntate nostra ad actum, vel eius omissionem non tollit, quominùs ex eius determinatione existat actus præ omissione, vel è contra.

§. IV.

Vlterior nostræ sententiæ probatur.

26 DEINDE Probanda est concluſio argumento desumpto ex speciali beneficio collato consentienti prę non consentiente, pro quo tenetur ad speciales gratias Deo reddendas, quo sæpè vtitur Au-

Auguſtinus,& eſt maior explicatio præcedentis, vbi, & ſolutiones Adverſariorum iterùm reijcientur; & propter anguſtiam temporis ab authoritatibus abſtinebimus, quæ omninò videndæ ſunt apud noſtros Thomiſtas. Sic ergo proponitur argumentum: id quod requiritur, vt Deus ſit ſpecialiter benevolus erga conſentientem prę non conſentiente, libertatem conſenſus auferre non poteſt: ſed vt ſit ſpecialiter benevolus non ſufficit voluntas inefficax cõſenſus, ſed requiritur efficax; ergo huius neceſsitas libertatem auferre non poteſt. Minor conſtat; quia erga omnes etiam non conſentientes Deus habet voluntatem inefficacem conſenſus; ergo hæc non ſufficit, vt ſit ſpecialiter benevolus. Maior autem probatur; id, quod requiritur, vt ſit ſpecialis benefactor reſpectu conſentientis, non poteſt libertatem auferre; cum negari non poſsit Deum eſſe ſpecialem benefactorem conſentientis: ſed vt ſit ſpecialis benefactor, neceſſarium eſt eſſe ſpecialiter benevolum; cum benefacere ſit actus virtutis benevolentiæ; ergo id,quod requiritur, vt ſit ſpecialiter benevolus,non poteſt libertatem auferre; ſi ergo hęc, vt ſpecialis ſit, debet eſſe efficax, eius neceſsitas libertatem auferre non poteſt.

27 Confirmatur primo: illa voluntas ſufficit, & requiritur,vt Deus ſit ſpecialis benefactor,quæ ſufficit,& requiritur, vt conſentiens teneatur ad ſpecialem gratiarum actionem pro beneficio ſibi ſpecialiter collato; plus enim recipiens magis tenetur,& ſtrictius ad gratiarum actionem: ſed voluntas inefficax ad hoc non ſufficit; ergo neque ad hoc vt ſit ſpecialis benefactor. Minor probatur; quidquid Deus vult conſentienti, vult etiam non conſentienti, & multoties quoad ſufficientiam plus iſti, quam illi: tribuit enim non conſentienti multoties perfectiùs auxilium, quam conſentienti, & eàdem efficacia vtrique vult conſenſum; ergo non magis tenetur ad gratiarum actionem ille, qui conſentit. Conſequentia probatur; ad gratiarum actionem attendenda eſt voluntas benefacientis: ſed Dei æqua eſt voluntas reſpectu vtriuſque,& multoties maior erga non conſentientem; ergo conſentiens non magis tenetur ad gratiarum actionem.

28 Confirmatur ſecundo: conſentiens pro eo, in quo diſcriminatur adiſſentiente, non tenetur ad gratiarum actionẽ; ergo non tenetur ſtrictiùs, neque debet ſpecialem gratiarum actionem conſentiẽs, quam diſſentiens. Antecedens probatur; omnia, in quibus diſcriminantur non ponuntur ex libera determinatione Dei, ſed ſolùm ex libera determinatione,& dominio conſentientis; ergo pro illis non tenetur conſentiens ad gratiarum actionem. Conſequentia conſtat; ſolùm enim tenetur quis ad gratiarum actionem pro illis, quæ ex libera determinatione alicuius accipit. Antecedens probatur; id, in quo diſcriminantur,eſt conſenſus, & Scientia Media illius: ſed hæc ſunt ex propria determinatione conſentientis; ergo. Minor iam manet probata; poſita enim in Deo voluntate efficaci collativa auxilij, & inefficaci conſenſus, quæ voluntates ſunt vtrique communes, conſentiens ex proprio dominio,& non Dei elicit actum, & medio illo acquirit Scientiam Mediam, vt aſſerunt; ergo omnia, in quibus diſcriminantur, ſibi debet,& non Deo.

29 Nec ſufficit communis ſolutio Adverſariorum, ſcilicèt, quod accipit ſpeciale beneficium, pro quo ſpecialiter tenetur ad gratiarum actionem propter duo: tùm, quia cum ipſo concurrit ad conſenſum. Tùm; quia dedit auxilium in occaſione, qua prævidet eſſe futurum conſenſum. Contra enim obſtat, quod nec propter primum, nec propter ſecundum tenetur: & in primis propter primum non tenetur: nam vel ſermo eſt de concurſu in actu ſecundo, vel de illius oblatione: ſi primum, habetur ex ſola determinatione voluntatis creatæ; ita vt ſuppoſito auxilio ſufficienti ſolum ſit in poteſtate creaturæ determinare Omnipotentiam ad concurrẽdum; ergo ex huiuſmodi concurſu in actu ſecundo non tenetur. Si ſermo ſit de illius oblatione; licèt ſit motivum ſufficiens ad gratiarum actionem, non tamen ſpecialẽ; cum ſit commune non conſentienti, cui etiam offertur concurſus; ergo neque ex concurſu in actu ſecundo, aut illius oblatione tenetur conſentiens ad ſpecialem gratiarum actionem.

30 Quod autem non teneatur propterea quòd Deus contulerit auxilium in occaſione, in qua prævidit voluntatem conſenſuram,probatur primo: quia prævisio conſenſus futuri non præcedit,nec præcedere poteſt, aut dirigere in multorum ex Adverſarijs ſententia voluntatem conferendi auxilium, ſed purè concomitanter ſe habet; ergo non poteſt conducere, vt colla-

collatio auxilij sit maius beneficium, & motivum ad gratiarum actionem. Secundo; nam quamvis aliquando præcedat: nõ tamen semper, vt ipsi communitèr asserũt; potest enim Deus conferre auxilium non directus ex hac scientia, sed purè concomitanter se habente; ergo saltim tunc non erit motivum ad specialem gratiarum actionem. Tertio; nam iuxta Adversarios, vt sæpè diximus, hæc scientia existit ex determinatione libera creaturæ, & propterea voluntas prævenia auxilio sufficienti in sua habet potestate, quod sit, vel non sit; atqueadeò consequitur ad consensum: sed scientia sic subsequuta non potest augere beneficium conferendi auxilium, quod omninò præcedit consensum; ergo idem quod priùs.

31 Quarto: esto ex prævisione consensus crescat collatio auxilij in ratione boni, & beneficij; id tamen, quo crescit, non Deo, sed voluntati creatæ tribuendum est; ergo etiamsi teneatur ad gratiarum actionem pro collatione auxilij consentiẽs, sicut & dissentiens; non tamen pro incremento. Consequentia videtur bona, & antecedens probatur; id quo crescit collatio auxilij in ratione boni, & benificij, est prævisio consensus: crescit enim ratione illius, quod superadditur; etenim sicut collatio eàdem est respectu consentientis, & dissentientis, sic similiter voluntas conferendi: sed hæc prævisio voluntati creatæ est tribuenda; ergo id, quo crescit in ratione boni, & beneficij, non Deo, sed creaturæ est tribuendum. Minor probatur; illi solum prævisio tribuenda est, in cuius potestate est quod sit, vel non sit, & ad cuius nutum ponitur, vel aufertur: sed solum ponitur ad nutum creaturæ; cum solum sit in potestate eius, & non Dei; ergo creaturæ, & non Deo tribuenda est.

32 Confirmatur; incrementum collationis in ratione boni, & beneficij non ponitur pro determinatione Dei, sed pro determinatione creaturæ; ergo non Deo, sed creaturæ tribuenda est. Antecedens probatur; si poneretur pro determinatione Dei, tale incrementum in ratione beneficij, non esset liberum creaturæ; hac enim ratione asserunt actum liberum creaturæ non posse poni pro determinatione Dei: sed liberum est creaturæ secundum Adversarios; cum prævenia auxilio sufficienti possit dissentire, vel consentire, & consequenter facere, quod collatio auxilij specialis beneficium sit, vel non sit; ergo non ponitur pro determinatione Dei; atqueadeò ipsi non debetur. Confirmatur secundo; voluntas prævenia auxilio habet in sua potestate, quod coniungatur cum prævisione consensus, vel non, & quod sit datum in occasione, in qua prævisa est consensura; ergo sic dari, ex eius determinatione dependet, & non Dei.

33 Ex quo infertur, quod Deus solum haberet conferre auxilium: coniungi verò cum prævisione consensus, vel non, ipsi non subditur, sed creaturæ; atqueadeò esto ex coniunctione crescat in ratione boni, sic crescere Deo tribuendum non est. Infertur secundo non solum Deum nõ tribuere consensum libertum, si non adsit decretum efficax; sed creaturam facere, vt Deus faciat consensum, & ipsi tribuere, quod faciat: cuius contrarium sæpè traditur in Scriptura, & apud Augustinum passim habetur. Assumptum probatur sic: inter duas causas ad eundem effectum concurrentes, illa facit, vt altera faciat, quæ alteram determinat ad faciẽdum: sed creatura Deum determinat, & non ècontra; ergo ex negatione decreti efficacis rectè infertur, Deum non solum non donare consensum, nec facere, vt creatura faciat, sed potius creaturam facere, vt Deus faciat. Quod iterùm convincitur: si Deus prædeterminaret creaturam ad actum liberum, proculdubiò ex vi huius determinationis actum liberum tribueret, & faceret vt creatura illum eliceret; ergo si creatura Deum determinat ad faciendum consensum, ipsi tribuit facere consensum, & facit, vt Deus faciat. Sed quid mirũm creaturam Deo tribuere ipsum facere in horum principijs, si tenentur concedere iuxta illa ipsi tribuere potentiam ad volendum efficacitèr consensum, vt supra vidimus: tribuit enim Scientiam Mediam, sine qua impotens est Deus ad decernendum efficacitèr liberum consensum.

34 Tertio infertur: ideò Deum specialiter adiuvare ad consensum, & benefacere, vt fiat, quia homo consentit; non verò consentire, quia specialiter adiuvatur, aut speciale illi sit beneficium: quod sic probatur; Deum specialiter adiuvare, & specialiter benefacere consistit in coniunctione collationis auxilij, & Scientiæ Mediæ; sed hæc, vt vidimus, datur, quia homo consentit, & non ècontra; ergo sequitur Deũ specialiter adiuvare ad consensum, & be-

ne-

nefacere vt fiat, quia homo conſentit, & non è contra. Quod vlterius convincitur; quia iam præcederet neceſſario conſenſum hæc ſpecialis beneficij ratio ipſum infallibiliter inferens: quod negant; ergo. Hoc autem videtur mihi reprobaſſe Proſperum Epiſtola ad Auguſtinum, ibi: *In his Pelagianæ pravitatis reliquijs non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideò quis adiuvetur, quia voluit, non ideò quia adiuvatur, velit.*

35 Ex quo tandem reijcitur ſolutio: homo indiget ad conſentiendum, quod Deus ipſi tribuat conſenſum, nam vt vidimus, nullum eſt bonum in homine, niſi Deo donante, qui eſt fons totius bonitatis; ſed homo ad conſentiendum non indiget, quod Deus conferat auxilium in occaſione, in qua prævidit conſenſum; ergo in hoc conſiſtere non poteſt, quod Deus tribuat conſenſum, ſeù ſpecialiter beneficiat conſentienti. Conſequentia eſt bona: Maior certa: & minor ex dictis probatur primo; nam ipſi communiter admittunt Deum multoties conferre auxilium efficax non prævidens pro illo ſigno voluntatem conſenſuram, ſed Scientia Media pera ccidens ſe habente, nihilque ad conſenſum conducente: & tamen conſentit homo; eſt enim auxilium efficax; ergo. Secundo; quia licèt Scientia Media ſit neceſſaria, vt Deus inſcius non ſit, illa non indiget homo ad cõſentiendum: ſi enim per impoſsibile Deus conferret auxilium, quo defacto homo conſentit, neſciens quid homo eſſet medio illo facturus, eodem modo conſentiret; ergo homo non indiget ad conſentiendum, quod Deus cognoſcat medio illo conſenſurum.

Quod amplius declaratur: conſenſum non eſſe, niſi Deo donante, non ſolum eſt neceſſarium ex parte Dei, & vt Deus abſque imperfectione ſit, ſed ex indigentia hominis, & ex actum ab ipſa natura conſenſus, de cuius ratione eſt à Deo tanquàm á primo fonte dimanare: ſed Deum prævidere hominem conſenſurum medio auxilio efficaci, licèt neceſſarium ſit, nè Deus ſit ignorans, & imperfectus; non tamen eſt neceſſarium, aut conducens ad conſenſum, neque tanquàm aliquid, quo indigeat, neque exigitur ex natura illius; ergo in hoc non poteſt conſiſtere Deum donare conſenſum.

36 Ex quo etiam deducitur vt ſupra, hominem ad conſentiendum ſpeciali beneficio non indigere iuxta horum ſententiam; nam iuxta aliam ſpeciale beneficium in eo conſiſtit, quod Deus conferat auxilium præſciens illo hominem eſſe conſenſurum: at hoc non indiget homo, vt conſentiat, ſed Deus, ne ignorans ſit, vt fatentur; ergo ad conſentiendum non indigebit ſpeciali beneficio. Deducitur ſecũdo ſpeciale beneficium non eſſe ſuperadditum entitati auxilij: id enim, ſine quo homo æquè benè conſentiret, ſpeciale beneficium non eſt ad conſentiendum conducens: ſed ſi Deus conferat auxilium idem, etiamſi per impoſsibile neſciret voluntatem conſenſuram, æquè benè homo conſentiret; ergo conferre præſciens voluntatem conſenſuram ſpeciale beneficium non eſt. Rurſus, ſi Petro eâdem contuliſſet auxilia, quæ defacto contulit, neſciens quid illis eſſet operaturus, eâdem opera, & merita elicuiſſet; ergo quod Deus præſciat, non eſt beneficium Petri, ſed perfectio Dei.

37 Tendem ex dictis concluditur Adverſarios vnum è duobus teneri concedere, vel hominem non indigere, vt conſentiat, ſpeciali gratia non facta diſſentienti: vel hanc ſpecialem gratiam neceſſario præcedere conſenſum, illumque inferre abſque libertatis læſione. Quod ſic probatur; nam ſpecialis gratia vt homo conſentiat, non poteſt concomitanter ſe habere ad conſenſum, vel conſequenter ad illum: quod enim ſic comparatur, eſt acquiſibile per conſenſum, & impedibile per diſſenſum; & conſequenter non datur vt conſentiat, qualiter debet dari ſpecialis gratia ad conſenſum, ſed quia conſentit; ergo neceſſario fateri tenentur præcedere conſenſum, vel neceſſariam non eſſe, vt homo conſentiat. Ex quo rurſus infertur, quod ſi præcedat, infallibiliter infert conſenſum: gratia enim non ſic inferens communis eſt etiam diſſentienti; & conſequenter non eſt ſpecialis gratia ſolùm facta conſentienti. Omittimus quod ſi hęc coniunctio collationis auxilij cum prævisione conſenſus ſufficiens eſſet, vt Deus ſpecialiter eſſet author conſenſus, & ipſi eſſet tribuendus, etiam ſequeretur quod ſi Deus conferat auxilium cum prævisione diſſenſus, ipſi etiam tribuendus eſt diſſenſus; cum conferat potentiam ad illum in occaſione, qua prævidit à voluntate ponendum: quo argumento ſæpè vtitur Auguſtinus adverſus

Pe-

Pelagianos: de quo alibi à nobis differendum est.

38 Vlteriùs probatur conclusio: Massilienses,& Semipelagiani ex læsione libertatis contendebant doctrinam D. Augustini de decreto efficaci labefactare, vt constat ex Prospero Epistola ad Augustinum,illis verbis: *Multi ergo servorum Christi, qui in Massiliensi vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni,& Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum Dei propositum disputasti*: Et paulò infrà rationem, qua movebantur, sic refert: *Existimant enim removeri omnem industriam, tolliquè virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quamdam induci necessitatem*: Sed Div. Augustinus non ob hoc retractavit sententiam, sed cum efficaci decreto libertatem composuit; ergo cum illa rectè componitur.

39 Minor probatur: nam in Epistolis ad Hilarium,& Prosperum sæpè doctrinam confirmavit: Et cap. 20. de Prædestinatione Sanctorum, pluribus adductis ex Scriptura, sic concludit: *Audiant hæc, & alia quæcumque non dixè, quibus ostenditur Deum ad regnum etiam Cœlorum, & ad vitam æternam parare, & convertere hominum voluntates.* Et iterùm de Bono Perseverantiæ, cap. 14. Sibi objiciens argumentum Massilienſium ex læsione libertatis, & inutilitate prædicationis desumptum, non propterea à sæpè tradita doctrina recedit; sed solvit, & instat illis verbis: *Sed aiunt prædestinationis definitionem vtilitati prædicationis adversam, quasi verò adversata sit Apostolo prædicanti. Nonnè ille Doctor Gentium in fide, & veritate prædestinationem toties commendavit, & verbum Dei prædicare non destitit? Nunquid, quia dixit, Deus est qui operatur in nobis velle, & operari pro bona sua volũtate: ideò non ipse, & vt velimus, quæ Deo placeant, & vt operemur hortatus est?* Ubi duo clarè docet: primũ; D. Paulum nostram, & Augustini doctrinam de decreto efficaci docuisse, illis verbis: *Deus est qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate sua*: in quibus decretum efficax humanum consensum præveniens agnovisse Augustinum, supra vidimus: Secundum est; illud vtilitati prædicationis non opponi; & consequenter nec libertati.

Quod iterùm docuit, cap. 15. vbi ad similem objectionem, qua intendebant probare destrui vtilitatem correctionis, respondit: *Ista cum dicunt, ita nos à confitenda Dei gratia, & à confitenda secundum eam prædestinationem sanctorum deterrere non debent: sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, vt dicatur: sive nunc rectè vivatis, sivè non rectè; tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni si bonos, vel malè si malos*: Non ergo cum Augustino deterreri debemus à confitenda Dei prædestinatione,& efficacia decreti, nè lædatur libertas: vtrumque enim componi potest.

40 Et quidem teste Molina in Concordia Olisipone edita anno 1588. folio 487. D. Augustinus non conciliavit libertatem cum prædestinatione media Scientia Media: qua excluſa decretum nostrum efficax negari non potest, vt fatentur omnes, qui Scientia Media vtuntur; ergo illam cum decreto efficaci composuit. Quod autem hoc rectè præstiterit; licèt videatur negare Molina vbi suprà, qui ex eo, quod non conciliaverit Augustinus libertatem cum gratia, & prædestinatione media Scientia Media, intulit multos ex fidelibus ex doctrina Augustini turbatos, & ad Pelagianismum elapsos fuisse: negari tamen non posse constat; quia doctrinam Augustini in hac materia approbavit, & semper amplexata est Ecclesia; vt docet, & probat M. S. Thoma, tomo 1. in 1. partem, disp. 20. art. 6.

41 Tandem probanda est conclusio ex dictis: decretum efficax est causa non solum actus voluntatis, sed etiam libertatis illius; ergo illam destruere non potest. Consequentia constat: & antecedens probatur; Deus namque omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ: estque omnis entis, & cuiuslibet modi illius vniversalissima causa agens per intellectum,& voluntatem, omnes alias causas in operando sibi subijciens; ergo decretum efficax est causa non solùm actus, sed etiam libertatis illius. Confirmatur primo; nam vt supra vidimus, Deum causare entitatem actus,& illius libertatem, non potest illam auferre; ergo velle efficacitèr dare esse actui, & libertatem, illam auferre non potest: sicut enim hęc omnia ex influxu divinæ Omnipotentiæ habent esse, ita,& derivantur â voluntate divina. Quæ con-

consequentia mihi videtur evidens: & iterùm omninó inintelligibile, quod destruat creaturam illius author per hoc, quod velit ipsi dare esse, quod nisi ab illo habere non potest.

42 Confirmatur secundo; indigere voluntate efficaci Dei non potest opponi conceptui alicuius creaturę; ergo actum liberum i la indigere non potest illi opponi. Antecedens probatur; indigere providentia Dei, vt sit, non potest opponi creaturę; ergo neque indigere decreto efficaci; quod in providentia includitur, vt potè quæ est recta ratio cuncta immediatè disponens. Confirmatur tertio; indigere influxu Dei non potest illi opponi, quia licet dabilis sit creatura essentialiter ab alia dependens; non tamen potest ab illa tanquàm à prima causa dependere: sed etiamsi dabilis sit creatura essentialiter dependens ab agente libero creato; non tamen potest ab illo tanquàm à primo libero dependere; ergo sicut dari non potest creatura non indigens influxu Dei, vt sit, non potest dari quę à decreto Dei non dependeat.

43 Quarto; agens liberum creatum se determinare ad dandum esse amori, non potest auferre libertatem amoris; ergo neque Deum se determinare ad illum producendum. Consequentia probatur; ideò primum est verum, quia amor ab agenti libero creato habet esse, & libertatem; sed à Deo potiori titulo vtrumque habet; ergo. Quinto; amorem liberum esse essentialiter proùt sic sub dominio, & potestate creaturæ, & non posse existere, nisi ex eius determinatione, eius libertatem non tollit; ergo esse sub potestate Dei, & non posse existere, nisi ex eius determinatione, non potest auferre libertatem illius. Consequētia probatur; ideò antecedens est verum, quia amor liber habet essentialiter esse sub potestate, & dominio agentis liberi creati; sed multomagis est essentialiter sub potestate Dei, qui, vt asserit Augustinus, magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; ergo consequens etiam est verum.

44 Sexto; amorem habere esse ab agente libero creato, vt à secundo libero, primo subordinato non potest auferre illius libertatem; ergo nec habere esse ex determinatione agentis creati derivata ex determinatione primi agentis. Consequentia probatur; habere esse ex determinatione agentis creati non derivata ex determinatione prima agentis, est habere esse ab illo sibi subordinante primum agens, vt concedunt Adversarij; ergo vt sit ab illo tanquàm à secundo libero, primo subordinato, necessarium est eius determinationē derivari ex determinatione Dei. Antecedēs verò manifestum videtur: omnia enim, quę ab agente creato procedunt libere, ab illo vt à secundo libero derivantur; & consequenter vt primo subordinato: aliàs non secundum, sed primum erit. Explicatur; non est contra dominium creatæ libertatis decretum efficax Dei; ergo nec opponitur libertati actus. Antecedens probatur; Deum sibi subordinate agens liberū creatum contra eius dominium non est: sed illud sibi subordinat medio decreto efficaci, & non aliter: cum hoc ablato potiùs creatura subordinet sibi Deum, quam è contra; ergo decretum efficax non opponitur dominio creato.

45 Septimò confirmatur ad hominem: actum procedere à Deo, qui est primus illius Dominus, vt à creatura determinato non aufert libertatem illius; ergo neque egredi à creatura, vt à Deo determinata. Probatur consequentia; nam actus liber potiùs desiderat dominium, & libertatem in primo, quàm in secundo libero, sicut potiorem continentiam in prima causa, quàm in secunda. Tandem: posteriora habent necessitatem secundum modum priorum; ergo quæ fiunt à voluntate divina, talem habent necessitatem, qualem Deus vult ea habere. Tunc sic: sed per decretum efficax actus Deus vult habere libertatem, & contingentiam absolutè, & solum necessitatem ex suppositione; ergo decretum efficax cum libertate componitur. Quam rationem desumpsit D. Thomas ex Anselmo libro de Concordia præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ, cap. 1. vbi ait: *Quoniam quod Deus vult non potest non esse; cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum sequi voluntatem: tunc necesse est esse liberam, & esse quod vult.* Videatur D. Thomas 1. p. q. 19. art. 8. q. 22. art. 4. q. 23. art. 6. q. 83. art. 1. & 1. 2. q. 10. art. 4. q. 6. de Veritate art. 3. & 3. contra Gentes, cap. 89. & 94.

§. V.

Solvuntur argumenta.

46 QUAMVIS Concordia, quam pro tenuitate noſtra explicuimus, Sacræ Scripturæ, & Sanctorum menti conformis ſit: ſunt tamen difficilia argumenta, quæ olim Auguſtino fuerunt propoſita; quorum difficultas, ſicut ipſum à veritate tuenda nō deterruit, neque vt illam nos deſeramus ſufficiet, præ oculis ſemper habentes illud Proſperi ad capita Gallorum, cap. 1. Qui prædeſtinationis nomine fatum prædicat, tàm non eſt probandus, quàm qui fati nomine veritatem prædeſtinationis infamat: fati enim opinio vana eſt, & de falſitate concepta; prædeſtinationis autem fides multa Sanctarum Scripturarum authoritate munita eſt. Sed antequàm argumenta proponamus, advertendum eſt, quod quia, vt ſæpè diximus, eàdem eſt difficultas in componenda libertate cum phiſica prædeterminatione intrinſeca voluntati, atque cum decreto efficaci prędefinitivo, indifferenter his terminis vtemur.

47 Primo igitur ſic arguitur; voluntas prædefinita, ſeù prædeterminata ad actum non poteſt non agere; ergo non eſt libera ineliciendo actum; atqueadeò prædefinitio cum libertate non componitur. Antecedēs probatur; eſt impedita inevitabiliter ad non agendum: ſed qui ſic eſt impeditus, non poteſt non agere; ergo. Conſequentia patet: Maior, & minor ſunt probandæ: & in primis prędefinitionem eſſe nobis inevitabilem fatentur Thomiſtæ: Quod autem ſit impedimentum, quod reſtat probandum vt maior adæquatè probetur, conſtat; nam illud eſt impedimentum reſpectu alicuius exercitij, cum quo nequit componi tale exercitium; neque alius dabilis eſt modus impediendi; ſic enim amor impedit odium, tenebræ lucem: ſed prædefinitio actus vtpotè connexa cum actu eſt incompoſsibilis cum carentia actus; ergo eſt impedimentum ad non agendum.

Minor verò, nempè impeditum inevitabiliter ad non agendum non poſſe non agere, probatur: qui non poteſt non eſſe impeditus impedimento omninò inevitabili, ſibique ſimpliciter neceſſario, non poteſt ad actum impeditum: ſed ſic eſt impeditus homo per prædefinitionem inevitabiliter: non enim poteſt non eſſe impeditus; ſiquidem ſub eius poteſtate non eſt non impediri; ergo ſic impeditus ad non agendum non poteſt non agere. Maior ex ſe evidens eſt, & vlterius probatur, ſeù explicatur primo in homine ligato inevitabiliter catenis, qui alia ratione ambulare non poteſt, niſi quia impeditus eſt impedimento inevitabili, ſibique ſimpliciter neceſſario. Secundo; ideò amor non tollit potentiam ad odium, quia licet impedimentum ſit; eſt tamen ab homine vitabile; ergo homo inevitabiliter impeditus impotens eſt ad actum impeditum. Tertio; per aliquod impedimentum tolli poteſt libertas: ſed non per aliud, niſi per illud, quod eſt inevitabile; ergo per tale impedimentum aufertur.

48 Confirmatur; vt impeditus ad non agendum poſsit non agere, neceſſarium eſt, quod poſsit tollere impedimentum, vel cum illo coniungere carentiam operis, vt fatentur Thomiſtæ; ergo voluntas ſic prædefinita non poteſt non agere. Maior probatur; qui ſtante odio potens eſt amare, vel poteſt tollere odium, vel cum illo componere amorem, ligatus potens deambulare, vel poteſt tollere vincula, vel cum illis componere deambulationem; ergo qui ſtante prædefinitione poteſt amare, vel poteſt illam tollere, vel cum illa coniungere carentiam amoris.

49 Confirmatur ſecundo; ſi amor eſſet inevitabilis, tolleret potentiam ad odium oppoſitum, & carentia odij eſſet neceſſaria; ergo prædefinitio inevitabilis tollit potentiam non agendi. Conſequentia probatur; quia prædefinitio actus non eſt minus incompoſsibilis cum carentia agendi, quam amor cum odio. Antecedens verò probatur; quia tota libertas excludendi odium cum amamus conſiſtit in elicientia amoris: nec alia eſt libertas in omiſsione odij; ergo ſi in amore non eſſet libertas, ſed eſſet actus neceſſarius, & inevitabiliter ineſſet, tolleret potentiam ad odium.

50 Confirmatur tertio: voluntas prædefinita non poteſt ad omiſsionem coniungendam cum prædefinitione actus, nec poteſt ad omiſsionem vt dividendam; præ-

à prædefinitione ; ergo nullã habet potẽtiã ad omiſsionem. Conſequentia conſtat; nam omiſsio actus nequit eſſe, niſi vel coniuncta cum prædefinitione actus, vel ab illa diviſa; ergo ſi non habet potentiam ad omiſsionẽ coniungendam, neque dividendam à prædefinitione, nullam habet potentiam ad illam. Antecedens verò probatur: & quoad primam partem eſt certum; nam coniungi actum cũ omiſsione eſt ex terminis implicatorium iuxta Thomiſtas; ergo in homine nequit eſſe potentia ad huiuſmodi coniũctionem. Quoad ſecundam probatur; qui nõ poteſt auferre prædefinitionem, non eſt potens ad omiſsionem dividendam ab illa: ſed homo non poteſt auferre prædefinitionem; ergo non eſt potens ad omiſsionem dividendam à prædefinitione.

51 Reſpondetur quod ſi, vt aſſerit argumentum, impedimentum ad aliquod exercitium nihil eſt aliud quam aliquid cũ tali exercitio incompoſsibile, prædefinitio actus impedimentum eſt ad actus omiſsionem, cum ſit incompoſsibilis cum illa; & quidem à nobis inevitabile, cum prædefinitionis exiſtentia in noſtra poteſtate non ſit: non tamen omne impedimentum ad omiſsionem, etiam à nobis inevitabile reddit antecedenter impoſsibilem omiſsionem; ſed taliter impedit, vt relinquat potentiam antecedentem ad illam: ſic ergo, & non aliter prædefinitio actus impedit omiſsionem illius. Ratio autem quare prædefinitio potẽtiam antecedentem ad omiſsionem relinquat, ea eſt: quia cum prædefinitio præſupponat iudicium indifferens, & voluntatem indifferentem ad actum liberum, & eius omiſsionem; per prædefinitionẽ actus Deus vult, & facit voluntatem reduci ad vnum ex extremis ſuæ indifferentiæ, nimirùm ad actum: ſic autem reduci ad exercitium quamvis incompoſsibile ſit cum oppoſito extremo libertatis, atqueadeò ſit impedimentum ad illud; relinquit tamen potentiã antecedentem; omnis enim potentia, & actus primus per reductionem ad actum perficitur: & ſicut voluntas ſeipſam reducendo ad actum, indifferentiam libertatis non deſtruit, nec potentiam ad omiſsionem illius; pariter Deus ſuo decreto illam reducendo ad actum, quamvis impediat omiſsionem, non deſtruit, ſed perficit potentiã; magis enim habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quam ipſi ſuas.

52 Vel aliter hoc ipſum magis explicatur, advertendo, ex modo dictis, quod voluntas indifferens ad actũ, & illius omiſsionem eſt potens ad eligendum extremũ, quod maluerit: hæc tamen potentia non eſt prima, ſed ſecunda, & Deo ſubordinata; vndè Deo ſubordinari in ſe determinando ad actum, licèt impediat omiſsionem, potẽtiam ad illam non deſtruit; potentia enim Deo ſubordinata ad actum reduci non poteſt ſine hac ſubordinatione: cumq; per reductionem non deſtruatur; nec per ſubordinationem: ſubordinatio autem non ſtat abſq; decreto efficaci, vt ſuprà vidimus, quo deficiente potiùs creatura ſibi ſubordinat Deum, quam è contra: hæc ergo ſubordinatio medio decreto quamvis non componatur cum omiſsione; relinquit tamen potentiam ad illum. Quod vlterius declaratur ex doctrina tradita: nam actus liber duos dominos recognoſcit: ſicut ergo actũ exiſtere ex determinatione creaturę, quæ eſt illius domina, quamvis impediat omiſsionem, potentiam ad illam non deſtruit; ita neque exiſtere ex determinatione Dei, quę eſt eius præcipuus Dominus.

53 Quo ſuppoſito ad argumentum in forma reſpondetur negando antecedens; ad probationem reſponderur primo, diſtinguendo maiorem, voluntas prædefinita eſt impedita inevitabiliter ad non agendum per hoc, quod Deus illam reducat ad oppoſitum extremum, nimirùm libere agendũ, illamque ſibi in libere agendo ſubordinet; admitto maiorem: alterius generis impedimento, nego maiorem, & minorem: ad cuius probationem diſtinguenda eſt maior eodem modo; qui enim eſt impeditus inevitabiliter ad vnum extremum, omiſsionis; v. g. per hoc, quod reducatur ad alterũ, ſcilicet ad agendum, ab illo, a quo debet habere determinationem ad tale extremũ, & ſine cuius libero influxu nunquam ſe determinabit ad illud, non amittit potentiam ad oppoſitam omiſsionem, licèt ex illa ſuppoſitione ſit infallibile, quod non omittet: & quia voluntas, vt ſe determinet ad agendum, indiget, quod Deus velit, & faciat ipſam ſe determinare, cum Deus omnia operetur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, quod ſine decreto non ſtat; ideò impedimentum decreti quamvis inevitabile potentiam ad omiſsionem non tollit.

54 Ad cuius primam impugnationem negandum eſt aſſumptum: homo enim ligatus inevitabiliter non ideò non poteſt deambulare, quia habet impedimẽtũ inevitabile ad deambulandum; ſed quia ta-

le impedimentum non ſolùm excludit deambulationem, ſed potẽtiam ad illam. Cuius ratio eſt; quia per ligamen non reducitur potentia indifferens ad liberam omiſſionem deambulationis; hoc enim ſolum fit à voluntate volente non deambulare, & à Deo faciente, quod ad non deambulandũ ſe determinet. Quod vt explicetur, advertẽdum eſt, carentiam exteriorem deambulationis non eſſe liberam ratione ſui; cum reſideat in potentia exteriori, quæ libera non eſt: ſolum ergo poteſt eſſe libera ab actu interiori volũtatis, à quo volũtaria, & libera denominatur, ſi ab illo procedat. Deindè oportet notare, quod ex eo quod quis ſit ligatus catenis, ſolum infertur exterior carentia deambulationis; non verò carentia libera: & ratio eſt; quia non infert carentiam deambulationis ligatio catenarum per hoc, quod inferat voluntatem non deambulandi, à qua ſolum hæc carentia poteſt eſſe voluntaria, & libera; ſed per hoc quod impediat exteriorem deambulationem. Deindè advertendum eſt, quod in tantum homo eſſet liber ad actum exteriorem, in quantum eius voluntati ſubditur exterior potentia quantũ ad actum, & eius carentiã.

55 Ex quibus deducitur primo, carentiam deambulationis in homine ligato non eſſe liberam; quia non oritur à voluntate medio ſuo actu, ſed ex impedimento potentiæ exterioris. Secundo deducitur, hominem ligatum non habere potentiam liberam ad deambulandum; quia ratione ligaminis iam potentia exterior eius voluntati non ſubditur. Ex quibus conſtat diſcrimen inter hominem ligatum, & prædeterminatum: ideó enim homini ligato non eſt libera carentia deambulationis; quia impedimentum illud infert talem carentiam in potentia exteriori, quæ proùt ſic non eſt libera, ſed neceſſaria. Inſuper medio ligamine potentia exterior non ſubditur voluntati; cuius oppoſitum neceſſarium erat, vt eſſet potens ad deambulandum: oppoſitum verò contingit in homine prædeterminato; decreto enim Deus facit voluntatem libere ſe determinare; atque adeò infert actum, & libertatem illius. Inſuper non tollit, quod talis actus voluntati ſubdatur; cum faciat voluntatem ad illum ſe libere determinare.

56 Ad ſecundam diſtinguo antecedens, *ly quia* dicente cauſam ſufficientem, admitto antecedens: cauſam neceſſariam, nego antecedens, & conſequentiã: Ad tertiam, quam vocant à priori, admiſſa maiori, diſtinguo minorem; non per aliud niſi per illud, quod eſt inevitabile, ſi præciſè inevitabile ſit, concedo minorem: ſi inevitabile ſit, & inſuper ſit reductio potentiæ indifferentis ad vnum extremum libertatis, nego minorem, & conſequentiam.

57 Vel ſecundo reſpõderi poteſt ad probationem primi antecedentis argumenti principalis, negando maiorẽ; decreto enim actus non impeditur voluntas, ſeù potentia ad omiſsionem; quippè non impeditur potentia ad vnum extremum per hoc, quod determinetur, & reducatur ad alterũ, licèt per talem determinationem alterum extremum excludatur: ſic enim determinare nõ eſt potentiam ligare, ſed eius ſuſpenſionem ſolvi, & indifferentiam libertatis perfici per reductionẽ ad actũ ſecundũ; impediri autẽ potentiã idẽ videtur ſignificare, atq; ligari.

58 Ad 1. cõfirmationẽ neganda eſt maior iuxta modo dicta: prædefinitio enim nõ impedit volũtatẽ, licèt excludat omiſsionẽ. Uel ſecundo diſtinguatur maior; ſi potentia ſit prima nulli ſubordinata, cõcedo maiorẽ: ſi ſecunda primæ ſubdita, ſubdiſtinguo illã, ſi impedimentũ ad non agendũ ſit id, quo in libere agendo Deo ſubordinatur, nego maiorem: ſi aliud ſit impedimentũ, tranſeat maior: & diſtincta minori eodẽ modo, neganda eſt cõſequentia. Itaque potentia nulli ſubdita, cum actum, ſeù effectum perfectiſsimè contineat, omnia requiſita ad illius poſitionem debet habere in ſua poteſtate; eſtq; neceſſarium, quod poſsit auferre omnia impedimenta, & omnia requiſita ponere: cum ergo potentia, ſeù voluntas creata ſit tantũ potentia ſui ordinis, & Deo ſubordinata, neceſſariũ non eſt continere omnia prærequiſita, neque omnia poſſe auferre impedimenta: Deus enim vt docet Tridentinũ Seſſ. 6. cap. 11. *Impoſsibilia nov iubet, ſed iubendo monet, & facere, quod poſsis, & petere quod non poſsis*: quando ergo voluntas creata iubetur actum elicere, aliquid poteſt, nimirùm actum; & aliquid in eius poteſtate non eſt, ſcilicèt decretũ; quapropter indiget oratione ad adimplenda præcepta: & ratio eſt ſæpè dicta; quia debet Deo ſubordinari in ſe determinando ad actum, quem voluntas potens illum elicere à Deo accipit: id verò, quo Deus illam ſibi ſubordinat, non poteſt ſubijci cauſæ ſecundæ; aliàs hæc ſibi Deum ſubijceret, & non è contra: cum ergo decretum ſit, quo Deus ſibi ſubijcit voluntatem, non debet,

nec

nec potest esse in potestate creaturæ, neque extremum libertatis illius, quin per hoc amittat potentiam sui ordinis ad oppositũ extremum; hoc enim decreto, & subordinatione facit Deus, vt se libere ad operandum determiner.

Contra quod non obstat maioris probatio: odiũ enim cum amore incompossibile non est quo Deus sibi subordinat voluntatem creatam, sed extremum libertatis; atq; adeò vt homo odio habens sit potens ad amorem, debet habere odium in sua potestate: prædefinitio verò incompossibilis cum amore est id, quo Deus facit hominem libere elicere odium.

59 Ad secundam confirmationẽ concesso antecedenti, neganda est consequentia: amor enim non potest esse necessarius, si in homine sit potentia ad odium: per hoc enim quod egrediatur á voluntate potente ad odium, amor evadit liber, & vitabilis; atqueadeò amore existente necessario, implicat potentia ad odiũ: stante autem prædefinitione ad odium non libera homini, stat potentia ad amorẽ; quia prędefinitio nõ est extremum libertatis; sed id, quo Deus facit voluntatem se libere ad odiũ determinare.

60 Ad tertiam concesso antecedenti pro prima parte, distinguatur pro secunda, non habet potentiam ad omissionem dividendam à prædefinitione, quantum ad id, quod in recto dicit omissio dividenda, nego antecedens: quantum ad id, quod dicit in recto, & in obliquo, concedo antecedẽs, & nego consequentiam: omissio ergo dividenda à prædefinitione duo dicit, & carentiam actus, & carentiam prædefinitionis: ad primum manet potentia; ad secundum non manet. Et argumentum instatur ex dictis: homo enim cum auxilio sufficienti ad actũ prævisus illũ eliciturus medio illo auxilio est impeditus impedimento inevitabili ad omissionẽ; & tamẽ manet potentia ad illã.

61 Secundo arguitur, & instatur contra dicta: implicat potentia ad omissionẽ, quin sit potentia ad non esse prædefinitionis; ergo si fatemur non esse potentiam ad non esse prædefinitionis, neque est potentia ad omissionem. Antecedens probatur primo; qui non potest facere, quod hic, & nunc non sit impossibilis omissio, non est potens ad ponendam omissionem: sed qui non potest auferre prædefinitionem actus, nequit facere quod hic & nunc non sit impossibilis omissio, quæ per prædefinitionẽ redditur impossibilis; ergo qui non potest ad non esse prædefinitionis, non est potens ad omissionẽ. Secundo probatur antecedẽs: non est potens ad omissionem actus, qui nõ potest facere vt non sit futurus; sed qui non potest auferre prædefinitionem, non potest facere vt actus non sit, aut fuerit futurus; cum prędefinitione constituatur futurus; ergo qui non potest illam auferre, nõ est potens ad omissionẽ, seù non esse actus. Tertio probatur idẽ antecedẽs: qui potest destruere terminum, cum quo essentialiter cõnectitur prædefinitio, potest ipsam prædefinitionem destruere: sicut si quis posset tollere possibilitatem creaturarum; posset omnipotentiam destruere: & qui potest auferre filiationem creatam, potest destruere paternitatem; quia possibilitas creaturarum est terminus, cum quo essentialiter connectitur Omnipotentia; & similiter filiatio est terminus essentialiter requisitus ad existentiam paternitatis: sed qui potest ad omissionem, potest ad non esse actus, qui est terminus essentialis prędefinitionis; ergo potens est ad non esse prædefinitionis.

62 Nec sufficit respondere, potentiam ad omissionem, seù ad non esse actus prædefiniti, qui est terminus essentialis connexionis prædefinitionis, esse potentiam secũdam, non primam; maiorem autem assumptam esse veram de potentia prima, & ordinis increati. Non, inquam, sufficit: contra enim est; quod qui potest destruere filiationem interficiendo filium; v. g. potentia ordinis creati, potest destruere paternitatem potentia eiusdem ordinis: similiter qui posset destruere possibilitatem creaturarum, posset destruere eãdem potentia Omnipotentiam; ergo eãdem potentia, qua quis est potens destruere terminum essentialis connexionis, potest, & ipsam essentialem connexionem destruere; & consequenter eandem potentiam, quam admittimus in homine ad non esse actus, debemus admittere ad non esse prędefinitionis.

63 Confirmatur: qui non potest falsificare aliquam ex premissis, impotens est ad falsificandam cõclusionem ex præmissis legitimẽ deductam; sed homo impotens ad non esse prædefinitionis impotens est falsificare aliquam ex his præmissis: *Omnis homo prædefinitus ad operandum operatur; sed Petrus est prædefinitus*: prima enim est veritatis necessariæ: secunda falsificari non potest nisi per non esse prędefinitionis, quod in hominis potestate nõ est; ergo nõ potest cõclusionẽ hãc: *Petrus operatur*, legitimè ex

illis deductam falsificare : at illam falsificare est omittere operationem ; ergo non potest omittere. Maior videtur certa : primo : quia non stat falsitas conclusionis absque falsitate alicuius ex præmissis; ergo non stat potentia ad falsificandam conclusionem sine potentia ad falsificandam aliquam ex præmissis. Secundo : conclusio legitimè illata realiter identificatur cum præmissis;atqueadeò quidquid realiter opponitur conclusioni, realiter opponitur cũ præmissis; ergo non stat potentia ad ponendum aliquid realiter oppositum conclusioni, & illius destructivum, quin sit potentia ad destruendum aliquam ex præmissis.

64 Tertio : si præmissæ essent absolutè ex terminis necessariæ, non posset non esse absolutè ex terminis necessaria conclusio ; ergo si præmissæ mihi sunt necessariæ, mihi etiam erit necessaria conclusio : & consequenter cum mihi necessaria non sit; necessarium erit, quod aliqua ex præmissis mihi necessaria non sit. Quarto, & est explicatio præcedentis : si prædefinitio esset simpliciter necessaria non solùm mihi, sed Deo, etiam operatio esset simpliciter necessaria Deo,& mihi; ergo si mihi est necessaria prædefinitio, erit mihi necessaria operatio; atqueadeò vel in me non est potentia ad non esse operationis, vel etiam debet esse ad non esse prædefinitionis. Quinto; quia præmissæ istæ: *Omnis homo est albus, quod movetur est homo*, sunt absolutè contingentes, & non mihi ; conclusio hęc, *quod movetur est album*, legitimè ex illis deducta est contingens absolutè, non tamen mihi ; ergo vt mihi sit contingens conclusio, debet etiam esse contingens,& libera mihi aliqua ex præmissis.

65 Respondetur negando antecedens : Ad primam probationem distinguo maiorem, qui non potest facere vt hic, & nunc non sit impossibilis omissio impossibilitate formaliter desumpta à determinatione voluntatis divinæ decernentis existentiam actus, nego maiorem : impossibilitate desumpta ex ipsa determinatione voluntatis creatæ elicientis actum, concedo maiorem, & distinguo minorem eodem modo, impossibilitate desumpta ex determinatione divina, concedo minorem : desumpta ex determinatione creaturę, nego minorem, & consequentiam. Itaque duplex determinatio requiritur ad existentiam actus, Dei,& creaturæ : & cum vtraque sit incompossibilis cum omissione, vtraque reddit illam impossibilem, non antecedenter, sed ex suppositione; dicimus ergo, quod, vt voluntas creata possit ad omissionem potentia sui ordinis, necessarium non est posse auferre determinationem Dei, seù prædefinitionem, qua redditur impossibilis omissio ; sed sufficit, quod possit omittere potentia reducenda ad exercitium media carentia prædefinitionis à solo Deo ponenda : & ratio est sæpè dicta; quia cum potentia in homine ad omittendum sit limitata,& ordinis creati, est indigens alio,& non est necessarium, quod in sua potestate habeat omnia requisita ad omittendum : indiget ergo ad hoc vt reducatur ad actum, seù ad exercitium omittendi aliquo à solo Deo ponendo, medio quo ipsi in omittendo subordinetur ; quod est non esse prædefinitionis ; atqueadeò vt possit omittere, sufficit, quod Deus possit carentiam prædefinitionis ponere.

66 Quod clariùs conspicitur in potentia ad actum : nisi enim sit prædefinitio, est impossibilis actus ex illa suppositione : manet tamen in homine potentia ad illum ; eo quod cum potentia hominis ad operandum sit limitata, vt sit vera potentia non requiritur,quod contineat omnia prærequisita ad actum,& quod possit auferre impossibilitatem actus ex carentia prædefinitionis desumptam ; sed sufficit, quod possit ponere actum potentia reducenda ad exercitium cum subordinatione ad Deum media prædefinitione ab ipso Deo ponenda. Idem dicendum est de potentia ad omittendum existente prædefinitione actus, nimirùm salvari, etiamsi non possit auferre impossibilitatem ex prædefinitione desumptam; eo quod est potentia reducenda ad omissionem media carentia prædefinitionis solum & libere à Deo ponenda : aliás, vt sæpè diximus, potentia ad libere omittendum,& ad libere eliciendum actum non esset potentia indigens alio, neque Deo subordinata ; sed potius illum sibi subijciens.

67 Ad secundam probationem distinguo maiorem, qui non potest facere, nè sit futurus actus, non potest ad non esse illius,potentia independenti, & Deum sibi subordinante, concedo maiorem : potentia dependenti,& Deo subordinata, nego maiorem : & concessa minori, neganda est consequentia. Prædefinitio ergo, quę reddit impossibilem omissionem in sensu expli-

plicato, constituit actum infallibiliter utrum : at vt in homine sit potentia ad non esse actus, sicut non requiritur posse auferre impossibilitatem omissionis à prædefinitione desumptam, ita neque actus futuritionem, quæ ab eadem prædefinitione desumitur ; hoc enim esset posse ad omissionem actus potentia sibi subordinante Deum, quæ neque necessaria est ad salvandam potentiam secundam, neque alicui creaturæ concedenda.

68 Qua etiam ratione solvitur aliud argumentum, quod sic solet proponi : Potens ad omissionem, potens est ad illam vt existentem non repugnanter : sed ipsa vt non repugnanter existens, dicit carentiam prædefinitionis ; hæc enim est necessaria vt non repugnanter existat ; ergo potest ad carentiam prædefinitionis. Ad quod distinguenda est duplex non repugnantia : alia intrinseca identificata cum ipsa omissione, quæ est eius intrinseca possibilitas : alia non repugnantia extrinseca, quæ est carentia prædefinitionis necessaria ad omissionem ; sicut ipsa prædefinitio est eius extrinseca impossibilitas in sensu supra explicato. Iuxta quod distinguatur maior : ad ipsam vt existentem sine non repugnantia intrinseca secum identificata, concedo maiorem : non repugnantia extrinseca desumpta à carentia prædefinitionis, nego maiorem : & distincta minori eodem modo, neganda est consequentia : vt enim sit potentia ad omissionem, sufficit vt sit potentia ad non repugnantiam intrinsecam ; non verò ad extrinsecam : sicut vt sit potentia ad actum, sufficit potentia ad prædicata essentialia intrinseca identificata cum actu ; non verò ad extrinseca, qualis est prædefinitio.

69 Ad 3. probationem principalem distinguenda est maior ; si posset auferre terminum, cum quo essentialiter prædefinitio connectitur, potentia independenti, concedo maiorem : potentia ordinis creati, nego maiorem : & concessa, vel distincta minori eodem modo, nego consequentiã. Ad probationem respondetur, quod qui potest interficere filium potentia ordinis creati, potest potentia eiusdem ordinis, paternitatem destruere ; quia talis potentia non subordinatur Deo in interficiendo filium media ablatione paternitatis præcisè à Deo ponenda ; sed medio decreto, & prædeterminatione ; atqueadeò eadem potentia, qua potest filium destruere, potest paternitatem auferre : potentia verò in homine ad omittendum debet Deo subordinari in omittendo media carentia prædefinitionis à solo Deo ponenda, nè concedamus in homine potentiam ad omittendũ sibi subordinantem Deum ; atqueadeò etiamsi possit ad omissionem ; non tamen ad carentiam prædefinitionis. Et similiter dicimus, quod si ille, qui posset destruere possibilitatem creaturarum, haberet potentiam reducendam ad actum media carentia Omnipotentiæ ab alio prævie ponẽda, non posset Omnipotentiam destruere ; quia exercitium talis potentiæ supponeret destructam Omnipotentiam : secus verò si posset destruere possibilitatem creaturarum potentia talis naturæ, quæ reduceretur ad actum, quia præcederet carentia Omnipotentiæ.

70 Et argumentum eandem habet vim sic propositum : qui potest ponere formam cum alia connexam, potest ponere terminum connexionis : quapropter, qui posset ponere paternitatem, posset ponere filiationem, & qui in sua potestate haberet ponere Omnipotentiam, posset ponere possibilitatem creaturarum : sed homo medio auxilio sufficienti potest ponere actum essentialiter connexum cum prædefinitione ; ergo potest ponere prædefinitionem. Ad quod respondendum est eodem modo, quod quoties potentia ad ponendam formam cum alia connexam non potest reduci ad actum positionis formæ, quin prævie præsupponatur terminus illius ab alio positus, non est potens ad terminum connexionis ; & quia potentia hominis ad eliciendum actum nunquam reducitur ad exercitium, nisi previe sit posita prædefinitio à Deo ; potens ponere actum, non ob hoc est potens ponere prædefinitionem : & ratio est manifesta ; quia quoties exercitium alicuius potentiæ essentialiter supponit positam, vel destructam aliquam formam, licet tale exercitium sit connexum, vel incompossibile cum illa, non potest illam ponere, vel destruere.

71 Ad confirmationem nego maiorem vniversaliter sumptam, vel illam distinguo iuxta dicta, si potentia ad falsificandam conclusionem, vt reducatur ad actum, presupponat essentialiter falsificatam ab alio aliquam ex præmissis, nego maiorem ; si hoc non præsupponat, admitto maiorem : & concessa minori, nego cõsequentiam : vel illam distinguo, non po-

teſt falſificare concluſionem potentia independenti ab alio, concedo conſequentiam: potentia in ſui exercitio Deo vt primo domino ſubiecta, nego conſequentiam. Quæ doctrina conſtat ex dictis: potentia enim hominis ad falſificandam concluſionem Deo indiget ad illam falſificandam, nè illum ſibi ſubordinet in operando, ſed illi in exercitio omittendi operationem ſubijciatur: quod fieri debet per hoc, quod Deus non velit eſſe actum, ſeù velit non eſſe volitione antecedenti, & prævia ad determinationem voluntatis, vt Deo ſubiecta, ſeù ſubordinata omittat.

72 Quod argumentum eandem habet vim ſic propoſitum: qui poteſt facere, vt præmiſſæ ſint veræ, poteſt facere vt concluſio ex illis legitimè deducta vera ſit: ſed homo poteſt facere præmiſſas has eſſe veras: *Quoties exiſtit actus, datur prædefinitio illius, & exiſtit actus*; cum prima ſit æternę veritatis, & ſecundam verificare in hominis ſit poteſtate medio auxilio ſufficienti; & conſequenter abſolutè in eius eſt poteſtate, quod vtraque præmiſſa ſit vera; ergo poteſt verificare concluſionem legitimè deductam, nimirùm *Prædefinitio exiſtit*: ſed hanc verificare non poteſt; ergo nec poteſt facere, quod vtraque prę̀miſſa ſit vera: atque adeò, vel maior non eſt veritatis neceſſariæ, vel minor in eius poteſtate non eſt. Ad quod eodem modo eſt dicendum, quod ſi potentia ad faciendum, quod vtraque præmiſſa ſit vera, dependeat in ſui exercitio à veritate concluſionis ab alio ponenda, etiamſi poſsit facere, quod vtraque præmiſſa ſit vera verificando minorem, non ideò in eius eſt poteſtate veritas concluſionis: & quia potentia ad verificandam minorem, nimirùm actum exiſtere, in ſui exercitio dependet à veritate concluſionis, ſcilicèt, *exiſtit prædefinitio* à Deo ſolum ponenda; ideò etiamſi homo poſsit facere, quod vtraque præmiſſa ſit vera per hoc, quod maiori exiſtenti neceſſaria poteſt verificare minorem, non tamen eſt potens ad verificandam concluſionem.

73 Per quod conſtat ad primam probationem maioris; ad quam conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, ſi potentia ad falſificandam concluſionem eſſentialiter in ſui exercitio ſupponit falſificatam aliquam ex prę̀miſsis: quod in præſenti contingere iam vidimus. Ad ſecundam dicatur, quod quidquid veritati concluſionis opponitur, opponitur etiam veritati alicuius ex prę̀miſsis, illamque in exercitio excludit, ſi quod opponitur concluſioni ſit independens ab alio prævię falſificante prę̀miſſas: ſecus verò ſi ſit dependens. Itaque potentia ad oppoſitum concluſionis, quę eſt in voluntate, eſt dependens in ſui exercitio à Deo: vndè ipſa omiſsio operationis, quæ eſt oppoſitum concluſionis, dependet à falſitate minoris, nempè à carentia prædefinitionis; ita vt omninò repugnet omiſsionis exercitium non ſupponere carentiam prædefinitionis. Licèt ergo ſalvetur potentia ad oppoſitum concluſionis eius veritatem excludens; non tamen ſalvatur potentia ad oppoſitum prę̀miſſarum potens in exercitio illarum veritatem excludere; alàs ſalvaretur potentia ad carentiam prædefinitionis, quæ, vtpotè Deum ſibi ſubordinans, creaturæ omninò repugnat.

74 Sed non videtur ſufficienter ſatisfactum: Nam identitas extremitatum inter ſe, in qua conſiſtit veritas concluſionis ſyllogiſmi affirmativi, idem eſt ac identitas extremitatum cum medio, in qua veritas præmiſſarum conſiſtit: idem enim eſt aliqua identificari cum tertio, ac identificari inter ſe; ergo qui in ſua poteſtate non habet extremitates non identificari cum medio, non poteſt in ſua habere poteſtate extremitates non identificari inter ſe, & conſequenter neque falſitatem concluſionis.

75 Reſpondetur diſtinguendo antecedens: idem eſt identitate mutua, nego antecedens: non mutua, ſubdiſtinguo, idem eſt ita vt veritas concluſionis nihil dicat nō clauſum virtualiter, & illativè in præmiſſis, concedo antecedens: ita vt veritas concluſionis nihil dicat formaliter exercite ſupra veritatem præmiſſarum, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque extremitates identificari cum medio, & identificari inter ſe non eſt omninò idem, & identitate mutua; vt patet in hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo currit, album eſt homo; ergo album currit*: in quo ſtat veritas concluſionis abſque veritate prę̀miſſarum; ſi enim Petrus ſolum inter homines ſit albus, poteſt facere, vt identificentur extremitates inter ſe, & verificare concluſionem currendo; non tamen aliquam ex præmiſsis: & ratio eſt; quia præmiſſæ licèt contineant concluſionem; plus tamen continent, quam concluſio: neque ſunt omninò idem, ita vt veritas concluſionis non dicat formaliter aliquid

quid ſolum virtualiter, & illative clauſum in præmiſsis; vt patet in ſyllogiſmo argumenti: *Omnis homo prædefinitus ad operandum operatur*; *Petrus eſt prædefinitus ad operandum; ergo operatur*; in quo operatio Petri exercite ſumpta, qualiter in concluſione importatur, non importatur formaliter in præmiſsis, ſed ſolum virtualiter, & illative; nam maior verificatur nulla exiſtente operatione, & minor pro priori ad operationem exercite ſumptam: ex quo deducitur, quod veritas concluſionis addit aliquid formaliter ad veritatem præmiſſarum. Ex quo vlterius deducitur, operationem exercite ſumptam ſolum virtualiter clauſam in præmiſsis poſſe eſſe in hominis poteſtate, & illam non ponere, quin poſsit falſificare aliquam ex præmiſsis: & ratio eſt; nam continentia virtualis operationis in præmiſsis, licèt inferat operationem, illam infert vt ab homine libere eliciendam, & tanquàm id, quo Deus, à quo cuncta procedunt, facit hominem libere operari: quod potentiam ad non operandum non deſtruit, quamvis in poteſtate voluntatis non ſit.

76 Sed dices: licèt poſsit quis falſificare concluſionem, quin poſsit falſificare præmiſſas; ille tamen, qui poteſt vtramque præmiſſam verificare, poteſt etiam verificare concluſionem; quemadmodum qui poteſt ponere cauſam infallibiliter connexam cum effectu, eſt potens ponere effectum: at hoc ſupra negavimus; ergo. Reſpondetur diſtinguendo maiorem, ſi præmiſſæ inferant concluſionem à priori, & per modum cauſæ, admitto maiorem: ſi à poſteriori, & per modum effectus, nego maiorem: & ratio eſt; nam qui continet cauſam, continet effectum, non tamen è contra; quapropter Deus potens verificare præmiſſas ſyllogiſmi poſiti, poteſt etiam verificare concluſionem; homo verò potens facere, quod vtraque hæc præmiſſa ſit vera: *Quoties exiſtit actus, exiſtit prædefinitio*; *at exiſtit actus*, non poteſt concluſionem hanc verificare, *Prædefinitio exiſtit*, quia ex præmiſsis concluſio ſolum à poſteriori infertur.

77 Ad tertiam conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia: & ratio eſt; quia ſi præmiſſæ eſſent ex terminis neceſſariæ, concluſio verò abſolutè contingens, poſſet dari antecedens verum, & cõſequens falſum: quod in bona conſequentia impoſsibile eſt; ac proindè ſi præmiſſæ ex terminis ſunt neceſſariæ, etiam ex terminis debet eſſe neceſſaria concluſio: cæterùm ex eo, quod præmiſſæ ſint mihi neceſſariæ, ſi abſolutè ſint contingentes, & ſint id, quo Deus nobis confert actum liberum, etiamſi concluſio mihi libera ſit, prædictum inconveniens non infertur; quia falſitas concluſionis ſupponit iam falſitatem alicuius ex præmiſsis.

78 Sed dices iterùm: ſequitur ex hac ſolutione, quod ſi prædeterminatio nõ ſolum nobis, ſed etiam Deo neceſſaria eſſet, operatio creata non eſſet libera: conſequens eſt falſum; ergo, & ſolutio. Sequela videtur ipſa ſolutionis doctrina: Minor verò probatur primo; quia eſt communis ſententia Thomiſtarum hac 1. p. q. 19. art. 6. quod ſi Deus operaretur ex neceſsitate naturæ adhúc maneret illæſa creata libertas: videturque doceri à D. Thoma; ibi enim reducit actum, & illius libertatem ad efficaciam voluntatis divinæ, ita vt quia ſummè efficax eſt, fiat actus, & eo modo quo vult fieri; ergo etiam deficiente in Deo libertate, ſi vellet actum fieri libere, evaderet liber. Secundo; ideò defacto prædeterminatio libertatem non tollit, ſed cauſat, quia illa Deus facit, quod voluntas operetur, & quod libere operetur: ſed etiamſi illam conferret ſine libertate, media illa idem faceret; cum ſupponatur eãdem; ergo. Tertio; prædeſtinatio eundem effectum præſtaret voluntati neceſſario producta à Deo, ac modo libere producta; ergo in illo caſu determinaret voluntatem ad actum liberum. Antecedens probatur; forma albedo; v.g. eundem præſtaret effectum conſtituendo album etiamſi neceſſario ſit producta: hæc enim diſtinctio ſe tenet ex parte efficientis, & effectum formalem non variat; ergo ſimiliter prædeterminatio.

79 Reſpondetur; dupliciter poſſe fingi Deum operari ex neceſsitate naturæ: vel ita vt eius operatio ad extra ſit ex terminis neceſſaria illata infallibiliter ex exiſtentia Dei; vel ita vt licèt concurſus divinus, ſeú prædeterminatio non ſit libera Deo; ſit tamen abſolutè contingens: quamvis enim implicet, aliquod contingens exiſtere, & non ex libera determinatione alicuius; fingi tamen poteſt hoc impoſsibile: ſicut defacto Authores Scientiæ Mediæ illam contingentem aſſerunt, non tamen exiſtentem ex alicuius libera determinatione, quæ defacto detur: & in vtroque caſu ſupponendum eſt Deum præſtare eũ-

dem

dem concursum, ac modo præstat, velleque eundem effectum, actum, scilicèt, & eius libertatem. Dicendum ergo in primo casu vtrumque contingere, scilicèt deficere libertatem creatam, & illam manere. Primũ probatur sic: in illa hypothesi non esset in homine potentia ad omissionem actus; ergo non esset liber in eliciendo actum. Antecedens probatur; omissio actus esset impossibilis ex terminis; ergo in homine non esset potentia ad illam: implicat enim potentia ad aliquid ex terminis impossibile. Antecedens verò probatur; id, quod cõnectitur essentialiter cum aliquo ex terminis impossibili est impossibile ex terminis: sed omissio actus connectitur essentialiter cum carentia physicæ prædeterminationis, quæ tunc esset ex terminis impossibilis; cum esset ex terminis necessaria physica prædeterminatio; ergo omissio actus esset ex terminis impossibilis.

Quod verò tunc maneret libertas, convincunt probationes factæ: nec mirum, quod ex impossibili contradictoria inferantur, scilicèt Deum prædeterminare ad actum liberum, illumque inferre, & simul reddere impossibilem ex terminis omissionem actus, quod sine actus necessitate stare nequit. Si verò casus secundo modo fingatur, potest defendi manere libertatem, & non destrui: eo quod libertatem sicut modo inferret prædeterminatio, & alias nullum haberet prædicatum libertati oppositum; cum non redderet omissionem ex terminis impossibilem, sed solum ex suppositione contingenti.

80 Tertio arguitur; & ponamus Petrum esse prædeterminatum ad fidem, & consequenter credere: in quo casu probandum est non posse non credere; atqueadeò nõ esse liberum in credendo. Assumptum probatur sic: Petrus in hoc casu non potest facere, quod actus fidei non dependeat à physica prædeterminatione; ergo nõ potest facere, quod non sit. Consequentia videtur bona: esse enim actum idem est, atque à physica prædeterminatione dependere; hęc enim dependentia est illi prędicatum essentiale; atqueadeò, qui non potest facere, quod à physica prædeterminatione non dependeat, non potest facere, quod non sit. Antecedens autem probatur; actum non dependere à physica prædeterminatione, solum potest fieri, vel per hoc, quod non sit physica prædeterminatio, vel per hoc, quod illa posita ab illa non dependeat actus: sed Petrus non potest facere, quod non existat physica prædeterminatio, neque quod illa existente actus ab illa non dependeat; ergo verum est antecedens. Consequentia est bona: Maior certa: Minor pro prima parte à nobis asseritur: pro secunda verò videtur evidens; nam cum physica prędeterminatio essentialiter connectatur cum actu à se producto, implicat quod sit, & quod ab illa actus non dependeat.

81 Confirmatur; Petrus non potest facere, quod non existat complexum ex physica prædeterminatione, & actu; ergo non potest facere, quod non sit actus. Consequentia videtur evidens; qui enim est potens facere, vt aliqua pars complexi non sit, potest facere, quod totum ex illa constans non sit; quapropter qui posset facere, quod non esset anima, posset facere, quod non esset homo: & ratio à priori est; quia potens facere nè sit prędicatum essentiale alicuius rei, potest facere nè sit talis res: sed pars complexi est prædicatum essentiale illius; ergo potens facere, vt aliqua pars cõplexi non sit, potest facere, vt complexum non sit; atqueadeò impotens ad non esse complexi, impotens est ad non esse alicuius ex partibus. Antecedens verò probatur: Petrus est necessitatus ad tale complexum; ergo est impotens ad non esse illius. Consequentia est bona: & antecedens probatur; Petrus est necessitatus ad vnum ex his complexis vage, scilicèt, vel ad complexum constans ex physica prædeterminatione, & actu, vel ad complexum constans ex carentia prædeterminationis, & ex carentia actus: implicat enim ex terminis, quod Petrus non sit sub aliquo ex his complexis: at Petrus in casu posito necessario caret complexo ex carentia prædeterminationis, & ex carentia actus; ergo est necessitatus ad alterum complexum ex prædeterminatione, & actu. Consequentia hæc est evidens: qui enim est necessitatus ad vnum ex duobus extremis vage, & necessario caret vno, necessario habet aliud: sicut necessitatus ad ad amorem, vel odium, necessario carens odio necessario amaret.

Maior est certa: & minor probanda, nimirũm Petrum necessario carere complexo ex carentia prædeterminationis, & ex carentia actus: quę sic ostenditur; qui in sua potestate non habet ponere complexum, quo caret, necessario caret illo: sed Petrus non habet in sua potestate ponere com-

complexum illud, quo in hypotheſi facta caret; ergo neceſſario illo carer. Conſequentia eſt bona: Maior eſt nota; qui enim caret actu, quem ponere non poteſt, neceſſario caret illo. Minor verò probatur; vt quis ſit potens ponere tale complexum, quo caret, debet eſſe potens ponere vtramque partem; ſi nulla præſupponatur exiſtens: ſed nulla præſupponitur exiſtens, & Petrus non habet vtramque in ſua poteſta; te; ergo non eſt potens ponere complexũ. Conſequentia eſt bona: Maior certa; nam complexum eſſentialiter dicit vtramque partem; ergo potens ad complexum debet eſſe potens ad vtramque partem, ſi nulla preſupponatur exiſtens. Quod vlterius ab exemplo declaratur: quia homo eſſentialiter conſtat ex materia, & forma, ſi vtraque deficeret, etiamſi quis poſſet ponere animam, non tamen matetiam, non eſſet potens ad ponendum hominem. Minor verò probatur: nam Petrus non eſt potens ponere carentiam prædeterminationis; ergo non eſt potens ponere vtramque partem.

82 Reſpondetur diſtinguendo antecedens: non poteſt facere, quod actus non dependeat à prædeterminatione, potentia in ſui exercitio independenti ab alio, concedo maiorem: potentia dependenti, & ordinis creati; ſubdiſtinguo, non poteſt quantum ad id, quod dicit in recto, & in obliquo hæc dependentia, concedo antecedens: quantum ad id, quod dicit tantum in recto, nego antecedens, & conſequentiam: vel diſtinguo conſequens, potentia independenti à Deo, concedo conſequentiam: potentia dependenti, & ordinis creati, nego conſequentiam: quod ex dictis non difficilè explicatur: actum enim dependere à prædeterminatione dicit in recto actum eſſentialiter dependentem; & in obliquo prædeterminationem, à qua dependet: Petrus ergo potentia ſui ordinis, poteſt facere, quod non ſit hæc dependentia quantum ad rectum, quod eſt actus; licèt non poſsit quantum ad obliquũ, quod eſt prædeterminatio; quod veram potentiam ad non eſſe actus, ſeù ad non eſſe dependentiæ quoad rectum non deſtruit: nam hæc potentia vt vera potentia creata ſit, neceſſarium eſt, quod indigeat dependere à Deo in ſui exercitio media carentia prædeterminationis à Deo ſolum ponenda, vt ſæpè vidimus. Semper ergo concedendum eſt eſſe in homine potentiam ſui ordinis ad actum, & ad carentiam actus, & ad omnia prædicata eſſentialia conſtituentia actum, ſivè omiſsionem; non tamen ad omnia eſſentialiter requiſita, vt hęc exercitia libertatis ſint: quapropter, quia dependentia actus à prædeterminatione quantum ad rectum eſt idem cum actu, & prædicatum conſtitutivum illius, Petrus potens ad actum, & ad non eſſe actus, eſt potens ad hanc dependentiam, & ad non eſſe illius; non tamen ad prædeterminationem, neque ad carentiam illius; quia licet ſint requiſita eſſentialiter; non tamen ſunt prædicata conſtituentia exercitia libertatis.

83 Ad probationem antecedentis concedenda eſt maior quantum ad primam partem, nimirùm actum non dependere à prędeterminatione, ſolum poſſe contingere non exiſtente prædeterminatione: & conceſſa minori quoad vtramque partem, diſtinguendum eſt conſequens diſtinctione data. Itaque quamvis actum non dependere à prędeterminatione, ſolum contingat non exiſtente prædeterminatione, & Petrus non poſsit facere, quod non exiſtat prædeterminatio, non ideò eſt imporens ad faciendum, quod actus non dependeat à prædeterminatione quoad rectum dependentiæ potentia ſui ordinis: & ratio eſt; nam non exiſtente prædeterminatione, & eſt carentia illius, & carentia actus, ſeù quod idem eſt, carentia dependentiæ actus quoad rectum: Petrus ergo vnum ponit, nimirùm carentiam actus, & alterum à Deo ſolum ponitur, ſcilicèt carentia prędeterminationis: & ſicut per hoc quod Petrus non ponat carentiam prædeterminationis, non ſequitur non ponere carentiam actus, eo quod hanc ponere dependenter à Deo in hoc conſiſtit, quod illam ponat Deo ponente carentiam prædeterminationis, ita non deſtruitur potentia Petri ad omiſsionem actus per hoc, quod non poſsit ad carentiam prædeterminatio nis.

84 Quod meliùs explicatur, ſi aliter proponatur idem argumentum: ſupponatur Petrum non eſſe prædeterminatum ad actum; in quo caſu ſic arguitur: Petrus non poteſt facere, quod actus dependeat à prædeterminatione; ergo non poteſt facere quod exiſtat actus. Conſequentia conſtat; quia actum eſſe, & dependere à prædeterminatione idem ſunt; ergo ſi Petrus non poteſt facere, quod actus dependeat, neque poteſt facere, quod ſit. Antecedens verò probatur; actum dependere à prę-

terminatione, ſolum poteſt contingere per hoc,quod exiſtat prædeterminatio, vel per hoc,quod ipſa non exiſtente actus ab illa dependeat; ſed Petrus non poteſt facere, quod exiſtat, neque quod actus ab illa non exiſtente dependeat; ergo non poteſt facere,quod actus dependeat à prędetermina-tione; & conſequenter neque quod exiſtat. Cui argumento reſpondendum eſt eodem modo; nimirùm Petrum poſſe facere actum dependere quoad rectum dependentiæ, quod eſt ipſa entitas actus; non verò quoad obliquum, quod eſt prędeterminatio: neque ad hoc vt Petrus poſsit ad actum potentia ſui ordinis, neceſſarium eſt continere omnia prærequiſita ad actum,vt ſæpè diximus; id enim, quo in poſitione actus à Deo dependet, non debet, nec poteſt in ipſo Petro præcontineri: Ad probationem dicendum eſt,ſolum poſſe contingere actum dependere à prædeterminatione, ipſa exiſtente: cæterùm ſicut Petrus, licet illam non ponat; ponit tamen actum media illa; ita poteſt ponere actum, licet prędeterminationem ponere non poſsit; quia talis potentia in Petro eſt indigens alio, vt reducatur ad actum.

85 Ad confirmationem primo reſponderi poteſt concedendo antecedens, & negando conſequentiam: & ad probationem ſubiunctam dicatur, quod qui poteſt facere, quod non ſit aliqua pars potentia talis conditionis, quod vt reducatur ad actum non pręſupponat eſſentialiter non eſſe alterius partis, potens eſt ad non eſſe complexi: ſecus verò potentia,quæ in ſui exercitio eſſentialiter requirit pręſupponi non eſſe alterius partis complexi conſtantis ex prædeterminatione,& actu. Cum igitur complexum conſtet eſſentialiter ex vtraque parte,& poſita carentia prędeterminationis neceſſaria ad exercitiũ potentiæ, quod eſt non eſſe alterius partis, intelligatur deficere aliquod prædicatum eſſentiale complexi, eſſentialiter intelligitur non eſſe cõplexi; proindèque ſtat potentia ad omiſſionem actus, quæ quia ad ſui exercitiũ eſſentialiter requirit præſupponi carentiam prædefinitionis, ſeù non eſſe alterius partis complexi, non eſt potentia ad non eſſe complexi, cum hoc non eſſe ab alio poſitum præſupponatur eſſentialiter.

86 Sed contra hoc inſurgit difficultas: Petrus impotens ad non eſſe complexi conſtantis ex prædeterminatione, & actu eſt neceſsitatus ad illud: ſed neceſsitatus ad tale complexum eſt neceſsitatus ad actum; ergo non eſt liber in elicientia illius. Conſequentia conſtat. Maior, & minor ſunt probandæ: Maior probatur ſic: habens actum, impotens ad non eſſe illius,eſt neceſsitatus ad actum; amans enim impotens ad non amandum neceſſario amat; ergo Petrus habens tale complexum, impotens ad non eſſe illius, eſt neceſsitatus ad illud. Minor verò probatur; neceſsitatus ad complexum eſt neceſsitatus ad vtramque partem; ergo eſt neceſsitatus ad actum. Antecedens probatur; complexum conſtat eſſentialiter ex vtraque parte; ergo neceſsitatus ad complexum eſt neceſsitatus ad vtramque partem. Secundo probatur idem antecedens; Petrus non poteſt eſſe neceſsitatus ad ponendum hominem, ſi in ſua poteſtate habeat aliquam partem non ponere,formam; v. g. eo quod, vt ſit homo, vtraque pars eſſentialiter requiritur; ergo vt Petrus ſit neceſsitatus ad complexum, neceſſarium erit eâdem ratione, quod in ſua poteſtate non habeat, quod aliqua pars non ſit;& conſequenter requiritur eſſe neceſsitatum ad vtramque.

87 Reſpondetur diſtinguendo maiorem: impotens ad non eſſe complexi eſt neceſsitatus ad complexum adæquatè, nego maiorem: inadæquatè, concedo maiorem: & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Uel aliter diſtinguatur maior,ſi ſit impotens per impotentiam præciſsè ad non eſſe vnius partis,nego maiorem:ſi ſit impotens per impotentiam ad deſtruendum vtramque partem, concedo maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam: Petrus ergo eſt impotens ad nõ eſſe complexi per impotentiam ad non eſſe prædeterminationis præciſsè,non per impotentiam ad non eſſe actus, ratione dicta: ex quo non infertur eſſe neceſsitatum ad complexum quoad vtramque partem; ſed ſolum quoad illam, ad cuius non eſſe impotens eſt, quæ ſola eſt prædeterminatio: quod non ſufficit ad hoc, vt dicatur neceſsitatus ad complexum abſolutè.

88 Ad probationem maioris conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Ratio diſcriminis eſt; nam neceſsitatus ad non eſſe actus eſt impotens ad adæquatam eius carentiam, cum actus ſit indiviſibilis; atqueadeò in illo nihil poteſt eſſe liberum Petro impotenti ad non eſſe illius: at impotens ad non eſſe complexi per impotentiam ad non eſſe vnius partis pręciſ-

sè,

sè, retinet potentiam ad non esse alterius; atque adeò illa, ad cuius non esse habet potentiam, potest esse libera: & in casu posito Petrus est impotens ad non esse complexi per impotentiam ad non esse vnius partis, quæ est prædeterminatio, retinens potentiam ad non esse alterius, scilicèt actus: ex quo solũ infertur, esse necessitatum ad vnam partem; non verò ad complexum adæquatè.

89 Sed adhùc instabis: impotens ad non esse complexi constantis ex prędeterminatione, & actu, est necessitatus ad non habendũ complexum ex carentia prædeterminationis, & carentia actus: sed necessitatus ad hoc complexum non habendum, est necessitatus ad non habendum carentiam actus; ergo impotens ad nõ esse primi complexi est necessitatus ad non habendum carentiam actus; & consequenter ad actum. Minor probatur primo: necessitatus ad non habendum complexum illud, est necessitatus ad non habendum vtramque partem illius; ergo ad non habendum carentiam actus. Secundo; necessitatus ad habendum complexum est necessitatus ad vtramque partem; ergo necessitatus ad non habendum complexum est necessitatus ad vtriusque carentiam.

90 Instabis secundo: Petrus necessario existit sub aliquo ex his complexis: vel enim est prædeterminatus, & consentit; vel non est prædeterminatus, & non consentit, & hoc est omninò necessarium: sed in casu posito Petrus necessario caret complexo ex carentia prædeterminationis, & ex carentia actus; cum non sit potens ad habendum tale complexum; ergo necessario habet alterum. Tunc sic: sed necessitatus ad complexum est necessitatus ad vtramque partem; ergo est necessitatus ad actum.

91 Ad primam instantiam respondetur, omissa maiori, negando minorem: vt enim quis sit necessitatus ad non habẽdum complexum, sufficit carere aliqua parte, quã acquire non potest; nam cũ ad complexũ vtraque pars requiratur, si aliqua necessario careret, necessario non haberet complexum: quod in præsenti salvatur per hoc, quod necessaria sit ipsi prædeterminatio, quam habet; & consequenter necessario caret carentia prædeterminationis; quin sit necessarium, quod sit necessitatus ad non habendum carentiam actus. Ad primam probationem minoris, concesso antecedenti, neganda est consequentia: ad hoc enim vt sit necessitatus ad non habendam vtramque partem, non requiritur vtraque necessario carere; sed sufficit aliqua carere, quam acquire non potest; hoc enim sufficit, vt sit falsum posse ad vtramque, & consequenter vt verum sit non posse ad vtramque, seù quod idem est, esse necessitatum ad non habendam vtramque. Ad secundam concesso antecedenti, neganda est consequentia: Disparitas constat ex dictis; esse enim necessitatum ad vtramque, idem est ac esse necessitatum ad vnam, & alteram: ad hoc autem vt quis sit necessitatus ad non habendum complexum, sufficit carere vna parte, quam acquirere non potest.

92 Ad secundam instantiam concessa maiori, distinguo minorem; necessario caret complexo ex carentia prædeterminationis, & carentia actus per hoc, quod necessario careat vtraque parte, nego minorem: per hoc præcisè, quod careat necessario prędeterminationis carentia, & libere non habeat carentiam actus, concedo minorem, & nego consequentiam, vel distinguo consequens; est necessitatus ad alterum complexum adæquatè, nego consequẽtiam: inadęquatè, concedo consequentiam. Concedimus ergo necessarium omninò esse, Petrum existere sub aliquo ex prædictis complexis vage: carere tamen complexo ex negatione prædeterminationis; & carentia actus est necessarium illi per necessariam carentiam prædeterminationis; non quia necessario habeat carentiam actus; atque adeò solum infertur esse necessitatum ad prædeterminationem; non tamen ad actum. Et in vniversum quando ea, ad quæ quis est necessitatus sub disiunctione, & vage, sunt simplicia, rectè infertur ex eo, quod necessario careat vno extremo, necessario habere alterum, quia non relinquuntur extrema indifferentiæ, quod ad libertatem est necessarium: cæterùm si extrema complexa sint, etiamsi necessario careat vno per necessariam carentiam vnius partis, adhùc non est necessitatus adæquatè ad alterum; sed possunt manere extrema indifferentiæ, nimirùm pars, qua non necessario caret, & eius oppositum.

93 Vel aliter ad principalem confirmationem supra numero 81. factam responderi potest, negando antecedens; cui dicta non obstant; nam quamvis voluntas non possit ad non esse complexi, vt constitutum per non esse prędetermina-

tionis;poteſt tamen ad nõ eſſe illius,vt cõſtitutum per non eſſe actus. Itaque vt complexum intelligatur exiſtens,debet intelligi vtraque pars exiſtens: vt autem intelligatur non eſſe,ſufficit,quod aliqua pars non ſit; atqueadeò habet quaſi duplex non eſſe, nimirùm non eſſe prędeterminationis,& non eſſe actus: cum ergo voluntas habeat poſſe ad non eſſe actus, habet poſſe ad non eſſe complexi vt conſtituti per non eſſe actus, non vt conſtituti per non eſſe prædeterminationis. Ad probationem antecedentis conſtat ex prima ſolutione.

94 Tandem inſtatur argumento, ad quod efficaciam præcedentis reducunt Recentiores: iſte eſt bonus ſyllogiſmus: *Omnis homo prædeterminatus conſentit, & hoc eſt illi inevitabile: Petrus eſt prædeterminatus, & hoc etiam eſt illi inevitabile; ergo Petrus conſentit, & hoc eſt illi inevitabile*: ſed præmiſſæ ſunt veræ poſita in Petro prædeterminatione;ergo,& concluſio: & conſequẽter poſita prædeterminatione eſt Petro inevitabilis conſenſus. Maior huius diſcurſus probatur; iſte eſt bonus ſyllogiſmus *Omnis homo prædeterminatus conſentit, Petrus eſt prædeterminatus; ergo conſentit*: ergo pariter alter ſyllogiſmus,qui eſt ſimilis formæ. Secundo probatur, ſeù explicatur veritas maioris: quia iſte eſt bonus ſyllogiſmus; *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt animal*; etiam iſte eſt bonus, *omnis homo eſt animal, & hoc eſt illi inevitabile: Petrus eſt homo, & hoc eſt illi inevitabile; ergo Petrus eſt animal, & hoc eſt illi inevitabile*; poſito eodem addito *inevitabile* in præmiſſis,& in concluſione; ergo ſimiliter alter ſyllogiſmus ſupra poſitus erit bonus.

95 Reſpondetur, quod maior ſyllogiſmi propoſiti in maiori diſcurſus poteſt habere duplicem ſenſum:nam vel ly *hoc eſt inevitabile* cadit ſupra conſenſum,vel ſupra veritatem propoſitionis præexiſtentis:ſi cadit ſupra cõſenſum,facit hunc ſenſum, omnis homo prædeterminatus conſentit, conſenſu illi inevitabili: & tunc ſyllogiſmus eſt bonus;cęterùm maior eſt falſa,ſicut & concluſio:licèt enim ſit inevitabile,quod homo prædeterminatus conſentit,quia prædeterminatio infert infallibiliter cõſensũ; eſt etiã infallibile,quod conſentit libere,quia etiam infert libertatem conſenſus; atqueadeó etiã eſt infallibile, quod prædeterminatus conſentit conſenſu vitabili ab ipſo potentia antecedenti,& ſui ordinis,vt explicatum eſt. Si verò ly *hoc eſt illi inevitabile* poſitum in maiori cadat ſupra veritatẽ propoſitionis, maior eſt vera: nam hæc propoſitio; omnis homo prædeſtinatus cõſentit, habet veritatem omninò infallibilem, & à nullo vitabilem,& falſificari non poteſt, niſi per hoc, quod coniungatur omiſsio conſenſus cum prædeterminatione;quod à nullo fieri poteſt.Minor etiam eſt vera: ſyllogiſmus tamẽ eſt malus;cuius malitia deprehenditur ex dictis: nam ex inevitabilitate præmiſſarum à Petro infertur inevitabilitas concluſionis ab eodẽ,ſeù,quod idem eſt, ex impotentia in Petro ad falſificandas præmiſſas infertur impotentia in eodẽ ad falſificandam cõcluſionem: qui modus arguendi deficit, ſi veritas præmiſſarum cõſiſtit in eo,quod Deus velit,& faciat Petrum libere verificare concluſionẽ;vt ex dictis ſatis conſtat.Tũc enim ex præmiſsis infertur infallibiliter cõcluſio libere à Petro ponenda;& conſequenter cũ potentia ad illam falſificãdam,ſine eo quod inferatur potentia ad falſificandam aliquam ex præmiſsis;eo quod potentia ad falſificãdam concluſionem eſt limitata,& reducẽda ad actum media falſitate vnius ex præmiſſis a Deo ponenda perablationẽ prædeterminationis: vndè in prædicto ſyllogiſmo ex ſubordinatione Petri inoperando ad Deum, infertur impotentia ad non operandum: quod nullatenus infertur, ſed ſolum impotentia ad nõ operandũ ſine ſubordinatione.

96 Defectus ergo ſyllogiſmi eſt,quod in maiori inevitabilitas appellat ſupra veritatẽ propoſitionis,non ſupra conſenſum;in concluſione verò appellat ſupra cõſenſum; nam licèt appellet ſupra veritatem,cum veritas concluſionis in cõſenſu exercite ſumpto conſiſtat,appellat ſupra conſenſum;quod in maiori,quæ eſt æternæ veritatis,non cõtingit.Uel poteſt dici defectum in eo ſitum eſſe,quod arguitur ab impotentia in ſenſu compoſito ad impotentiam in ſenſu diviſo; inevitabilitas enim in maiori denotat impotentiam in homine ad coniungendam omiſsionem conſenſus cum prædeterminatione,& in cõſequenti impotentiam in ſenſu diviſo:qui modus arguendi eſt malus;ſicut arguere affirmative à potentia ad omiſſionem in ſenſu diviſo ad potentiam in ſenſu compoſito: ſyllogiſmus tamen erit bonus,ſi inevitabilitas in conſequenti denotet impotentiam in ſenſu compoſito,& ex ſuppoſitione;quam tamẽ abſolutè nõ denotat.

Vn-

Undè ad argumentum reſpondetur in forma, diſtinguendo maiorem: eſt bonus ſyllogiſmus, ſi ly *inevitabile* poſitum in maiori cadat ſupra veritatem præiacentis, nego maiorem: ſi cadat ſupra conſenſum, admitto maiorem: & diſtinguo minorem; præmiſſæ ſunt veræ *ſi ly inevitabile* in maiori cadat ſupra veritatem, concedo minorem: ſi ſupra conſenſum, nego minorem: eſt enim maior falſa; & nego conſequentiam. Ex quo conſtat ad primam maioris probationem. Ad ſecundam dicatur, quod ex inevitabilitate præmiſſarum à Petro non infertur inevitabilitas concluſionis ab eodem; ſicut ex neceſsitate abſolura præmiſſarum rectè infertur neceſsitas abſoluta concluſionis: quod autem non ſequatur eſſe Petro neceſſariam concluſionem ex eo, quod præmiſſæ ſint ipſi neceſſariæ, conſtat ex dictis.

DVBIVM VII.

Vtrùm ſtet cum decreto Thomiſtico reprehenſio, & increpatio iuſta vnius prædlio?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi.

HÆC Deſumitur ex celebri teſtimonio Matthæi 11. vbi Chriſtus Dominus reprehẽdit Iudæos comparative ad Gentiles, illis verbis: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Eâdem ferè verba habentur Lucæ 10. quibus Chriſtus Dominus increpat Iudęos, quod non egerint pœnitentiam eis virtutibus, & principijs, quibus Tyrij, ſi pręventi fuiſſent, pœnitentiam egiſſent: at iniuſta eſſet reprehenſio, ſi Tyrij pręviſi ſint pœnitentiam acturi ratione decreti efficacis conditionati; non ergo cum hoc decreto iuſta reprehenſio componitur. Minor probatur increpatio vnius per comparationem ad alterum iniuſta eſt, immò ſtulta, ſi extrema nõ ſint omninò æqualia ante omnem actionem, & omiſſionem culpabilem: & ratio eſt, quia argumentum à comparatione debet ſupponere cętera paria in his, quæ non pendent à propria voluntate, vt docet Philoſophus lib. 3. & 6. Thopicorum cap. 3. aliàs ipſum argumentum eſt ipſius ſolutio. Qua etiam ratione iniuſtè, & ſtultè increparetur fur, eo quod ſæpè in latrocinio comprehendatur; cum tamen Chriſtus D. qui impeccabilis erat, nunquam hoc crimen commiſerit, aut quia non pervenit ad culmen virtutum, & tantam excellentiam ſanctitatis, quantam habuit B. Virgo, vel Chriſti Præcurſor; quippè cum eſſent à Deo ſingulariter præventi, & illuſtrati, non ſervatur æqualitas ad increpationem comparativam requiſita: ſed Iudæi non erant æquales Tyrijs ante eorũ actionem, aut omiſsionem culpabilem; ergo iniuſtè reprehenduntur comparative ad Gentiles. Minor hęc probatur; nam Tyrij habebant decretum divinum antecedenter ad exercitium ſuæ libertatis, ratione cuius erat infallibile, quod pœnitentiam egiſſent, at Iudæi illo carebant etiam ante exercitium ſuæ libertatis, nec illud poterant acquirere; ergo inter illos non ſervatur æqualitas requiſita ad iuſtam reprehenſionem comparativam; & conſequenter auferendum eſt huiuſmodi decretum, vt Chriſti reprehenſio non ſit iniuſta.

§. II.

Statuitur prima concluſio.

PRima concluſio: cum indigentia decreti efficacis ad bene operandum, rectè componitur imputari ad culpam, omiſsionem actus adimpletivi præcepti in homine carente tali decreto: & conſequenter rectè componitur iuſta increpatio, & abſoluta reprehenſio: hæc concluſio prius ſtabilitur, vt clariùs appareat veritas doctrinæ Thomiſticæ; & breviter probatur: nam potenti adimplere præceptũ, & non adimplẽ-

ri imputabilis est omissio adimpletionis: sed carens decreto efficaci requisito ad actum adimpletivũ, instructus alijs principijs requisitis ad actum, & iudicio indifferenti est potẽs adimplere præceptum; ergo omissio actus adimpletivi imputatur carenti decreto efficaci ad illum requisito. Consequentia est bona; maior est certa; vel enim est possibilis pura omissio libera & in hac sententia etiam purè omittens potens adimplere, libere non adimplet præceptum, & ipsi imputatur omissio, estque increpatione dignus: si autẽ non est possibilis pura omissio libera, sed requiratur actus positivus, qui sit causa illius, non potest dari naturaliter carentia actus sine alio actu occasionante; & consequenter semper attenta natura rerum omissio actus præcepti inhabente potentiam ad illius adimpletionem, libera est, & imputabilis; quamvis in hac sententia non admittente puram omissionem liberam, possit supernaturaliter esse carentia actus in homine potente adimplere præceptum ipsi non imputabilis, quia ipsi non libera in actu secundo.

3 Minor etiam probatur; quia indigere aliquo ad elicientiam actus, quod in elicientis potestate non sit, non tollit veram potentiã ad actum; ergo indigere decreto efficaci, quo caret, ad eliciendum actum, nõ tollit, quominús habeat veram potentiã ad actum. Antec. prob. 1. quia potentia ad eliciendũ actum cum subordinatione ad Deũ est vera potentia, licèt creata, & subordinata; aliàs nulla esset potentia creata, nec libera, nec necessaria; cum omnis virtus creata sit ad eliciendum actũ cũ subordinatione ad Deum, indiget alio ad talem elicientiã, quod in eius potestate non est, & quod sub sphęra virtutis eius non cadit, nimirùm illo, quo in eliciendo actum subordinatur Deo, & quo Deus sibi subijcit, & subordinat potentiam creatam, quod est decretum efficax actus, & prædeterminatio, quæ est executio decreti: si enim in hominis esset potestate, potiùs sibi subordinaret creatura Deum in eliciendo actum, quam Deus creaturam.

4 Secundo prob. antec. quia homo in actu primo indifferenti constitutus, si non indigeret alio ad operandum, quod non esset in eius potestate, actus liber bonus subterfugeret immediatã providentiam Dei; quod affirmare de minima operatione, absurdum merito reputatur: de perfectissima autẽ qualis est actus bonus, quod maximũ bonum est creaturæ rationalis, plusquàm absurdum debet censeri, vt sæpè docet Div. Thom. eandem perfectissimã, & immediatam prudentiam actuũ liberorum probans ex providẽtia erga minimas actiones creaturarũ. Subterfugeret, inquàm, immediatã, & proximam providentiam Dei; cum transitus ex indifferentia ad plures actus ad vnum determinatè præ alio esset ex sola dispositione creaturæ, non Dei.

5 Nec sufficit Deum ex sua determinatione, & dispositione constituere voluntatem creatam potentem, & indifferentem in actu primo, si vltra eius dispositio non transeat, vel misericorditer donando actum præceptum, vel propter iusta ipsius iudicia permittendo transgressionem præcepti; ex potentibus enim adimplere, cuius vult miseretur, & quem vult indurat: & quidem si homo in actu primo indifferenti cõstitutus alio non indiget, quod in eius potestate nõ est, vel Deus vltra nihil disponit, aut volendo efficacitèr actum, aut permittendo trãsgressionem præcepti, dormitat Deus, vt verbis Hieronymi vtamur lib. 1. adversus Pelagianos, cap. 1. dormitat ergo Deus, ait Doctor Maximus, in operibus nostris, si semel data liberi arbitrij potestate, nec orandus est Deus, vt in singulis operibus nos iuvet, cum voluntatis, & proprij arbitrij, vel facere si volumus, vel non facere si nolumus sit.

6 Tertio idem assumptum probatur; homo constitutus in actu primo indifferenti ad actum adimpletivum indiget alteriùs ope ad eliciendum actum: at indigere alterius ope est indigere aliquo, quod in eius potestate non est; ergo indiget aliquo, quod in eius potestate non est. Minor probatur; nam indigere concursu simultaneo Dei, quem concedunt Adversarij, ponendo præcisè ex determinatione creaturæ, & non Dei, non est indigere alterius ope: quod dupliciter est manifestum, primo; quia ex indigentia alterius ope, nimirùm Dei, probatur necessitas orationis, estque fundamẽtum ad implorandam Dei opem: at indigentia concursus simultanei, cuius existentia est solum in potestate hominis in actu primo constituti, non potest probare necessitatem orationis, nec esse fundamentum in homine in actu primo constituto ad implorandam Dei opem; quippè est solũ in hominis potestate; habet enim ergo cõcursum simultaneũ, ita plenũdominiũ, vt nullꝰ, nec etiã Deus eius possit resistere voluntati,

aut

aut impedire eius determinationem ; ergo neceſsitas concurſus ſimultanei,vel alicuius alterius,quod in hominis poteſtate ſit , non eſt indigere alteriùs ope , ſed neceſſarium eſt,vt indigeat alteriùs ope , indigere aliquo,quod in eius poteſtate non ſit.

7 Secundo probatur,& explicatur; indigere aliquo, quod in indigentis ſolum ſit poteſtate, non eſt indigere alteriús ope, ſed dominari , præcipuè ſi nullus eius poſſit reſiſtere voluntati,& determinationi;ergo indigere alterius ope eſt indigere aliquo,quod in eius poteſtate non eſt. Et ſi Deo aliquid vtilitatis accreſceret ex noſtris bonis operibus, potiùs Deus indigeret , in ſententia Adverſariorum , ope hominis in actu primo conſtituti,quâm è contra; indigeret enim ad hoc , vt eſſet actus bonus, & vt eius Omnipotentia ad ipſum concurreret , quod homo ſe ad actum bonum determinaret, quod non in Dei, ſed in hominis ſolum eſt poteſtate.

Maior verò nimirúm , quod homo in actu primo indifferenti conſtitutus indigeat alterius ope , ſcilicet Dei ad eliciendum actum præceptum , nobis eſt omninò certa , & Adverſarij non negabunt ; & probatur ex Hieronymo Epiſtola ad Theſiphontem cap. 3 .hæc verba referente : *Aut vtor ſemel poteſtate , quæ mihi data eſt , vt liberum ſervetur arbitrium , aut ſi alterius ope indigeo , libertas arbitrij in me deſtruetur*. De quibus hoc profert iudicium Doctor Maximus; *qui hæc dicit,quam non excedit blaſphemiam ? quæ hæreticorum venena non ſuperat?* pluraque alia adverſus ſententiam illam, quæ maiori noſtræ opponitur, proſequitur Doctor Sāctꝰ,vt ibi eſt videre.

8 Quarto probatur aſſumptum; potens elicere actum indiget ad hoc, quod habeat actum,quod Deus donet ipſi actũ: ſed Deum donare actum aliquid eſt præter potentiam ad actum; ergo ſtat potentia ad actum,quin Deus donet actum. Quod autem hoc ſuperadditum in poteſtate voluntatis non ſit,probatur; tùm , quia Deus libere donat actum;quod ſtare non poteſt, ſi ex determinatione, & libertate creaturæ donaret,præcipuè in Adverſariorum ſententia : tùm etiam ; quia ſi ſit in poteſtate hominis conſtituti in actu primo indifferenti, fruſtra quis oraret , & peteret à Deo adimpletionem præcepti;quod eſt argumẽtum ab Auguſtino,& Hieronymo , & alijs SS.PP.ſæpè repetitum;& patet,fruſtra enim quis ab alio petit,quod in eius poteſtate nõ eſt;at eo ipſo,quod in hominis poteſtate in actu primo conſtituti ſint omnia alia, quæ deſiderantur ad actum,nihilq; deſideratur, quod in eius poteſtate nõ ſit,nihil eſt,quod in Dei poteſtate ſit;ergo homo conſtitutus in actũ primo fruſtra petit à Deo actum, ſeù quod Deus donet actum.

Túm deniq; quia donatio eſt actus dominij;quæ ſi eſſet in poteſtate creaturę, eſſet nõ ſolùm domina actus, ſed donationis Dei,& exercitium dominij divini ſubditũ eſſet creaturæ proximè,& immediatè;quod non ſolum veram rationem dominij , & donationis divinæ deſtruit,ſed in ſententia Adverſariorum , nullum relinquit in Deo dominium; cum in ſententia illorum , dominium,cuius exercitium proximè, & immediatè ſit alteri ſubditũ,nullũſit exercitiũ.

§. III.

Solvuntur argumenta.

9 ARguitur primo : non cohæret Petrum ommittendo amorẽ, tranſgredi præceptum amandi,cum hoc,quod ei impoſsibile ſit ſecundũ præſentes,quas habet vires,exercere amorem : at indigentia decretorum prædeterminantium ad exercendum amorem facit impoſsibile illi eſſe ſecundum præſentes, quas habet vires, exercere amorem ; ergo talis indigentia non benè cohæret cũ prædicta tranſgreſsione præcepti,ſeù cũ omiſſione amoris imputabilis. Maior lumine naturæ eſt nota,videturque definita ab Innocentio X. contra propoſitiones Janſenij quarum prima hæc erat : *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis,volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes , quas habent vires ſunt impoſsibilia*. Minor,in qua eſt difficultas probatur; nam illi impoſsibile eſt exercere amorem ſecundum præſentes, quas habet vires,qui præciſsè inſpectis viribus omnibus preſentibus,non habet intra illas veram ſufficientiam exercendi amorem: ſic homini viribus fractis impoſsibile eſt levare magnum pondus , quia præciſsè inſpectis viribus omnibus preſentibus non habet ad id intra illas veram ſufficientiam : at ommittens amorem , ſi præciſsè attendantur vires omnes , quas præſentialiter habet , non habet intra

illas, sivè decretum determinans ad amorem, sivè potestatem faciendi, vt tale decretum existat, neutroque illorum habito, dataque indigentia talis decreti ad exercendum amorem, non habet veram sufficientiam ad tale exercitium; ergo talis indigentia huius decreti præstat, vt omittenti amorem impossibile sit amare, secundum præsentes, quas habet vires.

10 Confirmatur primo: illi secundum præsentes, quas habet vires, impossibili est observatio præcepti, cui ad eam observationem, præter tales vires præsentes, necessariæ sunt aliæ absentes, quibus comparandis potestatem non habet: at non observanti præceptum, præter præsentes, quas habet vires, aliæ sunt absentes vires necessariæ ad observationem præcepti, quas comparare non potest: est namque necessaria prædeterminatio, quæ absens est, quam in sua potestate non habet; eaque est vis ad observantiam præcepti: tùm; quia se tenet ex parte potentiæ ad observationem præcepti: tùm; quia natura sua præcedit ad observationem, infallibiliter post se illam inducens. Dicere autem non esse vim ad observationem præcepti est egregia nugatio; ergo non observanti præceptum impossibilis est observatio secundum præsentes, quas habet vires.

11 Confirmatur secundo: pugnat cum transgressione mandatorum, vt non observanti illa desit gratia, qua fit possibilis observatio: at indigentia decreti efficacis, & prædeterminationis infert, vt non observanti desit ea gratia; ergo ea indigentia pugnat cum transgressione mandatorum, & imputabili omissione illorum. Consequentia tenet, maiorque negari non potest salva definitione Innocentij. Minor probatur; nam indigentia prædeterminationis ad mandatorum observationem infert, & non observanti deesse talem prædeterminationem, & esse prærequisitam ad observationem; ergo non observanti deest gratia, qua possibilis fiat observatio; nam deesse prædeterminationem, idem esse, ac talem deesse gratiam, probatur sic; forma, qua fit homini absolutè possibilis observatio, est collatio cunctarum virium ad observationem prærequisitarum, quibus cõparandis homo ipse impotens est; omnes enim istę vires constituunt absolutam hominis potestatem: at in ea collectione claditur prædeterminatio; ergo cui deest prædeterminatio, deest ea collectio; & consequenter forma, gratiaque, qua fiat homini absolutè possibilis observantia mandatorum.

12 Confirmatur tertio; nam vbi potest homo prætendere rationabilem excusationem non observandi præceptum Dei, deest aliquid, quo fiat ipsi possibilis observatio; si enim præcepta Dei observare potuisti, & non observasti, omnis tibi coram Deo rationabilis excusatio præcisa est: at præsentibus cæteris, solaque absente prędeterminatione Dei ad observantiam requisita, homo potest adducere rationabilem excusationem non observandi præcepta Dei, potest enim verissimè dicere absens est prærequisitum ad observationem; non est in mea potestate præsens esse. Hanc autem esse rationabilem excusationem, quis rationabiliter neget? Sola igitur deficiente prædeterminatione Dei, deest aliquid, quo fiat homini absolutè possibilis observatio; ea autem iuxta Thomistas est gratia Dei; ergo non observanti mandata deest gratia, qua possibilia fiant: quòd est contra decretum Innocentij.

13 Respondetur concessa maiori, quam vltro fatentur Thomistæ, negando minorem, ad probationem concessa etiam maiori, neganda est minor quoad vltimam partem, nimirùm ommittentem amorem non habere veram sufficientiam ad illud exercitium: nec infertur illam non habere ex eo, quod careat decreto, & prædeterminatione, quæ acquiri non potest; quod ex dictis constat; quia indigere ope alterius, vt ex Hieronymo, & ratione liquet, veram sufficientiam non tollit; imò in conceptu sufficientiæ creatæ clauditur indigẽtia alterius ad exercitium talis sufficientię: sicut hic ignis potens comburere indiget Deo, & eius decreto ad comburendum; quod indifferentiæ voluntatis indifferentis ad plura, potiori titulo concedendum est, nè transitus ex indifferentia in actu primo ad actum secundum subterfugiat providẽtiam Dei; nè actus bonus, qui præcipuum bonum est creaturę rationalis, ipsi conveniat ex determinatione, & libertate creaturę solum, non verò ex Divina voluntate; nè contra debitam subiectionem ad Deum, & lumen rationis ab ipso inditum invertatur tot titulis debitus ordo; nimirùm, quod inefficiendo actum bonum creatura subijciatur Creatori; non Omnipotentia Creatoris creaturæ ab ipso factæ subordinetur; vt ipsi concedunt; & nè creatura inefficien-

do

do actum bonum vtatur Omnipotentia Dei, vt eius, & sui Creatoris Dominæ; sed potiùs Deus vtatur voluntate creata, & eius libero arbitrio, atque dominio; vtpotè Rex Regum, & Dominus Dominantium.

14 Nec ex hoc timendum est destrui liberum arbitrium creatum, vt olim existimabant illi, contra quos disputabat Hieronymus: potiùs enim ex hoc firmatur; vtpotè sine debita subiectione ad Deũ subsistère non potest: quæ doctrina adeò lumini rationis conformis est, vt etiam illam impugnantes in ipsa eorum impugnatione fateri videantur. Homo fractis viribus non potest magnum pondus levare; (vt ipsi meritò docent) tacitè affirmantes hominem integris viribus posse magnum pondus levare. Sed inquiro; homo integris viribus potens magnum pondus levare indiget adiutorio, & ope Dei ad illud levandum, & ad exercendum suam potentiam, & sufficientiam? Non videtur posse negari: stat ergo sufficientia cum hoc, quod est indigere alterius ope ad exercitium talis sufficientiæ.

15 Ad primam confirmationem concessa maiori, neganda est minor: prædeterminatio enim, & decretum, quæ desunt non obseruanti præceptum, & quæ necessaria sunt ad illius adimpletionem, nõ sunt vires dantes posse creaturæ; sed supponunt vires, & illas, quas supponunt, reducunt ad actum secundum: nec hoc est nugare, vt temere asserunt Aduersarij: adest enim ratio prompta; nam homo potest quidem reducere sufficientiam, & vires, quas habet, ad actum secundum adimplectivum præcepti, potiùs quam ad alterum oppositum, ad quem etiam est potens: cæterùm ad hoc indiget alterius ope, nimirum Dei. Undè sicut hominem reducere vires suas ad actum secundum non dat vires, sed supponit quas reducit; similiter adiutorium Dei, quo in reducendo tales vires subijcitur creatura Deo, & quo Deus reducit sufficientiam creatam ad actum secundum, non dat, sed supponit vires, quas reducit ad actum secundum: adiutorium autem est decretum, & prædeterminatio, quæ est executio decreti; nec esset adiutorium exactum ex debilitate creaturæ, si ipsi subijceretur; sed necessarium est adiutorium, quo Deus sibi subijciat creaturam; aliàs potiùs dicendum esset Deum indigere ad actum bonum faciendum adiutorio, & ope creaturæ, quàm è contra.

16 Insuper; Deum facere in actu secundo, quod creatura operetur actum bonum non est dare vires ad talem actum, sed facere, quod creatura viribus præhabitis vtatur; aliàs Deo non faciente, quod creatura operetur, non haberet vires sufficientes ad talem actum; atqueadeò ommittens actum præceptum non haberet sufficientiam: Deus autem medio decreto, & prædeterminatione facit, quod creatura operetur actum bonum; non ergo decreto, & prædeterminatione dat vires, sed facit, quod creatura vtatur viribus præhabitis: nec sine hoc decreto, & prędeterminatione potest esse verum, quod Deus faciat creaturam operari actum bonum; sed potiùs è contra verum esset quod creatura facit Deum operari illum; ex duabus enim causis concurrentibus ad eundem effectũ, illa facit alteram operari, quæ illam ad operandum determinat: at si non adest vt prærequisitum decretum, & prædeterminatio, creatura determinat Deum, & eius Omnipotentiam ad operandum actum bonum; vt fatentur Aduersarij; ergo verum esset, quod creatura facit Deum operari actum bonum; non verò è contra: quod absurdum est; Deus enim facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, facit vt in præceptis eius ambulemus: de quo alibi.

17 Ad secundam confirmationem concessa maiori intellecta, vt debet, de gratia, qua actus fiat possibilis antecedenter, negando minorem in eodem sensu: ad eius probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia: quam non conuincit probatio subsumpta; potentia enim, & sufficientia creaturę non est collatio omnium, quæ prærequiruntur ad actum: & patet; quia sufficientia creaturæ indiget ope Dei; adiutorium ergo sufficientiæ prę-requisitum ad operandum, supponit sufficientiam, non constituit: sic potentia, & sufficientia ignis ad comburendum non est collatio omnium, quæ ad combustionem prærequiruntur; decretum enim, quo Deus vult ignem potentem ad comburendum, comburere, non dat potentiam, sed supponit: sufficientia hominis integris viribus ad levandum magnum pondus non includit decretum Dei necessarium, & prærequisitum, vt defacto levet. Causa autem deceptionis ea est, quod non possunt, aut nolunt intelligere veram sufficientiam indigentem alterius ope; atqueadeò, vt

creata voluntas posſit, ſic illam conſtituũr, vt à nullo poſsit eius actus impediri : ſic volunt eſſe dominam actus,vt omnia,etiam Creatorem ſibi ſubordinet,& ſubijciat ; & licet indigeat Deo dante, & conſervante potentiam : hac tamen data, vlteriori oratione,& imploratione non indiget ; quaſi Deus vltra potentiam , & ſufficientiam in actu primo, non donaret actum, ſed dormitaret,vt ait Hieronymus.

18 Duplex ergo datur ſufficientia ad actum; altera creata, & altera increata, quæ ſupponitur eſſentialiter ad creatam: ſufficientia creata non includit eſſentialiter conſtitutive increatam , licet illam eſſentialiter ſupponat : decretum autem , & prædeterminatio prærequiſita ad actum non ſunt vires conſtituentes aliquam ſufficientiam ; non increatam ,quia decretum, & prædeterminatio,quæ eſt eius executio, eſt exercitium ſufficientiæ increatæ , quam ſupponit,& quæ prædicatis eſſentialibus, & neceſſarijs Dei conſtituitur : non creatam; quia decretum eſt, quo Deus vult, & facit,quod ſufficientia creata reducatur ad actum ſecundum : cæterùm ſicut potentia, & ſufficientia creata ſupponit increatam, pariter exercitium ſufficiẽtiæ creatæ , quod eſt actus , ſeù actio creaturæ ſupponit eſſentialiter exercitium ſufficientię increatæ, quod eſt decretum divinum , & concurſus actualis Dei : vndè decretum,& prædeterminatio non ſunt vires dantes poſſe , aut ſufficientiam , ſed reducentes formaliter ſufficientiam increatam ad actum ſecundum,& effectivè,ſeù activè, & per modum actionis ſufficientiam creatam ; id enim, quo formaliter ſufficientia creata reducitur ad actum ſecundum , nimirùm actus , ſeù actio creaturæ eſt effectus Dei medio decreto,& prædeterminatione,quæ ſunt actio,& concurſus Dei.

19 Ad tertiam confirmationem conceſſa maiori , neganda eſt minor : carentia enim decreti,& prædeterminationis non eſt excuſatio rationabilis in non obſervante pręceptum ; cum inferat ſufficiẽtem in actu primo libere non obſervare,vt vidimus ; ſicut Deum non donare libere actum, cuius donatio activa prærequiſita eſt ad obſervantiam præcepti, non excuſat rationabiliter,quia libere non obſervat ille, cui Deus non donat actum adimpletivum: & quidem certum eſt Deum aliquod beneficium præſtare obſervanti præceptum, pro quo tenetur ſpeciales gratias agere , & quod neceſſarium eſt ad obſervantiam, quo caret non obſervans ; & tamen non eſſet rationabilis excuſatio afferere , non obſervare, quia Deus illi non præſtat beneficium ad obſervandum omninò neceſſarium, quod ipſe acquirere non poteſt : ſi enim homo poſſet illud ſibi acquirere, non eſſet beneficium Dei , vtpotè non poſitum in eius poteſtate , ſed ſolùm in poteſtate creaturæ.

20 Secundo obijcies ; irrationabiliter obligat ſub graviſsimis pœnisPetrum; v. g. ad vſum actualem rei, ille, qui ex arbitrio ſuo rei exiſtentiam impedit , & non relinquit Petro liberam poteſtatem,vt eam rem faciat exiſtere; ergo Deus non prædeterminans Petrum ad exercitium actuale amoris , videtur irrationabiliter obligare illum ſub graviſsimis pęnis ad actuale exercitium amoris.Conſequentia probatur primo; exercitium actuale amoris eſt eſſentialiter iuxta doctrinã Thomiſtarum actualis vſus prædeterminationis divinæ ad tale exercitium; hoc enim exercitium eſt eſſentialiter exercitium creatum ſubordinatum Deo,vt prædeterminanti , in quo ſtat eſſe actualem vſum prædeterminationis.Secundo iuxta Thomiſtas Deus non prædeterminans tale exercitium impedit ex puro ſuo arbitrio exiſtentiam eius prædeterminationis:ergo non relinquit arbitrio creato, quod eam prædeterminationem exiſtere faciat; ergo irrationabiliter Deus non prædeterminans obligat ; ſicut Rex irrationabiliter obligaret ſub pœna capitis militem ſubditum,vt actualiter vteretur armis,quæ Rex ipſe pro ſuo arbitrio deſtrueret.

21 Confirmatur primo, irrationabiliter obligatur ad amandum ſub graviſsimis pœnis ille, cui competunt hæc duo; & eſſe in ſtatu inconiungibili cum amore, & non eſſe illi liberum excludere talem ſtatum; quod notius eſt omni probatione: at imprædeterminatus ad amorem eſt in ſtatu imprędeterminationis, eaque imprædeterminatio, (quippè eſt carentia requiſiti omninò neceſſarij ad amorem) eſt incõiungibilis prorſus cum amore Dei , atque iuxta doctrinam Thomiſtarum non eſt liberum homini, ſed ſoli Deo,talem imprædeterminationem excludere ; ergo imprædeterminatus ad amorem irrationabiliter obligatur ſub graviſsimis pœnis ad amandum.

Urgetur,conferatur homo, cui competeret eſſe impotentem amare, & non eſ-

ſe

se; illi liberum eam impotentiam excludere, cum homine cui competat, & esse in statu essentialiter incompossibili cum amore, & non esse ei liberum eum statum excludere, & quocumque tandem nomine hic secundus homo vocetur, sivè impotentis amare, sivè impediti ad amandum, sivè non applicati ad amandum, manifestum apparebit cuique rem pacate perpendenti, tàm dissonum esse hunc secundum hominem obligare ad amorem, quam illum primum: at certissimum est ex fide primum illum hominem, cui impossibilia sunt mandata, non posse obligari; ergo.

22 Confirmatur secundo, si homo longissimè distaret à Pontifice, nec posset se illi aproximare, inique obligabitur à Superiori, vt pedes Pontificis ex osculetur, sub hoc, scilicèt, præcepto, quod licèt deficiat applicatio requisita ad talem actionem, & potestas in homine, vt applicetur, habet tamen vires activas ad exosculationem cuiuslibet, cui applicetur; ergo si homo non sit prædeterminatione applicatus ad amandum, proùt ad amandum requiritur, nec in potestate hominis sit ita applicari, inique sub ipso colore obligabitur ad amorem, quia nimirùm, potestatem habet ad actus voluntatis, ad quos prędeterminetur à Deo.

23 Confirmatur tertio: demus Petrum peccatorem elicere posse actum supernaturalem religionis; Deum tamen denegare illi sufficientiam liberam, vt se iustificet; proùt requiritur ad hoc, vt talis actus religionis non solùm congruè, sed etiam condignè sit meritorius vitæ æternę: tunc sic; Petrus in isto casu obligaretur inique ad amandum, & merendum de condigno per actum religionis vitam æternã; ergo stando principijs Adversariorũ, creatura imprædeterminata ad suam conversionem, obligaretur inique à Deo, vt se cõvertat. Consequentia probatur; quia non minus requiritur ad conversionem prædeterminatio, quam ad meritum condignum vitæ æternæ iustificatio: at propter hoc vltimum cadere non potest iusta obligatio ad meritum condignum supra hominem expertem iustificationis, necnon sufficientiæ liberæ ad se iustificandum; ergo propter primum cadere non potest iusta obligatio ad conversionem supra hominem expertem prædeterminatione, necnon sufficientia libera comparandi prædeterminationem.

24 Tandem confirmatur; quia non est assignabile huius obligationis obiectum vrgentis hominem ad suam conversionem, si ad eã prærequiritur decretum prædeterminans: nam in primis dici non potest obiectum huius obligationis esse conditionatum, nempè, quod convertatur homo, si prædeterminetur à Deo; etenim exindè fieret nunquam hominem, qui non convertitur, peccare contra obligationem; quia qui tantum obligatur ad operandum sub aliquâ conditione, non peccat omittendo suam operationem, quando deficit ea conditio, sed quando existit; ergo qui tantum obligatur ad conversionem sub conditione decreti divini prædeterminantis conversionem, non peccat ommittendo se convertere, quando deest tale decretum; at nunquam ommittit se convertere, nisi deficiente tali decreto; vt patet; nunquam igitur ommittit se convertere peccando contra eandem obligationem.

Iam verò si talis obligatio sit absoluta, vt certe est, nullum ipsius obiectum assignari potest. Posito enim, quod Petrus imprædeterminatus ad suam conversionem sit obligatus, ad quid obligatur? Non quidem, vt non obstante imprædeterminatione componat cum illa se convertere; obligaretur enim ad aliquod impossibile ex terminis, nempè ad coniunctionem conversionis cum defectus prærequisiti essentialiter ad conversionem: non vt excludat eam imprædeterminationem, eaque exclusa se convertat; cum enim imprædeterminationem excludi, sit existere decretum prædeterminans, homo, in cuius potestate non potest existere tale decretum, non habet in sua potestate excludere imprædeterminationem.

25 Tandem non obligatur ad conversionem secundum se, ita quidem vt obiectum huius obligationis sit præcisè conversio, non verò sivè compositio illius cum decreto prædeterminante, sivè existentia talis decreti: cum enim ea conversio iuxta Thomistas sit secundum se essentialiter cõiuncta cum prædeterminatione, requit imprædeterminatus obligari ad cõversionem secundum se; cum nequeat obligari ad cõversionem vt coniunctam cum prædeterminatione. Insuper cum conversio secundum se, & essentialiter sit vsus prædeterminationis, non potest imprædeterminatus obligari ad conversionem secundum se; careret enim prædeterminatione, potestateque libera, vt prędeterminatio reddatur exis-

tens;

tens: qui autem caret re, poteſtateque libera, vt talis res reddatur exiſtens, nequit obligari ad vtendum illa, Quid enim eſſet iniquius, quam ſi pauper expertem pecunijs, poteſtateque libera vt eas comparet, obligaret Rex ſub graviſsimis pœnis ad vtendum pecunijs?

26 Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ad probationem negandum eſt antecedens, in quo ſatis impropriè loquuntur: actus enim voluntatis creatæ non eſt vſus prædeterminationis, nec voluntas creata prædeterminatione vtitur, quia domina illius non eſt; ſed potius media prædeterminatione vtitur voluntate creata, & eius libertate, cuius ſicut & omnium creaturarum eſt perfectiſſimus Dominus. Ad primam probationem conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia: cuius ratio eſt, quia negatio prædeterminationis infert logicè omiſsionem liberam actus præcepti, quemadmodum prædeterminatio infert phiſicè actum liberum præceptum; infert enim carentiam actus præcepti in voluntate potente ad actū, quamvis potentia indigenti ope, & auxilio Dei; quod verę potentiæ creatæ non opponitur; licèt, quia creata eſt, non ſit ſola Domina actus, ſed potius habeat dominium ſubordinatum Deo, qui primus eſt Dominus, etiam ipſius dominij creati: per quod licèt videatur diminui dominium creaturæ, quatenūs à nobis ſic aſſeritur dominiū in creatura, vt non excludat primum dominium eiuſdem actus; verumtamen manet dominium creatum, quod ex ſubiectione ad Deum non deſtruitur, ſicut & nulla creatura: quod ſignificavit Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos illis verbis; vbi autem miſericordia, & gratia eſt, liberum ex parte ceſſat arbitrium; ſcilicēt, quia indiget ad bonum miſericordia, & gratia Dei, quæ nutu donantis exiſtit, eſtque neceſſaria ad actum præceptum; non tamen vt libere, & impurabiliter ommittat, vtpotè, quæ deficit tranſgredienti præceptum: ſi autem voluntas in actu primo conſtituta ſic eſt domina actus, quod exercitium huius dominij nulli ſubordinetur, ſed ſibi ſubordinet Deum, & ita vt cuncta ſint poſita in eius poteſtate, vt aſſerebant illi, contra quos diſputabat Hieronymus, vt infrà videbimus, verificari nequit, indigere vlteriori miſericordia ad actum bonum.

27 Quod ampliùs liquet ex dictis; cum enim voluntas creata indifferens ad bonum, & malum, ſit potens eligere, quod malluerit, potiori titulo Deus, qui eſt dominus ipſius dominij creati, & omnium Proviſſor, potens eſt facere pro ſua miſericordia, quod homo libere amplectatur, vel iuſto iudicio ſuo negare miſericordiam, & gratiam, quam nulli debet impendere, & ex cuius negatione infertur infallibiliter omiſsio libera actꝰ præcepti; immò neceſſarium eſt, vt exiſtat actus bonus, Deum pro ſua miſericordia facere, quod exiſtat; ſicut neceſſarium eſt ad liberam eius omiſsionem, quod Deus antecedenter deneget gratiam, quam nulli debet.

Vndè homo obligatus ad præcepta, & conſequenter potens illa adimplere eorum adimpletionem ſtatuit, ſeù proponit ſub conditione voluntatis diuinę, quæ vltra potentiam, & obligationem deſideratur à fidelibus ad præceptorum adimpletionem; qua poſita infallibilis eſt adimpletio, quæ etiam poſita potentia, & obligatione multoties non datur: vndè non poteſt voluntas hæc, quæ à fidelibus deſideratur, eſſe voluntas inefficax, quæ nunquam deficit obligato, & quæ componitur cum carentia adimpletionis; ergo. Quo argumento vſus eſt Hieronymus contra Pelagianos lib. 2. cap. 3. Qua etiam ratione, homo obligatus præceptis, & conſequenter potens illa adimplere petit in oratione Dominica, nè inducatur in tentationem: vbi apertè ſignificatur hominem ſic obligatum indigere vlteriori gratia ad adimpletionem; quam Deus negare poteſt.

28 Per quod conſtat exemplum ex Rege præcipiente ſubditum vti armis, quibus caret, & quæ acquirere non poteſt, non eſſe ad rem: nam vti armis ſupponit potentiam ad vtendum, quæ eſt armorum dominium in actu primo; ac proindè Rex præcipiens vti armis, præciperet actum, ad quem non eſt potentia in ſubdito illo, vtpotè in quo dominium non eſt armorum: at præcipere actum non eſt præcipere vſum prædeterminationis; vtpotè actus creaturæ vſus prędeterminationis non eſt; ſed eſt præcipere vti ſuis potentijs, & principijs in ordine ad bonum, ad quod eſt potentia in creatura, indigens tamen gratia Dei.

Si autem *vti* ſumatur impropriè, & pro eodem atque elicere actum dependentem à prædeterminatione, qua caret, & quā acquirere non poteſt, ſicut ab alijs idem argumentum proponitur, etiam ſolvitur ex dictis aſſerendo voluntatem poſſe elicere

actum

actum dependentem, quantum ad rectum dependentię, quæ aliud non eſt, quam prædicata eſſentialia actus, quin poſsit ad prædeterminationem, quæ terminus dependẽtiæ, & in obliquo importatum; quia potentia in voluntate ad actum dependentem, quoad rectum dependentiæ eſt creata, indigens alio, vt ad actum reducatur, ſcilicèt Deo, illi donante actum, & ſibi ſubordinãte media prædeterminatione: quapropter potens eſt ad actum vt dependentẽ, quoad rectum dependentię, quin poſsit ad phiſicam prædeterminationem; ſicut ignis veram potentiam habet ad combuſtionem dependentem â Deo medio decreto efficaci, quoad rectum dependentiæ; poteſt enim ad id, quod efficit; efficit autem combuſtionem, & dependentiam eius â decreto, quæ eſt eâdem combuſtio, quin habeat potentiam ad decretum vllo modo; hæc autem potentia in voluntate ſufficit, vt ipſi imponatur præceptum, & vt imputetur eius tranſgreſsio: quod in Rege præcipiente vſum armorum non reperitur; præciperet enim actum, ad quem non habet ſubditus potentiam; vt vidimus.

Et quidem; ſi Deus non poſſet obligare præceptis ſuis voluntatem, quæ ſemel obligata non indigeret vlteriori miſericordia Dei ad eliciendum actum præceptum, ſed cuncta ſubdita eſſent eius poteſtati, nó eſſet neceſſarium implorare miſericordiam Dei, qua homo obligatus non indigeret ad adimplendum præceptum, & quam Deus non poſſet illi conferre in principijs Adverſariorum.

29 Ad primam confirmationem diſtingui poteſt maior, ſi obligatio cadat ſupra hominem reduplicato ſtatu illo concedenda eſt maior, ſi cadat ſupra hominem non reduplicato ſtatu, ſubdiſtinguenda eſt, ſi talis ſtatus ſupponat potentiam expeditam, & indifferentem, inferatque omiſsionem liberam actus, ad quem obligatur, & ſit quid neceſſarium, vt ipſa omiſsio liberadetur, neganda eſt maior; ſi hæc deficiant, tranſeat maior; & admiſſa minori iuxta datam diſtinctionem, neganda eſt conſequẽtia: itaque carere illo, quo in ponendo actum Deo ſubordinatur, non tollit potentiam ad actum, ſed infert liberam omiſsionem illius; atqueadeò talis ſtatus non tollit obligationem, quæ ſupra potentiam cadit, ſed infert infallibiliter liberam tranſgreſsionem præcepti: eſſe autem in ſtatu impræ-determinationis eſt carere illo, quo in ponendo actum, Deo ſubordinatur; eſt carere miſericordia, & gratia Dei neceſſario ſuperaddenda, vt exiſtat actus; atqueadeò tàm longè abeſt, quod auferat obligationem, quod potiús eſt quid neceſſarium, vt ſit tranſgreſsio libera illius: & quidem in omnium Catholicorum ſententia, tranſgredienti præceptum deficit gratia ſpecialis, quæ fit adimplenti, & ſine qua nunquam exiſtit adimpletio; quæ gratia nutu donantis exiſtit, vt lumine naturæ notum eſt, & dicebat Maximus Doctor: immò ſi eſſet in poteſtate creaturæ, non eſſet in poteſtate Dei, iuxta principia Adverſariorum, quæ ſi in poteſtate Dei non eſſet, nec eius gratia eſſet, nec ab ipſo ſperari deberet.

30 Comparatio autem inter illos duos homines non eſt ad rem: nam ſtatus vnius eſt carentia potentiæ ad actum; qui proindé obligari non poteſt, vtpotè obligatio ſupra potentiam cadere debet: alterius autem ſtatus ſupponit potentiam ad actum limitatam, quæ creaturam decet, & illi competere poteſt: ſunt quidem pares quantum ad hoc, quòd vtriuſque ſtatus infert carentiam actus; ſed eſt maxima differentia in eo, quod ſtatus vnius infert carentiam neceſſariam actus, alterius autem carẽtiam liberam, quia infert carentiam in habente potentiam ad actum: quomodo autem poſsit ſtare ſine potentia ad coniungendum actum cum tali ſtatu, nec ad ſtatum excludendum, potentia ad actum, ex dictis ſatis conſtat. Solum monendum eſt, omnia hæc argumenta in hoc ſiſtere, ſcilicèt, quomodo ſit potens ad actum cárens phiſica prædeterminatione ad actum, quam acquirere non poteſt. Inſuper ſiſtit in reddenda ratione, quare ex duobus æquè potentibus in actu primo ad actum, & æquè obligatis, alteri pro ſua miſericordia Deus donat actum, quem alteri non donat; cuius alia ratio non eſt, niſi voluntas donantis, qui nulli debens gratiam illam conferre, vni gratioſè donat, quam alteri ſine aliqua iniuſtitia, ſed iuſto iudicio ſuo negat.

31 An autem imprædeterminatus debeat dici impeditus ad actum, necnè? Poteſt eſſe quæſtio fortè de nomine: mihi videtur dicendum, non eſſe impeditum; quia carentia prædeterminationis non excludit potentiam ad actum, nec ratione ſui excludit actum, cui immediatè non opponitur; & licet inferat excluſionem, & carentiam actus, infert illam à creatura libere, & imputabiliter ponendam: impedi-

re autem aliquem actum est excludere potentiam ad actum, vel inferre exclusionẽ, & carentiam ab altero libere non ponendam: quapropter in sententia non admittente puram omissionem liberam, Deus negans potenti ad actum omnem prędeterminationem ad illum, impediret actum; quia ex carentia prædeterminationis à Deo posita, infertur carentia actus non ponenda ab alio, quam à Deo; & certè, qui libere omittit actum, non potest propriè dici impeditus ad actum.

32 Ad secundam confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia; cuius discriminis ratio est; quia approximatio est conditio requisita ex parte actus primi, vt vires ad ex osculandum pedes Pontificis sint expeditæ in actu primo ad exequutionem; atqueadeò hac proximatione deficiente, deficiunt vires expeditæ in actu primo: at prædeterminatio non requiritur ad expediendas vires creaturę in actu primo, sed vt vires expeditæ, & indifferentes reducantur à Deo ad actũ secundum determinatum; & ratio non semel à nobis traddita est, scilicèt, quia vires creaturæ expeditę in actu primo reduci debent ad actum secundum à creatura, & à Deo; à creatura reducuntur medio actu, qui non dat, sed supponit expeditionem; à Deo autem reducuntur media sua voluntate, & prædeterminatione, qua facit, & vult creaturam facere, & velle.

Si autem inquiras, quare approximatio expediat vires in actu primo? Ratio inter alias ea est, quia sine approximatione præcedente non stat ex osculatio, & cum approximatione componitur carentia ex osculationis; quapropter requiritur ad expeditionem potentiæ in actu primo, non verò supponens expeditionem reducit illam ad actum secundum, vt prædeterminatio.

33 Ad tertiam confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia, ad probationem distinguenda est maior, non minus requiritur, & eodem modo, nego maiorem, non minus requiritur, diverso tamen modo, concedo maiorem, & distinguenda est minor, quia requiritur præcisè, nego minorem, quia requiritur vt forma constituens actum meritorium in ratione talis; concedo minorem, & neganda est consequentia; itaque in casu illo inique obligaretur Petrus ad actum meritorium de condigno; quia inique obligatur ad decretum, seù effectum formalem, qui licèt habeat substratum in sua potestate, non habet formam; sicut non habens in sua potestate calorem, quamvis potens sit ædificare parietem, inique obligaretur ad construendum parietem calidum; qua etiam ratione inique obligaretur Petrus imprædeterminatus ad eliciendum actum prædeterminatum, vt talem; esset enim obligare ad ponendum effectum formalem impotens ponere formam, illaque carens: Petrus autem imprędeterminatus solum obligatur ad ponendum actum quoad prædicata sibi essentialia constitutiva, non quoad omnia prædicata essentialia conexivè, quale est prædeterminatio, & propterea, vt alibi diecbamus, obligatus præceptis tenetur facere, quod potest, & monetur petere, quod non potest, nimirùm prædeterminationem.

34 Sed dices; non minus est impossibile elicere actum coniunctum cum carentia prædeterminationis, quam elicere actum meritorium de condigno coniunctum cum carentia gratiæ habitualis, nec minus essentiale est conversioni prędeterminatio, quam actui meritorio gratia; ergo nulla videtur disparitas. Secundo, in casu posito Petrus remanet cum potentia ad actum religionis; quia licet gratia habitualis requiratur essentialiter ad meritum, non tamen ad actum religionis: sed prædeterminatio non solum requiritur ad actum prædeterminatum, vt talem, sed essentialiter requiritur ad actum secundum se; ergo Petrus imprædeterminatus, non solùm est impotens ad actum prædeterminatum, vt talem, sed ad actum secundum se.

35 Respondetur admittendo esse æque impossibile vtrumque, & ex terminis implicatorium; atqueadeò neutrum præcipi potest: homo ergo nec prædeterminatus, nec imprædeterminatus, obligatur ad conversionem chimæricam; sed solùm obligatur ad actum, qui ex terminis possibilis est, & ad quem retinet potentiam cõiunctam cum imprædeterminatione; atq; adeò potest retinere etiam obligationem, quæ solum supponit potentiam antecedentem: nec inconveniens est retinere potentiam, & obligationem ad actum ex terminis, & antecedenter possibilem coniunctam cum impossibilitate consequenti actus, quæ ipsi in casu posito convenit ex suppositione carentiæ prædeterminationis; sicut in-

con-

conveniens non eſt retinere potentiam antecedentem cum impotentia conſequenti; & in omnium ſententia ex ſuppoſitione omiſsionis actus fit impoſsibilis conſequẽter actus;& tamen remanet potentia antecedens ad illum; eſt tamen differentia, quã non erubeſcimus, ſed eſt qua in Domino gloriamur; nimirùm,quod carentia actus, ex cuius ſuppoſitione fit impoſsibilis conſequenter,eſt in poteſtate creaturæ : carentia autem prædeterminationis, ex cuius ſuppoſitione, etiam fit impoſsibilis conſequenter,non eſt in poteſtate creaturę, ſed Dei : cum enim actus ex vtriuſque determinatione,& dominio debeat poni, ex carentia volitionis creaturæ, vel Dei redditur impoſsibilis conſequenter. Inſuper cum ad exiſtentiam actus, præter potentiam expeditam creaturæ requiratur creaturam ſe determinare ad illum,& Deum donare ipſi talem determinationem, tàm ex omiſsione determinationis creaturæ, quam ex omiſsione donationis Dei, redditur impoſsibilis conſequenter; ſicut redditur infallibiliter exiſtens,tàm ex donatione divina,quàm ex determinatione creaturæ, quæ â priori infertur ex donatione voluntaria Dei.

36 Deindè ad id,quod additur,dicimus eſſe eſſentialem actui prædeterminationem,non tamen conſtitutive,ſed præſuppoſitive : actui autem meritorio vt tali eſt eſſentialis gratia habitualis conſtitutive : ex quo naſcitur non poſſe dari potentiam ad actum meritorium vt talẽ, niſi adſit gratia habitualis, vel potentia ad illam acquirendam; at ſine potentia ad prædeterminationem ſtat potentia ad actum, & ad eius prædicata conſtitutiva; indigens tamen prædeterminatione, qua adiuvetur à Deo in poſitione actus.

Ad ſecundum fatemur diſparitatem: ex qua naſcitur, quod homo ille carens gratia habituali ſit potens ad actum religionis, qui ex carentia gratiæ habitualis redditur impotens conſequenter ad illum eliciendum; ex carentia autem prædeterminationis, licèt non auferatur potentia antecedens, redditur conſequenter impoſsibilis actus. Ex quibus ſolum reſtat hæc difficultas; ſcilicèt,qualiter ſit potentia ad actum in carente prædeterminatione neceſſaria ad illam, quam acquirere non poteſt;quam difficultatem ſæpè ſolvimus, ad quam poſt varios circuitus reddere coguntur Adverſarij.

37 Ad quartam, & vltimam confirmationem reſpondetur, obligationem non eſſe conditionatam, nec ad coniungẽdum actum cum imprędeterminatione, quæ coniunctio impoſsibilis eſt ex terminis, ſed ad actum ſecundum ſe, qui licèt ſit impoſsibilis ex ſuppoſitione imprædeterminationis,eſt tamen ex terminis poſsibilis : nec inconveniens reputamus obligari hominem ad aliquod ex terminis poſsibile, quod ex ſuppoſitione aliqua, quæ in eius poteſtate non eſt, ipſi impoſsibile fiat. Ad huius primam impugnationem dicendum : coniunctionem converſionis cum prædeterminatione duo dicere, vnum in recto, nimirùm ipſam converſionem, & alterum in obliquo,nimirùm, prædeterminationem; homo obligatur ad coniunctionem, quantum ad rectum converſionis, non verò quantum ad obliquum,quo ſubordinatur Deo in ponendo actum, ad quẽ eſt potens potentia indigente obliquo à Deo ponendo, vt creatura eliciat actum, ad quem poteſt, cum ſubordinatione ad ipſum. Ad ſecundam conſtat ex dictis converſionem non eſſe vſum prædeterminationis.

Si autem dicas,homo eſt potens ad prędicata eſſentialia actus : ſed coniungi cum prædeterminatione eſt prędicatum eſſentiale illius; ergo eſt potens ad coniũctionem,vel ſi ad hoc non habet potentiam, nec illam habet ad prædicata eſſentialia actus.Diſtinguenda eſt maior,eſt potens ad prædicata eſſentialia conſtitutive, concedenda eſt,ad prædicata eſſentialia connexive,ſeú præſuppoſitive, quale eſt prædeterminatio,neganda eſt maior, & diſtinguenda minor,coniungi eſt prędicatum eſſentiale,quantum ad rectum coniunctionis,quod eſt ipſe actus,vel converſio, concedenda eſt minor; quantum ad obliquum ſub diſtinguenda eſt,eſt prædicatum eſſentiale conſtitutive,neganda eſt minor, connexive, ſeù præſuppoſitive,concedenda eſt, & neganda conſequentia, vel diſtinguendum conſequens eodem modo.

(§)

§. VI.

Statuitur secunda conclusio.

38 CUM decreto efficaci necessario ad existentiam actus adimpletivi præcepti, rectè componitur increpatio vnius, comparativè ad alterum. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti; & probatur primo, vbi est æqualis sufficientia ad actum, & æqualis obligatio, transgrediens obligationem iustè increpatur comparativè ad alterum adimplentem præceptum; sed cum necessitate decreti efficacis necessarij ad actum adimpletivum, stat æqualis sufficientia ad actum, & æqualis obligatio in adimplente, & non adimplente præceptum; ergo stat iusta increpatio transgredientis comparativè ad alterum adimplentem. Maior à contrarijs non negatur, nec videtur posse negari; fundamentum enim increpationis absolutæ est sufficientia, & obligatio ad actum, quem liberè quis omittit; ergo increpatio comparativa supra æqualem sufficientiam, & obligationem fundatur. Minor etiam probatur ex dictis; nam decretum efficax non dat, sed supponit sufficientiam, quæ componi potest cum decreto, & eius carentia; sicut potest componi cum actu, & eius omissione, cum eo, quod alter illam reducat ad actum secundum adimpletivum, alter verò libere omittat talem actum; & similiter cum eo, quod Deus alterius sufficientiam ad actum secundum reducat, alterius verò non: ex quo sequitur, eandem esse obligationem, quæ supra potentiam, & sufficientiam in actu primo fundatur.

Confirmatur primo, transgrediens præceptum non habet rationabilem excusationem etiam comparative; ergo iustè increpatur comparative ad alterum. Antecedens probatur, quod ipsi deficiat decretum, non tollit quominùs ipse æquè libere omittat præceptũ, & quod alter, cui adest decretum, eliciat actũ adimpletivum: & si adsint cætera necessaria, meritorium; ergo iustè increpatur præ alio, sicut alter iustè præmiatur præ illo.

39 Secundo, hoc ipsum explicatur; decretum non obstat, quominùs ex parte adimplentis sit ratio, vt laudetur, & præmietur, non solum absolutè, sed etiam comparative; ergo defectus decreti ex parte transgredientis nõ est sufficiens excusatio etiam comparativè ad alterum. Consequentia est bona, & antecedens probatur; specialiter esse obligatum adimplentem ad gratiarum actionem, non obstat, quominùs præ alio laudetur, & præmietur; ergo nec quod Deus ipsi velit actum præ alio, quod sit libero decreto. Antecedens est certum; constat enim adimplentẽ teneri ad speciales gratias agendas in omnium Catholicorum sententia, iuxta quam etiam est dignus laude, & præmio præalij. Et consequentia videtur nota; nam si ipsi factam esse specialem gratiam, ob quam tenetur ad speciales gratias agendas, omninò necessarium est ad actum adimpletivum, quæ alteri deficit, & sine qua est impossibilis consequenter adimpletio, vtpotè impossibile est coniungere actum adimpletivum cum carentia illius specialis gratiæ: si hoc, inquam, non tollit esse dignum laude, & gloria præ alio, quare Deum velle efficacitèr hanc specialem gratiam ipsi conferre, seù velle existere actuum, debet ab illo auferre rationem, qua præ alio dignus est laude, & præmio; nisi fortè Deum velle benefacere auferat rationem beneficij, vi cuius vnus est dignus præ alio: & est prorsus inintelligibile Deum velle efficacitèr conferre dignitatem adimplenti, qua præ alio dignus est præmio, ab illo tollere dignitatem, quam vult conferre; nec est dignitas, aut beneficium, sed chimæra, quod talis est naturæ, quod si exigat vt sit, Deum velle efficacitèr existere, destruatur.

40 Tertio; quod transgredienti non velit Deus donare actum, quẽ volens donat adimplenti, non obstat quominùs iusta sit increpatio comparativa; ergo, quod alterius actum prædeterminet, alteri non prædeterminato, non tollit quominùs iusta sit comparativa increpatio. Antecedens videtur certum; non enim dubitare licèt, Deum donare actum adimplenti, quem transgredienti non donat: quod autem volens, & libere donet, constat etiam, quia eius gratia esset, aut donum, de cuius ratione est liberaliter conferri: deindè cum Deus sit potens vtrique æquè sufficienti, & obligato donare actũ, alteri donans, & alteri non donans manifestè indicat, quod nulli debens

alte-

alteri donat, quia vult, alteri non donat, quia non vult : in dubium vocare non debent ; cum sit omninò certum , Deum cuius vult misereri , & quem vult indurare ; & consequenter cum absolutè negari non possit vnum iustè præ alio increpari , & discretio illa inter adimplentem , & non adimplentem sit necessaria , cum illa debet componi iusta increpatio comparativa. Consequentia verò probatur ; quia nimirùm est necessarium ad impletionem , Deum donare actum adimpletivum , quod in sententia Thomistarum idem est , ac Deum illum prædeterminare , nec minus est in potestate Dei donare , aut non donare, quam sit in nostra sententia prædeterminare, aut non prædeterminare ; ergo si iustè increpatur , cui Deus non donat actum adimpletivum , etiam comparative ad alterum , cui donat ; pariter iusta erit increpatio comparativa , quamvis transgredientis actus non prædeterminetur à Deo , alterius autem adimpletio non prædeterminetur.

Denique explicatur ; Deus discernit adimplentem à non adimplente , quæ discretio à Deo procedens necessaria est ad adimpletionem : & tamen non adimplens non habet iustam excusationem , si asserat ideò non adimplere , quia deficit ipsi discretio , quæ à Deo est , & ab illo esse est necessarium ad adimpletionem , quæ alteri ex Deo convenit , quam si ipsi Deus conferret , etiam adimpleret præceptum , & sine qua nec alter adimpleret ; ergo similiter.

41 Huic argumento responderi potest esse disparem rationem ; eo quod transgrediens , cui actus non donatur, habet in sua potestate actum , & quod Deus ipsum donet ; quia potest facere, quod in Deo sit Scientia Media actus; atqueadeò licèt non possit facere , quod Deus conferat auxilium ; potest tamen facere , quod auxilium collatum sit cum prævisione consensus , seú actus adimpletivi , in quo consistit Deum donare actum : & similiter non consentiens potest facere , quod in ipso sit ea discretio, quæ adimplenti convenit , & ex Deo est, quatenus Deus confert auxilium prævidens voluntatem medio illo esse consensuram.

42 Hæc solutio,& doctrina sustinenda non est,ex qua plura inconvenientia sequuntur, quæ longiorem petunt disputationem.Nobis modo sufficiat eadem consequentia,& veritate,eisdemque principijs nos defendere iustam esse comparativam increpationem,atque absolutum dominium Dei,& libertatem creatam , quæ cum solutione data non subsistunt.

Deindè, principia à nobis assumpta ab probandam conclusionem , quæ negari non possunt, cum hac solutione non componuntur: & in primis discretionem adimplentis esse á Deo non salvatur ; primo, nã id,quo decretum conferendi auxilium sufficiens,quod vtrique commune est,& ex se æquale,redditur specialis gratia est ratione prævisionis : sed hæc prævisio vnicè est à creatura,quæ sola potest facere per actum adimpletivum,quod Deus prevideat ; & consequenter quando adimplet,facit quod prævideri;ergo decretum ex se indifferens esse specialem gratiam,non à Deo, sed à creatura est ; atqueadeò discretio , quę in hac speciali gratia consistit , seù fundatur, non est ex Deo.

43 Secundo ; quia si auxilium , vel decretum redditur specialis gratia ex vi prævisionis, vt asseritur in solutione , & hæc prævisio consequitur ad actum adimpletivum, per quem acquiritur, vt etiam asserunt ; ergo specialis gratia, vt talis,non datur, vt consentiat , vel adimpleat præceptum; sed quia consentit , aut adimplet; & consequenter hæc specialitàs non facit discretionem, sed supponit; nec homo indiget speciali gratia,vt consentiat, sed ipsi convenit,quia consentit : & hoc quidem satis consequenter ad propria principia; nam in statu conditionato prævidetur consensura voluntas,seù adimpletura præceptum sine hac prævia specialitate ; & consequenter non requiritur prævie, vt consentiat,sed ipsi convenit,quia consentit.

44 Tertio;quia beneficium discretionis debet provenire ex voluntate divina : tùm, quia omne beneficium confert, quia vult : tùm etiam , quia cum beneficium, si est, debeat esse ex alicuius voluntate , si non esset ex voluntate divina , erit ex voluntate creata; atqueadeò non beneficium Dei, sed bonum acquisitum ab ipsa creatura, nec potest esse ex vtriusque voluntate iuxta Adversarios, quia immediatũ dominium Dei,& creaturæ erga eandem rẽ nõ cõcedunt,nec vt beneficiũ descendat ex volũtate divina,sufficit,quod Deus velit cõferre auxiliũ,cũ hæc volitioquã ũ ad omnia

quæ habet ex voluntate divina, communis sit non adimplenti, vt fatentur, & benè iuxta sua principia, aliàs esset voluntas efficax. Nec sufficit alia superaddita voluntas inefficax actus; nec voluntas conferendi concursum indifferentem; quippè hæc omnia communia sunt adimplenti, & non adimplenti: ex quibus clarè colligitur, beneficium hoc non existere ex vi voluntatis divinæ, & ex eius determinatione, & consequenter existit ex determinatione voluntatis creatæ, cui debetur illius existentia; non ergo est beneficium Dei. Ex quo rursus infertur posse Petrum, verbi gratia, esse perfectissimum in linea, & exercitio virtutum, & Paulum pessimum in eâdem linea, quin Deus prævidè maiorem habeat benevolentiam erga vnum, quam erga alterum: quod quam sit absurdum, satis constare videtur, & à nobis alibi ponderabitur.

45 Quarto, Petrus transgrediens, & constitutus hic, & nunc in actu primo cum æquali sufficientia, & obligatione, atque Paulus adimplens, pro signo actus primi, & obligationis intelligitur omninò æqualis in omnibus cum Paulo; nec in ipsis pro illo signo aliqua specialis gratia intelligitur; cuncta verò, quæ sequuntur, & in quo discriminantur adæquatè sunt posita in eorum potestate, & existunt ex eorum determinatione, non Dei; ergo omnis illorum discretio, non à Deo, nec ex eius voluntate, sed ex creata procedit.

46 Quinto, iuxta doctrinam solutionis sine speciali gratia vnus potest adimplere, altero nõ adimplente: at omninò absurdum est adimpletionem coniungi cum carentia specialis gratię; ergo solutio non salvat principia à nobis adducta, & quæ negari non possunt. Maior probatur, specialitas in eo consistit, quod Deus prævidens actum adimpletivum futurum sub illo auxilio, illud decernat: at Deum conferre auxilium sic prędividens necessarium non est ad adimpletionem; ergo nec specialis gratia. Consequentia est evidens, maior est doctrina solutionis, & minor etiam est communis apud Adversarios, & probatur; nam discretio Scientiæ Mediæ al collationem, seú decretum auxilij, sivè Deum prævidere consensum, vt tale auxilium decernat, necessarium non est ad consensum, seù actum adimpletivum, aliàs consensum præcederet necessario aliquod, illũ infalliBiliter inferens, nimirùm coniunctum ex Scientia Media, & decręto; ergo non est necessarium Deum decernere auxilium prævidendo per Scientiam Mediam consensum futurum sub illo. Insuper; si ad consensum necessarium esset decernere auxilium cum prævisione consensus, non posset per consensum acquiri talis prævisio; id enim, quod essentialiter præsupponitur ad actum, non potest per actum acquiri, vt per se est manifestum: hoc tamen est contra doctrinam solutionis. Tandem, quia in statu absoluto nihil necessario præsupponitur ad actum, quod in statu conditionato non præintelligitur, & præsupponatur ad illum: at in statu conditionato prævisio non præsupponitur, nec præintelligitur ad consensum; ergo non præsupponitur necessario in statu absoluto.

Dicere autem, quod hęc prævisio est necessaria non ex parte consensus, seù eius indigentia, sed ex parte Dei, nè cęco modo procedat in collatione auxiliorum, est omninò insufficiens; primo, quia eo ipso, quod essentialiter præcedat hæc prævisio, quocumque titulo hoc ipsi conveniat, non potest per actum absolutè existentem acquiri; id enim, quod præsupponitur ad actum, implicat ex vi illius haberi: quod cum solutione traddita, quam impugnamus, & doctrina communi Adversariorum non stat.

47 Secundo id, quo non indiget creatura vt consentiat, & sine quo æquè benè existeret consensus, non potest esse specialis gratia ad consensum; specialis enim gratia requiritur ex indigentia creaturę, & consensus, quæ talis non esset, si sine illa æquè benè esset consensus; ergo prævidere consensum futurum sub illo auxilio, necessarium non est ex indigentia consensus, in eoque specialis gratia consistere non potest: immò esset gratia Deo facta ab ipsa creatura; cum enim talis previsio sit ex determinatione creaturæ, & Deo sit necessaria, nè cæco modo procedat, sitque pertinens ad perfectionem divinam, nè cæco modo sua distribuat auxilia, ex dono, & determinatione creaturæ, hoc haberet Deus. Et quidem, vt fatentur Adversarij, si Deus eâdem donaret auxilia sine hac prævisione antecedenti, vel concomitante, eodem modo res evenirent; non ergo creatura speciali gratia indiget.

Si-

48 Similiter, Deum nobis donare consensum, seù actum adimpletivum, cum hac solutione non stat: Deus enim non ampliùs donat, quam vult donare: sed iuxta horum Authorum doctrinam Deus solum vult sufficiens auxilium, quantum ad sibi intrinseca, & essentialia; ergo solum hoc vult donare. Si autem Deus velit non solum auxilium secundum se, sed coniunctionem illius cum præviſione consensus; & consequenter velit coniunctum, ex quo infallibiliter sequitur consensus, & propter hoc dicatur Deum donare consensum. Contra est primo, quia iam præcederet in Deo decretum efficax infallibiliter connexum cum consensu, & hoc necessario, quod ipsi vitare intendunt. Assumptum constat; nam cum coniunctum ex auxilio, & præviſione inferat infallibiliter consensum, cum quo essentialiter connectitur, decretum tale coniunctum efficacitèr volens, eandem habet connexionem. Quod autem hoc esset necessarium ad existentiam, seù actus adimpletivi, etiam patet; nam Deum donare consensum est omninò necessarium ad existentiam illius; sed donare in hoc decreto consistit; ergo tale decretum est omninò necessarium ad existentiam consensus.

49 Secundo aliter hoc ipsum proponitur; ad existentiam consensus hoc decretum non requiritur, & requiritur, Deum ipsum donare; ergo per hoc decretum Deus non constituitur donans consensum. Maior probatur, in statu conditionato prævidit Deus consensum futurum absque hoc prævio decreto, vt ipsi fatentur; ergo ad existentiam absolutam consensus non requiritur. Consequentia probatur, quia vt prævideatur consensus sub conditione futurus, debent prævideri omnia prævie necessaria ad eius existentiam; ergo si prævidetur conditionatè futurus sine prævio decreto, hoc necessarium non est ad eius existentiam.

50 Tandem est constans ipsorum sententia ex duobus omninò æqualibus antecedenter ad actum, posse vnum elicere actum, & adimplere præceptum, altero illud transgrediente; atqueadeò sine speciali gratia antecedenti actum secundum; ipse autem actus secundus specialis gratia non est, nec Dei donum, cum adequatè existat ex libertate, & determinatione voluntatis creatæ, & iuxta Hieronymum contra Pelagianos lib. 2. *Nequaquam in arbitrij positum*

Est potestate, quod nutu donantis accipitur

hoc est, non est positum adæquatè in eius potestate; atqueadeó stat vnum consentire, altero non consentiente, vnum adimplere, altero non adimplente sine speciali gratia, & dono Dei: & ideò ipsi ingenuè fatentur argumenta facta contra nostram sententiam, nec apparentem habere difficultatem iuxta sua principia, quod ipsis libenter concedimus, & est nostræ sententiæ gravis confirmatio: etenim argumenta ab ipsis proposita contra nostram sententiam dessumpta ex libertate creata, ex iusta increpatione vnius præ alio; ex eo, quod Deus iuxta nostram sententiam non opera nostra præmiaret, aut puniret, sed Dei auxilium, & alia huiusmodi, facta sunt, & proposita contra doctrinam, & concordiam Augustini, & contra doctrinam Catholicam, quam locis citatis defendit Hieronymus, & quæ argumenta ab ipsis solvuntur. Ex quo manifestè deducitur, sententiam, & concordiam, contra quam nec apparentem habent difficultatem, longè distare à mente Sanctorum Patrum; qui non per potestatem creaturæ, aut per hoc, quod cuncta sunt posita in eius potestate in actu primo constituta, sed per subiectionem ad Deum, cuius voluntati, & efficaciæ omnia bona tàm libera, quàm necessaria debenter, libertatem nostram conciliarunt.

Insuper, argumenta, quę ex doctrina Patrum, nimirùm, quod omnia bona sunt donum Dei, quod fiat specialis gratia adimpleti præ non adimplente; ex quo intulerunt necessitatem orationis, magnam ingerunt difficultatem in Adversariorum sententia; principiaque, quæ manibus semper habent Sanctorum Patrum, vel non componuntur cum sententia relata, vel ægrè componuntur.

§. Vltimus.

Solvitur ratio dubitandi.

51 AD Rationem dubitandi, conceſſa maiori, neganda eſt minor; ſicut licèt prævíſi ſint pœnitentiam acturi Tyri, ex dono Dei, quod Iudæis deficit, non inde eſt iniuſta reprehenſio. Ad probationem diſtinguendum eſt antecedens, niſi ſint omninò æquales in pertinentibus ad actum primum, & obligatione cadente ſupra illum, concedendum eſt antecedens, quantum ad pertinentia ad actum ſecundum, negandum eſt antecedens; & quia æquales erant quãtum ad actum primum, & obligationem, iuſtè increpantur comparativè ad Tyrios. Ad rationem probativam dicendum eſt, cętera debere eſſe paria quantum ad actum primum, & in his, quæ non pendent à propria voluntate, pertinentia ad actum primum: quod habet eandem inſtantiam in ſpeciali gratia, quæ convenit adimplenti prę non adimplente, & in donatione Dei, quæ, licèt non habeat vim in ſententia Adverſariorum, eo eſt, quia non ſalvant ſpecialem gratiam in ſententia, quę negari nõ poteſt. Ratio autem huius doctrinæ ea eſt; quia increpatio fundatur ſupra potentiam, & obligationem, quam quis libere tranſgreditur, & comparativa increpatio inæqualitate ſufficientiæ, & obligationis; qua ratione, licèt adimplenti Deus donet actum adimpletivum, quem tranſgredienti non donat; iuſta eſt increpatio comparativa: nec tranſgrediens iuſtam habet excũſationem. Ex quibus.

52 Ex dictis in diſcurſu totius diſputationis ſequuntur non parvipendenda inconvenientia circa Scientiam Mediam, & eius principia. Primum inconveniens eſt læſio Divinę Omnipotentiæ, & ſummæ libertatis Dei, quorum neutrum Scientia Media exiſtente ſubſiſtere poteſt: quod ſic probo; expoſitione Scientiæ Mediæ ſequitur aliquid ex habitudine terminorum poſsibile, & non implicans contradictionem fieri Deo omninò impoſsibile ex ſuppoſitione ſibi non libera, & independenter ab eius determinatione, & libertate: at hoc derogat Omnipotentię, & ſummæ libertati Dei: ergo ex ſuppoſitione Scientiæ Medię vtrùmque attributum læditur. Conſequentia ex præmiſsis infertur, & maior eſt certa; nam Petrum in hac occaſione vocatum conſentire, in hac occaſione eſt poſsibile ex habitudine terminorum: at ex ſuppoſitione, quod Deus prævíderit per Scientiam Mediam Petrum in tali occaſione non conſenſurum, quæ ſuppoſitio in poteſtate Dei non eſt, nec ipſi libera, omninò impoſsibile eſt Deo Petrum in tali occaſione vocatum conſentire; ergo id, quod ex terminis eſt poſsibile, fit Deo omninò impoſsibile ex ſuppoſitione ipſi non libera, & independenter ab eius determinatione. Minor iſta probatur; nam poſita Scientia Media prædicta, non eſt poſitum in poteſtate Dei coniungere cum illa Petri conſenſum; aliàs poſſet Scientiam Mediam falſificare; quod omninò implicat; nec poteſt ponere conſenſum diviſum â tali Scientia; cum à ſe abijcere Scientiam illam non ſit poſitum in eius poteſtate.

53 Minor principalis pro prima parte probatur; nam agens, quod redditur impotens ad ponendum effectum ſub eius ſphæra contentum abſque propriæ libertate, & ex ſuppoſitione ſibi non libera, imperfectam habet potentiam; ergo ſi Deus redderetur impotens ex ſuppoſitione ſibi non libera ad ponendum conſenſum ſub ſphæra Omnipotentiæ Divinæ contentum, eius omnipotentia imperfecta eſſet. Antecedens probatur; tùm, quia imperfectio agentis creati, ignis verbi gratia, arguitur rectè ex eo, quod indigeat ad ponendum effectum aliquo, cuius exiſtentia, vel ablatio in eius poteſtate non eſt; ergo ſi Omnipotentia Divina indiget aufferri ſuppoſitionem ad ponendum conſenſum, cuius exiſtentia, vel ablatio in eius poteſtate non eſt, rectê arguitur eius potentiam imperfectam eſſe. Tùm etiam; nam agens, quod ad ponendum effectum redditur impotens ex ſuppoſitione ſibi non libera, impeditur ab alio ad effectum ponendum, nimirúm, à poſitione ſuppoſitionis, quæ abſque eius libertate ponitur: ſed agens ab alio impeditum ad ponendum effectum imperfectam habet potentiam; ergo. Tùm denique

nique ; nam ex ſuppoſitione ſibi non libera redditur impotens ad effectum, aliàs ſibi poſsibilem. Ex quo infertur, Deum alteri ſubdi, & ab alio eius Omnipotentiam ligari ; quod manifeſtè eius Omnipotentiæ repugnat.

54 Secunda pars minoris principalis, nimirùm deſtrui ſummam Dei libertatem, ex dictis etiam conſtat : poſita enim Scientia Media diſſenſus, Deus non poteſt cum illa coniungere conſenſum, nec à ſe removere Scientiam Mediam ; ergo non habet potentiam expeditam ad ponendum conſenſum ; & conſequenter ipſi liberum non eſt conſenſum non ponere, ſed manet neceſsitatus ad non ponendum.

Confirmatur, Deus non habet in ſua poteſtate omnia requiſita ad ponendum conſenſum ; ergo in eius poteſtate non eſt conſenſus. Antecedens patet, ad poſitionem conſenſus neceſſarium eſt non eſſe Scientiam Mediam diſſenſus : ſed hoc in Dei poteſtate non eſt ; ergo non habet in ſua poteſtate omnia requiſita ad ponendum conſenſum. Conſequentia autem probatur ex illorum principijs, iuxta quæ ſi prædeterminatio ſit neceſſaria ad exiſtentiam actus liberi, actus non eſt in poteſtate hominis non prædeterminati, & conſequenter nec illi liberum, actum non ponere ; ergo ſi Deus non habet in ſua poteſtate omnia requiſita ad conſenſum, non habet in ſua poteſtate conſenſum.

55 Secundum inconveniens deſumitur ex læſione Divinæ Providentiæ, & ſic probatur : Providentia iuxta Boëtium 4. de Conſolatione relatum à D. Thoma 1. part. quæſt. 22. artic. 1. *Eſt ipſa divina ratio in ſummo eius Principe conſtituta, qua cuncta diſponit* ; at hæc in Deo non ſubſiſtit, admiſſa Scientia Media ; ergo. Probatur minor, Scientia Media ex diſpoſitione Dei non eſt, cum tamen contingenter exiſtat ; ergo ratio divina non cuncta diſponit, atqueadeò nec providentia eſt. Ex quo aliud deducitur inconveniens, nimirùm, Scientiam Mediam Deo fortuito, & acaſu evenire : ſed implicat aliquod acaſu, & fortuito evenire reſpectu Dei ; ergo impoſſibilis eſt Scientia Media. Minor eſt clara, aliàs Deus eſſet caſui, & fortunæ ſubiectus. Maior autem probatur ; id enim, quod alicui præter intentionem evenit, fortuito, & acaſu evenit : ſed Scientia Media conſenſus præ diſſenſu, verbi gratia, contingenter Deo evenit, & præter eius intentionem ; ergo fortuito, & acaſu.

56 Tandem aliud inconveniens ſequitur ; nimirùm, læſio, ſeu deſtructio libertatis creatæ : quod ex dictis clarè deducitur ; ex læſione enim primæ libertatis ſecundam deſtrui neceſſe eſt. Modo tamen eſt probandum ex Scientia Media immediatè deſtrui libertatem creatam, & non ſolùm mediatè ex deſtructione libertatis divinæ. Primo ; quia ex principijs Adverſariorum, & ſecundo abſolutè. Sic ergo probatur primo, eo ipſo quod Deus cognoſcat per Scientiam Mediam, quod ſi Petro conferatur auxilium, *A.* convertetur, Petrus præventus tali auxilio non eſt liber in conſentiendo ; ergo Scientia Media tollit libertatem creaturæ. Antecedens probatur, non eſt potens ad diſſentiendum ; ergo liber non eſt in conſentiendo : libertas enim neceſſario requirit potentiam expeditam ad extrema oppoſita. Probatur antecedens, non eſt potens ad diſſenſum coniungendum cum Scientia Media conſenſus, nec ad illum dividendum à Scientia Media ; ergo non eſt potens ad diſſenſum. Conſequentia apud Adverſarios eſt nota, & antecedens etiam pro prima parte eſt certum ; nam huiuſmodi coniunctio falſam redderet Scientiam Mediam. Pro ſecunda parte probatur, non poteſt facere, quod non exiſtat Scientia Media conſenſus ; ergo non eſt potens ad diſſenſum diviſum à Scientia Media conſenſus. Antecedens probatur, Deus hoc non poteſt facere ; ergo nec voluntas creata. Probatur conſequentia ; id enim, quod ſubterfugit Providentiam Dei, implicatorium eſt ex terminis : ſed ad id, quod implicat ex terminis, non eſt potens voluntas creata ; ergo. Quod autem Deus non poſsit facere, quod Scientia Media non exiſtat, eſt communis Adverſariorum ſententia.

57 Reſtat modo breviter probare Scientiam Mediam auferre libertatem creatam, non ſolùm ex principijs Adverſariorum, ſed abſoluté. Complexum conſtans ex Scientia Media conſenſus, & auxilio ſufficienti ad illum, antecedit conſenſum ex parte actus primi, illumque infalliſibiliter infert ; ergo illius aufert libertatem. Conſequentia eſt nota. Antecedens probatur ; & in primis, quod auxilium præcedat

ex

ex parte actus primi est certum : quod autem præcedentia Scientiæ, quam iam probavimus, debeat esse ex parte actus primi, probatur ; Scientia Media præcedit auxilium, cum ex directione illius conferatur, vel saltim possit dirigere; ergo si auxilium præcedit à fortiori ipsa Scientia Media præcedit, & non potest se tenere ex parte actus secundi ; & consequenter spectat ad actum primum.

Ulteriùs probatur ; voluntas non intelligitur potens ad actum in actu primo, non intellecta Scientia Media ; ergo Scientia Media ex parte actus primi se tenet. Antecedens probatur, voluntas non intelligitur potens in actu primo ad actum, non præintellecta in Deo potentia expedita ad illius positionem: sed hæc potentia in Deo intelligi non potest, non intellecta Scientia Media, vt ipsi concedunt ; ergo nequit intelligi voluntas potens in actu primo ad consensum, non præintellecta Scientia Media consensus. Et hæc de isto dubio, & de toto Tractatu.

TRAC-

TRACTATUS VI.

DE PRÆDESTINATIONE.

Procœmium ad Lectorem.

VArijs impeditus infirmitatibus Author Tractatum istum de Prædestinatione non potuit ad finem vsque perducere; & licèt cursus fuerit consumatus, materiaque omnibus numeris completa alio substinente pro ipso, cuius scripta non immeritò poterant in lucem prodire: quia tamen in animo est non nisi proprios, & legitimos partus Sapientissimi Patris Magistri orbis oculo proponere, & alienos cum ipsis non miscere; ideò solum hæc tria dubia, quæ certo scimus ab ipso fuisse dictata, tuis oculis præsentamus. VALE. Et sit.

DVBIVM PRIMVM.

QVI ACTVS IN NEGOTIO PRÆDESTINATIONIS interveniant?

PARAGRAPHVS PRIMVS.

STATVITVR EXISTENTIA PRÆDESTINATIONIS.

PRædestinatio propriè sumpta, de qua in præsenti agit D. Thomas, & quæ est disputationis nostræ materia, definitur ab Angelico Magistro, his verbis: *Transmissio creaturæ rationalis in vitam æternam*; quæ in visione Dei consistit, & quæ non est finis naturalis, ad quem creatura rationalis ex natura sua ordinetur, seù tendat, vel ad quem ex proprijs viribus possit pervenire; sed est finis supernaturalis excedens proportionem naturæ, quem ex misericordia, & gratia Dei prædestinantis consequitur, & in quo eius felicitas consistit: vbi notandum

dum eſt, quod docet D. Thomas articulo 2. ad 2. quod tranſmiſsio non accipitur pro miſsione reali exteriori alicuius ad aliquem terminum, ſeù finem, quæ in tempore fit; ſed pro miſsione, quam aliquis mente concipit,& apud ſe ſtatuit; ſic dicitur Machabeorum 2.cap. 6. *Quod Eleazarus deſtinavit non admittere illicita propter vitæ amorem*; hoc eſt, apud ſe ſtatuit illicita non admittere. Hac ratione Div. Thomas hoc artic. 2. docet: prædeſtinationem nihil ponere in prædeſtinato; quia adæquatè intelligitur conſtituta,& exiſtens abæterno in mente divina.

2 Hanc eandem definivit Auguſtinus de Dono Perſeverantiæ cap. 14. quod ſit: *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur, quicumque liberantur*: quæ à definitione Div. Thomæ non differt, niſi verbis; præſcientia enim, & præparatio beneficiorum eſt ipſa interior tranſmiſsio exiſtens in mente divina, qua præordinavit Deus media, quibus creatura rationalis ad gloriam perducitur. Vſus eſt autem D. Thomas nomine tranſmiſsionis, vt ſignificaret præparationem mediorum perducentium ad finem ſupernaturalem,& excedentem proportione m naturę: ad quod explicandum vtitur exemplo ſagittæ, quę ab alio tranſmittitur in ſignum, ad quod ex ſe pervenire non poteſt.

3 Diſtinguitur prędeſtinatio à providentia generali, quæ conſiſtit in præordinatione exiſtentiæ abæterno in mente divina rei in tempore fiendę, ſeù extituræ, per quam omnes creaturæ ordinantur in ſuos fines; & vt docet Div. Thomas ſupra quęſt. 22. art 1. ex Boëtio 4. de Conſolatione, eſt ipſa divina ratio in ſupremo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit; licèt à PP. aliquando Providentia Dei prędeſtinatio nuncupetur. Sic Auguſtinus de Prędeſtinatione Sanctorum, cap. 10. ibi: *Prædeſtinatione quippè Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*. Et in Ioannem, cap. 68. ibi: *Deus fecit futura, illa prædeſtinando*. Sic etiam Hieronymus ad Epheſios, cap. 1. ibi: *Prædeſtinare eſt prædefinire*. Quo etiam modo loquendi vtuntur alij Sancti PP. Damaſcenus, Iſidorus,& alij. Hæc tamen acceptio nimis impropria eſt; nam vt docet D. Thomas artic. 1. ad 2. non omnes creaturę propriè dicuntur prędeſtinari,& ſi aliquando abuſivè prædeſtinatio nominetur reſpectu cuiuſcumq; alterius finis diſtincti à fine vitæ æternæ.

4 Diſtinguitur etiam prædeſtinatio à providentia generali, etiam ſupernaturali, vt docet D. Thomas in 1. ad Annibaldum, diſt. 4. quęſt. vnica, artic. 1. & 2. & quæſt. 6. de Veritate, art. 1. & alibi ſæpe; quia providentia importat ordinem provisorum in finem, etiam ſupernaturalis: ſed prædeſtinatio reſpicit ordinem, & exitum ordinis; quia ſcilicèt eſt tranſmiſsio, & præordinatio, ſeù præſcientia, & præparatio efficax mediorum infallibiliter perducentium ad gloriam. Diſtinguitur ergo prædeſtinatio a providentia generali communitèr ſumpta per hoc, quod reſpicit finem ſupernaturalem excedentem facultatem naturæ: à providentia autem ſupernaturali generali, quia non ſolùm reſpicit ordinem, ſed exitum ordinis.

5 Adhùc magis diſtat prædeſtinatio propriè ſumpta, ab Auguſtino, & Div. Thoma definita à deſtinatione, ſeú deputatione reproborum ad pœnam, ſeù ſupplicium æternum, quæ etiam aliquando, licèt minus propriè prædeſtinatio dicitur, vt conſtat ex Auguſtino lib. 15. de Civitate Dei, cap. 11. Fulgentio lib. 1. ad Monimum in omnibus ferè capitibus, & ex Concilio Valentino ſub Lotario, cap. 3. Magis, inquam, diſtat à noſtra prædeſtinatione; nam cum prædeſtinatio ſit præordinatio mediorum in finem, & ſupplicium, ſeù pœna æterna reproborum non ſit finis rationalis creaturæ, ſed potiùs tendit ad ſupplicium, & perducitur ad pœnam per hoc, quod per peccatum deviat à fine tàm naturali, quàm ſupernaturali, ad quem per vtramque providentiam ordinatur; fit vt huiuſmodi deſtinatio ad pœnam minus propriè prædeſtinatio nuncupetur.

6 Hanc prædeſtinationem propriè ſumptam in Deo reperiri omninò certum eſt: traditur enim ab Apoſtolo ad Romanos 8. quos prædeſtinavit hos, & vocavit. Ad Epheſios 1. prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Ieſum-Chriſtum. Et Actorum 13. crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam: quæ ſæpè traditur,& exprimitur in Scriptura,& PP. per propoſitum miſerendi, per dilectionem,& electionem, & ſupponitur à Concilio Tridentino Seſsione 6. cap. 12. & probatur eius exiſtentia ex D. Thoma in præſenti; quidquid Deus in tempore exequitur, abæterno pręſcivit, & præordinavit fieri: ſed in tempore plures homines ad gloriam perducit conferendo ipſis gloriam,

riam, & media, quibus illam infallibiliter consequantur; ergo datur abæterno in mente divina præscientia, & præparatio horum mediorum, & etiam ipsius gloriæ, seù transmissio hominum in vitam æternam.

§. II.

Aliqua vt certa supponuntur.

7 QUIA In prædestinatione, præscientia, & præparatione beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur; quicumque liberantur, seù in transmissione hac creaturæ rationalis in vitam æternam, plures intercedunt actus divini intellectus, & voluntatis; vt certa ab incertis separemus, anquam ad difficiliora transeamus. Supponẽdum est vt certum ad prędestinationem requiri in Deo scientiam simplicis intelligentiæ necessariam, qua Deus cognoscit gloriam possibilem, & merita, quibus consequi potest: & ratio est manifesta; quia nemò prudenter intendit finem, & eligit media ad illum consequendum, absque prævia cognitione possibilitatis finis, & mediorum: quod si in agente creato hoc verum est, deincreato negari nefas est.

8 Supponendum est etiam, esse necessariam scientiam, qua Deus cognoscit, non solum gloriam esse possibilem, sed etiam esse sibi possibile illam conferre, & donare hominibus, etiam per modum coronę; & esse etiam sibi possibile conferre auxilia, merita, & perseverantiam finalem, quibus illam homo infallibiliter consequitur: & ratio etiam est manifesta; nam cum Deus hæc omnia conferat prædestinato, & ex vi prædestinationis disponat abæterno illa in tempore donare, necessarium est, vt provida, & prudens sit dispositio divina, quod prevìè ad dispositionem cognoscat se posse facere, quod disponit: quod etiam certum debet esse apud omnes.

9 Scientia autem, qua Deus hoc cognoscit, etiam est scientia necessaria, sicut prima: & ratio est etiam mihi manifesta & nisi valdè fallor, evidẽs; nam quidquid Deus facit, est potens facere ex vi suæ Omnipotentiæ, & quia Omnipotens est: sed quidquid Deus potest facere, & donare hominibus ex vi suæ Omnipotentiæ, seù quia Omnipotens est, cognoscit, se posse facere, & donare ex vi comprehensionis Omnipotentiæ, quę est scientia in Deo necessaria; ergo Deus ex vi cognitionis comprehensivæ Omnipotentiæ, quæ est scientia necessaria, cognoscit se posse facere, & donare hominibus, qnidquid facit, & quidquid illis donat; atqueadeò cum defacto donet prædestinatis gratiam, merita, & gloriam, & alia bona, tàm minima, quàm magna, quæ habent, per scientiam necessariam, se posse illa donare, cognoscit.

10 Deindè; quia aliquid posse existere absolutè, & ex terminis, & esse possibile Deo, convertuntur; cum eius Omnipotentia extendatur ad omne id, quod non implicat contradictionem, & est possibile absolutè, & ex terminis; cum ergo per scientiam simplicis intelligentiæ necessariam cognoscat Deus gloriam esse possibilem secundum se, & vt coronam, cognoscat etiam auxiliorum, & meritorum possibilitatem, per eandem cognoscit esse sibi possibilia; per scientiam ergo necessariam hæc omnia cognoscit Deus.

11 In sententia tamen aliquorum Recentiorum, non cognoscit Deus per scientiam necessariam comprehensivam suę Omnipotentiæ se posse donare merita hominibus, & gloriam per modum coronæ, sed ad hoc indiget Deus Scientia Media, quæ à Deo potest deficere, vt ipsi docent; atqueadeò illa deficienti, vt potuit, Deus non cognosceret se posse donare hominibus merita, & gloriam, vt illorum coronã: & suppositа illorum doctrina; non est mirum; nã in casu apud ipsos possibili, quod, scilicèt, deficeret Scientia Media, qua prævidet hominem consensurum libere, Deus non posset facere, quod consentiret, neque ipsi posset donare merita, aut gloriam, vt illorum coronam; atqueadeò non mirùm, quod in casu illo, quẽ reputant possibilem, sine interventu voluntatis divinę, Deus nõ cognosceret, se posse illa donare: immò oppositum cognosceret, scilicèt, se non posse donare merita, & gloriam, impotentia ex eius voluntate non orta, sed aliundè: sed hoc quam absurdum sit, ex ratione facta constat; quæ infrà amplius explicabitur.

Prop-

12 Propter hoc alij ex Recentioribus concedunt, Deum per scientiam necessariam cognoscere se posse conferre, & donare hominibus merita, & gloriam vt illorum coronam: non tamen ex vi scientiæ necessariæ cognoscere quibus medijs possit illam conferre, & donare, sed indigere Scientia Media, vt Deus potens merita cóferre, sciat quibus auxilijs potest conferre merita, & gloriam vt illorum coronam.

Sed isti inconveniens non vitant; & contra illos instat argumentum factum, Deus medijs his auxilijs defacto confert, & donat hominibus hæc merita; ergo est potens illa donare medijs his auxilijs ex vi suæ Omnipotentiæ: nam vt supra diximus, quidquid Deus donat defacto, potens est donare ex vi suæ Omnipotentię, & quia Omnipotens est; si ergo merita donat medijs his auxilijs, potens est illa donare medijs illis ex vi suæ Omnipotentiæ; atque adeò, vt supra inferebamus, ex vi comprehensionis Omnipotentię cognoscit, se posse illa donare medijs his auxilijs; & consequenter per scientiam necessariam.

Uel aliter; quidquid defacto Deus donat, & eo modo quo donat, seù eijsdem auxilijs, quibus donat, potens est donare ex vi suæ Omnipotentiæ; ergo si defacto medijs his auxilijs donat merita, est potens illa donare, quia Omnipotens est, & ex vi suę Omnipotentiæ, eo modo quo defacto donat, & medijs his auxilijs. Insuper; esse aliquid possibile ex terminis, & esse Deo possibile, conveniuntur: sed Deus per scientiam necessariam cognoscit merita esse possibilia ex terminis medijs his auxilijs, quibus defacto existunt; ergo per eandem scientiam cognoscit Deus, esse sibi possibilia medijs his auxilijs.

13 In necessitate autem huius scientiæ etiam discriminantur. Alij asserunt Scientiam hanc Mediam, vel non esse necessariam ad negotium prędestinationis; vel non esse necessariam ex parte creaturę, quæ illa non indiget ad benè operandum, merendum, & perseverandum, nec ad consequendum gloriam: esse tamen necessariam ex parte Dei, nè cæco modo procedat in collatione auxiliorum; vel esse quidem necessariam ad prædestinationem, quæ defacto datur, & ad providentiam, qua defacto Deus perducit homines ad gloriam: esse tamen possibile per merita consequi gloriam, Scientia Media de materiali, & concomitanter se habente.

14 Hæc tamen omnia cum suppositione à nobis facta non cohærent: cum enim sit impossibile ex terminis hominem consequi gloriam per merita Deo non donante vtrúmque, merita, & gloriam; & simul sit impossibile illa donare, nisi prudentissime, impossibile etiam erit ex terminis hominem consequi gloriam per merita, quin Deus abæterno dispexerit in sua præscientia illa conferre, præsciens posse illa donare, & vtrúmque habere in sua potestate. Quod autem exigatur ex parte meritorum, & gloriæ, videtur manifestum; nam merita, & gloria ex conceptu creaturæ petunt essentialiter non posse existere, nisi ex dispositione, & providentia divina, quæ essentialiter, & ex conceptu suo includit cognitionem necessariam, vt prudentissima sit; immó est essentialiter, & constitutive ipsa prudentia divina: sed hæc infra forsàn iterùm attingemus.

15 Post actum istum sequitur actus voluntatis divinæ, quo Deus vult finem, scilicèt gloriam prædestinato, qui in vera sententia est volitio efficax donandi gloriam; & in aliorum sententia sufficit inefficax, scilicet, voluntas illa generalis, qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Post actum istum sequitur iudicium, quo intimatur voluntati electio gloriæ, seù intentio finis, vt procedat ad eligenda media. Deindè sequitur electio mediorum efficacium ad consequendum finem.

Hi actus communitèr admittuntur, qui solum nostro modo intelligendi cum fundamento in re distinguuntur; sunt tamen in Deo idem simplicissimus actus omnia prædicta præstans: in illis tamen explicandis est differentia. Aliqui enim docent, electionem mediorum solum esse efficacem respectu auxiliorum, non verò respectu meritorum; hæc enim solum eliguntur per actum inefficacem, qui sufficit ad illorum existentiam supposita volitione efficaci auxiliorum, sub quibus prævidentur futura per Scientiam Mediam. Alij autem asserunt, esse etiam efficacem electionem meritorum; qui etiam inter se dividuntur: alijs asserentibus esse necessariam electionem efficacem meritorum ad consequendam gloriam per merita: alijs verò negantibus.

16 Post actum istum electionis assignatur à Thomistis alius actus intellectus, qui vocatur imperium, quo intellectus imperat voluntati, vt media electa exe-

quus

quutioni mandentur : ad quem ſequitur in voluntate alius actus, qui vocatur vſus, quo voluntas vult media exequutioni mandari, & applicat potentias exequutivas ad illorum exequutionem, in quibus ſtatuendis præſens difficultas conſiſtit, à qua breviter expediri conabimur ; quamvis enim exiſtentia horum actum neceſſaria ſit ad negotium prædeſtinationis, & illorum notitia ad myſterium hoc explicandum valdè conducat : non tamen in illis ſtatuendis præcipua conſiſtit difficultas : ſi enim Deus eligat homines efficacitèr ad gloriam ; eligat etiam efficacitèr media efficacia. Ad illius conſequutionem, etiam ipſa merita, & perſeverantiam finalem, vt ſupremus dominus illorum alio non indigens, & conſequenter non indigens ad huiuſmodi electionem aliquo, quod ab ipſo poſsit deficere, & in eius poteſtate non ſit, maneatque his actibus determinata Omnipotentia ad exequendum merita ad ponendum gloriam, & ad donandum homini omnia hæc, etiam ipſam noſtrorum actuum libertatem, quæ ex hac providentia deriuetur, & ab illa cauſetur, ideòque cum illa rectè componatur ; etenim providentia, & diſpoſitio, atque determinatio libera creata eſt exequutio providentiæ divinæ, vt docet D. Thomas, quæſt. 22. antecedenti, & alibi ſæpè, Si hoc, inquam ſtatuatur, ſtatutum manet ſupremum dominium Dei in prædeſtinando, & libertas creata manet illæſa ; quæ duo componere præcipua eſt huius tractatus difficultas.

17 Fateor tamen, quod ſine his actibus imperij, & vſus occaſionem aliqui accipiunt ad tribuendum voluntati creatæ, quod præſtat Deus medijs his actibus, nimirùm, determinare, & applicare ſuam Omnipotentiam ad operandum : aſſerunt enim, quod licèt Deus eligat efficaciter ad gloriam, & eligat ipſa merita, ex vi horum actuum non determinatur Omnipotentia ad exequendum merita, & gloria ; ſed determinatur Omnipotentia à voluntate creata inſtructa auxilijs ſufficientibus ; voluntatiſque creatæ diſpoſitioni ſubditum eſt determinare, vel non determinare Omnipotentiam illamque ad exequutionem applicare, adeò vt in eius ſit poteſtate facere, quod Deus non elegerit hominem efficacitèr ad gloriam, neque ad merita ; qui videntur conſtituere Deum potiùs ſpectatorem, ſeù ſpeculatorem providentiæ, & diſpoſitionis creatæ, quam Proviſſorem ipſius libertatis, & diſpoſitionis creatæ : hoc quidem faciliùs vitatur conſtituendo in mente divina actus imperij, & vſus, quorum munus eſt applicare, & determinare Omnipotentiam ad exequendum, quod electum præſupponitur.

§. III.

Statuitur duplex concluſio.

18 PRIMA Concluſio ſit. In voluntate creata vltra intentionem finis, & electionem mediorum, datur actus vſus, quo voluntas applicat potentias exequutivas ad exequutionem mediorum, & vult media ad exequutionem mandari. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Thomæ 1. 2. quæſt. 16. artic. 1. vbi à noſtris Thomiſtis fuſius propugnatur : ibi D. Thomas inquirens vtrum vſus ſit actus voluntatis, & diſtinguens vſum activum, & paſsivum penes hoc, quod activus conſiſtit in applicatione activa potentiarum ad ſuas operationes ; paſsivus autem eſt ipſa exequutio potentiarum, quæ applicantur à voluntate : differte affirmat vſum iſtum activum eſſe actum voluntatis, & reddit rationem ; quia voluntas eſt quæ mover potentias ad ſuos actus, & hoc eſt applicare eas ad operationem : vndè ſicut movere, & applicare activè ; pariter vſus eſt actus voluntatis ; atqueadeò cum movere ſit elicitive à voluntate, pariter & vti : iuxta quam doctrinam ſolvit argumenta, quæ intendunt probare vſum non eſſe actum elicitum à voluntate, & articulo 4. docet : voluntatem vti alijs potentijs, qui actus ſequitur electionem, eiuſque à voluntate electiva diſtinctionem explicat : quæ quidem conſiſtit in eo, quod voluntas exercet actũ dominij erga alias potentias illis vtendo, vt electio ſortiatur effectum. Undè nec negari poteſt iuxta Divum Thomam vſum

vsum activum esse elicitive à voluntate; necnon distingui ab electione, ad quam consequitur.

19 Deindè probatur artic. 4. citato; vbi distinguit duplicem habitudinem voluntatis ad volitum: Prima est secundùm quod volitum est in voluntate secundum quandam proportionem, & affective; ad modum quo res naturales proportionatæ ad aliquem finem, dicuntur appetere huiusmodi finem; sic voluntas per intentionem appetit finem: qui appetitus secundum habitudinem completur per electionem mediorum; per quam supposita intentione finis, volitum est in voluntate perfecte in ratione voliti, seù affectivè; quæ est prima habitudo voluntatis ad volitum. Est insuper alia habitudo voluntatis ad volitum, vt realiter habitum, seù vt realiter, & exequutive habeatur; ergo est necessarius alius actus voluntatis, quo voluntas coniungatur cum fine, non solum affective, sed exequutive, quo applicat potentias exequutivas ad finis consequutionem, & quo vult media, vt consequentia finem.

20 Quod explicari potest in lapide; verbi gratia, qui ratione proportionis cum centro dicitur appetere centrum, & ratione eiusdem proportionis cum medijs, quibus centrum consequitur, illa similiter appetit; hac supposita, radicat motum, quo consequitur centrum; sic ergo voluntas per intentionem finis, & electionem mediorum proportionatur affective cum fine; ex quo nascitur alius actus, quo consequitur finem applicando potentias exequutivas ad exequutionem mediorum, quibus consequitur.

Quod confirmatur ex Illustrissimo Godoy in præsenti: nam media causantur à fine in genere causæ finalis, quam causalitatem exercet in media ex vi electionis, per quam amantur, & amplectuntur à voluntate, suntque in illa affective ratione finis; sed media etiam exercent causalitatem in finem in exequutione; ergo oportet, vt vltra electionem, qua amantur ratione finis, alio actu amentur, vt causa sunt finis, qui est actus vsus, quo voluntas tendit in media, quia causa sunt finis.

21 Confirmatur secundo; finis amatur ex vi intentionis, & post electa media, etiam amatur actu distincto ab intentione, & electione mediorum; præcipuè si finis ponendus sit per actionem distinctam à positione mediorum; ergo similiter postquàm voluntas in linea intentionis, seù secundum primam habitudinem, secundum quam volitum est in voluntate affective, vt loquitur Div. Thomas, eligit media; restat alius actus, quo media amantur vt hic, & nunc exequenda: & ratio est supra facta: quia finis per primum actum amatur, vt causa mediorum: per secundum autem, vt in exequutione est effectus mediorum; ergo pariter, quia per primum actum amantur media, vt effectus finis, restat alius actus, quo in exequutione amantur, vt causa finis.

22 Secunda conclusio: in intellectu post electionem mediorum, & antecedenter ad vsum, datur actus imperij. Hęc conclusio etiam est D. Thomæ 1. 2. quæst. 17. per totam: vbi sæpè docet; quod imperium est actus rationis ordinantis cum quadam motione ad aliquid agendum: quod quidem imperium habet vim ad movendum ex præcedenti actu voluntatis, & consequenter præsupponit electionem; nec movere potest, saltim ordine directo, nisi ad actus vsus, qui consequitur; datur ergo imperium, quod est actus intellectus consequens electionem, & præcedens vsum activum voluntatis.

23 Hoc expresit D. Thomas artic. 1. in corpore, illis verbis: *Undè relinquitur, quod imperium sit actus rationis præsuppositio actu voluntatis, in cuius virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.* Et expresius artic. 3. ibi: *Ad primum ergo dicendum; quod non omnis actus voluntatis præcedit hunc actum rationis, qui est imperium: sed aliquis præcedit, qui est electio, & aliquis sequitur, scilicèt, vsus, quia post determinationem consilij, quæ est iudicium rationis, voluntas eligit, & post electionem ratio imperat, per quod agendum est, quod eligitur, & tunc demum voluntas alicuius incipit vti exequendo imperium rationis.*

Idem probatur ex Div. Thoma 2. 2. quæst. 83. artic. 1. vbi docet imperium sicut, & orationem esse actum intellectus, & eius ratione convincitur; nam sicut orare est manifestare desiderium per subiectionem ad Deum, quo indigemus, clamando ad ipsum; quod ad loquutionem spectat; atque adeò ad intellectum: similiter

ad

ad rationem ſpectat ordinare per modum cuiuſdam intimationis exequutioni mandari medium electum.

24 Secundo probatur ratione; quia præter intentionem finis datur electio mediorum, præter iudicium regulans intentionem, datur aliud iudicium, quod regulat electionem mediorum, quo etiam intimatur voluntati intentio finis, vt procedat ad electionem mediorum: ſed poſt electionem mediorum datur actus vſus in voluntate; ergo datur etiam iudicium rationis, quo proponuntur media, vt exequenda, & quo intimatur voluntati electio mediorum, vt exequutive decernat, & vtatur potentijs exequutivis: quod quidem iudicium efficaciam habet ex electione antecedenti.

25 Tertio probatur; vt quis exequatur, quod eligit, tanquàm agens intellectuale, ſcilicèt ſciens, & prudens, neceſſarium eſt quod poſt amatum medium per electionem, ſciat electum, & amatum eſſe, & quia electum, & amatum, exequutioni mandandum: vndè ſi poſt electionem mediorum homo ignoraret ſuam electionem, non exequeretur media; & è contra ſi non eligens iudicaret per errorem ſe elegiſſe, proculdubiò ad exequutionem procederet; quid ſit de hypotheſis poſsibilitate, & voluntas vteretur potentijs exequutivis, quia ſciens eſſe electum efficacitèr medium, electione perſeverante, vel cognitione electionis, non poteſt non velle media exequutioni mandari; ergo poſt electionem datur actus intellectus intimans electionem, & proponens media exequutioni mandanda. Ex quo etiam infertur actus vſus in voluntate; potentia enim exequutiva à voluntate diſtincta non eſt capax directionis immediatè; imperium ergo hoc dirigit, vt voluntas velit media exequutioni mandari, & vt vtatur potentijs exequutivis; atqueadeò infert in voluntate actum vſus.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

26 ARGUITUR Primo; vſus eſt formaliter idem, quod electio; ergo eſto ſit actus voluntatis, non tamen ab electione diſtinctus. Antecedens probatur; vſus eſt volitio, ſeù deſiderium vtilis vt talis, vel huius vtilis præ alio: ſed huiuſmodi volitio eſt electio: eligere enim, nihil aliud eſt, quam velle vnum medium præ alio; ergo vſus eſt formaliter idem quod electio. Confirmatur; per electionem efficacem amantur media, vt exequutioni mandanda cum omnibus circunſtantijs, quibus ponenda ſunt; nihilque amatur in medijs, aut circunſtantijs per actum vſus, quod volitum non fuerit per electionem; ad id enim voluntas medio actu vſus applicat potentias exequutivas, vt in re ponatur, quod electum eſt; ſicut per imperium intellectus imperat faciendum, quod pro priori per electionem amplexa eſt voluntas; ergo ſicut per actum vſus applicantur potentiæ, & moventur; moveri poſſunt per electionem, & càdem ratione; non ergo actus vſus ab electione diſtinguitur.

27 Reſpondetur negando antecedens, ad probationem diſtinguo maiorem, affective ſolum vniens volitum cum voluntate, nego maiorem; coniungens volitum cum voluntate, non ſolùm affectivè, ſed realiter, & in exequutione, concedo maiorem; & negando eſt minor: electio ergo non eſt quæcumque volitio, ſeú deſiderium medij, & vtilis; ſed illa, quæ ſolum affective medium volitum cum voluntate coniungit ſecundum quandam proportionem ad illud: vſus verò eſt volitio eiuſdem medij coniungens in re, & in exequutione voluntatem cum volito; tendit enim in illud, vt realiter, & in exequutione habitum.

28 Ad confirmationem concedendum eſt, quidquid per vſum amatur, amari, vel poſſe amari per electionem: diverſimodè tamen; per electionem enim amatur ſecundum quandam proportionem, qua affectivè coniungitur voluntas cum volito, & illi proportionatur: per vſum autem amatur, vt realiter habitum, & per quandam coniunctionem cum volito, vt poſſeſſo ex vi illius. Quod etiam explicari poteſt ex tertia probatione ſecundæ concluſionis; nam vſus ex modo, quo tendit in media, præſupponit illa electa, & agens intellectuale ſciens, & prudens vult per vſum media iam electa exequutioni mandari; nec ipſa exequutio ſequeretur, & exiret ab agente rationabiliter, niſi priùs cognoſceret illa eſſe electa, ex vi cuius cognitionis dirigeret voluntatem, vt vellet applicare potentias exequutivas. Et inſtatur argumentum in intentione finis, per quam poteſt amari finis, & omnes circunſtantiæ, quibus in exequutione ponitur; quo non obſtante, poſt electionem mediorum, alio actu voluntatis ad exequutionem ſpectante amatur, qno in re ponitur: & ratio in vtroque caſu eâdem apparet, vt vidimus.

Uel dicendum, iuxta alteram probationem, ſeù explicationem doctrinæ Div. Thomæ; medium, vt vtilè dupliciter amari poſſe, vel ratione finis, vel quia cauſa finis: primo modo amatur per electionem; ſecundo verò modo per vſum; quia actus diſtinguuntur ex diſtincta ratione formali ex parte voliti.

29 Si autem dicas, quod nullus eſt actus in noſtra voluntate præcedens exequutionem aliarum potentiarum, qui non poſsit ab exequutione impediri; & conſequenter voluntas per vſum non tendit in bonum, vt realiter habitum, & poſſeſſum, vt diximus. Reſpondent Sapientiſsimi Magiſtri, negando antecedens; quia vſus eſt motio activa eſſentialiter cum paſsiva connexa: poſita autem motione paſsiva potentiarum exequentium, nequit effectus illarum, qui eſt obiectum per vſum amatum. Et confirmari poteſt ex Div. Thoma, quæſt. 17. citata art. 3. in corpore, illis verbis: *Vſus vtentis coniunctus eſt cum actu eius, quo quis vtitur; non enim vtitur aliquis baculo, antequam aliquo modo per baculum operetur.*

30 Sed hoc mihi difficilè eſt; quia licèt in voluntate divina, cuius vſus habet efficaciam independentem ab alio, ſic contingat; in nobis tamen non ſic, quia potentia, quæ ſubditur vſui noſtro, indiget concurſu Dei ſubſequuto ad vſum activum noſtræ voluntatis, quem Deus poteſt non præſtare potentiæ exequenti, poſito quocumque actu voluntatis noſtræ: quamvis etiam poſito vſu activo in voluntate, inferatur, ſeù exigatur connaturaliter concurſus divinus, vt potentia exequutiva operetur; non tamen eſſentialiter; ſicut in cauſa naturali; verbi gratia, in igne, exigentia connaturalis concurſus divini ad comburendum approximatum; quæ tamen Deus poteſt negare. Inſuper poteſt quis habere omnes actus voluntatis requiſitos ad deambulandum; & conſequenter actum vſus: & tamen propter deffectum potentiæ exequutivæ, fortè ignoratum non deambulare: immò ipſi voluntati volenti reflexe ſeipſa vti ad eliciendum actum miſericordiæ, poſſet Deus negare concurſum ad illum eliciendum; & fortè non aliud voluerunt Sapientiſsimi Magiſtri. Undè requiritur voluntatem per actum vſus coniungi cum volito, vt realiter habito ex vi illius actus, & quatenus eſt ex parte illius; quamvis impediri poſsit, vt dictum eſt, illius poſſeſsio: iuxta quod intelligendus eſt D. Thomas loco adducto.

31 Secundò arguitur; voluntas non poteſt imperari; ergo actus vſus non eſt in voluntate ex imperio rationis. Antecedens probatur; ei convenit imperari, cui convenit intelligere imperium: ſed voluntas illud non intelligit; ergo non imperatur.

32 Hoc argumentum magno plauſu Recentiorum proponitur à P. Uazquez in preſenti, illoque vtuntur in varijs materijs, paucis mutatis: illo intendunt probare intellectum ab anima, & à voluntate non diſtingui: charitatem non eſſe totam rationem agendi; & alia huiuſmodi. Sed ſolvitur à Divo Thoma, qui illud ſibi opponit quæſtione 17. citata artic. 5. his verbis: Ei convenit imperari, cui convenit imperium intelligere: ſed voluntatis non eſt imperium intelligere; ergo nec imperari:

cui

cui respondet. Ad secundum dicendum intellectum non solum sibi soli, sed etiam omnibus potentijs intelligere, & ideò etsi voluntas non intelligat, potest imperari: itaque homo medio intellectu realiter distincto intelligit, & ipse homo sic intelligens, & directus media cognitione, potest media voluntate, & ratione illius, vtpotè virtus proxima, amare, vel respicere obiectum cognitum medio intellectu; homo ergo sibi ipsi præcipit medio imperio rationis, & ipse per voluntatem obedit, & vult exequutioni mandari, quod imperatum est. Similiter homo ipse per fidem cognoscens Deum, per charitatem diligit ipsum: nec est necessarium, quod virtus, qua diligit Deum, cognoscat Deum; sed sufficit, quod homo cognoscat Deum, & ipse per virtutem charitatis dilectionem operetur.

33 Tertio arguitur; imperium rationis non est necessarium, vt moveat voluntatem quoad specificationem, quia ad hoc sufficit iudicium præcedens electionem, per quod proponuntur media vt eligenda, & exequibilia: neque est necessarium, vt moveat quoad exercitium; quia voluntas est primum movens quoad exercitium; ergo non est necessarium. Confirmatur; vt voluntas ex intentione ad electionem procedat, non est necessarium, quod præcedat iudicium movens quoad exercitiũ; ergo nec vt ex electione ad vsum procedat. Confirmatur secundo; vt voluntas vtatur intellectu ad imperium, non indiget alio imperio regulante talem vsum; ergo nec vt vtatur alijs potentijs, indiget huiusmodi imperio.

34 Respondetur, imperium esse necessarium, vt moveat quoad specificationem; eo quod vt homo vtatur, verbi gratia, potentijs exequutivis, necessarium est, quod ipsi intimetur electio, & quod media exequenda sint volita, & coniuncta affective, vt ex hoc moveatur voluntas ad exequutionem, & vtatur potentijs exequutivis. Insuper requiritur, vt moveat voluntatem quoad exercitium; quia quamvis ipsa sit primum movens quoad exercitium; tamen ad actum vsus petit moveri à seipsa media electione, ex qua ad imperium derivatur vis motiva, qua intellectus medio imperio movet proximè, & immediatè voluntatem ad vsum.

35 Ad primam confirmationem dicendum est eodem modo; nimirùm post intentionem dari iudicium dirigens electionem, & intimans intentionem finis, movensque voluntatem vt eligat: quod si est multiplex medium, relinquit indifferentiam in voluntate, ex cuius determinatione eligitur vnum præ alio: si autem est vnicum medium, ad illius electionem determinat iudicium antecedens electionem, & subsequens intentionem finis; quod potest dici imperium rationis.

Ad secundam confirmationem respondetur, in ordine directo sicut imperium non indiget electione sui, vt sit, sed solum electione mediorum propter nerum harum potentiarum, scilicèt intellectus, & voluntatis: pariter nec indiget alio imperio: in ordine autem reflexo indiget electione sui, & altero imperio reflexo: & ratio est supra facta; quia solum est necessarium, quod eligens cognoscat se elegisse, & quod intimet electionem voluntati, vt ipsa vtatur potentijs exequutivis; hac ratione, vt voluntas velit, non requiritur alia volitio, qua velit se velle; licèt possit dari in ordine reflexo.

36 Vltimo arguitur, & instatur contra dicta; nam dato hoc imperio præcedente vsum cum efficacia motiva participata ex electione, non datur locus, vt vsus voluntatis sit formaliter liber, sed ad summum in causa, nimirùm in electione præcedenti, & imperio; vel solum tanquàm actus exterior: hoc autem admittendum non est; ergo nec prædictum imperium. Maior probatur; nam imperium regulans vsum est iudicium determinatum efficax, & connexum cum actu; in Deo essentialiter; in creaturis autem solum connaturaliter: sed actus voluntatis regulatus iudicio determinato non est formaliter liber; cum eius omissio non possit coniungi cum tali iudicio dante potentiam ad actum; ergo vsus non est formaliter liber.

37 Quod in Beatis clarè conspicitur, in quibus amor beatificus est necessarius; quia regulatur iudicio determinato, nimirùm visione beatifica connexa connaturaliter cum amore beatifico. Et confirmatur; quia supposita intentione efficaci finis, electio vnici medij libera non est formaliter, sed in causa, nimirùm

in intentione finis; & ratio à nobis est tradita, scilicèt, quia iudicium subsequutum ad intentionem, & regulans electionem vnici medij determinat voluntatem ad illam, & non relinquit indifferentiam, quam habet voluntas ad eligendum, quando sunt plura media; ergo similiter iudicium regulans vsum determinat, & non relinquit indifferentiam in voluntate ad vtendum.

38 Respondetur negando maiorem, ad probationem distinguenda est maior, est iudicium determinatum, & connexum cum actu ex meritis obiecti attingendi per vsum, neganda est maior; est determinatum ex electione præcedenti, concedenda est maior; & distincta minori eodem modo, neganda est consequentia: itaque ex parte actus regulantis actum liberum potest dari aliquid infallibiliter connexum cum illo sine læsione libertatis, si illud non requiratur ex parte actus primi ad actum, vt alibi docuimus.

39 Modo addimus, quod nec obstat libertati actus aliquid se tenens ex parte actus primi regulantis actum cum ipso connexum, dummodo hæc connexio non oriatur ex meritis obiecti, sed solum ex libera determinatione antecedenti voluntatis: nam hæc determinatio electionis solum facit, quod voluntas medio actu vsus infallibiliter exequatur media, & illa velit secundum eorum naturam, & iuxta eorum merita; atqueadeò facit infallibiliter, vt libere velit exequi media: & ratio horum est; quia voluntas in actu vsus sibi ipsi subordinatur, vt eligenti; atqueadeò libertati vsus non obest, quod eliciatur à voluntate ex determinatione electionis: sicut quia voluntas in omni actu subordinatur Deo, non obest libertati actus, quod à voluntate eliciatur prædeterminata à Deo; quia determinatur á Deo ad actum eliciendum iuxta suam naturã, & iuxta merita obiecti; sed solum fit, quod voluntas prædeterminata infallibiliter operetur actum liberum.

40 Fatemur tamen perfectiorem esse libertatem formaliter in voluntate eligente, quam in ipsa vt vtente: sicut perfectior libertas est in Deo prædeterminante, & subordinante sibi voluntatem creatam, quam in voluntate creata operante ex subordinatione ad Deum. Quam doctrinam admittere tenentur omnes distinguentes decretum intentivum gloriæ per modum coronæ à decreto exequutivo; quippè decretum exequutivum gaudet libertate distincta ab intentivo: & tamen ex decreto intentivo exequutivum infallibiliter infertur; nisi velint libertatem negare decreto exequutivo. De quo posteà

Simili ratione non tollitur libertas actus imperati per actum reflexum ex efficacia imperij: nec actus misericordiæ, v. g. à charitate imperatus evadit necessarius, sed virtuosus, & liber: & similiter electio vnici medij, supposita efficaci intentione finis, est libera; quidquid in oppositum asserant Recentiores, apud quos, vt diximus, etiam decretum exequutivum gloriæ debet esse liberum, & ex virtute iustitiæ; etiamsi infallibiliter ex efficaci intentione gloriæ per modum coronę inferatur.

41 Sed dices: D. Thomam 1. 2. q. 17. artic. 5. ad 1. docere vsum voluntatis necessario sequi ex imperio rationis. Ex quo etiam docet, imperium, & actum imperatum esse eundem actum in genere moris, sicut dicitur de actu interiori, & exteriori; ergo actus imperatus non habet aliam libertatem à libertate imperantis. Respondetur D. Thomam loqui de necessitate infallibilitatis, & consequentiæ iam explicata, quam admittimus supposito imperio efficaci. Concedimus etiam actum imperantem, & imperatum esse eundem actum in genere moris: ex hoc tamen, sicut non tollitur ab actu imperato, si sit actus elicitus á voluntate, quod habeat propriam, & specificam bonitatem, licèt etiam participet bonitatem actus imperantis; similiter non tollitur ab ipso propria libertas: quod non contingit in actu exteriori alterius potentię à voluntate.

§. V.

Aliqua ex dictis resoluuntur.

42 SUNT Aliqui Authores Thomistæ affirmantes ex dictis ad quemlibet actum liberum voluntatis præsupponi imperium rationis; & ducuntur ex eo, quod D. Thomas, q. 17. citata, art. 5. docet: quod om-

omnis actus, qui ſubditur rationi, imperatur: cum autem omnis actus liber ſubdatur rationi, videtur dicendum, ad omnem actum liberum imperium rationis præſupponi.

Nobis tamen dicendum videtur, quod omnis actus liber voluntatis, qui per actum reflexum poteſt eligi, poteſt etiam imperari: & ratio tradditur à Div. Thoma locis citatis; ſcilicèt, quia voluntas, & intellectus reflectuntur ſupra ſuos actus; & conſequenter actus ab ipſis potentijs eliciendi poſſunt intendi, eligi, & imperari per actus reflexos; & poteſt etiam voluntas ſeipſa vti per actum reflexum. Dicendum etiam eſt ſecundo, quod primus actus liber voluntatis imperari non poteſt; eo quod cum imperium habeat efficaciam motivam ex actu voluntatis, quæ eſt primum movens quoad exercitium, neceſſario præſupponit actum voluntatis, à quo habet efficaciam; nec illam poteſt habere, niſi ab actu libero, alias nec in imperio, nec in alijs actibus ſubſequentibus poteſt eſſe libertas: nec poteſt habere efficaciam ab actu voluntatis ſubſequuto, propter mutuam inter vtrùmque actum cauſalitatem; quia in genere moventis quoad exercitium eſſet inter illos mutua cauſalitas, & ſub eâdem ratione; quod implicat.

43 Dicendum eſt tertio; in ordine directo imperium ſequi ad electionem, & præcedere vſum: quod docuit D. Thomas quæſt. 17. citata art. 3. ad 1. verbis ſupra relatis: & eâdem ratione diſcurrendum eſt in ordine reflexo, vt ſupra dicebamus; quia actus liber voluntatis, ſicut quodlibet aliud bonum poteſt intendi, poteſt eligi, & imperari, poteſtque voluntas vti ſeipſa per actum reflexum ad illum eliciẽdum. Dicendum eſt quarto; iudicium ſubſequens intentionem, efficacem, & dirigẽs electionem, ſi vnicum tantum ſit medium, etiam obtinet rationem imperij, habetque efficaciam ex intentione antecedenti, vi cuius movet, & intimat eligendum eſſe hic & nunc hoc medium.

44 His non obſtantibus, probabile mihi videtur cum alijs Thomiſtis, quemlibet actum voluntatis liberum præcedere iudicium practicum, quod cum actu voluntatis connectitur; non tamen tale, vt moveat voluntatem quoad exercitium: & probatur; quia voluntas non amat vnum præ alio, nec amat potens non amare, quia iudicet hoc eſſe ita conveniens hic & nunc, & omnibus penſatis; atqueadeò quotieſcumque determinatur ad amandum, habet hoc iudicium cum amore coniunctum, quod regulat actum voluntatis, & ad quod habendum, ſeù eliciendum determinatur à voluntate medio actu, quẽ regulat; ita vt ſit inter vtrúmque actum mutua cauſalitas, & prioritas: actus voluntatis præcedit movendo quoad exercitium, & determinando intellectum ad ſuum actum eliciendum; actus verò intellectus ducit, & dirigit voluntatem, vt eliciat proprium actum, & moveat. Hæc autem mutua prioritas, cum ſit in diverſo genere cauſæ, non repugnat: & adeſt exemplum in ſententia communiori Thomiſtarum aſſerentium imperium intellectus præcedere vſum voluntatis per modum dirigentis, immò moventis quoad exercitium: & tamen conſequitur ad vſum, ſecundum quod eſt exequutio intellectus, in quo Omnipotentia conſiſtit.

45 In Deo autem etiam hoc contingit ſuo modo; nam ſcientia ſimplicis intelligentiæ præcedit primum actum voluntatis, & hæc eâdem ſecundum quandam terminationem liberam ſubſequitur: itaque eâdem ſcientia præcedit, & ſubſequitur ſecundùm diſtinctas terminationes; & ratione terminationis, ſecundùm quam ſubſequitur, dici poteſt ſcientia approbationis: in homine autem oportet, quod ſit duplex cognitio, quarum ſecunda præcedit, & ſubſequitur ſub diſtincta ratione.

§. VI.

Statuitur vltima concluſio.

46 ULTIMA Concluſio, quæ ex dictis colligitur, hęc eſt. Hi actus ſublatis imperfectionibus, quibus in creaturis admixti ſunt, etiam reperiuntur in Deo; atqueadeò cum ſumma ſimplicitate reperitur in Deo intentio gloriæ, electio mediorum, imperium, & exequutio. Colligitur ex D. Thoma quæſt. 5. de Veritate, artic. 1.

in corpore, illis verbis : *Ea, quæ de Deo intelliguntur, propter nostri intellectus imbecillitatem, vel infirmitatem cognoscere non possumus, nisi ex his, quæ apud nos sunt ; & ideò vt videamus quomodo providentia dicatur in Deo, videndum est, quomodo providentia sit in nobis* : ex quibus deducitur, quod actus in nobis reperti, qui in suo conceptu non dicunt imperfectionem, sunt admittẽdi in Deo : at actus recensiti ex conceptu suo nullam dicunt imperfectionem ; ergo in Deo debent concedi sublatis imperfectionibus, quibus in creaturis admixti sunt.

47 De actu imperij, de quo quoad præsens est præcipua difficultas, probatur: quia in Deo reperitur providentia : hæc autem iuxta D.Thomam in præsenti, art.4. *Est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem.* Et quæst. antecedenti, art.1.ad 1. sic habet : *Præcipere de ordinandis in finem competit Deo, & secundum hoc ei convenit ratio prudentiæ, & providentiæ.* Et in eàdem quæstione sæpè supponitur, & docetur à D. Thoma. Insuper prudentia iuxta Div.Thomam 2. 2. q. 47.art.1.est in vi cognoscitiva, & habitus intellectivus formaliter, & est communis doctrina : at vt docet idem Angelicus Magister, art.3. & sæpè in quæstione illa, eius præcipuus actus est præcipere ; ergo in Deo, in quo reperitur perfectissima prudentia, & providentia, constituendus est actus imperij.

48 Et probatur àD.Thoma, quæst. antecedenti, art.citato ex illo Psalmi : *Præceptum posuit, & non præteribit* ; quod iterùm docuit Psalmista, Psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt* : vbi exprimitur imperium intellectus; nam dicere efficax, ad quod creaturarum existentia consequitur, imperium est spectans formaliter ad intellectum, cuius est dicere. Quibus consonat descriptio creationis mundi, Genes. 1. *Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux* ; vbi explicatur imperium efficax rerum effectivum : quod exposuit Augustinus de Genesi ad literam, cap. 5. *Quid convenientius de Deo, quantum inter homines dici potest, quam cum ita ponitur? Dixit, factum est, placuit; ita vt in eo, quod dixit, imperium eius intelligatur; in eo quod factum est existentia; in eo quod placuit, benignitas.*

49 Actus autem vsus in voluntate divina etiam colligitur ex dictis ; eo quod imperium est ordinatio efficax mediorum ad finem spectans ad lineam exequutionis, dirigensque agens intellectuale, vt exequatur media electa, & intimans illi electionem præcedentem; at dilectio hæc, vt supra dicebamus, est, vt velit exequi media electa, qui est actus vsus ; potentia enim exequutiva, vt à voluntate distinguitur, nõ est capax directionis immediatè ; ergo ad imperium consequitur actus vsus, quo voluntas vult exequi media ex imperio rationis. Et quidem in negotio prædestinationis vltra intentionem gloriæ, & electionem mediorum, concedendum est decretum exequutivum gloriæ præsupponens media electa, & exequutiva ; vt ex dicendis constabit.

§. VII.

Solvuntur argumenta.

50 ARGUITUR Primo ; si imperium hoc daretur in Deo, esset vtique in ipso abęterno : si autem abæterno esset in Deo, res, quę ex imperio Dei existunt, existerent abæterno; quia ad imperium efficax Dei infallibiliter, & statim sequitur effectus : cum enim hoc ad lineam exequutivam spectet, statim ac ponitur, ponitur exequutio : hoc autem dici non potest; ergo nec quod detur in Deo imperiũ hoc. Confirmatur primo; quia si actus imperij, & vsus spectantes ad lineam exequutionis essent abęterno in Deo, frustra essent in tempore orationes, & preces ad Deum; quippè illis obtineri non potest, quod Deus abęterno habuerit imperium, & vsum, quibus in tempore nobis confert beneficia, quę postulamus; etenim nihil temporale potest iuvare, aut impedire : vt docet D.Thomas in præsenti art.8. & per se evidens est ; nec orationibus obtineri potest, quod actus, quos abæterno non habuit, & necessarij sunt, vt nobis conferat beneficia postulata, in tempore habeat ; vtpotè hoc implicatorium est, quia voluntas Dei immutabilis est.

Con-

51 Confirmatur ſecundo ; Deus nullam habet volitionem, quam per ſeipſam non amat reflexe, ſeù *vt quod*; ergo ad exiſtentiam cuiuſcumque volitionis in Deo prærequiritur imperium : ex quo proceſſus in infinitum manifeſtè colligitur. Conſequentia probatur ; ideò enim ad exiſtentiam, & exequutionem medij requiritur imperium, quia medium eſt obiectum amatum,& volitum *vt quod* ; ergo ſi quælibet volitio in Deo eſt obiectum per ſeipſam perfectiſsimè amatum, etiam *vt quod*, ad quemlibet requiritur imperium. Quod etiam explicatur ex his, quæ in creaturis contingunt; in quibus ad exiſtentiam volitionis amatæ *vt quod* per actum reflexum prærequiritur imperium : ſi enim quis eligat per actum reflexum actum interiorem miſericordię, v. g. ad huiuſmodi electionem ſequitur imperium, quo intellectus imperat volitionem directam, ſeù actum interiorem miſericordiæ reflexe amati, exequutioni mandari ; ergo ſi in Deo quælibet volitio amatur *vt quod*, ad quamlibet prærequiritur imperium.

52 Ad argumentum reſpondetur, negando antecedens, quoad ſecundam partem, nec imperium ponitur, vt ſtatim ſequatur effectus, ſed vt ponatur iuxta voluntatem imperantis, præcipuè in Deo; quia cum Deus per imperium intimet ſibi electionem creaturarum, qua vult eas in tempore exiſtere, ſolum imperat creaturam exequutioni mandari in tempore : etſi aſſeramus, vt plures Thomiſtę volunt, imperium eſſe ipſam actionem productivam ad extra, & quod imperium ſub ratione actionis ſubſequitur vſum voluntatis, ſeú decretum exequutivum; etiam aſſerendum eſt, ſub conceptu actionis quoad omnia ſibi intrinſeca eſſe abęterno ; Deus enim ſecundum omnem terminationem ſibi intrinſecam,& ſibi identificatam ſua æternitate menſuratur; atqueadeó omnis intrinſeca terminatio abæterno exiſtit, quin ex hoc ſequatur effectum creatum abęterno exiſtere; ſed ad ſummum ſequitur exiſtere abæterno in æternitate : immò creaturam exiſtere abæterno in æternitate, nobis rectè probari videtur ; ex eo quod actio productiva Dei quoad omnia ſibi intrinſeca abæterno exiſtit, & propterea debet abæterno terminum exiſtentem habere, non in propria menſurâ, ſed in menſura æternitatis, qua actio divina menſuratur.

53 Ad primam confirmationem reſpondetur, quod non militat ſpecialiter contra actus imperij,& vſus, ſed contra fidem : ex eius enim doctrina intulerunt aliqui, vt docet D. Thomas dicto art. 8. Deum non eſſe orandum : Alij autem, vt orationem non negarent, dixerunt decretum divinum, ordinationem, & conſilium Dei, orationibus, ſacrificijs, & precibus mutari poſſe : quorum vtrùmque eſt contra Sacrã Scripturam,& lumini naturali repugnans. Dicendum ergo eſt, orationibus, & precibus nos non petere, quod Deus in tempore medijs illis mutet conſilium abæterno habitum, vel quod in tempore incipiat decernere ; vtpotè hoc repugnans eſt: nec petimus, quod Deus abæterno præordinaverit dare beneficium, quod in tempore confert ; nam, vt docet D. Thomas, precibus Sanctorum non fit, quod aliquis prædeſtinetur à Deo: non enim præordinatio æterna Dei poteſt iubari aliquo temporali : petimus ergo ab ipſo beneficia, quę in tempore,& gloriam, quam præordinavit abæterno donare in tempore prædeſtinatis, per Orationes,& bona opera : quapropter licèt orationes non iuvent quantum ad præordinationem æternam Dei ; iuvant tamen quantum ad effectus, quia medijs illis, præordinavit abæterno dare in tempore prædeſtinatis gloriam : quo ſenſu dicitur 2 Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Deus ergo non movetur in tempore meritis, orationibus,& precibus in tempore exiſtentibus, vt velit conferre gloriam; ſed movetur abæterno ab illis ; non in ſe, vtpotè, quæ abæterno non ſunt; ſed ab illis vt contentis in bonitate divina determinata per decretum, & per ordinationem Dei, dando illis exiſtentiam in tempore; nec voluntas divina moveri poteſt ad amandum, & volendum ab aliqua creatura.

54 Ad ſecundam confirmationem neganda eſt conſequentia ; quia vt docet D. Thomas quæſt. 22. antecedenti art. 1. & ex illo Caietanus, in Deo non eſt providentia, quæ ſit pars prudentiæ monaſticæ, ſed ſolum eſt prudentia polytica, ſeù potiùs monarchica reſpectu, ſcilicèt, illorum, quæ ſibi ſubduntur, & quorum dominium habet : nullum autem prædicatum Deo intrinſecum ipſi ſubijcitur, aut illius habet dominium; nec etiam actus liber, in quo diſcriminatur libertas creata à divina ; ea enim eſt domina non ſolum effectuum exteriorum, qui ex eius imperio fiunt, ſed

etiam

etiam actuum interiorum, ad quos est etiam in potentia: libertas autem divina consistit in dominio creaturarum, & rerum extra Deum. De quo supra quæst. 19. artic. 3. dub. 3. per quod constat ad tertiam confirmationem.

55 Secundo arguitur; nam imperium hoc in Deo non est simplex apprehensio, nec iudicium, nec discursus; ergo non est actus intellectus divini. Antecedens probatur. Quia simplex apprehensio, & discursus dicunt imperfectionem Deo repugnantem: quod autem iudicium non sit, probatur; quia in iudicio sic exprimitur obiectum, vt in ipso sit veritas, aut falsitas: at in imperio falsitas, aut veritas non est; ergo non est iudicium. Minor probatur; tùm, quia explicatur his verbis: *Fac hoc*: in quibus veritas, aut falsitas non reperitur. Tùm; quia D. Thomas lib. de Interpretatione, lect. 6. docet, quod ab oratione enuntiativa significatur conceptus, in quo est verum, vel falsum; in oratione autem vocali imperativa non significatur verum, vel falsum; sed solum significat ordinem rationis ad hoc consequentem.

56 Respondetur in nobis imperium esse propositionem iudicativam, qua intellectus iudicat hic, & nunc media esse exequutioni mandanda; quod iudicium sic in obiectum tendit, vt ex modo tendendi intimet exequutionem, & habeat vim illam inducendi: & in Deo est perfectissimum iudicium, in quo est veritas habens efficaciam motivam, qua imperat exequutionem: imperium autem vocale, ex duobus, quæ importat imperium mentale, solum explicat intimationem; & ideò imperium vocale non significat veritatem, aut falsitatem, quæ in imperio mentali simul cum intimatione reperitur: quod satis insinuat D. Thomas loco proximè citato.

57 Tertio arguitur ex D. Thoma, quæst. 19. antecedenti, art. 2. vbi argumentum secundum, sic proponit: *Volitum movet voluntatem: sed nihil extra Deum movet voluntatem Dei; ergo nihil extra Deum est volitum à Deo*: cui respõdet, quod creaturæ se habent comparative ad voluntatem divinam vt media, & voluntas non movetur â medijs, sed à fine: ex quo infertur, quod voluntas non fertur in media, etiam in exequutione, nisi ratione finis; aliás vel Deus non amaret media, nisi per electionem; & consequenter in eius voluntate non daretur vsus activus distinctus ab electione; vel argumentum non solvit; cum vsus specificetur à medijs, non à fine.

58 Respondetur, verùm omninò esse Deum moveri ad amorem creaturarum ex propria bonitate, non ex bonitate creata: vndè tám gloriam, quàm merita amat propter suam bonitatem: cæterùm sicut ex hoc non colligitur, non velle gloriam esse finem meritorum, & merita esse propter gloriam, vt ibi docet Div. Thomas; sed solum hoc velle ratione propriæ bonitatis: ita non sequitur non velle merita esse causam gloriæ in exequutione; sed solum sequitur velle ratione propriæ bonitatis merita esse causam gloriæ in exequutione. Ex quo vlteriùs infertur, quod sicut velle gloriam esse causam finalem meritorum, & merita esse effectum illius in genere causæ finalis sufficit, vt volitio gloriæ dicatur à nobis intentio finis, & ad hoc vt volitio, qua vult merita esse effectum gloriæ in genere causæ finalis sit electio mediorum, quamvis hæc electio non moveatur à gloria, sed â propria bonitate Dei; sufficit etiam vt volitio, qua vult media in equutione causare gloriam, dicatur, & sit actus vsus, quamvis quilibet ex his actibus ex divina bonitate moveatur: Et horum ratio est; quia bonitas divina vt cõtentiva gloriæ, secundum quod gloria est finis meritorum, movet ad intentionem gloriæ; hæc eâdem bonitas vt contentiva meritorum, secundum quod sunt propter gloriam, movet ad electionem mediorum; & hæc eàdem infinita bonitas, secundum quod continet merita, vt sunt causa in exequutione gloriæ, movet ad actum vsus, seù ad decretum exequutivum gloriæ.

59 Sed advertendum est, quod licèt omnes creaturæ amentur â Deo vt media, quarum finis est ipsa Dei bonitas; non tamen vt vtilia ad illum finem stricta vtilitate; quippè sine illis æquè bonus, ac beatus esset: sunt ergo media, quæ diligit propter suam bonitatem, non perficiendã, sed communicandam creaturis; cum quibus, vt vidimus, componitur velle vnam creaturam esse medium vtile alteri, vt cõstat in meritis, quæ non sunt vtilia Deo, sed homini, quæ perficiunt, & cui prosunt ad consequendum gloriam, quæ est eius fœlicitas. Est etiam advertendum, quod in nobis, licèt vsus moveatur proximè à medijs,

vt

vt cauſa ſunt finis ; radicaliter tamen movetur ex amore finis ; etenim ex affectu, quo vult exiſtere finem, & illum amat ratione propriæ bonitatis, derivatur actus vſus, quo vult media, quia illum cauſant in exequutione. Et hæc de iſto dubio applicanda literæ Magiſtri in 1. diſt. 1. §. 2. ad illa verba : *Vtì verò id, quod in vſum venerit referre ad obtinendum illud.* Et diſt. 40. §. vltimo, ad illa verba : *Cumque prædeſtinatio ſit gratiæ præparatio*, &c.

DVBIVM II.

In quo ex his actibus prædeſtinatio conſiſtat ?

§. I.

Referuntur ſententiæ, & aliqua ſupponuntur.

1 STABILITIS Actibus, qui in negotio prædeſtinationis interveniunt ; reſtat examinare, in quo illorum prædeſtinatio conſiſtat: quæ difficultas ſuppoſita actuum exiſtentia, ab aliquibus reputatur de nomine ; inter quos eſt Caietanus in præſenti. Aliqui aſſerunt, conſiſtere in actu voluntatis, quo Deus eligit media, quibus certiſsimè liberantur prædeſtinati : illam docuit Div. Bonavent. in 1. diſt. 40. art. 1. q. 2. Scotus, q. 1. in principio, Vazquez diſp. 83. cap. 3. Suarez de Prædeſtin. cap. 17. Alij docent conſiſtere in actu intellectus : ita Caietanus in præſenti, Mag. Bañez, Alvarez, lib. 5. de Auxilijs, diſp. 35. Cornejo, diſp. vnica, Albelda, diſp. 69. ſect. 3. Nazarius, controverſia 1. PP. Salmanticenſes in hoc art. diſp. 2. dub. 1. & 2. Mag. S. Thoma, diſp 7. art. 2. & 3. quam prius docuerant Capreolus in 1. diſt. 40. q. 1. art. 2. & Ferrara 3. contra Gentes, cap. 64. & eſt communis ſententia Thomiſtarum ; quam etiam ſequuntur plures extra Scholam D. Thom. Tertia ſententia docet, conſiſtere in actu vtriuſque potentiæ in recto, & ex æquo: quam docuit Petrus à Tarantaſia, diſp. 4. quæſt. 2. pro qua refertur Alenſis, Marſilius, Becanus, Herice, & Molina, & apud Recentiores extra Scholam D. Thomæ eſt ſatis frequens.

In quo autem actu intellectus, aut voluntatis prædeſtinatio conſiſtat, eſt etiam diverſitas ſententiarum : ex aſſerentibus enim conſiſtere in actu voluntatis ; alij docent conſiſtere in electione mediorum: Alij autem in electione ad gloriam. Ex conſtituentibus autem prædeſtinationem in actu intellectus : Alij docent, conſiſtere in iudicio præcedente electionem : Alij in imperio ſubſequuto ad electionem, & præcedente vſum, illumque regulante ; quæ eſt communis ſententia Thomiſtarum: pro qua.

2 Supponendum eſt non conſiſtere prædeſtinationem in actu intellectus præcedente electionem ad gloriam; actus enim iſte eſt neceſſarius in Deo, vtpotè ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua cognoſcit ſe poſſe donare cuicunque naturæ rationali merita, & gloriam per modum coronæ, qui licèt neceſſarius ſit ad negotium prædeſtinationis, cum ſit neceſſarius Deo, & ad illud neceſſario præſuppoſitus ; ad rationem tamen prædeſtinationis conſtituendam, quæ libera, & gratioſa eſt, pertinere non poteſt. Eſt inſuper indifferens ad prædeſtinationem, & eius omiſsionem ; cum reſpectu cuiuſcumque hominis, etiam reprobi, Deus habeat huiuſmodi ſcientiam.

3 Ex quo etiam infertur Scientiam Mediam non poſſe conſtituere prædeſtinationem: Scientiam, inquam, Mediam, qua Deus, vt aſſerunt, cognoſcit, quod ſi Petro v. g. conferatur hoc auxilium, vel illud ex ſe indifferens, merebitur, perſeverabit, &c. nam præterquàm quod hæc ſcientia omninò impoſsibilis eſt, adhùc illa ſuppoſita, Deus eſt indifferens ad prædeſtinationem, & eius carentiam ; cum Deus huiuſmodi ſcientiam habeat reſpectu omnium hominum, etiam poſsibilium : & licèt non deſint qui hoc negent aſſerentes eſſe poſsibilem hominem, quem Deus non poſsit convertere, & cui non poſsit donare gloriam vt coronam meritorum, & conſequẽter reſpectu cuius Deus non habeat Scientiam Mediam, qui videat, quod ſi conferatur hoc, vel illud auxilium huic homini, non merebitur : nullus tamen audebit dicere, Deum non poſſe plures ex reprobis

perducere ad gloriam per modum coronę, illi donando merita, & gloriam propter merita: reſpectu quorum, cum ſcientia, qua cognoſcit ſe poſſe illis conferre merita, & donare gloriam per modum coronę, ſivè ſit ſcientia neceſſaria, vt nos cõſtanter aſſerimus, ſivè ſit Scientia Media, quam adſtruere conantur Recentiores: cũ hac, inquam, ſcientia componit Deus carentiam prædeſtinationis, & propterea hęc ſcientia indifferens eſt ad prædeſtinationem, & eius omiſsionem.

4 Secundo ſupponendum eſt, non conſiſtere prædeſtinationem in iudicio ſubſequuto ad intentionem gloriæ, & præcedente electionem mediorum; & probatur: etiamſi dirigat electionem mediorũ, & etiamſi ex eo quod ſupponit intentionem gloriæ per modum coronæ, infallibiliter connectatur cum electione mediorum, & meritorum certiſsime inferentium gloriam: eſt tamen indifferens ad hæc, & illa media; nam cum in ſua Omnipotentia habeat Deus infinita media, quibus poſsit hominem perducere ad gloriam per modum coronæ, ex vi intentionis huiuſmodi gloriæ non cognoſcit, quibus medijs conferenda eſt: prædeſtinatio autem debet conſiſtere in actu reſpiciente, & proponente determinata media; eſt enim præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsime liberantur electi; quæ cum ſint beneficia, & merita determinata, debet illa determinatè inferre.

5 Secundo: eſto iudicium illud ſit determinatum erga media determinata (quod mihi probabile eſt) non tamen poteſt prędeſtinationem conſtituere; eo quod pertinet ad lineam intentionis: prædeſtinatio autem debet conſiſtere in actu pertinente ad lineam exequutionis, & ſupponente electionem mediorum vt poſteà videbimus, indicaturque ab Auguſtino definiente prædeſtinationem, quod ſit præſciẽtia, & præparatio beneficiorum Dei; nam præſcientia, & preparatio beneficiorum electionem illorum videtur ſupponere: & idem inſinuatur à D. Thoma eandem prædeſtinationem per tranſmiſsionem definiente.

§. II.

Statuitur concluſio.

6 SIT Concluſio. Prędeſtinatio conſiſtit in actu intellectus, qui dicitur imperium, & ſupponit electionem mediorum. Eſt communis ſententia Thomiſtarum: & quoad primam partem, ſcilicèt, quod conſiſtat in actu intellectus, conſtat ex Divo Thoma pluribus in locis. In hoc articulo, vbi docet, quod prædeſtinatio eſt ipſa ratio tranſmiſsionis creaturæ rationalis in vitam æternam abæterno in Deo exiſtens. Idem docuerat, quæſt. antecedenti, art. 1. de Providentia ex Boœtio, ſcilicèt, quod ſit ipſa divina ratio, &c. prædeſtinatio autem eſt pars providentiæ quantum ad obiecta, vt hic docet D. Thomas, vbi aſſerit, quod tranſmiſsio in vitam æternam, quæ eſt formaliter prædeſtinatio, eſt præconceptio rei fiendæ in mente exiſtens. Et in tota hac quæſtione ſępè docet, eſſe præordinationem in vitam æternam: præordinatio autem ad intellectum formaliter ſpectat, vt infrà videbimus.

7 Secundo probatur ex Auguſtino de Bono Perſeverantiæ, cap. 14. vbi docet, *quod prædeſtinatio nihil aliud eſt quam præſcientia, & præparatio*; quorum vtrũmque ad intellectum formaliter ſpectat; & de præſcientia dubitari non poteſt; de pręparatione autem probatur ex eodem Auguſtino, etiam de dono perſeverantię, cap. 17. vbi ſic habet: *Nam in ſua, quæ falli non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omninò, nec aliud quidquam eſt niſi prædeſtinare*; ergo iuxta Auguſtinum nihil aliud eſt quam præſcientiæ diſpoſitio: quod & docuit D. Thomas in præſenti artic. 2. præcipuè ad 3. illis verbis: *Duplex eſt præparatio, quædam patientis, vt patiatur, & hæc præparatio eſt in prępparato; quædam alia eſt agentis, vt agat, & hæc eſt in agente; & talis præparatio eſt prædeſtinatio, prout aliquod agens, per intellectum dicitur ſe præparare ad agendum; in quantum præconcipit*

rationem operis fiendi; & sic Deus abæterno præparavit prædestinando concipiens rationẽ ordinis aliquorum in salutem. Idem docet q. 6. de Veritate art. 1. illis verbis: *Ad octavum dicendum; quod præparatio importat propriam dispositionem potentiæ ad actum: est autem duplex potentia, scilicèt, activa, & passiva; & ideò duplex præparatio, una patientis, secundum quem modum dicitur materiã præparari ad formam; alia agentis, secundum quam dicitur, quod aliquis se præparat ad agendum aliquid, & talem præparationem prædestinatio importat, quæ nihil aliud in Deo ponere potest, quam ipsam ordinationem alicuius in finem: ordinationis autem principium proximum est ratio, sed remotum est voluntas, vt ex dictis patet, & ideò secundum rationem inductam prædestinatio principalius rationi, quam voluntati attribuitur.*

8 Hoc ipsum docetur â D. Thoma exprofesso quæst. 6. de Veritate art. 1. citato; vbi sæpè docet, prædestinationem consistere in scientia practica, quæ intra propriam lineam scientię habet efficaciam ad movendum ex præsuppositio actu voluntatis. Docet etiam, quod præparare est motivæ potentiæ tantum; sed motiva potentia non solum est voluntas, sed etiam ratio practica. Docet insuper, quod quamvis prædestinatio ponatur in genere scientiæ: tamen addit aliquid supra scientiam, & supra præscientiam, scilicèt, directionem, & ordinationem in finem; sicut & prudentia supra cognitionem addit: vndè sicut non omnis cognoscens quid agendum sit, est prudens; ita nec omnis præsciens est prædestinans: id tamen, quod addit, intra lineam scientiæ est; est enim differentia, qua scientia constituitur in ratione practicæ, & ideò in definitione prædestinationis ad præscientiam additur præparatio, qua, vt vidimus, designatur differentia scientiæ, nimirùm, ratio scientię practicæ ordinantis in finem. Et ampliùs constat mens D. Thomæ; quia ibi solvit argumenta, quæ probare intendebant prædestinationem in actu voluntatis consistere: vndè de mente Div. Thomæ dubitari non potest. Qui 1. ad Annibaldum q. 2. art. 1. idem docuit de providentia, cuius est pars obiectiva prædestinatio, vt vidimus, illis verbis: *Sic ergo providentia ad cognitionem quidem essentialiter pertinet, sed voluntatem finis quasi principium præsupponit.*

9 Ex quo constat scientiam, quam mediam vocant, constitutionem prædestinationis ingredi non posse iuxtà D. Thomam, vtpotè nõ habentem efficaciam intra propriam lineam, nec præsupponẽ actũ voluntatis, ratione cuius ipsa intra propriam lineam possit habere vim movendi, & ordinandi efficaciter in finem; sed si qua ibi est efficacia, est in actu voluntatis eligentis media se habentis concomitanter, vel consequenter ad Scientiam Mediã.

10 Secundo probatur conclusio; nam prædestinatio est perfectissima providentia, qua creatura rationalis ad beatitudinem perducitur: at providentia formaliter consistit in actu intellectus, ergo & prædestinatio; quod est prima pars nostræ conclusionis. Maior est Div. Thomæ locis citatis, præcipuè hoc art. 1. vbi docet, quod prædestinatio est pars providentiæ quantum ad obiecta; & probatur: nam providentia est divina ratio in supremo omnium Principe constituta, qua cuncta disponit: sed prædestinatio est divina ratio, qua Deus summus Princeps disponit, quod creatura rationalis consequatur vitam æternam; ergo est perfectissima providentia. Minor etiam constat ex ipsa definitione providentiæ, quæ est ipsa divina ratio, vt vidimus, & prima pars nostræ conclusionis, quæ ex probatione secundæ magis constabit.

11 Secunda ergo pars nostræ conclusionis probatur: nam imperium intellectus à nobis recensitum est formaliter, & constitutive præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur electi; ergo est formaliter prædestinatio. Antecedens pro prima parte probatur: nam est scientia præsupponens electionem mediorum, quæ sunt beneficia, quibus prædestinati consequuntur gloriam; ergo est formaliter præscientia. Pro secunda probatur primo; nam ex actu voluntatis antecedenti habet efficaciam ad mediorum, & beneficiorum Dei exequutionem; ergo est scientia illorum practica, & efficax; & consequenter præparatio, vt ex Augustino, & Thoma vidimus. Ex quo infertur, quod hoc imperio media, & beneficia Dei constituantur futura; quod fit prædestinatione, iuxtà Augustinum cap. 68. in Ioannem, illis verbis: *Fecit futura illa prædestinando.* Secundo probatur: nam intimat voluntati electionem mediorum, illam dirigendo, & movendo, vt exequutioni mandentur; quod

nihil aliud est, quam se præparare ad exequendum media, quibus liberantur electi & est id, quod sæpe docetur à D. Thoma, nimirùm agens per intellectum se præparare ad agendum per conceptionem rei fiendæ. Similiter hoc imperium est transmissio creaturæ rationalis ad vitam æternam; cum sit præordinatio beneficiorum, quibus infallibiliter ad illam perveniunt electi.

12 Secundo probatur; nam prædestinatio formaliter est prudentia: sed prudentia in actu imperij consistit, vt constat ex D. Thoma q. 22. antecedenti art. 1. ad 3. ibi: *Præcipere deordinandis in finem competit Deo, & secundum hoc convenit ei ratio prudentiæ*: consequenter ad hæc docet idē D. Thomas 2. 2. q. 47. art. 8. quod principalis actus prudentiæ est imperium supponēs electionem; ergo prædestinatio formaliter consistit in actu imperij. Tertio probatur: Prædestinatio formaliter duo dicit, scilicèt, ordinationem mediorum in finem, & efficaciam: sed vtrùmque convenit imperio formaliter: ordinare enim, sicut & dirigere ad intellectum formaliter spectat, & propriè convenit imperio, quod intimando electionem voluntati dirigit ad electionem mediorum: efficacia autem etiam convenit ex actu præcedenti voluntatis, vt vidimus ex D. Thoma, iuxtà quem non sola voluntas est moriva potentia, sed etiam intellectus ex participatione voluntatis.

13 Tandem: iudicium electionem præcedens non potest esse prædestinatio; cum sit indifferens ad hęc, & illa media: & esto indifferens non sit (quod probabile mihi videtur) ex eo quod electio ad gloriam per modum coronæ connectatur cum his medijs, & meritis determinatis, & consequenter iudicium consequutum debet etiā esse determinatum, & connexum cum his medijs determinatis; tamen iudicium illud solùm proponit media, vt affective cum voluntate coniungantur per electionem iuxtà supra dicta dubio præcedenti §. 3. nō tamen ita propriè, & immediatè præparat Deum ad exequutionem mediorum, sicut imperium subsequutum ad electionem, de cuius ratione est præcipere, & ordinare, vt media electa exequutioni mandentur, qua ordinatione intelligitur Deus præparatus ad illa exequenda.

14 Ex quibus inferimus, prædestinationem adæquatè in actu imperij formaliter consistere; eo quod in ipso reperitur quidquid ad prædestinationem formaliter desideratur. Quod etiam à simili explicari potest: quia enim in actu voluntatis subsequuto ad intentionem finis, & præcedente actum vsus reperitur quidquid ad electionem formaliter desideratur, quamvis talis actus alios vtriusque potentiæ intellectus, & voluntatis necessariò supponat, & alios inferat; non tamen in illis, sed in actu voluntatis prędicto essentialiter, & formaliter consistit, vt docet Div. Thomas quęst. 16. & 17. primæ secūdæ iam citatis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

15 ARGUITUR Primo ex Sacra Scriptura, in qua, vt vidimus, per electionem, & dilectionem prædestinatio nobis explicatur: quod ipsum plures Sancti PP. docent, definientes prædestinationem per electionem, & propositum miserendi, vt Damascenus, Augustinus, & alij. Sed respondet D. Thomas q. 5. de Veritate art. 1. ad 1. & q. 6. art. 1. etiam ad 1. Quod quia in actibus animę præcedens actus includitur virtualiter in actu sequenti, & ràm prędestinatio, quàm providentia supponit actum voluntatis, hinc fit, quod SS. PP. prædestinationem per actum voluntatis aliquando definierint; vel quia actus voluntatis essentialiter supponit; vel quia illum virtualiter includit: Scriptura autem non tradit definitionem prædestinationis, sed explicat radicem beneficiorum, quæ prædestinatis conferuntur, quæ est voluntas Dei: vel si prædestinationem definit, illam explicat per radicem prædestinationis; aliquando prædestinationem per formale constitutivum.

16 Nec ex hoc infertur posse interpretari Augustinum, & Thomam definientes prædestinationem per actum intellectus, asserendo non illam definisse per conceptum formalem constitutivum, sed per aliquid antecedens, vel consequutum; atq; adeò in hac materia nihil ex PP. colligi

certum posse. Respondetur enim non esse æquale fundamentum: nam Augustinus docet nihil aliud esse prædestinationem, quam præscientiam, & præparationem, quorum vtrùmque ad intellectum spectare ex eodem Augustino vidimus: si autem in alio consisteret, aliud esset: & de bono perseverantiæ cap. 17. citato docet; quod Deum in sua præscientia disponere, & prædestinare, & hoc omninò, & nihil aliud esse prædestinationem. Accedit, quod D. Thomas, qui apprimè mentem Patrum intellexit, ex illis docet in actu intellectus consistere: & quando oppositum docere videntur, illos interpretatur in sensu causali, vt ex locis citatis constat.

17 Sed contra hoc est argumentum ex D. Thoma in 1. dist. 40. q. 1. art. 2. ad 3. ibi: *Dicendum, quod præparatio, quæ ponitur in definitione prædestinationis, non est secundum exequutionem ad opus, sed intelligitur secundum propositum divinæ voluntatis*; ergo præparatio ad voluntatem spectat: & dist. 41. sequenti quæst. 1. artic. 1. docet, voluntatem præparare ea, quę sunt ad finem. Respondetur, D. Thomam in primo testimonio distinxisse præparationem constituentem prædestinationem ab exequutione per hoc, quod illa est secundum propositum voluntatis, hoc est, præordinatio illorum, quæ voluntate eliguntur, abęterno existens in Deo: quod significavit D. Thomas per hoc, quod præparatio prædestinationis est secundum propositum; & ideò consulto non dixit esse propositum voluntatis; sed esse secundum propositum. Ad secundum dicendum, voluntatem per electionem mediorum præparare antecedenter, non formaliter: vel præparare vt inclusam virtualiter in actu intellectus consequuto. Nisi fortè loquatur D. Thomas de actu vsus, qui completivè est præparatio mediorum, quæ formaliter consistit in actu imperij antecedenti.

18 Difficiliùs arguitur ex D. Thoma Opusculo de Prædestinatione cap. 1. & 2. vbi expressè videtur stare pro opposita sententia: docet enim prædestinationem præsupponere cognitionem; nominare tamen actum voluntatis eligentis ea, quæ sola gratuita voluntate conferuntur. Docet secundo, prædestinationem includere intellectum, voluntatem, & potentiam exequẽtem: sed principalius esse in genere voluntatis. Docet tertio proprijssime ab Augustino esse definitam prædestinationem per propositum miserendi; quod quidem ad voluntatem formaliter spectat.

19 Ita clarè sibi, & nobis in hoc Opusculo opponitur D. Thomas, vt plures ex Thomistis doceant Opusculum illud non esse D. Thomæ; pro quo plura adduci solent, quæ ipsius non esse manifestè probant. Sed quod mihi id omninò persuadet, est quod est incredibile Angelicum ingenium D. Thomæ sibi ipsi tam manifestè contradicere: nec est credibile mutasse sententiam; cum ipse hoc non doceat, præcipuè sine novo fundamento ad primam deferendam.

20 Nihilominùs Illustrissimus Godoy in præsenti hoc testimonium explicat: & primo dum D. Thomas docet, prædestinationem supponere cognitionem futurorum, intelligendus est de cognitione futurorum, quorum præscientia supponitur ad prædestinationem, nimirùm futurorum, quæ præcedunt illa, quæ gratuita voluntate conferuntur: de quo infra redibit sermo. Cum autem docet, prædestinationem nominare actum voluntatis, intelligi debet, non constitutive, sed presuppositive, & denominato: & dum docet proprijssime definiri prædestinationem ab Augustino per propositum miserendi, intelligendus est de proprietate definitionis, non constitutionis; quatenus per propositum miserendi optimè explicatur essentia prædestinationis, cuius prædicata, nimirùm efficacia, & gratia Dei erga prædestinatum ex misericordia, & voluntate divina originem trahunt. Vel dicendum: Augustinum, cuius optima est definitio, per propositum miserendi intellexisse non actum voluntatis in se, sed vt inclusum virtualiter in actu imperij consequuto: si enim Augustinus doceret actum voluntatis in se, & formaliter constituere prædestinationem, inconsequenter diceret, prædestinationem nihil aliud esse, quam præscientiam, & præparationem, quorum vtrùmque ad intellectum pertinere, ex ipso, & Angelico Magistro didicimus.

21 Colligit interpretationem istam sapientissimus Magister, vltra dicta ex eo, quòd dicere actum voluntatis, est illum includere; quod optimè salvatur per hoc, quod illum præsuppositive dicat, licet non constitutive, vt ex locis citatis constat; in quibus Divus Thomas

docet, prædestinationem includere actum voluntatis virtualiter, seù præsuppositivè; non autem constitutive. Secundum fundamentum ad sic interpretandum Divum Thomam sumitur ex eo, quod, ibi intendit Divus Thomas, quod electio ad gloriam præcedit prædestinationem; ad quod sufficit, quod prædestinatio de connotato, & præsuppositive dicat electionem meritorum, & propositum dandi gloriam. Tertium fundamentum est, quia Divus Thomas facit comparationem inter actum voluntatis, eligentis ea, quæ sunt ad finem, & prædestinationem, quantum ad hoc, quod est supponere voluntatem finis; & consequenter inter prædestinationem, & electionem mediorum aliquam agnoscit distinctionem Divus Thomas. Sed quamvis hæc interpretatio subtilis sit, & possit probabiliter sustineri: mihi verius videtur opusculum illud non esse Sancti Thomę.

22 Tertio arguitur: esto prædestinatio in actu imperij consistat, non infertur esse formaliter actum intellectus, sed potius infertur esse actum voluntatis, ad quam formaliter spectat imperare. Antecedens probatur ex D. Thoma quæst. 19. antecedenti artic. 4. ad 4. vbi docet, quod cuiuscumque effectus scientia Dei est causa, vt dirigens; voluntas autem divina, vt imperans; vbi distinguens concursum scientiæ, & voluntatis divinæ in creaturas, expressè docet, scientiam dirigere, & voluntatem imperare: quod si non imperaret formaliter per actum voluntatis in se, sed vt inclusum in actu imperij, nullum assignaret concursum voluntatis per proprium actum in creaturas, valdèque diminutè procesisset; cum sit omninò certum voluntatem divinam per proprium actum ad rerum productionem concurrere. Idem docet quæst. 25. artic. 1. ad 4. ibi: *Potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit.* Et art. 5. ad 1. sic docet: *Potentia intelligitur, vt exequens, voluntas autem vt imperans, & intellectus, & scientia, vt dirigens.* Et paulò infrà prosequitur: *Quod autem attribuitur potentiæ divinæ, secundum quod exequitur imperium voluntatis iustæ, hoc dicitur Deus posse facere de potentia ordinaria.* Et in 1. ad Annibaldum dist. 38. q. 1. art. 2. in fine corporis sic habet: *Ex scientia non procedit opus, nisi mediante voluntate imperante, & potentia exequente*; ergo ad voluntatem formaliter spectat imperare: & ratio id videtur suadere: nam ad illam potentiam pertinet imperare, apud quam est dominium, & ratione cuius operans constituitur Dominus: sed apud voluntatem est dominium, & ratione voluntatis, constituitur Dominus creaturarum; ergo ad voluntatem formaliter spectat imperare. Et confirmatur: quia imperare est actus dominij; ergo est formaliter actus voluntatis liberæ constituentis Dominū.

23 Respondetur negando antecedens: ad testimonia D. Thomæ dicendum: voluntatem imperare, non formaliter, sed radicaliter, antecedenter, & quasi dominative, quatenus ex actu voluntatis derivatur ad intellectum practicum efficacia ad imperandum, quam intellectus speculativus non habet ex se: & ideò in primo testimonio subdit D. Thomas hæc verba: *Undè intellectus speculativus nihil dicit de operando*: itaque D. Thomas tribuit cuilibet potentiæ, quod ex se illi convenit; & quia intellectus ex se, nisi adiuncto actu voluntatis, nihil dicit de operando, ideò voluntati tribuit imperare; quod quidem ipsi competit radicaliter, & antecedenter, quia est primum movens quoad exercitium, apud quam stat dominium imperantis. Cęterùm, quia imperare non est velle, vt aliquid fiat; sed movere dirigendo, vt fiat, & exequutioni mandetur, quod volitum est, quod formaliter actui intellectus subsequuto ad electionem competit, solus ille est formaliter imperium: tribuitur autem imperare voluntati, quia hoc ipsi convenit radicaliter, & antecedenter, & quia intellectus imperat formaliter iuxtà placitum voluntatis.

24 Ad rationem subiunctam respondetur, imperare radicaliter pertinere ad potentiam, apud quam est dominium formaliter, quia imperium explicat, & intimat placitum dominantis: formaliter tamen ad illam non spectat imperium; sed ad potentiam, ad quam pertinet explicare, & intimare illius placitum, qua vtitur voluntas vt domina ad imperandum. Iuxtà quod imperium non est formaliter actus potentiæ, quæ domina est: non est, inquam, actus illius, vt elicientis, sed vt vtentis; quibus terminis meliùs explicatur mens Divi Thomæ: imperare ergo est

voluntatis, vt vtentis intellectu ad imperandum, non vt elicientis actum imperij; quidem ſupponit aliquod dominium in imperante, & explicat, ſeù intimat placitum dominantis.

25 Quarto arguitur ex D. Thoma quæſt. 6. de Veritate artic. 1. ad vltimum; vbi docet, reprobationem eſſe formaliter actum voluntatis: quod probat; quia ſicut per actum voluntatis eligitur, pariter per actum voluntatis reijcitur, & reprobatur: ſed prædeſtinatio illi opponitur; ergo in actu voluntatis eligentis debet conſiſtere. Præcipuè, quia reprobatio eſt pars providentiæ, ſicut & prædeſtinatio: quo non obſtante in actu voluntatis conſiſtere, docet D. Thomas; ergo etiam ſi prædeſtinatio ſit pars providentię, poteſt in actu voluntatis conſiſtere.

26 Reſpondetur D. Thomam tradidiſſe ſolutionem illam diſputationis gratia, & conſtat ex eo, quod aliam tradit ſolutionem, in qua reprobationem in actu intellectus conſiſtere affirmat. Sed adhùc in prima ſolutione tradit noſtram doctrinam: etenim docet, reprobationem conſiſtere in actu voluntatis, quia reprobare ex ratione ſui nominis ſignificat reijcere, & refutare, quod ad voluntatem ſpectat, ſicut & eligere; quapropter reprobatio non opponitur directè prædeſtinationi, ſed electioni: opponeretur autem, ſi prædeſtinatio in actu voluntatis eligentis conſiſteret. Iuxta quam doctrinam dicendum eſt reprobationem non eſſe partem providentiæ formaliter, ſed antecedenter; ſicut nec electio mediorum inferentium gloriam, cui opponitur reprobatio, eſt pars providentiæ formaliter, ſed ſolùm antecedenter.

§. IV.

Cætera argumenta ſolvuntur.

27 ARGUITUR Quinto: Prædeſtinatio ex ſuo formali conceptu, & ratione ſui dicit efficaciam illativam mediorum perducentium infallibiliter ad beatitudinem: ſed actus intellectus, qui dicitur imperium, prædictam efficaciam non dicit ratione ſui, & ex ſuo conceptu formali; ergo non eſt prædeſtinatio formaliter, vel ſaltim non eſt adæquatè prædeſtinatio, ſed indiget actu voluntatis, à quo præſtatur formaliter hęc efficacia, vt prædeſtinatio intelligatur adæquatè cõſtituta. Maior cõſtat ex definitione prædeſtinationis, & ex ſæpè dictis: & inſuper, quia prædeſtinatio formaliter diſtinguit prædeſtinatum à non prædeſtinato: at ſi ex ſuo conceptu formali, & ex ſe non diceret efficaciam, non diſtingueret, vt patet; quia omnia alia præter efficaciam illativam mediorum perducentium infallibiliter ad gloriam; poſſunt reprobis convenire. Minor autem probatur; ſi imperium ratione ſui haberet efficaciam prædictam, eſſet quia habet vim ad movendum quoad exercitium: ſed hanc non habet; ergo nec efficaciam. Minor hæc multipliciter probatur. Primo; quia actus intellectus ſolùm habet movere quoad ſpecificationem proponendo, & oſtendendo obiectum attingendum per voluntatem. Secundo; quia movere quoad exercitium eſt proprium voluntatis primo moventis: id autem, quod eſt proprium alicuius potentiæ, alteri non poteſt convenire; qua ratione movere quoad ſpecificationem, quia eſt proprium intellectus, non poteſt voluntati convenire, nec etiam ex participatione intellectus, aut ex actu intellectus præſuppoſito. Tertio; quia ordinare, & dirigere eſt proprium intellectus, non poteſt voluntati convenire ex participatione illius, ſeù ex eo, quod voluntas præſupponat actum intellectus ordinantem; ergo etiamſi imperium actum voluntatis ſupponat, ab illo non poteſt participare vim ad movendum quoad exercitium.

28 Secundo probatur minor principalis, ſcilicèt imperium ratione ſui non habere efficaciam: quia cum actu imperij poteſt Deus componere carentiam ſalutis, & mediorum illam infallibiliter inferentium; ergo imperium non habet efficaciam ex ſe. Antecedens probatur: poteſt Deus componere omiſſionem actus vſus cum imperio; ergo carentiam ſalutis, & mediorum. Conſequentia conſtat; quia omiſsio actus vſus eſſentialiter connectitur cum carentia ſalutis, & mediorum illam infallibiliter inferentium; ergo ſi omiſsio actus

vſus poteſt componi cum imperio, pariter & carentia ſalutis. Antecedens autem probatur; nam actus vſus eſt liber: ergo Deus poteſt componere eius omiſsionem cum iudicio illum regulante, quod eſt imperiũ; ergo poteſt componere omiſsionem actus vſus cum imperio. Confirmatur: Prædeſtinatio, vtpotè liberalis, & gratuita eſt formaliter, & conſtitutivè libera: ſed imperium non eſt liberum ratione ſui, ſed ratione electionis præcedentis; ergo imperium non intelligitur adæquatè conſtitutum in ratione prædeſtinationis, non intellecto actu voluntatis, à quo formaliter conſtituitur liberum.

29 Audivi doctos Thomiſtas aſſerentes imperium, in quo etiam apud ipſos conſiſtit adæquatè prædeſtinatio, non habere efficaciam intra propriam lineam intellectus, ſed efficax denominari ab electione antecedenti, neque ad prædeſtinationem pertinere conſtitutive efficaciam, ſed ſolum præſuppoſitivè. Hi tamen Magiſtri ſi conſtituant in actu imperij, in quo adæquatè conſiſtit prædeſtinatio, infallibilem connexionem ratione ſui cum medijs inferentibus gloriam, quamvis hanc connexionem non appellent efficaciam, quia adhùc poſita connexione, imperium ratione illius non movet quoad exercitium ad exequutionem mediorum, ſed ſolum concurrit proponendo obiectum attingendum per actum vſus à voluntate, apud quam eſt adęquatè movere quoad exercitium. Si (inquam) hoc aſſerant, ſuſtineri probabiliter poſſunt: ſi autem hanc infallibilem connexionem imperij cum exequutione mediorum non admittant, ſed ſolum doceant imperium ratione electionis connecti cum electione mediorum, non autem ratione ſui, mihi probari non poſſunt; & quidem hoc videbantur docere. Ratio autem, quare admitti non poſſunt, ea eſt; quia ſequeretur prædeſtinationem non diſtinguere formaliter prædeſtinatum â reprobo; nam imperium non connexum infallibiliter cum exequutione mediorum certiſsimè perducentium ad gloriam poteſt coniungi cum carentia talium mediorum; quod ſi defacto coniungeretur, daretur huiuſmodi imperium erga non prædeſtinatum, & conſequenter non diſtingueret prædeſtinatum à reprobo; atqueadeò prædeſtinatio non eſſet.

30 Alij non minus docti Thomiſtæ docent, imperium infallibiliter connecti cum actu vſus, & cum exequutione mediorum: hanc tamen connexionem non habere, quia imperium moveat quoad exercitium. Aſſerunt ergo imperium eſſe efficax ratione ſui; non tamen movere quoad exercitium: quod vltimum ſibi perſuadent ratione in argumento facta, ſcilicèt, quia intellectus ſolum movet obiectivè, & finaliter; quatenus obiectum intellectus eſt bonum, quod movere poteſt voluntatem, vt finis: non tamen per modum agentis, ſicut alterans movet alteratum, & impellens movet impulſum. Quod confirmant: quia finis, nec ex ſe, nec ex participatione voluntatis poteſt exercere aliam cauſalitatem, quam finalem; ergo nunquã poteſt movere per modum agentis; atqueadeò non poteſt movere quoad exercitiũ: & videtur doctrina D. Thomæ infra quæſt. 82. artic. 4.

31 Sed ante hos Authores Illuſtriſſimus Godoy in præſenti ſæpè docuerat imperium ex actu antecedenti voluntatis participare intrinſecam efficaciam movendi quoad exercitium; & quamvis fortaſsè ſit ſolùm diſcrimen de nomine, ſcilicèt, quod dummodo conſtet in impetio dari infallibilem connexionem cum vſu, aſſerendum eſt, imperium ratione ſui, ſic efficacitèr intimare electionem, & movere voluntatem, vt media electa exequutioni mãdentur, quod ex vi huius intimationis, & imperij eſt infallibile voluntatem per actum vſus applicare potentias exequutivas ad exequutionem: an autem propter hoc dicendum ſit, imperium movere quoad exequutionem, vel non? Poſſet fortaſsis reputari quæſtio de nomine.

32 Nihilominùs longè veriùs eſt imperium quoad exequutionem movere. Primo; quia voluntas media electione non movet ſeipſam ad vtendum potentijs exequutivis immediatè, ſed medio imperio rationis: ex voluntate ergo eligenti derivatur ad voluntatem vtentem motio quoad exercitium medio imperio, & â voluntate vtente derivatur ad potentias exequutivas: hoc autem non benè percipitur, niſi imperium ex electione præcedenti moveat voluntatem quoad exequutionem; non enim aliquid effectivè, motivè, ſeù activè concurrit medio aliquo, ſi tale medium efficienter, aut activè non concurrat: quapropter producens efficienter obiectum, quod ad cognitionem, ſeù volitionem ſolum obiectivè concurrit, non dicitur concur-

currere efficienter ad cognitionem, seù volitionem. Secundo; quia imperium hanc vim movendi à voluntate participare inconveniens non est, sed necessarium iuxtâ D. Thomam; nam vt sæpè ex ipso vidimus, in actibus animæ præcedens virtualiter manet in sequenti; atqueadeò sequens potest habere virtutem ad movendum quoad exequutionem, si actus antecedens illam habet.

33 Tertio principaliter suadetur: quia concursus imperij, non solùm est obiectivus, & in genere causæ formalis, sed activus, & impulsivus ex parte subiecti, vt voluntas per vsum amplectatur obiectum per ipsum propositum; ergo non solùm movet obiectivè, & quoad specificationem, sed subiective, & quoad exercitium. Antecedēs probatur; nam imperare nò est solum proponere obiectum, sed cum quadam vi, ratione cuius voluntas illud amplectitur per actum vsus; quam vim non habet ab obiecto, quod solùm potest influere obiectivè, & finaliter, vt isti Authores asserunt; nec obiectum ex meritis suis habet vim ad necessitandum voluntatem, etiam quoad specificationem, & obiectivè; hoc enim modo solùm necessitat summum bonum; ergo concursus imperij non solùm est in genere causæ finalis, & obiectivè, sed subiectivè, activus; & impellens ex parte subiecti ad exercitium actus.

34 Confirmatur, & explicatur: obiectum solùm habet concurrere obiectivè, & finaliter, vt ipsi docent: imperare autē non est obiectivè causare, seù finalizare; aliàs quælibet cognitio proponens obiectum prosequendum, vel fugiendum à voluntate esset imperium; ergo præter concursum obiectivum, alium habet in exequutione mediorum: qui alius esse non potest, quam concursus activus, seù motivus quoad exercitium ex parte subiecti.

35 Quarto; quia si imperium solùm habet concursum obiectivum, & finalem in exequutione mediorum, prædestinatio solùm erit causa obiectiva, & finalis beneficiorum Dei, quibus liberantur electi; ad modum quo visio beata est causa amoris beatifici, ad quem solùm concurrit obiectivè, & necessitando voluntatem quoad specificationem, non quoad exercitium, iuxtâ horū principia. Immò sicut visio beata, vt ab obiecto distinguitur, solùm est conditio ad amorem beatificum; sic imperium Dei solùm erit conditio ad exequutionem mediorum, secundum quod ab obiecto distinguitur. Hoc autem esse falsum ex dicendis constabit: & modo probatur; quia media, quibus adipiscuntur gloriam electi, derivantur à Deo in genere causæ efficientis media prædestinatione; immò, vt vidimus, efficacia electionis ad gloriam, quæ est prima causa salutis, & efficacia electionis mediorum, quę est efficacia motiva quoad exercitium, descendit ad exequutionem mediorum media prædestinatione. Et quidem si imperium non habet efficaciam effectivam, seù motivam ex parte subiecti quoad exercitium, sed hæc solùm est apud voluntatem, imperium solùm erit quasi speculativè efficax; scilicèt, quatenus contemplatur efficaciam voluntatis eligentis, seú vtentis: qua ratione solùm metaphisicè, & quasi speculative connecteretur cum exequutione mediorum; non verò phisicè, & influxive.

36 Undè verius putamus imperium ex præsuppositio actu voluntatis movere quoad exercitium, & habere efficaciam intrinsecam. Cui non obstat argumentum factum; nam licet intellectus ex se solùm moveat proponendo obiectum, & licet intellectus speculativus nihil dicat de operando, vt docebat D. Thomas: suppositio tamen actu voluntatis potest imperare exequutionem, & ad illam movere subiectivè, & quoad exercitium; sicut non habet ab obiecto vim ad imperandum; quam tamen habet ex actu voluntatis antecedenti. Nec confirmatio aliquid convincit: quia nos non dicimus obiectum, aut finem movere quoad exercitium; sed imperium proponens obiectum hanc vim habere, non ex obiecto, sed ex actu antecedenti voluntatis; sicut obiectum, & finis non habet vim ad imperandum, nec ab illo illam habet actus imperij; sed ex electione, vt sæpè vidimus.

37 Ex quibus ad argumentum principale constat, imperium habere intrinsecam efficaciam, & vim movendi quoad exercitium: constat etiam ad primam huius improbationem. Ad secundam dicendum, movere quoad exercitium tanquâm primum movens, esse proprium voluntatis, quod intellectui competere non potest; sicut nec ipsi potest communicari movere volendo: movere autem quoad exercitium intimando placitum voluntatis,

ordinando,& præcipiendo,vt exequutioni mandentur media electa, ipsi potest convenire:nec enim hoc modo movere,quoad exercitium est proprium voluntati, sed illi repugnans, sicut & præcipere. Ad id,quod subiungitur, nimirùm, voluntatem non posse movere quoad specificationem, quia hoc est proprium intellectus; eodem modo dicendum est; scilicèt, movere quoad specificationem proponendo, seù ostendendo obiectum, esse proprium intellectus,& voluntati convenire non potest: movere autem quoad specificationem determinando intellectum, vt assentiatur obiecto, quod ex se non potest illum determinare, quale est obiectum fidei, potest quidem voluntas, non ostendendo obiectum, sed per piam affectionem applicando intellectum ad assensum.

38 Per quod constat ad tertiam improbationem: nam ordinare, & dirigere est vnum cum altero conferre, & vnum in ordine ad alterum intelligere, quod est ipsa substantia actus intellectus; & propterea voluntati non potest convenire, sicut nec intellectui velle: imperare autem, vt diximus, est movere intimando electionem voluntatis, vt media electa exequutioni mandentur, quod formaliter est practicè intelligere; quod proprium est intellectus, non voluntatis, qui suppositâ electione habet intrinsecam vim ad disponendum, & ordinandum media electa mandari exequutioni.

39 Ad secundam minoris probationem Thomistæ nuper laudati;cum concedant in imperio prædestinativo efficaciã intrinsecam, & connexionem essentialem cum exequutione mediorum,cum communi Thomistarum sententia; ex quo principio evidenter infertur non posse Deum vllo modo componere omissionem vsus cum actu imperij regulante illum; convincuntur ad asserendum actum vsus non esse liberum in se formaliter, sed in causa:quod inconveniens non reputant.

40 Sed plura tenentur admittere, quæ vera non videntur: coguntur enim asserere actus virtutum ex imperio charitatis elicitos non esse liberos formaliter in se, sed in causa. Debent etiam concedere nullum actum elicitum ex imperio reflexo esse formaliter liberum: & suppositâ intentione finis, si adsit solùm vnicum medium,electionem illius non esse liberam:& in Deo tenentur concedere, non solùm actum vsus, quo voluntas divina applicat potentiam exequutivam ad exequutionem mediorum, non esse liberum; sed nec decretum exequutivum dandi gloriam propter merita: nec decretum inflictivum pœnæ finaliter impœnitentibus esse actus formaliter liberos: Et ratio est clara; quia vsus, qui infertur ex imperio præsuppositâ electione voluntatis, non est formaliter liber in se, sed in causa: sed actus virtutum ex imperio charitatis inferuntur; actus reflexe imperatus ex imperio reflexo; electio vnici medij ex intentione finis; ergo nec actus virtutum imperati à charitate; nec actus reflexè imperatus; nec electio vnici medij, sunt formaliter actus liberi in se, sed solùm in causa. Et similiter decretum exequutivum glorię infertur ex decreto conditionato dandi gloriam sub conditione perseverantiæ, simul cum decreto purificandi conditionem: & decretum infligendi pœnam æternam sub conditione impœnitentiæ finalis,& decretum permittendi impœnitentiam finalem inferunt infallibiliter decretum absolutum exequutivum infligendi pœnam;ergo decretum exequutivum absolutum dandi gloriam, & decretum exequutivum, etiam absolutum infligendi pœnam non sunt formaliter actus liberi iuxtá horum Authorum principia.

41 Hæc autem,& similia, quæ ex præfata doctrina inferuntur, adversari videntur sententiæ communi Thomistarum, & pugnant cum veritate: nam imperium charitatis solùm præstat,quod voluntas media virtute exeat in actum eo modo, quo ipsa potest illum elicere: voluntas autem media virtute potest elicere actum liberũ, non solùm in causa, sed formaliter in se. Immò hoc imperatur à charitate; scilicèt, voluntatem media virtute misericordiæ; v. g. elicere actum liberum misericordiæ, quem elicere potest, & qui sit meritorius, non solúm ratione charitatis imperantis, & quasi actus purè exterior, sed etiam ratione sui. Et idem dicendum est de imperio reflexo; quando enim quis reflexe eligit actum liberum misericordię, & eundem imperat, imperat intellectus; & sicut ex imperio infertur substantia actus; pariter & libertas: vt dici solet de decreto efficaci, inferente actum,& eius libertatem; sicut enim Deus vtitur voluntate creata,ad hoc vt eliciat actum liberum, quem ipsa potest elicere,& propterea libertas non aufertur, sed infertur ex decreto divino; nimirùm,

quia

quia ad vtrúmque vtitur Deus voluntate creata, ad hoc, vt eliciat actum, & vt libere eliciat: pariter voluntas, eligens reflexe actum misericordiæ liberum, vtitur intellectu ad illum imperandum, & seipsa ad illum libere eliciendum: cum hac tamen differentia inter alias, quod vt existat actus liber creatus, necessarium omninò est, quod Deus vtatur vt supremus Dominus voluntate creata ad illum eliciendum: ad hoc autem vt voluntas eliciat actum liberum misericordiæ non est necessarium, quod reflexe vtatur seipsa ad illum eliciendum, quamvis possit vt Domina sui actus per actum reflexum seipsa vti ad illum eliciendum.

42 Similiter electio vnici medij etiam est formaliter, & in se libera: nam voluntas media intentione finis vtitur exercite seipsa ad eligendum, seù amplectendum tale medium iuxta merita illius: cumque medium in se non habeat vim ad rapiendam voluntatem; ipsa voluntas media intentione finis vtitur seipsa, vt amplectatur medium libere, & sine necessitate. Et idem dicendum est de decreto exequutivo gloriæ, & exequutivo pœnæ eadem ratione: de quo tamen infrà erit sermo, & ostendemus omne decretum divinum esse liberum formaliter, & in se.

43 Ratio horum est: quia voluntas, iuxtà D. Thomam, & communem sententiam Thomistarum non necessitatur, nisi à summo bono clarè viso; nisi peraccidens ex imperfectione cognitionis, vt in motibus subitis, & indeliberatis: vndè omnis actus voluntatis tendens in obiectum finitum, & limitatum, sic tendit, quod possit non tendere, nisi ex imperfectione cognitionis limitatio, & imperfectio obiecti non appareat, vt diximus de motibus indeliberatis. Nec obstat; inferri, seù imperari ex alio actu voluntatis: ex hoc enim solùm infertur voluntatem per primum actum vti dominio, quod ipsa habet ad eliciendum secundum actum: per quod dominium, & libertas ad illum eliciendum non auferrtur, sed reducitur ad actum.

44 Vndè ad secundam minoris improbationem constat solutio: est enim negandum antecedens: & ad probationem negandum est iterùm antecedens, nimirùm, Deum posse componere omissionem vsus cum actu imperij: nec ad libertatem actus vsus hoc requiritur; sed sufficit si non repugnet coniunctio ex meritis obiecti propositi per imperium, & amplectendi per vsum; ex quo capite non repugnat: nam cum idem sit obiectum vsus, & electionis ex se non potest rapere voluntatem; quamvis absolutè coniunctio illa repugnet, ex eo quod voluntas per electionem, & imperium vtitur dominio, quod habet in exequutione mediorum.

45 Ad confirmationem concessa maiori, neganda est minor, vel distinguenda; imperium non est liberum ratione sui libertate formali prima intra limites creaturæ, concedo minorem; libertate quasi secunda derivata ex alia, quæ est prima intra limites creaturę, & quę solùm convenit voluntati, nego minorem, & neganda est consequentia: itaque prædestinatio, & imperium est liberum denominativè, & quasi extrinsecè ab electione antecedenti; & est liberum libertate sibi intrinseca derivata ex prima libertate; actus enim potentiæ intellectualis est capax intrinsicæ libertatis, non primæ, quę convenit voluntati, sed secundæ ex voluntate derivatæ.

46 Sed vt hoc melius intelligatur, advertendum est ex D. Thoma 1. 2. q. 17. artic. 1. & alibi sæpè; quod intellectus est radix libertatis: sicut enim ad finem apprehensum sequitur appetitus elicitus, & ad intellectum seqaitur voluntas; sic ad intellectum, proponentem obiectum cum indifferentia, sequitur voluntas potens eligere, quod maluerit; in quo libertas formalis, quæ apud voluntatem est, consistit. Agens ergo intellectuale constituitur liberum radicaliter per intellectum, & formaliter per voluntatem: quod postquam per voluntatem eligit, indiget intellectu, per quem disponit, & imperat, vt exequutioni mandetur, quod per voluntatem electum est: & sicut agens intellectuale ducitur, & dirigitur ab intellectu, seù à seipso vt intelligente ad eligendum, & volendũ; sic ratione intellectus habet vim ad ordinandum, disponendum, seù imperandum, quod ab ipso volitum est, ac electum per voluntatem: quod quidem rationale imperium propriam vim habet ad movendũ, vt diximus, ex præsuppositio actu voluntatis, & similiter propriam libertatem formalem ex actu voluntatis participatam; & ipsum nomen imperij hoc significat; vtpotè imperare est exercitium dominij, non primi; hoc enim est velle; sed quasi secundi ex primo derivati, quod est quasi complementum primi dominij existentis in volũ-

ta-

tate : nec propter hoc dicenda sunt duo dominia, sed vnum; quod radicaliter est in intellectu ; formaliter, & subiectiue in voluntate ; & completiue, seù derivative in intellectu, supposito actu voluntatis ; per quod pervenitur ad exequutionem illorum, quæ volita, & electa sunt.

47 In quo discriminatur imperium ab actibus potentiarum purè exteriorum, in quibus purè exequutivè, & passivè exercetur dominium ; & sic solùm habent libertatem extrinsecam ab actibus interioribus formaliter desumptam : hac ratione in actu fidei agnoscunt Theologi, non solum libertatem extrinsecam desumptam formaliter ab actu pię affectionis, sed intrinsecam, ratione cuius est intrinsicè meritorius, & non sicut actus purè exterior: quod mirum non debet esse ; cum in appetitu sensitivo ex coniunctione ad rationem, aliqualem libertatem agnoscant, ratione cuius est capax aliquarum virtutum, sicut & intellectus est capax prudentię. Prædestinatio ergo hac libertate intrinseca gaudet, quæ est de eius constitutivo, & supponit libertatem electionis, quæ ad eius formale constitutivum non spectat, sed præsupponitur.

48 Sed dices : cui tantum potest competere ratio voliti, non volitionis, ratio liberi libertate formali intrinseca convenire non potest : sed licèt imperio possit cõuenire esse volitum ; non tamen esse volitionem ; ergo nequit esse liberum libertate intrinseca formali. Minor probatur: nam libertas formalis est intrinsecus modus volitionis, & in sententia plurium, differentia essentialis; ergo non potest convenire, cui non convenit ratio volitionis. Secundo; libertas solùm radicaliter reperitur in intellectu, & formaliter in voluntate, iuxtà D. Thomam; ergo in actu intellectus non potest reperiri formalis libertas. Tertio : actus, qui non est voluntarius, non est liber formaliter : sed actus intellectus non potest esse formaliter voluntarius ; ergo nec liber formaliter. Minor probatur ; quia non potest dici actus voluntarius, qui volitio non est.

49 Sed hęc non vrgent : Ad primum enim, vel neganda est maior, vel distinguenda iuxtà dicta : non potest competere ratio liberi libertate formali intrinseca prima intra limites creaturæ, concedo maiorem : secunda ex prima derivata, nego maiorem : & concessa minori, neganda est consequentia, vel distinguendum consequens iuxtà dicta. Neque augetur difficultas per hoc, quod libertas voluntatis sit modus intrinsecus, vel differentia essentialis actuum voluntatis : idem enim fieri potest argumentum in sententia probabili asserente esse denominationem extrinsecam denominationem desumptam ab indifferentia iudicij ; iuxtà quam eodem modo dicendum est, scilicèt, quod sicut actus voluntatis ab indifferentia iudicij denominatur liber; pariter imperium ab eàdem indifferentia denominatur liberum ; non tamen primaria libertate, sed secundaria.

50 Secundum, si quid probat convincit, actum intellectus non posse esse liberum libertate formali etiam extrinseca, quali gaudet actus purè exterior, deambulare ; v. g. nam actus intellectus, medio quo radicat libertatem primam voluntatis in primo actu libero, non est liber etiam extrinsicè, sed omninò necessarius ; sicut ergo non obstante, quod actus iste non sit vllo modo liber ; concedendus necessario est in intellectu alius actus, qui sit liber formaliter, saltim extrinseca libertate: pariter dicendum est, quod intellectus est radix libertatis, quatenus est potens elicere actum, proponentem obiectum indifferẽs, & esse liberum completive, seù libertate à voluntate derivata; quatenus est potens, supposita electione, imperare exequutionem, vt dictum est.

51 Tertium in pluribus peccat, & neganda est minor; quia cum voluntas vtatur exercite intellectu ad imperandum, tale imperium voluntarium est: ad quod non est necessarium, quod sit volitio, vt intendit probatio minoris, & per se est evidens, nisi velint, quod quia deambulatio exterior est voluntaria, sit volitio; vel quia volitio non est, quod non sit voluntaria. Ad voluntarium ergo sufficit, quod sit à voluntate, vel elicitive, vel applicative, seù imperative ; quod ad volitionem non sufficit : imperium ergo est voluntarium ratione dicta ; quia voluntas media electione vtitur exercite intellectu ad imperandũ; & hac ratione etiam est formaliter liberum à libertate extrinseca electionis, ad modũ quo actus exterior est liber. Cæterùm, quia imperare est saltim completive exercitium activum dominij, & est actus potentiæ rationalis supponentis electionem liberam voluntatis, est formaliter, & intrinsicè liberum, libertate non prima, sed derivata, ex

ex actu voluntatis: ad differentiam actus purè exterioris, qui nullo modò est exercitium activum dominij; sed purè exequutio, quæ est effectus dominij omninò completi in actu secundo, ad quod purè passivè se habet, vt dictum est.

52 Ex dictis infertur, prædestinationem, seù imperium esse liberum secunda libertate sibi intrinseca essentialiter, & constitutiva: & esse liberum ab ipsa libertate electionis essentialiter; non tamen cõstitutive. Est, inquam, liberum libertate electionis essentialiter; quia de essentia imperij est supponere electionem liberam, & ex illa derivari; ac proindè est illi essentiale denominari liberum à libertate electionis: nõ tamen hac libertate constituitur in ratione imperij, seú prædestinationis, licet sit omninò necessaria præsuppositivè ad illam: sicut in actu libero creato est necessaria libertas ad meritum; ex quo tamen non infertur esse necessario dicendum libertatem constituere actum voluntatis meritorium: sed potest dici, quod ratio formalis meriti stat in ipso actu charitatis connotata libertate; quæ in sententia plurium est extrinseca denominatio: & sicut actus charitatis in ratione amoris Dei non constituitur per libertatem; sic nec imperium in ratione prædestinationis per hanc libertatem ab electione formaliter desumptam constituitur; sed per intrinsecam libertatem, vt diximus.

53 Secundo infertur vsum activum voluntatis esse liberum, non solùm libertate intrinseca, quam habet ex indifferentia obiecti, vt suprà explicuimus; sed etiam esse liberum denominatione desumpta à libertate electionis antecedentis, à qua non est dicendus liber solùm in causa, vt docent sæpè citati Thomistæ, sed in se, & formaliter, licet libertas hæc non sit vsui intrinseca, sed extrinseca: si enim actus exterior, deambulatio; v. g. exercita ab homine libere eligente deambulare, non est solùm libera in causa, sed in se, & formaliter, quãvis libertate non sibi intrinseca, sed extrinseca, & residente in actu interiori voluntatis; à fortiori vsus activus hac libertate electionis dicendus est liber formaliter, & non solum in causa: Et ratio est clara; nam deambulatio exterior oritur à voluntate medio vsu activo, & imperio, & mediantibus his actibus influxus electionis pervenit ad exteriorem deambulationem; ergo si hæc libera est formaliter, & voluntaria, & non solum in causa, ab electione interiori; potiori titulo vsus activus, à quo actus exterior dicitur, & est volũtarius, & medio quo denominatio libertatis ad actum exteriorẽ extenditur, dicendus est liber formaliter à libertate electionis. Ultrà hanc libertatem, aliam intrinsecam habet vsus ab indifferẽtia obiecti; cuius existentia confirmatur ratione supra attacta: nam vti est proprius actus, & exercitium activum dominij; quapropter non potest non habere intrinsecam libertatem; vt de imperio dicebamus.

54 Secundo posset dici, quod libertas electionis constituit formaliter imperium in ratione prædestinationis: ex quo non infertur, prædestinationem non consistere adæquatè in imperio, sed in actu voluntatis: sicut licet asseramus, actum charitatis constitui meritorium inadæquatè saltim per libertatem, quæ in sententia plurium est extrinseca denominatio desumpta à iudicio indifferenti; non ideò dicendum est, meritum charitatis consistere in actu intellectus, & voluntatis; sed solum actus charitatis est meritorius, licet denominatio liberi desumpta ab indifferentia iudicij sit de intrinseco conceptu meriti; pariter licèt denominatio liberi in imperio desumpta à libertate electionis sit de intrinseco conceptu prædestinationis, solùm imperium est prædestinatio, & non actus electionis, seù eius libertas. Et idem dicendum est, etiamsi libertas actus charitatis; v. g. sit modus intrinsecus, vt docet vera sententia, & sit de conceptu intrinseco meriti; nimirùm, solùm actum charitatis esse meritum, seù meritorium, non libertas: similiter solus actus charitatis est meritorius, licèt gratia sit forma, qua meritori est; nimirũ, quia gratia est principium quo meriti; pariter ergo licet sit de conceptu intrinseco prædestinationis libertas ab actu electionis formaliter desumpta, solum imperium est prędestinatio; quia solum imperium est præordinatio efficax beneficiorum Dei.

55 Sexto arguitur: Nam ordinare spectat ad voluntatem formaliter; ergo si prædestinatio in ordinatione efficaci consistit, in actu voluntatis debet constitui, in quo ordinatio, & efficacia reperitur. Antecedens probatur primo ex D. Thoma in 1. ad Annibaldum distinct. 1. q. vnica artic. 2. sic docente: *Vti enim ordinationem quandam importat, & sic est actus voluntatis in ordine ad rationem.* Secundo probatur; quia non est minus propria voluntatis efficacia, &

motio quoad exercitium, quam sit propria ordinatio intellectus: sed hoc non obstante concedimus intellectui efficaciam, & motionem quoad exercitium ex participatione voluntatis; ergo similiter concedere debemus voluntati ordinationem ex participatione intellectus: & sicut distinguimus duplicem motionem, seù efficaciam; alteram primo moventis, seù volitivam; alteram secundo moventis, seù ordinativè moventis; etiam debemus distinguere duplicem ordinationem; alteram intellectivam, seù primo ordinantis, & alteram secundo ordinantis, & volitivam.

56 Respondetur, negando antecedens: etsi aliquando D. Thomas actus voluntatis ordinativos appellat, non est, quia ipsi sint formaliter ordinativi; sed quia præsupponunt actus intellectus ordinantis. Sic 1.2.q.13. art. 1. ad 1. docet: electionem esse, seù dici collativam vnius ad alterum, non quia ipsa collativa sit; sed quia collationem per intellectum factam supponit: Et in testimonio adducto eodem modo intelligendus est; scilicèt, vsum esse ordinationem præsuppositivè, non formaliter: quod non obscurè insinuatur ibi à D. Thoma asserente; vti ordinationem quandam importare; ad quod sufficit ordinationem supponere: & subdit, quod vti est actus voluntatis in ordine ad rationem; quapropter importat ordinationem rationis, quam voluntas per actum vsus sequitur, non facit. Quod clariùs explicuit ibi in solutione ad 1. illis verbis: *Ordinare est rationis, dicendum quod verum est; tamen voluntatis est sequi ordinem rationis*: cum enim ratio proponit aliquod bonum sub aliquo ordine, voluntas tendit in illud, vt est sibi à ratione propositum; & sic relinquitur quidam ordo in actu voluntatis. Et 1. 2. q. 16. art. 1. ad 1. interpretatur Augustinum lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 4. docẽtem, quod vti est in aliud referre: interpretatur, inquam, eodem modo; scilicèt, Augustinum sic docere; quia vsus tendit in obiectum relatum per rationem; non quia per vsum referat voluntas vnum ad alterum. Dicitur ergo voluntatem ordinare præsuppositive, & in ipsa relinqui ordinationem rationis; non quia ipsa ordinet; sed quia tendit in obiecta eo ordine, quo â ratione proposita sunt: qua ratione etiam in exequutione exteriori suo modo reperitur ordo, non quem faciat potentia exterior; sed quem exequitur, â ratione propositum, & quia facit, quod ordinatum est à ratione.

57 Ad secundam probationem iam diximus, ordinare esse ipsam substantiam actus intellectus; est enim vnum in ordine ad aliud intelligere, quod voluntati convenire non potest, quę est potentia cæca, & solum potest tendere in obiectum, vt ordinatum a ratione: movere autem quoad exercitium stat dupliciter; scilicèt, volendo obiectum, & ordinando vt sit: primum est proprium voluntatis; secundum autem est proprium intellectus supposito actu voluntatis.

58 Sed dices: D. Thomas 1.2. q. 114. art. 4. & 2.2. q. 23. art. 4. docet charitatem esse formam aliarum virtutum, quia imperat, & ordinat actus aliarum virtutum ad finem, qui in moralibus obtinet rationem formæ; ex qua ordinatione, & imperio attingunt finem, qui est obiectum charitatis, & fiunt meritorij; ergo ad voluntatem, quæ media charitate imperatur, & elicit actus charitatis, spectat medijs illis ordinare, & imperare: quod esse non posset, si ordinare esset ipsa substantia actus intellectus. Respondetur, vt dictum est, ad charitatem spectare ordinare motive, hoc est, movendo intellectum, vt media fide, vel prudentia infusa imperet, & ordinet actus aliarum virtutum in finem vltimum, qui est proprium charitatis obiectum.

59 Sed dices: sequi meritum in alijs virtutibus principalius à fide, quam â charitate provenire: quod concedendum non est. Sequela probatur; quia meritum provenit ex imperio, & ordinatione in finem charitatis: sed imperium, & ordinatio principalius est à fide, quam á charitate, à qua solum est motivè, & elicitivè à fide; ergo meritum aliarum virtutum principalius provenit à fide, quam â charitate. Similiter sequitur, fidem principalius esse formam aliarum virtutum, non autem charitatem: quod eodem modo probatur; nam informatio ex ordinatione provenit; quæ principalius, & elicitivè est à fide. Insuper; actus aliarum virtutum attingunt finem charitatis ex subordinatione ad ipsam charitatem, non ex subordinatione ad fidem: sed ex imperio, & ordinatione charitatis finem charitatis attingunt; ergo subordinantur charitati ex vi ordinationis, & imperij eiusdem: quod esse non posset, nisi ordinatio, & imperium esset elicitivè â charitate.

60 Respondetur ex Illustrissimo

Godoy in præſenti, negando Sequelam: ad probationem concedendum eſt, meritum derivari ad actus aliarum virtutum medio imperio, quod à fide elicitur: non tamen propter hoc eſt principalius à fide, ſed à charitate, ex qua ad imperium derivatur virtus motiva quoad exercitium. Imperium ergo eſt medium, & quaſi via, qua mediante ad actus aliarum virtutum, virtus charitatis derivatur; & propterea ab ipſa principaliter eſt meritum aliarum virtutum, quæ vtitur intellectu ad imperandum illarum actus: & hac ratione ipſa potiori titulo, quam fides eſt forma aliarum virtutum, & ex ſubordinatione ad charitatem actus aliarum virtutum obiectum charitatis attingunt; etenim charitas medio imperio intellectus, quo vtitur, ſibi ſubordinat alias virtutes. Per quod conſtat ad illa, quę in argumento ſuperadduntur.

61 Iterúm laudati Thomiſtæ hac ſolutione non contenti aliam, quam genuinam exiſtimant, traddunt aſſerentes, charitatem duplicem impulſum præſtare in actus aliarum virtutum. Primus eſt, quo movet prudentiam infuſam, vel fidem, vt illas in ſuum finem ordinet, qui eſt ſummum bonum: Secundus impulſus eſt, quo, poſtquàm per prudentiam ordinati ſunt, applicat alias virtutes, vt in finem, quem illis ratio præſtituit effective tendant per elicientiam ſuorum actuum; & ſic à charitate participant immediatè virtutem, & impulſum, ratione cuius moventur quoad exercitium ad ſuos actus.

62 Sed licet hęc ſubtiliter dicantur, & conſequenter ad doctrinam horum Authorum ſupra traditam: nos autem ſolutione tradita argumentum adæquatè ſolvi putamus. In ſolutione autem horum Authorum non placet, quod voluntas per actum charitatis immediatè impellere aſſerunt alias virtutes ad elicientiam ſuorum actuum: ad hoc enim vtitur voluntas per actum charitas intellectu, vt medio imperio ab ipſo elicito moveat alias virtutes ad elicientiam ſuorum actuum, & ex ſubordinatione ad charitatem medio imperio rationis attingant finem, qui eſt charitatis obiectum. Nec obſtat; quòd intellectus medio imperio non moveat quoad exercitiũ: quia hoc falſum eſſe pro *b* avimus, & didicimus ex D. Thom. vbi ſupra docente, non ſolùm voluntatem eſſe potentiam motivam quoad exercitium, ſed intellectum: quod præſtat medio imperio rationis. Nec ex hoc infertur, aliarum virtutum actus habere rationem meriti ab imperio, ſeu à virtute elicitiva illius; ſed à charitate vtente tali virtute adimperandum.

63 Secundo non placet doctrina ſolutionis: quia ſi voluntas per actum charitatis impelleret immediatè alias virtutes ad elicientiam ſuorum actuum, non eſſet neceſſarium imperium rationis: ſicut quia potentia exterior applicatur immediatè à voluntate per actum vſus ad ſui actus elicientiam, non indiget alio imperio immediatè movente potentiam exteriorem ad ſui actus elicientiam. Rurſus; nec ad actum vſus requireretur imperium; ſed ſufficeret, quod voluntas per electionem applicaret ſeipſam immediatè ad vrendum: & ſi daretur imperium, voluntas illo dirigeretur ad ſecundum impulſum; etenim impulſus iſte, iuxtà hos Authores, ſupponit imperium: quod tamen falſum eſt: nam poſtquàm homo, ſeu agens intellectuale ex charitate vult, vt eliciantur aliarum virtutum actus, cognoſcens determinationem voluntatis, illam ſibi intimat, & imperat aliarum virtutum actus, vt ſic modo intellectuali exequatur actus aliarum virtutum iuxtà placitum voluntatis. Eſt ſimiliter poſtquàm agens intellectuale eligit media, vt illa modo intellectuali exequatur, cognoſcens electionem ſuam, illam ſibi intimat, & imperat, vt velit per actus vſus exequutioni mandari, vt ſuprà latè expliculmus. Nec voluntas poteſt moveri, ſeu impelli, vt hi Authores loquuntur, ad actus virtuoſos, ſicut potentia exterior applicatur per vſum; ſed medio imperio rationis, quo agenti intellectuali intimatur placitum voluntatis, quo movetur ad obediendum, & eliciendum actum imperatum: potentia autem exterior non imperatur immediatè; ſed imperium dirigit, & movet voluntatem, vt ipſa velit applicare potentiam exteriorem ad ſuam operationem.

64 Omitto, quod ex hac doctrina ſequitur, quod voluntas per actum charitatis duplici impulſu imperat alias virtutes ad ſuos actus: altero immediatè; & altero medio imperio. Ex quo ſequitur, iuxtà horum Authorum principia, ſolùm eſſe liberos in cauſa; atqueadeò non poſſe eſſe meritorios, vt ſupra inferebamus: ſi autem ſolum

sunt liberi, sicut actus purè exteriores, quod ad minus concedendum esse, necessarium putamus; etiam sequitur, quod licet sint meritorij; non tamen addant rationem meriti ad actum charitatis imperantem; sicut dici solet de actibus purè exterioribus. Cæterùm sicut isti Authores concedere tenentur, quod actus exteriores sunt liberi libertate electionis, & meritorij, non obstante, quod electio non applicet immediatè potentias exteriores ad operationem, sed medio imperio, & vsu: pariter licet charitas non impellat, vt ipsi loquuntur, alias virtutes immediatè ad operandum, sed medio imperio rationis, à charitate possunt habere, sicut libertatem, sic & rationem meriti; & non obstante mediatione imperij charitas potest esse forma aliarum virtutum. Et hæc de isto dubio applicanda litteræ Magistri in 1. distinct. 39. ad illa verba: *Providentiam ergo, & curam, &c.* & dist. 40. §. vltimo, ad illa verba: *Cumque prædestinatio sit gratiæ præparatio, &c.*

DVBIVM III.

Vtrùm permissio peccati sit effectus prædestinationis.

§. I.

Aliqua supponuntur, & referuntur sententiæ.

1 PERMISSIO Peccati duplex est; alia activa, scilicèt actus divinus, quo Deus vult permittere peccatum; & alia passiva, quæ est terminus huius voluntatis, effectus, seù quasi effectus illius: de prima permissione non potest procedere difficultas; actus enim voluntatis divinæ causam habere non potest, & propterea non potest esse effectus prædestinationis: qua ratione actus voluntatis divinæ non potest moveri ex aliquo creato in seipso, vt docet Divus Thomas hac 1. parte, quæst. 19. art. 2. & consequenter ad hanc doctrinam suprà docuimus, decretum exequutivum gloriæ non moveri ex meritis in seipsis, & vt in tempore existentibus: non ab illis vt in tempore existentibus; quia decretum exequutivum gloriæ, sicut quilibet alius actus voluntatis divinæ existit abæterno; ac proindè motivum eius debet abæterno existere, qualiter non existunt merita, vt existentia in tempore, & in propria mensura: & quamvis existeret abæterno; quia tamen creata sunt, movere non possunt, nisi vt contenta in bonitate divina, quæ est adæquatum obiectum divinæ voluntatis, vt ex Divi Thoma quæstione citata constat. Ex quo etiam intulimus non esse in potestate voluntatis creatæ decretum exequutivum gloriæ, vt Recentiores extra Scholam D. Thomæ frequenter asserunt: nos autem oppositum constanter asserimus; sicut enim per merita quis libere adipiscitur gloriam, potens per omissionem meritorum illam amittere; sic in eius potestate est gloriam adipisci; non tamen decretum divinum; quia Deus per actus divinos omninò precedentes gloriam, & merita, & nullo modò ab illis dependentes, vult gloriam acquiri meritis, & propter gloriam esse merita. Quod docuit Div. Thomas art. 5. quæstionis citatæ tradens doctrinam generalem pro voluntate divina illis verbis: *Sed tamen vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem; vult ergo hoc esse propter hoc: sed non propter hoc vult hoc.*

2 Difficultas ergo procedit de permissione passivè sumpta, quæ in nostra, & vera sententia in eo consistit, quod supposito auxilio sufficienti ad adimplendum præceptum instans, adsit negatio, seù carentia gratiæ efficacis necessariæ ad eius adimpletionem, quàm Deus adimplentibus liberaliter concedit, & non adimplentibus negat, occulto quidem indicio; sed tamen iusto: quod si ad fractionem præcepti necessarius est actus positivus voluntatis creatæ, permissio passivè sumpta etiam includit efficacem prædeterminationem ad entitatem materialem talis actus; quia cum Deus verè influat vt prima causa in entitatem materialem actus peccati, & Deus non influat nisi volendo, vtpotè cuius Omnipotentia influès solú volũtati divinæ subijcitur nostro modo intelligendi, ex cuius imperio omnia operatur, fit, quod necessarium sit ad

pecca-

peccatum, quod Deus velit efficaciam influere in entitatem actus peccati; cuius voluntatis exequutio est physica prædeterminatio ad materiale peccati, & ingreditur constitutionem permissionis passivæ sumptæ.

3 Quod vt clariùs fiat, apponamus exemplum infractione præcepti actus charitatis: supposito auxilio sufficienti ad adimplendum tale præceptum est necessaria vlterior gratia ad adimplendum, quam petimus á Deo, etiam supposita sufficientia ad actum; non enim solum petimus posse adimplere præceptum, quod communitèr omnibus conceditur; sed vlteriùs nobis donare actum adimpletivum, & conferre gratiam, qua illum eliciamus, quę est physica prædeterminatio ad actum; cuius negatio, seù carentia est passiva permissio peccati. Quod si omissio, vt sit voluntaria, & libera, requirat necessario actum, qui sit causa, vel occasio illius, etiam permissio passivè sumpta includit, seù involuit physicam prædeterminationem ad entitatem huius actus.

4 Permissio ergo activa Dei, de qua docuimus non esse effectum prædestinationis, quia causari non potest, consistit in voluntate divina negandi gratiam efficacem ad adimplendum præceptum; & etiam in decreto efficaci entitatis actus requisiti ad fractionem præcepti; cuius exequutio est physica determinatio actus quoad entitatem physicam illius. Passiva autem permissio consistit in termino huius voluntatis, scilicèt, in carentia gratiæ efficacis ad actum adimpletivum, & in physica prædeterminatione ad actum requisitum ad existentiam peccati; si forté aliquis requiratur.

5 De hac permissione sic passivè accepta dubitamus; an sit effectus prædestinationis? Et supponimus esse effectum Dei: nam carentia gratiæ efficacis est à voluntate divina volente non conferre gratiam efficacem; cum posset; & similiter prædeterminatio physica ad entitatem actus peccati, quę est exequutio Omnipotentiæ ex imperio voluntatis divinæ. Diximus, carentiam gratiæ esse effectum Dei, non per influxum positivum in ipsam; sed eo modo, quo carentia entitatis positivæ est à Deo volente non existere talem entitatem, quam producere, & causare potest.

6 Ex qua doctrina facilè intelligitur, qualiter nihil fiat præter voluntatem divinam, nec etiam ipsum peccatum; vtpotè, quod non esset, nisi Deus illud fieret esse; nec fiat, nisi volendo: quod docuit Augustinus in Enchyridione cap. 101. illis verbis: *Propterea namque magna opera Domini, & exquisita in omnes voluntates eius, vt mirò, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius sit voluntatem: quod non fieret, si non fieret: nec vtique nolens finit; sed volens.* Quod etiam docuit D. Thomas in 1. dist. 47. q. 2. art. 4. ibi: *Undè dicitur, quod Deus non vult mala fieri, sed vult permittere mala fieri.* Deus ergo vult positivè passivam permissionem peccati: ex qua voluntate, vtpotè efficaci, infertur permissio passivè accepta, & ex hac etiam infallibiliter sequela logica infertur peccatum. Ex quo non difficilè etiam infertur Deum nunquam influere positivè, nisi volendo: si enim non permittit nisi volendo permittere, etiamsi permittere in carentia influxus consistat; potiori titulo non influit, nisi volendo: & ideò Augustinus lib. 83. quæst. quæst 23. ait: *Ho. est aliquid fieri Deo agente, atque Deo volente*: vndè vel negandus est influxus in entitatem actus peccati; quod satis tutum non est, vt docet D. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. vel dicendum, Deum velle positivè influere in entitatem actus peccati.

7 Ex his infertur, sufficientiam ad actum præceptum, & ad omissionem illius, sivè hæc constituatur per auxilium intrinsecum indifferens, & oblationem Omnipotentię, vt illa vtatur voluntas creata in partem, quam maluerit, vt asserunt Recentiores; sivè in solo auxilio sufficienti, vt nos constanter defendimus, non esse permissionem passivam peccati; quia hæc sufficientia supponitur ad omissionem, & multoties componitur cum carentia peccati: permissio autem tàm activa, quàm passiva infert infallibiliter peccatum. Quod si in collatione sufficientiæ, & indifferentiæ ad vtrúmque extremum permissio peccati consisteret, esset sine peccato permissio peccati, & Deus præceptum adimplentibus permitteret peccatum; quod dicendum non est; quia licet Deus adimplentibus præceptum relinquat indifferentiam, & potentiam ad peccatum; non sic reliquit illos in manu consilij sui, quod indifferentiam illam non reducat ad actum adimpletivum præcepti media gratia vlteriori, scilicèt, efficaci, cuius carentia

eſt permiſsio paſsiva peccati, qua poſita infallibiliter ſequitur logicè peccatum: & ni fallor, eſt communis fidelium conceptio, quod Deo permittente, ſeù ſinente homo infallibiliter peccat; & ideò in oratione dominica petimus, nè Deus nos inducat in tentationem; quod eſt non permittere peccatum.

8 In ſententia autem Recentiorum negantium efficaciam intrinſecam gratiæ, poſt ſufficientiam voluntatis ad actum adimpletivum, & eius omiſsionem, non facilè aſsignant permiſsionem paſsivam peccati, quę detur ex voluntate divina, & ab illa procedat, & ex qua infallibiliter inferatur logicè peccatum: Non enim poſſunt recurrere ad ineffieaciam auxilij, quæ non eſt à voluntate divina; quia auxilium non eſt inefficax ex ſe, & vt deſcendit à Deo: ſed eſt inefficax, vel ex eo quod ſub illo voluntas creata non eſt adimpletura præceptum, quod verum eſt ſine interventu voluntatis divinę in eorum principijs: vel eſt inefficax, quia Deus hoc prævidit per Scientiam Mediam, quæ independenter â voluntate divina exiſtit in Deo, vt aſſerunt: vel eſt inefficax; quia voluntas creata per peccatum reddit illud inefficax; quod etiam non eſt à voluntate divina: & vt omnia ad vnum reducamus; inefficacia auxilij ab illo ponitur, & eſt, in cuius eſt poteſtate; ſed ſolum, iuxta ipſos, eſt in poteſtate creaturæ, quod auxilium ſit efficax, vel inefficax; ergo inefficacia ſolum eſt à voluntate creata: cum ergo permiſsio peccati, de qua in preſenti, ſit volita à Deo, & ex eius deſcendat voluntate, non poteſt conſiſtere in inefficacia auxilij, ſeú in carentia efficaciæ.

9 Fortè propter hæc ad permiſsionem peccati conſtituendam recurrunt Recentiores ad negationem aliorum auxiliorum efficacium, aſſerentes, ad permiſsionem peccati vltra collationem auxilij, quod ex voluntate creata, vel aliundè, vel à caſu eſt inefficax, & non ex voluntate divina, requiri carentiam aliorum auxiliorum efficaciu m, quæ à Deo non eſt.

Sed nunquam ſalvant ex voluntate divina deſcendere antecedenter ad peccatum aliquid, ſivè poſitivum, ſivè negativũ, ex quo infallibiliter ſequatur peccatum; quia negatio aliorum auxiliorum etiam efficaciũm non infert infallibiliter peccatum, etiam coniuncta cum auxilio ſufficienti, quo defacto creatura peccat, niſi ratione inefficaciæ auxilij: ſi enim auxilium, quod defacto datur, non eſſet inefficax, quamvis negarentur omnia alia auxilia efficacia, non daretur peccatum: ſed hoc auxilium eſſe inefficax, non eſt à Deo, nec ex eius deſcendit voluntate, vt vidimus; ergo nihil à Deo cauſatum, ſeú ab eius voluntate deſcendens infert infallibiliter peccatum.

10 Deinde negatio aliorum auxiliorum licèt ſit à Deo, non eſt ab illo ſecundum quod eſt negatio auxiliorum efficacium, vt efficacium: nam ſicut ab illo eſt negatio auxilij quoad ſuam entitatem, & eſſentiam, à quo eſſet tale auxilium quoad ſubſtantiam, ſi daretur, ſeú à quo poteſt auxilium poni; ita ab illo eſt negatio auxiliorum vt efficacium, â quo eſſet efficacia auxilij, ſi daretur, ſeù â quo poteſt efficacia auxilij præſtari: ſed hæc efficacia auxiliorum non poteſt à Deo deſcendere; cum antecedenter ad voluntatem divinam, ſeù preciſive ab illa ſint efficacia in ſtatu, quem vocant conditionatum, & in ſtatu abſoluto reddantur efficacia à voluntate creata; ergo ab illa, & non â voluntate divina eſſet negatio auxiliorum vt efficacium.

11 Confirmatur; ad divinam providentiam, vt cauſativa eſt rerum, ſolum ſpectat, quod ſit, vel non ſit, quod in divina Omnipotentia continetur: at ſolum entitas, & eſſentia auxilij in eius eſſentia continetur, non verò efficacia, quæ eſt accidens illius; ergo ſolum ad Deum ſpectat, quod ſit, vel non ſit auxilium quoad ſuam entitatem, & eſſentiam, & ad alterius providentiam ſpectare debet, quod ſit, vel non ſit inefficax; & conſequenter efficacia, ſeù efficaciæ carentia à Deo non ponitur, nec ex eius voluntate deſcendit, ſed ex alterius providentia. Maior videtur certa; nam providentia divina cauſativa rerum non poteſt magis extendi, quam divina Omnipotentia. Minor etiam in principijs Adverſariorum non videtur poſſe negari; nam ſi efficacia auxilij in Dei Omnipotentia contineretur, ex vi comprehenſionis ſuæ Omnipotentiæ cognoſceret efficaciam auxilij; cum ex vi illius cognoſceret quidquid in divina Omnipotentia continetur: ſed ex vi comprehenſionis Omnipotentiæ non cognoſcitur efficacia, vel inefficacia auxilij; ſed per Scientiã Mediam, quæ comprehenſionem divinæ Omnipotẽtię ſupponit; ergo efficacia

auxi-

auxilij non continetur in Divina Omnipotentia.

12 Quod vlteriùs confirmatur: quia hæc efficacia eſt accidens auxilij ipſi competens, & non ex divina diſpoſitione; ſed antecedenter ad illam, ſeù præciſivè ab illa; ergo neceſſario aſſignanda eſt alia providentia, ex cuius diſpoſitione conveniat auxilio hæc efficacia, vel inefficacia: quidquid enim alicui convenit contingenter, potens non convenire, convenit ex alicuius diſpoſitione, & conſequenter cum hæc efficacia conveniat auxilio, potens illi non convenire; dicendum neceſſario eſt illi convenire ex alicuius diſpoſitione: cumque non conveniat ex diſpoſitione divina, vt etiam concedunt, debent aſſerere illi convenire ex alterius diſpoſitione, in cuius poteſtate ſit, quod auxilium ſit, & denominetur efficax, vel inefficax, & ſic diſponens facere poterit, quod quamvis Deus neget auxilia, non neget auxilia efficacia; faciendo, ſcilicèt, quod non ſint efficacia.

13 Confirmatur ſecundo: iſti Authores aſſerunt, quod Deus, poſtquàm contulit auxilium ſufficiens, & obtulit Omnipotentiam, vt illa vtatur creatura, non eſt in Dei poteſtate, quod ſit, vel non ſit actus præceptus: ſed complexum ex auxilio ſufficienti, & oblatione Omnipotentiæ indifferens eſt ad vtrùmque extremum; ergo nihil ponitur a Deo, deſcendens ab eius voluntate, ex quo infallibiliter ſequatur logicè peccatum.

Nec latis fit, ſi aſſeratur, vltrà prædicta requiri ad peccatum omiſſionis; v.g. præceptum actus, cum etiam ſi detur omiſſio, non tamen peccaminoſa ſine præcepto actus; & conſequenter ſine illo, etiamſi alia ponantur, non infertur infallibiliter peccatum. Hoc, inquam, non ſufficit; nam etiam ſi addatur præceptum, complexum ex omnibus illis non infert infallibiliter peccatum. Quod ſic oſtenditur; complexum ex auxilio ſufficienti, oblatione Omnipotentiæ, carentia aliorum auxiliorum, etiam efficacium, & præcepto actus, componi poteſt cum carentia peccati, niſi auxilio ſufficienti, quod defacto confertur, ſuperaddatur inefficacia, quæ à Deo non deſcendit, vt diximus, ſed ſolùm à voluntate creata.

14 Tandem; nihil datur deſcendens à Deo, & effectus eius præcedens actum præceptum, & illum infallibiliter inferens, prærequiſitum ad actum, in horum Authorum principijs; ergo nihil datur prærequiſitum ad omiſſionem peccaminoſam, illam infallibiliter inferens. Conſequentia probatur: tùm à paritate rationis: tùm; quia ſolum carentia prærequiſiti ad actum, infert iis infallibiliter actum, poteſt inferre infallibiliter omiſſionem liberam actus: ſi enim ſit carentia prærequiſiti ad actum, non tamen inferentis infallibiliter actum, infert quidem carentiam actus; non tamen omiſſionem liberam illius; ſi ergo nihil datur prærequiſitum ad actum cauſatum a Deo illum infallibiliter inferens, nec etiam dari poteſt aliquid à voluntate divina deſcendens inferens infallibiliter omiſſionem liberam actus.

15 Dices: collationem auxilij ſufficientis ſuppoſita Scientia Media, qua Deus prævidit voluntatem omiſſuram ſub illo actum præceptum, inferre infallibiliter omiſſionem actus præcepti: hæc autem collatio à Deo eſt. Contra tamen eſt: nam decretum conferendi auxilium ſufficiens, aut collatio illius non infert ratione ſui peccatum, nec ratione alicuius à Deo cauſati; ſed ſolum ratione Scientiæ Mediæ, quæ a voluntate Divina non eſt; ergo nihil à Deo cauſatum infert infallibiliter peccatum ratione ſui; ſed ſolum ratione alicuius exiſtentis ex alteriùs providentia diſtincta à divina. Et quidem Scientia Media, cum non ſit effectus Dei, non poteſt ingredi formalem conſtitutionem permiſſionis, de qua in præſenti agimus permiſſione. Immò ipſa Scientia Media conſequitur ad peccatum defacto exiſtens, vtpotè acquiſita per ipſum a voluntate creata: qua etiam ratione debet ſupponere permiſſionem peccati adæquatè conſtitutam.

16 Si autem iterùm dicas: quod decretum collativum auxilij ſufficientis ſupponens Scientiam Mediam peccati connectitur cum peccato, eo quod connectitur cum Scientia Media, quam ſupponit, & infert infallibiliter auxilium, atque adeò connectitur cum exiſtentia vtriuſque, & conſequenter cum peccato, quod infallibiliter infertur ex coexiſtentia auxilij, & Scientiæ Mediæ. Contra eſt: nam decretum hoc non poteſt conſtituere permiſſionem paſſivam peccati; cum non ſit effectus Dei, vt ſupponimus; ergo nunquam ſalvant permiſſionem paſſivam peccati connexam

essentialiter cum peccato. Deindè ; quia permissio, de qua loquimur, est illa, quæ requiritur ad existentiam peccati : decretum autem collativum auxilij sufficientis connexum cum peccato non potest ab ipsis concedi requisitum ad existentiam peccati : immò in eorum principijs, repugnans est, vt alibi vidimus ; ergo ex conexione huius decreti cum peccato nunquam deducitur permissio requisita ad existentiam peccati, cum ipso connexa. Nec coexistentia auxilij cum Scientia Media peccati infert infallibiliter peccatum ea ratione, qua est effectus Dei ; nam hęc coexistentia nihil aliud est, quam existentia vtriusque : solum autem existentia auxilij est effectus Dei ; non autem existentia Scientię Mediæ : existentia autem auxilij potest coniungi cum carentia peccati.

17 Si autem hæc omnia ab Adversarijs concedantur, vt tenentur admittere : infertur, permissionem peccati, ex qua infallibiliter sequitur peccatum, non esse à Deo, nec ipsum orandum, nè permittat peccatum ; cum ab ipso huiusmodi permissio non sit : alia autem permissio, vi cuius Deus vtrùmque extremum constituit sub potestate voluntatis creatæ, æquè est indifferens ad vtramque partem, & consequenter est æqua permissio actus boni, ac peccati. Præterquàm quod est impropriè permissio, & omnibus bene operantibus convenit ; estque beneficium Dei prærequisitum ad meritum in creatura peccabili ; & ideò ex se, & ex natura rei est quid appetibile à nobis, & eius oppositum non debemus absolutè à Deo petere. Ex qua doctrina infra inferimus, permissionem peccati, quæ est effectus Dei, descendere à voluntate divina, posse eligi à Deo in sententia Adversariorum, non solum ex intentione salutis, & humilitatis ; sed ex intentione pœnitentiæ.

18 His non obstantibus, Recentiores constanter asserunt ex quatuor conditionibus requisitis ad hoc, vt aliquid sit prædestinationis effectus, tres permissioni convenire : nimirùm, quod sit effectus Dei ; quod conducat cum effectu ad salutem ; & quod sit gratia Dei, non ex natura sua, sed ex misericordia divina ordinante permissionem ad salutem, & sic disponente, quod conducat cum effectu ad illam. Solùm ergo potest esse difficultas, an permissioni conveniat quarta conditio ; nimirùm, an eligatur à Deo, & præparetur prædestinato ex intentione salutis ;

19 Circa quod prima sententia absolutè negat permissionem peccati esse effectum prædestinationis, seù quod eligatur à Deo ex intentione salutis prædestinati. Hanc sequitur Vazquez 1. p. disp. 193. cap. 2. Arrubal disp. 92. & Meratius disp. 39. assertione 2. Eandem sequuntur Hericę tract. 3. disp. 30. cap. 6. Alarcon tract. 4. cap. 6. cum hac tamen differentia ; quod asserùt hanc sententiam esse veram de facto, & de potentia ordinaria : secus autem de potentia absoluta ; eo quod si permissio peccati cognoscatur à prædestinato independenter à peccato, potest conducere ad salutem, & eligi à Deo ex intentione gloriæ : si verò non cognoscatur à prædestinato, nisi medio peccato, non potest eligi à Deo ex intentione salutis : & cum de facto, & de potentia ordinaria permissio peccati nō cognoscatur à prædestinato, nisi medio peccato ; non est de facto, nec potest esse de potentia ordinaria effectus prædestinationis : quia tamen cognosci potest de potentia absoluta, & non medio peccato ; potest esse de potentia absoluta effectus prædestinationis.

20 Secunda sententia extremè opposita docet, permissionem peccati esse effectum prædestinationis, quæ est inter Thomistas communis. Illam defendit Nazarius in præsenti, controvers. vnica, conclusione 9 Albelda disp. 71. sect. 5. Salmanticenses tract. 5. disp. 6. M. Sancto Thoma disp. 9. art. 6. & alij plures, quos refert, & sequitur Illustrissimus Godoy in præsenti quæst. 23. tract. 8. disp. 63. §. 1. num. 1. adducens pro illa ex alienis Suarez, Ruiz, Granados, & alios ; & est frequentior apud Theologos : Est tamen differentia inter Thomistas, & alios ; quod Thomistæ dicūt, permissionem peccati esse effectum prædestinationis ex pręintenta pœnitentia, quę immediatius ad salutem conducit, & ex intentione illius eligitur à Deo : pœnitentia autem electa ex intentione salutis, eligitur ex intentione pœnitentiæ permissio peccati. Alij autem Authores frequenter docent, non posse eligi permissionem peccati ex intentione pœnitentię : posse tamen eligi ex intentione salutis, quatenus conducere potest ad humilitatem, & ad alias virtutes conducens ad salutem : ex intentione autem pœnitentię non posse ; quia si ex tali intentione eligeretur, amaretur à Deo peccatum : quod repugnans est.

21 Inter hos autem Authores etiam

etiam est differentia: alijs asserentibus posse intendi pœnitentiam, & defacto intendi, quin præcedat permissio peccati; non tamen potest eligi, iuxtà ipsos, permissio peccati ex intentione pœnitentiæ: Alijs asserentibus non posse intendi pœnitentiam ante absolutam prævisionem peccati: benè tamen ante permissionem absolutam peccati; iuxtà quos permissio peccati eligi potest ex intentione pœnitentiæ: asserunt enim, & satis consequenter ad sua principia, posse Deum cognoscere absolutè futurum peccatum, ante decretum absolutum permissivum illius: qua prævisione posita, potest Deus intendere pœnitentiam, & ex illa eligere permissionem peccati.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

22 PRIMA Conclusio: Permissio peccati est effectus prædestinationis in electis. Probatur communitèr ex PP. Primo ex Augustino *de Natura & Gratia* cap. 27. vbi explicans illa verba Psalmi 29. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*; sic in fine capitis ait: *Ideò, qui in voluntate sua præstiterat decori eius virtutem, avertit paululùm faciem suam, & qui hoc dixerat, fieret conturbatus, quoniam ipsis est ille tumor sanandus doloribus*: vbi Augustinus dicit, eo fine Deum avertere faciem suam, quod est permittere peccatum, vt homo conturbatus humilis fiat; & consequenter ex fine humilitatis permittitur á Deo peccatum in prædestinatis: sed hæc humilitas descendit à Deo ex fine salutis æternæ, vt Adversarij non negant; ergo permissio peccati est à Deo ex fine salutis æternæ; ex cuius intentione eligitur humilitas, & ex huius intentione permissio peccati. Eandem doctrinam prosequitur cap. 28. sequenti, illis verbis: *Non itaque dicitur homini, necesse est peccare, nè pecces: sed dicitur homini, deserit aliquantum Deus, vnde superbis, vt scias non tuum, sed eius esse, & discas superbus non esse*: vbi expressè docet, ea intentione Deum permittere peccatum, vt homo cognoscat virtutes, & bona, quorum occasione in superbiam incidit.

23 Idem docet expressè Damascenus lib. 2. fidei cap. 29. illis verbis: *Permittitur quis quandoque inturpem actionem incidere ad emendationem deterioris affectus, verbi causa, est quis elatus in virtutibus, & operibus suis: hunc si it Deus in adulterium prolabi, vt per casum in propriæ infirmitatis cognitionem veniens confiteatur Domino*: vbi expressè docet Deum assumere tanquàm medium permissionem peccati, vt homo recognoscens propriam infirmitatem Domino confiteatur. Æquè expressè id docet illis verbis, quibus docet Deum aliquando velle permittere peccatum propter gloriam suam, aliquando propter bonum aliorum, aliquando propter bonum ipsius peccatoris: vbi *ly propter*, denotat causam finalem. Quam etiam docuerunt alij SS. PP. Hieronymus in Commentario ad Roman. 8. Ambrosius sermone 97. de fide Petri, Gregorius in Psalmum 2. Pœnitentialem, & alij.

24 Eandem ex illis, præcipuè ex Augustino desumpsit Div. Thomas 1.2. q. 79. art. 4. vbi sic habet: *Dicendum, quod excæcatio est quoddam præambulum ad peccatum: peccatum autem ad duo ordinatur, ad vnum quidem per se scilicèt ad damnationem: ad aliud autem ex divina misericordia, vel providentia, scilicèt ad sanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum suum agnoscentes, humilientur, & convertantur, sicut Augustinus dicit in libro de Natura, & Gratia. Vndè, & excæcatio ex sui natura ordinatur ad damnationem eius, qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus: sed ex divina misericordia excæcatio ad tempus, ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excæcantur: sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonum.*

25 Hijs, & alijs authoritatibus, quę ex PP. afferuntur, respondent Adversarij cum Vazquez vbi supra, intelligendos esse, non de fine, ex quo moveatur Deus ad permittendum peccatum; sed de effectu, quem Deus ex peccato, & eius permissione elicit: itaque ex permissione peccati, & ex ipso peccato Deus sumit occasionem ad

hoc,

hoc, vt homo humilietur, seù ad hoc, vt ipsi conferat humilitatem.

Sed contra est: nam PP. intedebant assignare causam finalem permissionis, quam Deus vt medium eligit, non vt finem: sed non assignant aliam, nisi humilitatem; ergo ex hoc fine Deus permittit peccatum. Minor constat ex adductis testimonijs. Maior verò probatur; quia verba PP. denotant causam finalem; nec alijs verbis clariùs assignarent causam finalem permissionis; ergo sine fundamento in SS. PP. interpretantur de effectu consequuto ad permissionem, & non de causa finali: præcipuè cum ex hac intelligentia nullum sequatur inconveniens, vt postea constabit. Secundo; quia quod occasione permissionis, vel occasione peccati homo multoties humilietur, in dubium non vertebatur; sed quo fine permittitur peccatum; ergo Sancti PP. finem præintentum à Deo in permissione peccati assignarunt; non præcisè effectum occasione peccati consequutum.

26 Quod vlteriùs ex testimonijs adductis colligitur: & in primis Pelagius, contra quem disputabat Augustinus, impossibile putabat, quod Deus permitteret peccatum eo fine, vt homo humiliaretur, & vitaret peccatum superbiæ: Hoc constat ex verbis Pelagij relatis ab Augustino, cap. 26. antecedenti, quæ sic habent: *Sed, & medicus ad curandum iam vulneratum paratius esse debet: non debet autem vt sanus vulneretur optare*: quod ab ipso putabatur dicendum, si Deus ex fine vitandi superbiam per humilitatem, permitteret peccatum; nam vt finis ille præintentus consequeretur, putabat necessarium esse, quod Deus optaret peccatum: quod nec apparenter inferri poterat, si Deus solum occasione peccati prævisi decerneret humilitatem.

27 Deindè; quia Pelagius, vt docet Augustinus cap. 27. citato asserebat, *absurdissimum, & stultissimum esse, peccatum fuisse, nè peccatum esset*: hoc est, Deum permittere peccatum, nè peccatum superbiæ sit; aut ad hoc, vt sanetur superbiæ peccatum: quod reijcit Augustinus illis verbis: *Quasi non & vlcus in dolore sit, & sectio dolorem operetur, vt dolor dolore tollatur*: vbi Augustinus expressè docet, quod sicut sectio eligitur vt medium, cuius finis est vlceris sanitas; sic permittitur à Deo peccatum, vt superbia tollatur: & sicut ibi dolor sectionis est medium, ad hoc, vt non sit vlceris dolor; sic in permissione peccati permissio est medium electum à Deo, vt sanetur superbia, quæ fortè præcesit; vel si non præcesit, vt homo cognoscens suam fragilitatem, & indigentiam gratiæ ad vitandum peccatum, se humiliet coram Deo.

28 Augustini doctrinæ vlteriùs obijciebat Pelagius; quod *Deus potest omnia sanare*: ex quo inferebat permissionem peccati non esse eligendam, vt medium ad sanandum peccatum, seù ad vitandum superbiam, quam homo posset concipere occasione desumpta ex bonis operibus. Cui Augustinus: *Vtique agit, vt sanet omnia; sed agit iudicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto*: vbi Augustinus docet Deū posse sanare superbiam præexistentem, & vitare futuram sine permissione peccati; sed tamen Supremus Dominus, & Medicus eligit media, quæ ipsi placent, non spectans dispositionem, & ordinem sanādi ab ægroto: quod pluribus exemplis ex Scriptura Sacra confirmat. In secundo autem testimonio consequenter ad hæc, sic habet: *Non itaque dicitur homini, necesse est peccare, ne pecces* (hoc est necessarium est peccare ad vitandum peccatum superbiæ) *sed dicitur homini, deserit aliquantum Deus vndè superbis* (hoc est, non confert gratiam, qua benè operaris, & vnde accipis occasionem superbiendi) *vt scias non tuum, sed eius esse, & discas superbus non esse*.

29 Deindè Augustinus vtitur exemplo medicinę, quæ vt medium ad salutem eligitur: ad salutem, inquam, recuperandam amissam, vel nè amittatur, quæ potest amitti: sicque docet, eligi permissionem peccati, vt recuperetur sanitas virtutis per superbiam amissa; vel nè homo illam amittat cognoscens propriam fragilitatem, & dependentiam â Deo ad benè operandum. Idem est sensus Damasceni, vt satis liquet ex eius verbis, quem ipse expressè tradit, dum docet, quod Deus aliquando peccatum propter gloriam suam, aliquando propter bonum aliorum, & aliquando propter bonum ipsius peccatoris: sed permittit propter gloriam suam, tanquàm propter finem, ex cuius intentione eligit permissionem; ergo eligit permissionem propter bonum ipsius peccatoris, & ex intentione talis boni. Similiter Div. Thomas eundem sensum ex Augustino desumpsit locis citatis, & ideò docet, permissionem peccati medicinaliter eligi à Deo, vt se humilet homo; ergo vt medium ad humilis-

tatem. Docet insuper, quod quia permissio per se ordinatur ad damnationem, est etiam effectus reprobationis in reprobis, satis indicat esse effectum prædestinationis in electis, quia ex misericordia divina ordinatur ad salutem illorum.

30 Secundo probatur conclusio ratione deducta ex hac PP. doctrina. Permissio peccati eligitur à Deo ex intentione salutis in electis; ergo est effectus prædestinationis in illis. Consequentia ex sæpè dictis constat. Antecedens autem probatur; quidquid conducit defacto ad salutem, & existit ex voluntate divina, & ex electione Dei, præparatur electis, & eligitur ex intentione salutis: sed permissio conducit defacto ad salutem, & existit ex voluntate, & electione Dei; ergo eligitur ex intentione salutis. Minor videtur certa; & pro prima parte constat; nam permissio conducit ad humilitatem, vt vidimus, quatenus se cognoscens homo, suam infirmitatem, supremum dominium Dei in permittendo peccatum, & indigentiam gratiæ ad illud vitandum, se humiliet coram Deo, & confiteatur Domino: at humilitas, & cæteri actus virtutum illam concomitantes, conducunt defacto ad salutem; ergo etiam ipsa permissio. Quoad secundam partem etiam constat; nam Deus eligit permissionem peccati, ipsamque vult, & ab ipso existit, vt ex PP. vidimus, & est omninò certum; nam permissio ab eius est voluntate, in cuius potestate est permittere peccatum permissione inferente illud infaliibiliter: sed hoc est in potestate Dei; ergo permissio est à voluntate divina, in cuius potestate est permittere peccatum. Deindè; ab illo est permissio, in cuius est potestate facere, quod hamo vitet peccatum, & qui facit, vt homo illud vitet: sed in potestate Dei est facere, quod homo vitet peccatũ, & quoties homo vitat, Deus hoc facit, & operatur in homine; ergo à Deo est permissio peccati.

31 Maior autem principalis etiam videtur certa; nam Deus ex intentione salutis eligit illa, quæ ad salutem conducunt, & existunt ex voluntate divina, si in electione illorum ex fine salutis nullum absurdum, aut inconveniens inveniatur: sed in electione permissionis nullum sequitur; ergo Deus eligit illam ex intentione salutis. Minor probatur; nam ex eo quod ex intẽtione humilitatis, & salutis Deus eligat permissionem, non sequitur velle ipsum peccatum; ergo nullum sequitur inconveniens. Antecedens probatur primo; nam ex eo, quod Deus eligat permissionem ex intentione gloriæ suæ, vel ad manifestandum supremum eius dominium, & indigentiam gratiæ ad vitandum peccatum, non sequitur Deum velle peccatum; alias ex nullo fine posset Deus velle permittere peccatum; ergo nec ex eo quod ex fine humilitatis, vel eo fine, vt homo recognoscat indigentiam gratiæ; & consequenter nec ex fine salutis.

32 Confirmatur primo; si Deus non posset velle permissionem peccati propter bonum peccantis, nimirùm beatitudinem, & humilitatem illius, eo esset, quia permissio ex se ad bonum nostrum non ordinatur, nimirùm ad beatitudinem, aut humilitatem; cum potiùs beatitudini opponatur, & peccatum sit contra voluntatem Dei, & bonum nostrum excludat: sed hæc ratio est nulla; ergo Deus potest velle peccati permissionem propter beatitudinem, & humilitatem peccantis. Minor probatur: tùm; quia hoc non obstante, defacto, vt vidimus, conducit ad bonum prædestinari, & ad salutem ex misericordia Dei; ergo ex eàdem misericordia potest eligi ex intentione salutis, supposito quod ipsa sit diligibilis à Deo. Tùm etiam; nam Deus potest permittere peccatum propter gloriã suam; alias ex nullo fine posset Deus eligere permissionem peccati: & ipsum peccatum ex permissione logicè sequutum ex se opponitur gloriæ Dei, & voluntati divinę; ergo esto permissio ex se ordinetur ad damnationem, & peccatum ex se excludat bonum nostrum, & opponatur beatitudini, potest permissio eligi ex intentione boni nostri, scilicèt humilitatis, & beatitudinis: & ratio in vtroque casu est eàdem; nam licet ex se permissio, & peccatum non ordinentur ad gloriam Dei, potest tamen Deus ex illis elicere bonum manifestans ipsius gloriam: sed etiam Deus potest elicere bonum conducens ab beatitudinem; ergo potest eligi permissio ex intentione beatitudinis.

33 Nec dici potest; quod permissio non opponitur gloriæ Dei, nec est contra eius voluntatem, & gloriam, sed solum peccatum: cæterùm permissio, & non solum peccatum opponitur beatitudini, & bono nostro. Contra enim est; nam permissio peccati non opponitur beatitudini ratione sui, sed ratione peccati ex permissione logicè illati; in tantum enim permissio op-

pos

ponitur beatitudini, in quantum infert peccatum oppositum beatitudini. Sed permissio, licet ratione sui non opponatur voluntati divinæ, & gloriæ Dei, opponitur tamen peccatum ex illa logicè sequutum; ergo eo modo opponitur beatitudini, ac opponitur gloriæ Dei: nec exclusio gratiæ efficacis, quam importat permissio, opponitur directè medijs conducentibus ad salutem; cum non opponatur directè gratiæ habituali, aut bonæ operationi, sed solùm ratione peccati, quod infert.

34 Nec iterùm dici potest, quod permissio ordinatur ad gloriam Dei, quæ in iustitia punitiva manifestatur; quę ordinatio ad beatitudinem in permissione non datur. Contra enim est; quia disputatio procedit in electis, quibus peccatum remittitur, non punitur. Secundo; quia ex hoc infertur, posse eligi permissionem ex intentione gloriæ Dei, vt manifestatæ per iustitiam punitivam: quod maiorem habet difficultatem, quam in eo quod eligatur permissio ex intentione beatitudinis: & manifestè infertur, posse eligi permissionem propter gloriam Dei vt manifestatam in misericordia remissiva peccati.

35 Confirmatur secundo: permissio potest conducere ad beatitudinem media humilitate; & alias humilitas potest obtineri sine peccato; ergo ex eo quod Deus eligat permissionem ex intentione humilitatis, ad quam conducit, non sequitur velle peccatum; atqueadeò in huiusmodi intentione nullum reperitur inconveniens. Antecedens, quoad vtramque partem ex doctrina PP. constat; & quoad primam ab Aduersarijs negari non potest, qui docent humilitatem esse effectum ex permissione occasionatum; licet non possit esse finis præintentus. Quoad secundam etiã docetur ab Augustino vbi supra, concedens Pelagio humilitatem, qua sanatur fragilitas humana, posse à Deo conferri sine permissione peccati, quamvis ad illum finem obtinendum multoties eligatur à Deo permissio; quia ordinem sanandi non exposcit. Consequentia autem probatur; nam in intentione finis non connexi cum peccato relucere non potest aliqua volitio, aut inclinatio ad peccatum; nec in electione permissionis ex illo fine; ergo in huiusmodi processu non datur aliqua volitio, aut inclinatio in peccatum. Antecedens quoad primam partem est certum: & quoad secundam probatur; nam electio permissionis ex tali fine solum potest includere volitionem finis, & volitionem permissionis: sed vt vidimus, nec in volitione finis, nec in volitione permissionis includitur volitio peccati; alias ex nullo fine posset eligi permissio; ergo in electione permissionis ex illo fine non includitur volitio peccati.

36 Confirmatur tertio; vt Deus intendat finem, necessarium non est, quod Deus prævideat futura media, quibus est consequendus; sed sufficit, quod cognoscat media possibilia: alias intentio finis non præcederet electionem mediorum: sed Deus ante permissionem, & prævisionem peccati cognoscit, possibile esse sibi permissionem conducere posse ad humilitatem; ergo ante permissionem potest intendere humilitatem, & ex illo fine permittere peccatum.

37 Respondent ad hæc Aduersarij, permissionem non posse conducere ad finem salutis, nisi medio peccato; & consequenter ex illo fine amari non posse, nisi amato peccato: ad alios autem fines conducere ratione sui; atqueadeò ex intentione aliorum finium eligi posse sine incõvenienti: non autem ex fine salutis. Sed contra est; intendens finem solum tenetur amare id, quod necessario amandum est ad obtinendum finem: sed vt Deus intendens salutem, & humilitatem, hunc finem obtineat media permissione peccati, non est necessarium, quod ametur peccatum; sed sufficit, quod amet permissionem, quæ solum amata existet infallibiliter permissio, & peccatum; ergo etiam si non obtineatur finis, nisi medio peccato, necessarium non est, quod Deus amet peccatum.

38 Secundo: quia Deus permittit peccatum propter finem, qui non obtinetur, nisi medio peccato: & tamen non amat peccatum; ergo potest intendi finis, qui non obtinetur, nisi medio peccato, quin ametur peccatum. Maior probatur; Deus permittit peccatum reprobis ex intentione manifestandi diuitias gratiæ suæ erga prædestinatum: sed finis ille non obtinetur, nisi medio peccato; ergo Deus permittit peccatum propter finem, qui non obtinetur, nisi medio peccato. Maior à pluribus ex Aduersarijs conceditur; & constat ex Paulo ad Roman. 9. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit*

ravit in gloriam. Minor autem, scilicèt, quod finis iste non obtineatur, nisi medio peccato constat; nam Deus non ostendit divitias gratiæ suæ media permissione peccati in reprobis, nisi cognita: at non cognoscitur de potentia ordinaria, nisi cognito peccato; ergo finis iste non obtinetur, nisi medio peccato.

39 Respondent, permissionem peccati in reprobis esse effectum prædestinationis electorum, quia licèt in hac vita non cognoscatur à prædestinatis negatio gratiæ, seú permissio, nisi medio peccato: in patria tamen cognoscitur in verbo, & non ex eventu peccati; & similiter cognoscunt beneficium à Deo sibi factum in collatione gratiæ efficacis, quàm reprobis negavit; & propterea permissio peccati in reprobis est effectus prædestinationis, quatenus ex intentione gratiarum actionis in patria potuit eligi permissio peccati in reprobis: quod, & non amplius colligitur ex verbis Pauli, & ex intelligentia Augustini contra Julianum lib. 4. cap. 8. illis verbis: *Demonstrans in eis, quos damnat, quid omnibus debeatur, vt hinc discant, quos liberat, quę sibi pœna delita relaxetur, & quæ indebita gratia donètur*: quod in statu gloriæ prædestinatorum, & damnationis reproborum optimè verificatur.

40 Hæc tamen solutio insufficiens est; quia Augustinus hoc non limitat ad statum gloriæ, vt constat ex locis adductis; dum docet, Deum permittere peccatum proprium ex fine humilitatis conferendæ in hac vita; quia scilicèt permissio peccati proprij ad humilitatem conducit: cum autem permissio peccati alieni conducat ad gratiarum actionem in hac vita pro gratia collata prædestinato ad vitandum peccatum; dicendum etiam est, Deum permittere peccatum reprobi ex fine gratiarum actionis in hac vita, & vt ostenderet divitias gratiæ suæ in prędestinato vitante peccatum in statu viæ. Quapropter idem Augustinus in Psalmum 58. sic habet: *Quantam circa me exhibuit misericordiam, in inimicis meis demonstravit: relictis comparet se collectus, & repulsis electus.* Et paulò infrà: *Nisi enim debitor suspendatur, minus agit gratias, cui debitum relaxatur.* Et lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. hoc ipsum expressius tradidit illis verbis: *Ob hoc tot bona dat malis, vt convincat eos iustè damnare, & vt fideles eum magis diligant, quibus gratiam ipsam conservavit*: vbi assignatur finis bonorum, quæ confert reprobis, etiam bonum remissionis peccati. Assignatur, inquam, maior charitas fidelium, quibus gratiam conservavit: augmentum autem charitatis fidelium statum viæ designat; & gratia conservata prædestinato præ reprobo etiam involuit permissionem peccati, quæ nisi media cognitione peccati nõ cognoscitur, Deus ergo permittit peccata reproborum propter bonum prædestinatorum in hac vita obtinendum.

41 Secundo; nam prędestinati in patria etiam cognoscunt proprium peccatum, seù permissionem peccati in verbo; ex qua cognitione moventur ad gratiarum actiones pro gratia efficaci in alijs occasionibus ipsis concessa; ergo sicut permissio peccati in reprobis est effectus prędestinationis electorum, pariter permissio proprij peccati.

Tertiò; inefficacia gratiæ etiam in Patria solum potest cognosci medio peccato; gratia enim constituitur inefficax, in horum Authorum sententia, per ipsum peccatum; ergo nec in Patria potest cognosci inefficacia gratię collatæ reprobis nõ cognito peccato, quo in ratione inefficacis constituitur; & consequenter nec permissio: & tamen est effectus prædestinationis; ergo etiamsi in via cognosci non possit, nisi cognito peccato; poterit esse effectus prædestinationis ob finem humilitatis, vel gratiarum actionis exercendæ in via.

42 Quarto: Deus eligit permissionem propter aliquem finem: at nullus assignari potest finis, qui non præsupponat per se peccatum; ergo nullum est inconveniens in eo, quod eligatur permissio propter finem, qui obtinendus non est, nisi medio peccato. Minor probatur: nam vel illam eligit Deus ad ostendendum potentiam suam in medendo peccatum; vel misericordiam in condonando; vel iustitiam in puniendo; vel ad ostendendum alia attributa in redimendo hominem â peccato: sed omnes isti fines præsupponunt peccatum; ergo nullus potest assignari finis permissionis, qui non præsupponat peccatum.

43 His convictis Recentioribus, asserunt finem, propter quem Deus eligit permissionem, esse ostensionem sui dominij, & independentiæ; qui finis obtinetur, & non medio peccato. Contra quos stat: quod supremum dominium in permittendo non manifestatur, nisi medio peccato;

ergo

ergo ſolutio hæc eſt nulla. Aſſumptum probatur; permiſsio peccati ſpecialiter demonſtrat dominium Dei,& ſpeciale dominium, quod per alios effectus non demõſtratur, nec eo modo, quo per permiſsionem; ſcilicèt,dominium Dei in permittendo peccatum: ſed non intellecto peccato illato infallibiliter ex permiſsione, nec oſtenditur ſpeciale dominium Dei in permittendo, nec ſpecialiter; ergo aſſumptum eſt verum. Probatur minor pro prima parte; ſi enim non ſequatur peccatum ad permiſsionem; vel non erit permiſsio; vel Deus non ſic eſt potens permittere peccatum, vt ad eius permiſsionem infallibiliter ſequatur: quod eſt non habere dominium permiſsivum ſupra peccatum. Pro ſecunda etiam probatur; nam permiſsio ſpecialiter demonſtrat dominium Dei præ alijs effectibus, quatenus talis eſt naturæ, vt ad illam infallibiliter ſequatur peccatum; ergo non demonſtrat ſpecialiter dominium Dei ſine interventu peccati.

44 Confirmatur; non oſtenditur dominium Dei in productione creaturarum,niſi cognita creatura ex eius determinatione exiſtens: nec dominium in anihilando, non cognito nihilo, in quod per anihilationem reducitur creatura; ergo nec dominium in permittendo,niſi cognito peccato permiſſo. Secundo; dominium Dei erga actum liberum bonum non manifeſtatur, nec cognoſcitur à creatura, non cognito actu bono eadem ratione; ſi enim ad gratiam efficacem non ſequeretur infallibiliter, non oſtenderetur ſupremum dominium Dei ad faciendum quod homo benè operetur. Et hoc fortiùs militat in ſententia Adverſariorum, iuxtà quos Deus nihil producit inferens infallibiliter actum liberum bonum,& non coniungibile cum carentia illius; ergo quouſque intelligatur actus bonus non intelligitur ſupremum dominium Dei in faciendo, quod homo benè operetur: non enim oſtenditur hoc dominium per effectum, quo poſito adhùc non exiſtit actus bonus.

45 Ex quo ad permiſsionem peccati fit efficax argumentum; ſicut enim nihil Deus ponit antecedenter ad actum liberum bonum, illum infallibiliter inferens; atqueadeò ante actum bonum nihil eſt â Deo cauſatum oſtendens ſupremam poteſtatem, quam habet ad faciendum, quod exiſtat actus bonus; ſimiliter ante peccatum nihil eſt à Deo cauſatum inferẽs infallibiliter peccatum; ergo nihil datur cauſatum à Deo oſtendens eius ſupremum dominium in permittendo peccatũ. Quod autem nihil detur à Deo cauſatum ante peccatum neceſſarium ad exiſtentiam illius,& cum illo neceſſario connexum, ſupra latè probavimus iuxtà principia Adverſariorum, à quibus negari non poteſt; iuxtà quos inter potentiam expeditam, & indifferentiam ad vtrùmque extremum, & ipſa extrema libertatis nihil mediat.

46 Sed dices: ſupremum dominium Dei in faciendo, quod homo benè operetur oſtendi non poteſt per actum liberum bonum creaturæ; per effectum enim, qui non exiſtit ex determinatione, & dominio Dei, nequit oſtendi ſuprema poteſtas, & dominium Dei erga talem actum, ſeù effectum; ſed ſolùm dominium illius, ex cuius determinatione,& dominio exiſtit, nimirũ creaturæ; ergo vel dicendũ eſt,quod ſupremũ dominiũDei,& poteſtas ad faciendum, quod homo benè operetur, nullo modò oſtenditur, quando homo benè operatur; vel quod oſtenditur, & non ratione actus boni. Quod fortiùs militat in peccato; quod ſolùm exiſtit ex determinatione creaturæ, & non Dei: ſcilicèt, dicendum eſſe, quod nullo modò oſtenditur dominium Dei in permittendo; vel ſi oſtenditur, hoc fit ſine interventu peccati.

47 Reſpondetur, nos efficacitèr probaſſe,quod in ſententia Adverſariorum ante actum bonum nihil datur à Deo cauſatum oſtendens eius ſupremum dominiũ in faciendo quod homo benè operetur; ſicut nec ante peccatum datur aliquid oſtendens ſupremum dominium in permittendo; & cum ab ipſis negari non poſsit,quod quando homo benè operatur, oſtenditur ſupremum dominium in faciendo, quod benè operetur; & quotieſcumque peccat, oſtenditur etiam ſupremum eius dominiũ in permittendo; debent aſſerere vtrúmque dominium ſupremum oſtendi non poſſe ſine intervẽtu actus boni, & peccati. Quod ſi in illorum principijs nihil horum benè componatur; nobis inconveniens non eſt: nec enim eſt mirúm, quod iuxtà eorum principia non oſtendatur ſupremum dominium Dei; ſi non operatur vt ſupremus Dominus.

48 Hæc nobis efficacia videntur iuxtà aliorum principia; á quibus abſtrahendo, inſiſtendum eſt in eo,quod ſpeciale dominium Dei in permittendo non oſten-

ditur

ditur per permiſsionem, niſi quia illativa eſt peccati; atque adeò ſi ex fine oſtendendi ſpeciale hoc dominium eligitur, debet eligi vt illativa, & quia illativa. Ex quo duo inferuntur: primum eſt, quod finis intentus nõ obtinetur, niſi intervenientе peccato; atque adeò nullus aſsignatur finis, ad quem conducat permiſsio ſine interventu peccati. Secundum eſt, quod permiſsio eligitur à Deo, quia illativa peccati; qua ratione ad finem prædictum conducit: quod iuxtà ipſos fieri non poteſt ſine amore peccati, vt vidimus, & ideò ab ipſis negatur; vt poſtea cõſtabit. Quod ſi permiſsio eligatur, non vt connexa cum peccato, ſed ſolum eligatur collatio auxilij ſufficientis, & negatio alterius gratiæ, quæ prævisa eſt efficax; non eligitur aliquid oſtendens ſupremum dominium Dei in permittendo: nam collatio auxilij, & negatio alterius gratiæ componitur cum carentia peccati, & non eligitur permiſsio, de cuius ratione eſt infallibilis connexio cum peccato; nec per effectum huius electionis aliter manifeſtatur dominium Dei, quam per alios effectus.

§. III.

Solvuntur argumenta.

49 CONTRA Concluſionem arguitur primo argumento communi: omnis effectus prædeſtinationis eſt gratia Dei; quidquid enim conducit ad conſequutionem beatitudinis, ex gratia Dei procedit: ſed permiſsio peccati non eſt gratia Dei: ſed potiùs gratiæ negatio; ergo non eſt effectus prædeſtinationis. Secundo: Chriſtus Dominus meruit prædeſtinationem electorum, & omnes prædeſtinationis effectus: ſed non meruit permiſsionem peccati; ergo hæc non eſt effectus prædeſtinationis. Minor probatur primo; quia permiſsio in negatione gratiæ conſiſtit, ſed Chriſtus Dominus non meruit nobis negationem gratiæ; ergo non meruit permiſsionem peccati. Secundo probatur minor; quia quidquid Chriſtus Dominus promeruit, poſtulavit à Patre: ſed non poſtulavit permiſsionem a Patre; cum non poſtulaverit, vt reprobis negaret gratiam; ergo non meruit permiſsionem peccati.

50 Reſpondetur diſtinguendo maiorem; eſt gratia intrinſicè, & ex ſe, vel extrinſecè ex providentia, & miſericordia, concedo maiorem; eſt ſemper gratia Dei intrinſecè; nego maiorem: & diſtincta minori eodem modo, neganda eſt conſequentia. Nec probatio ibi ſubiuncta convincit; debet enim diſtingui eodem modo: quidquid conducit ad conſequutionem beatitudinis, eſt gratia, vel intrinſece, & ex ſe, vel extrinſicè ex miſericordia Dei; concedendum eſt; intrinſicè ſemper; negandum: nec ex hoc ſequitur, peccatum eſſe effectum prædeſtinationis; & gratiam Dei, etiam extrinſece, quia ex miſericordia Dei etiam conducit ad beatitudinem; prædeſtinatis enim omnia cooperantur in bonum, iuxta Apoſtolum: quod adeò vniverſaliter verum eſt, vt etiam hoc verificetur de ipſis peccatis: non, inquam, ſequitur; quia excluditur à ratione gratiæ, & effectus prædeſtinationis alio titulo; nimirùm, quia à Deo non eſt. Eſt autem omninò requiſitum ad hoc, vt aliquid ſit gratia, & effectus prædeſtinationis, eſſe à Deo, & ſaltim ex providentia divina ordinari in beatitudinem, & ad illam conducere.

51 Ad ſecundum neganda eſt minor; ad cuius probationem diſtinguenda eſt minor, Chriſtus non meruit nobis negationem gratiæ ſecundum ſe, concedo minorem; vt ordinatam ad beatitudinem, & vt conducentem ex miſericordia Dei ad humilitatem, & perſeverantiam, nego minorem: ſub qua ratione cadere poteſt ſub merito Chriſti Domini, & ab ipſo poſtulari: per quod conſtat ad ſecundam probationem; conceſſa enim maiori, & diſtinguẽda eſt minor iuxta dicta; non poſtulavit negationem gratiæ ſecundum ſe concedenda eſt minor; negationem gratiæ, vt ordinatam ex providentia Dei ad humilitatem, & perſeverantiam, neganda eſt minor, & diſtinguendum conſequens eodem modo.

52 Contra hæc tamen inſtabis; quia ex illis ſequitur, prædeterminationem ad materiale peccati, & ipſam entitatem actus peccati eſſe effectum prædeſtinationis: quod admittendum non eſt. Aſſumptum probatur; quia tàm præde-

terminatio, quàm entitas actus peccati conducit ex misericordia Dei ad humilitatem, & perseverantiam, vt constat ex dictis: & aliàs tàm permissio, quàm entitas actus peccati sunt à Deo; ergo sunt effectus prædestinationis: solum enim excluditur peccatum à ratione gratiæ extrinsecè, & à ratione effectus prædestinationis, quia effectus Dei non est. Secundo sequitur, nos posse à Deo postulare permissionem peccati: quod absurdum videtur; quia huiusmodi oratio non potest non includere aliquam complacentiam, vel desiderium peccati. Assumptum probatur; nam orationes nostræ possunt, & debent conformari orationibus Christi Domini: sed Christus Dominus postulavit, & meruit defacto permissionem peccati modo dicto; ergo nos etiam illam possumus postulare.

53 Respondetur ad primum, concedendo Sequelam; si enim argumentum à nobis factum, quo vtuntur communiter Thomistæ, vt probent permissionem peccati esse effectum prædestinationis, est efficax; etiam convincit prædeterminationem ad materiale, & ipsam entitatem actus peccati esse effectum prædestinationis: nec contra hanc veritatem aliquid opponi potest, quod contra permissionem non militet; quod & posteà solvendum est.

54 Ad secundum respondetur, quod etiamsi concedamus Christum Dominum postulasse permissionem peccati vt conducentem ad salutem, & vt cadit sub ordine prædestinationis; non debemus concedere, nos posse absolutè postulare permissionem peccati; quia eandem voluntatem, quæ commissura est peccatum, velle absolutè permissionem, non potest non esse velle formaliter, aut virtualiter ipsum peccatum; quod nunquam licet: in Christo autem Domino hoc non militat; cum solum postulet permissionem vt conducentem ad salutem, non sibi, sed alijs electis, & prædestinatis ex eius meritis. Convincit tamen argumentum, posse à nobis postulari permissionem vt conducentem ad salutem, non absolutè, sed sub conditione: quod non sic intelligendum est, quod postulemus ipsam permissionem sub conditione, quod ordinetur ad salutem; sed petendum nobis est, vel quod non sit permissio; vel quod si à Deo nobis permittatur peccatum, ex eius misericordia ordinetur ad salutem.

55 Et argumentum instatur in permissione peccati reproborum, quam esse effectum prædestinationis electorum plures ex Aduersarijs concedunt, quæ si cadit sub merito Christi, & est obiectum orationis ipsius, inconueniens non est, quod sub eisdem meritis, & oratione cadat permissio proprij peccati: si verò non cadit, necessarium non est, ad hoc vt aliquid sit effectus prædestinationis, quod postuletur, & promereatur à Christo Domino. Hæc tamen differentia notanda est; quod permissio peccati alieni vt conducentis ad maiorem gloriam Dei, vel ad salutem electi, potest postulari modo dicto, absque amore peccati, etiam virtuali: permissio autem peccati proprij non potest, nisi sub conditione modo explicato; nimirùm petendo, vel quod non sit; vel quod si sit, ordinetur ex misericordia Dei ad sui gloriam, & electi beatitudinem.

56 His in sua probabilitate relictis, mihi magis placet hoc ipsum extendere ad meritum, & orationem Christi asserendo, Christum Dominum solum meruisse, & postulasse, vel quod non sit permissio, vel quod si sit, ex misericordia Dei ordinetur ad beatitudinem: nec vt sit effectus prædestinationis, nec vt eligatur permissio à Deo ex illo fine ampliùs requiritur. Iuxtà quod dicendum est, effectum prædestinationis, qui ex se ordinatur ad salutem, & qui ex sua natura non ordinatur ad damnationem, absolutè cadere sub merito, & oratione Christi: effectum autem illum, qui ex se ordinatur ad damnationem, & solum ex misericordia Dei ordinatur ad salutem, qualis est permissio peccati, vt ex D. Thoma vidimus, solum cadere sub merito, & oratione Christi, quatenus meruit, & postulavit, quod vel non esset; vel si esset, ordinaretur ad salutem. Deus ergo prævidens merita, & hanc orationem Christi, ac cognoscens se posse ordinate permissionem peccati ad salutem, ex intentione beatitudinis eligit permissionem, quam ordinaturus erat ad salutem.

57 Secundo arguitur: si permissio peccati conduceret ad beatitudinem, conduceret ad manifestationem diuinæ bonitatis, & gratiæ diuinæ; cum beatitudo ad huiusmodi manifestationem conducat: sed non conducit permissio ad manifestationem diuinæ bonitatis & gratiæ

Dei;

Dei; ergo nec ab beatitudinem. Probatur minor ex D.Thoma 1.p.q. 104.art. 4. illis verbis: *Redigere etiam aliquid in nihilum non pertinet ad gratiæ manifestationem; cum magis per hoc divina potentia, & bonitas ostendatur, quod res in esse conservet: vndè simpliciter dicendum est, quod nihil omninò in nihilum redigatur.* Ex quo sic probatur minor; quia anihilatio non est actio, sed carentia actionis conservantis res in esse, per quam actionem bonitas, & potentia Dei manifestantur; infertur à D.Thoma, quod anihilatio non pertinet ad divinę bonitatis, & gratiæ manifestationem: sed negatio gratię, in qua consistit permissio peccati, est carentia actionis conservantis gratiam, per quam divina bonitas, & gratia manifestatur; ergo huiusmodi negatio gratiæ non pertinet ad divinæ gratiæ, & bonitatis manifestationem.

58 Hoc argumentum, quod Sapientissimi Magistri proposuerunt ad explicandam doctrinam Divi Thomæ in testimonio adducto, si aliquid probat, convincit, Deum non posse permittere peccatum vllo modò, nec ex providentia generali, nec ex fine prædestinationis; sicut non potest anihilare de potentia ordinaria. Sed vt intelligatur doctrina Divi Thomæ, advertendum est, ibi inquirere: *Vtrùm aliquid in nihilum redigatur?* Et respondet negative: & ratio eius est; quia Deus secundum naturam rerum non redigit aliquid in nihilum, eo quod in compositis ex materia, & forma, etiam si detur corruptio; remanet tamen materia, quæ incorruptibilis est: in formis autem simplicibus non datur potentia ád non esse; atqueadeò non possunt secundum rerum naturam in nihilum redigi.

59 Nec etiam Deus redigit aliquid in nihilum miraculosè: quia miraculum ordinatur ad gratiæ manifestationem, iuxtâ Paulum 1. ad Corinthios 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*: redigere autem aliquid in nihilum non pertinet per se ad gratiæ manifestationem: vndè licèt Deus miraculosè possit in nihilum redigere quamlibet creaturam, & omnia simul, quæ creavit, & in esse conservat; defacto tamen hoc miraculo non vtitur; quia ex se ad manifestationem gratiæ non ordinatur, quia per anihilationem totum subiectum destruitur, & nihil illius conservatur; magisque ostenditur divina bonitas, & potentia per hoc, quod res in esse conservat.

60 Hinc est: quod Deus non redigit aliquid in nihilum, quamvis ex sua misericordia posset ordinare anihilationem in bonum alterius, & ostendere media illa suam potentiam, & bonitatem, & gratiam conservationis alterius; sicut ordinat damnationem vnius ad ostendendum divitias gloriæ suæ. Ex hoc tamen ad permissionem peccati argumentum nõ fit: tùm quia permissio involuit misericordiam conservãdi creaturam, cui permittitur peccatum, & misericordiam conservandi potentiam ad illud vitandum: tùm etiã; quia permissio peccati non est miraculosa, sed sine miraculo contingit, & est iuxta fragilitatem creaturæ; ordinaturque per se ad damnationem illius, cui peccatum permittitur, & ad ostensionem iustitiæ punitivæ in Deo, manifestatque suavitatem providentię divinæ: vndè cum sine miraculo fiat, & Deus ex sua misericordia possit illam ordinare ad salutem peccantis; conveniehter sic defacto ordinatur, & ex illa intentione permittitur peccatum.

61 Ad argumentum ergo concessa maiori, neganda est minor; & ad probationem distinguẽda est maior, quia anihilatio est carentia miraculosa actionis creativæ, & propterea per se non ordinata ad ostensionem bonitatis, concedo maiorem; præcisè, quia carentia actionis est, nego maiorem, & distinguatur minor eodem modo, est carentia actionis miraculosa, nego minorem; est carentia actionis, quæ sine miraculo exercetur, concedo minorem, & neganda est consequentia: vel distinguendum consequens, non pertinet per se, transeat consequens; ex misericordia Dei, neganda est consequentia: itaque anihilatio, quia per se non ordinatur ad gratiæ, & bonitatis Dei manifestationem, & est miraculosa, defacto Deus non anihilat; quia non est conveniens miraculum, quod per se ad manifestationem divinæ gratiæ non ordinatur; quamvis Deus ex sua misericordia ad illum finem possit anihilationem suam ordinare: at permissio peccati miraculosa non est; vndè quamvis ex se gratia non sit, quamvis involuat gratiam, convenienter Deus ex sua misericordia illã ordinat ad salutẽ, & ex illo fine eligitur.

62 Tertio arguitur argumento etiam communi: non est prudentis providoris permittere maius malum ex intentione

minoris boni: sed peccatum est maius malum, quam sit bonum humilitas, aut beatitudo; ergo non prudenter eligitur à Deo permissio peccati ex intentione humilitatis, aut beatitudinis. Minor probatur: quia beatitudo, & humilitas est bonitas inferior, & finitæ amabilitatis; peccatum autem in ratione offensæ est infinitum, & infinite odibile; ergo maius malum est peccatum, quam sit bonum humilitas, aut beatitudo; & consequenter cum Deus nequeat nisi prudentissime eligere permissionem peccati, non potest illam eligere ex fine humilitatis, aut beatitudinis.

63 Respondetur distinguendo maiorem; si maius malum sine imprudentia permitti potest, aut alias permitteretur à provisore absque illo fine, nego maiorem; si non potest alias permitti, aut permittendum non esset sine imprudentia, admitto maiorem; & omissa minori, neganda est consequentia: itaque maius malum, quod aliàs permitti non posset, non eligitur prudenter propter minus bonum: si verò sine imprudentia posset eligi, potest etiam sine imprudentia eligi propter minus bonum; & quia peccatum prudentissime potest a Deo permitti, etiam absque intentione salutis, ad demonstrandum suavitatem suæ providentię, ad quam pertinet permittere naturas defectibiles aliquando deficere, & ad ostendum gratiam esse indebitam, & ob alios fines, potest sine imprudentia permittere ex intentione beatitudinis; præcipuè si adsint etiam alij fines, propter quos prudentissime potest permittere peccatum; quod in præsenti contingit; Deus enim permittit peccatum non solùm ex fine beatitudinis, sed ex alijs finibus recensitis.

64 Secundo respondetur, distinguendo maiorem; si sit maius malum comparative ad subiectum, cui intenditur bonum, admitto maiorem; si quamvis maius malum sit absolutè; non tamen comparative ad subiectum, cui intenditur bonum, nego maiorem: & distinguatur minor, peccatum est maius malum absolutè, & in ratione offensæ Dei, concedo minorem; comparative ad subiectum, quod peccat, & cui intenditur bonum beatitudinis, nego minorem, & consequentiam: itaque peccatum, licèt sit in ratione offensæ infinitum, & hac ratione maius malum, quam beatitudo bonum; respectu tamen peccantis solum est malum, quatenus est privatio gratiæ, quæ minus mala est peccatori, quam beatitudo bonum; præcipuè si carentia gratiæ sit temporalis, vt in prædestinato contingit; atqueadeò ad ostendendũ amorem erga prædestinatũ permittit maius malum respective ad Deum; quod tamen minus malum est prædestinato, propter maius bonum eiusdem; sustinetque, & permittit infinite offendi à peccatore, propter maius bonum peccatoris.

65 Tertio respondetur distinguendo maiorem: si apud provisorem sit supremũ dominium ad permittendũ malum, & conferendum bonũ; ita vt nec bono indigeat, nec vllo modò malum possit ipsum nocere, sed tota ratio amandi sit propria bonitas, quæ nullo extra se indiget, & nihil potest illi nocere, nego maiorem; si provisor hoc dominium non habeat, admitto maiorem, & concessa minori, neganda est consequentia: itaque provisor creatus; v. g. gubernator Reipublicæ, qui ad maius Reipublicæ bonum tenetur, potest quidem permittere minus malum propter consequendum maius bonum; non tamen è contra permittere maius malum propter minus bonum: Deus autem, qui nulli debitor est, sed omniũ supremus Dominus, nulloque indiget, nullo modò tenetur ad maius bonũ; & ideò potest permittere peccatũ, quãdo, & quo modo voluerit, sicut potest facere, quod homo benè operetur. Eodẽ modo hac ratione, quamvis Deus semper eligat meliora ad finem intentum secundum taxationem suæ providentiæ, & beneplacitum suæ voluntatis, quæ est prima regula bonitatis; absolutè tamen potuit meliora producere, nec tenetur ad melius eligendũ; & patet; nam melius est absolutè esse mundũ, quam non esse mundũ; & tamen potuit Deus velle non esse mundũ; quod si vellet, prudentissime vellet: & melior est incarnatio quam eius carentia; & tamen propter hoc non necessitatur Deus ad incarnationem, sed potuit velle prudentissime carentiam incarnationis. Provisor autem creatus tenetur ad vitandũ malo, quæ vitare potest: quod si illi licitũ est aliqua mala permittere, est quia maius bonum ad quod tenetur, consequi non potest sine tali permissione; vel quia non potest mala vitare: Deus autem potens vitare omnia mala, plura permittit ob supremum dominium, & suavitatem providentiæ ipsius: & licèt possit cõsequi, seù conferre bonum beatitudinis absq;

ali-

aliquo peccato ab homine patrato, multoties illud prudentissimè permittit ad beatitudinem consequendam, seù largiendam. Ex hac doctrina infertur, qualiter possit Deus permittere peccatum propter ostensionem suorum attributorum, etiamsi hæc manifestatio non sit tantum bonum etiam Deo, quam sit malum peccatum in ratione offensæ; scilicèt, quia nullo modo Deus indiget bono illo, aut nocetur hoc malo; & ideò vt supremus Dominus libere alterum vult, & alterum permittit.

66 Iuxta hanc doctrinam intelligendæ sunt solutiones adductæ; quarum prima faciliùs adaptatur: Secunda autem, licet fortè sufficiens sit ad argumenti solutionem; absolutè tamen non ita placet: quia sequitur ex illa, quod Deus non possit permittere peccatum reprobo, cui maius bonum non vult, nec confert, quam sit malum ipsi peccatum: nec posset Deus propter actum remissum humilitatis, aut alterius inferioris virtutis permittere peccatum; cum non videatur maius bonum peccatori actus temperantiæ; v. g. quam sit malum peccatum: & licet Deus permittat defacto peccatum reprobo propter salutem prædestinati, quæ licet non reprobo, prædestinato tamen maius bonum est: potest tamen permittere peccatum, & non propter salutem alicuius; potuitque vnicam creaturam rationalem producere, ipsique peccatum permittere, & statim eam anihilare. Ex his facilè infertur, quod si argumentum, quod solvimus, esset efficax, probaret Deum non posse permittere peccatum ob aliquem finem, nec ad ostendendum sua attributa; cum ostensio attributorum sit bonum creatum, & finitum; peccatum autem sit infinitum in ratione offensæ.

67 Ex dictis infertur, inconveniens non esse Deum velle efficacitèr aliquid infallibiliter cum peccato connexum, antecedens absolutam existentiam peccati: & patet; nam vult permissionem peccati, quæ cum peccato, licèt solum logicè, infallibiliter tamen connectitur, & ipsum antecedit: & ab Authoribus Scientiæ Mediæ negari non potest; tùm quia tenentur admittere permissionem peccati passivè acceptam vt talem amari efficacitèr à Deo, & esse effectum illius: at non est permissio peccati, quæ cum peccato non coniungitur, vt vidimus; ergo tenentur concedere Deum amare id, quod cum carentia peccati coniungi non potest; & consequèter aliquid cum peccato connexum. Tùm etiam; quia decretum collativum auxilij sufficientis, quo prævisa est voluntas peccatura, connectitur essentialiter cum peccato, iuxtà doctrinam ipsorum satis communem, vt videbimus: sed hoc decretum amatur à Deo; ergo aliquid cum peccato connexum. Maior probatur: quia decretum collativum auxilij, quo prævisa est voluntas consensura, seù benè operatura, connectitur essentialiter cum consensu in plurium sententia; ergo decretum collativum auxilij, quo prævisa est dissensura cõnectitur essentialiter cum dissensu. Tùm etiam; quia decretum illud connectitur essentialiter, in horum Authorum sententia, & iuxtà eorum principia, cum Scientia Media, quàm præsupponit, & ratione cuius Deus posset non concipere tale decretum, quia prævidit voluntatem medio illo auxilio peccaturam; & consequenter illud decretum præsupponit ex natura sua Scientiam Mediam; atque adeò cum illa connectitur: sed etiam connectitur essentialiter cum auxilio, quod decernitur; ergo connectitur cum coniuncto ex auxilio, & Scientia Media peccati: hoc autem coniunctum connectitur essentialiter cum peccato; ergo decretum etiam cum peccato connectitur. Tùm etiam; quia cum ad decretum præsupponatur Scientia Media, non potest per decretum non velle auxilium, & coniunctionem ipsius cum Scientia Media: immò etiam vult coniunctionem ipsius decreti cum tali Scientia: sed coniunctum hoc, vt vidimus, & est omninò certum, connectitur essentialiter cum peccato; ergo Deus vult aliquid essentialiter cum peccato connexum.

68 Tùm etiam: quia si inconveniens non est, quod coniunctum ex decreto illo, & Scientia Media, quod constat ex duobus prædicatis increatis, connectatur essentialiter cum peccato, nullum est inconveniens in eo, quod prædicatum divinum connectatur cum peccato, etiamsi tale prædicatum antecedat existentiam absolutam illius, qualiter antecedit coniunctum prædictum. Ex quo facilè deducitur, non esse inconveniens concedere decretum divinum connexum essentialiter cum peccato, si tale decretum non terminetur ad peccatum: omnia enim prædicata divina æqualem habent puritatem, & sanctitatem. Denique: non est inconve-

niens,quod aliquis effectus Dei connectatur essentialiter cum peccato: sed inconveniens non est,quod Deus velit efficacitèr suum effectum; immò hoc est necessarium ad existentiam effectus; ergo inconveniens non est, quod Deus habeat decretum infallibiliter,& logicè cum peccato connexum. Maior constat in permissione, & in entitate actus peccati,qualis est entitas actus odij Dei.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

69 SECVNDA Conclusio.Permissio peccati est effectus prædestinationis ex præintenta pœnitentia: Hæc conclusio est communior apud Thomistas,quam etiam extra Scholã D.Thom.aliqui defendunt: & colligitur ex testimonijs adductis;& primo ex Damasc. vbi suprà lib.2.de Fide,cap.29.illis verbis: *Permittitur quis quandoque in turpem actionẽ incidere ad emendationem deterioris affectus; v.g.est quis elatus in virtutibus, & operibus suis,hunc sinit Deus in adulterium prolabi,vt per casum in propriæ infirmitatis cognitionẽ veniens Domino confiteatur*; ergo iuxtá Damascenum ex intentione confitendi Domino,cognita propria fragilitate ex peccato, permittit Deus hominem labi in peccatum.

70 Secundo probatur ex Div. Thom. 1.2.q.79.art.4.in corp.verbis sup. relatis: vbi expressè docet,quod peccatum ex divina misericordia,vel providentia ordinatur ad sanationem,in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum suum cognoscentes humilientur,& cõvertantur:vbi humiliatio,& cõversio, quæ idẽ est ac pœnitentia,assignatur tanquàm finis, ex cuius intentione Deus permittit peccatũ. Idem docuerat D.Thom.q.5. de Veritate, quæ est de Providentia art. 4. vbi sic proponit 5.argum.quod est replica solutionis ad 4.*Bonum est potius, quàm malum; ergo magis ex bono potest elici bonum, quam ex malo; ergo non est necesse,quod mala permittat fieri,vt ex eis eliciat bona.*Cui respõdet: *Quod aliquod bonum est,quod non potest elici, nisi ex malo; sicut bonum patientiæ non nisi ex malo persequutionis elicitur,& bonum pœnitentiæ ex malo culpæ; nec hoc impedit infirmitas mali respectu boni;quia huiusmodi non eliciuntur ex malo,quasi ex causa per se, sed quasi per accidens.* Vbi argumentum intendebat non permitti prudenter peccatum propter bonum,quia melius ex bono, quàm ex malo elicitur bonum:cui respondet dari aliquod bonum, quod est pœnitentia, non potens elici nisi ex malo,saltem tanquàm causa peraccidens; ergo sentit ex intentione huius boni posse prudenter permitti peccatum.

71 Vt conclusio probetur ratione, supponendũ est;quod ex intentione pœnitentiæ ante absolutam prævisionem peccati,Deum eligere permissionem non tollit libertatem hominis ad vitandum peccatum, quamvis pœnitentia, & eius intentio connectatur essentialiter cum peccato: quod constat ex dictis; nihil enim magis connexum cum peccato, quam ipsa permissio: quæ tamen libertatem ad vitandum peccatum non tollit. Insuper Deus cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ esse integrè positum in sua voluntate permittere peccatum, de cuius ratione est posse vitari à peccante; ergo ex eo quod Deus velit pœnitentiam cum peccato connexam ante absolutam prævisionem peccati, solùm infertur, Deum teneri ad ponendum illa, quibus infallibiliter ponetur peccatum: vnum autem ex necessarijs ad peccatum est potentia in homine ad illud vitandum: ex illa ergo suppositione non solùm infertur peccatum, sed potentia ad illud vitandum; & consequenter non solùm non tollitur libertas, sed infertur.

72 Probatur ergo conclusio: Deus potest velle efficacitèr pœnitentiam ante absolutam prævisionem peccati, & ex illa intentione moveri ad volendum permissionem; ergo defacto sic Deus voluit permissionem peccati in electis, nimirùm ex intentione pœnitentiæ. Consequentia probatur: tàm pœnitentia, quàm permissio conducit ad salutem electi, pœnitentia immediatiùs, permissio vt præambula, & præsupposita necessario ad pœnitentiam; ergo si Deus potest intendere pœnitentiam ante absolutam præ-

vi-

visionem peccati, & ex illa intentione moveri ad illud permittendum; dicendum est, defacto sic contingere; cum medium immediatiùs conducens ad finem saltim connaturaliter prius eligatur ex intentione finis, quam medium remotum, & conducens ratione proximioris; atque adeò Deus defacto intendens salutem electi movetur ex hac intentione ad volendum pœnitentiam, & ex huius intentione ad permittendum peccatum, si in hoc modo procedendi aliqua implicatio non sit. Antecedens, in quo est posita difficultas, firmum manebit, si probemus ex nullo capite repugnare Deum ante absolutam prævisionem peccati intendere pœnitentiam, & ex illa intentione moveri ad permittendum peccatum: quod præstandum nobis est recensendo capita, ex quibus repugnare Adversarij contendũt.

73 Primo aliqui illud reputant impossibile, quia Deus sic intendens pœnitentiam connexam cum peccato ante absolutam prævisionem illius, necessitaret hominem ad peccatum. Sed isti reiecti sunt, dum probavimus intentionem pœnitentię ante prævisum peccatum non auferre libertatem, sed inferre: & est manifestum etiam in principijs ab Adversarijs frequenter admissis; gloria per modum coronæ connectitur essentialiter cum meritis: & tamen Deus intendens gloriam per modum coronæ ante prævisionem meritorum non necessitat ad merita. Deus vult permissionem peccati connexam essentialiter cum peccato ante absolutam prævisionem illius: & tamen non necessitat ad peccatum.

74 Alij aliud assignant caput impossibilitatis, nimirùm, quod Deus sic intendens pœnitentiam, constitueret hominem in statu, cum quo homo non posset coniungere carentiam peccati: implicat autem Deum ex propria determinatione constituere hominem in statu ita infœlici, cum quo non possit coniungere carentiam peccati; aliàs Deus non esset summè bonus, nec iustus: quod autem Deus sic hominem constitueret, probant; quia cum statu, in quo homo constituitur per intentionem pœnitentiæ, non potest coniungere carentiam peccati; cum non possit illam coniungere cum intentione pœnitentiæ.

75 Sed isti etiam deficiunt: quia Deus absque aliqua imperfectione permittit peccatum ante absolutam prævisionem illius; & tamen permissio peccati talis est, quod cum illa homo non potest coniungere carentiam peccati; ergo nullam arguit imperfectionem in Deo, quod habeat aliquod decretum ante absolutam prævisionem peccati, cum quo homo non possit coniungere carentiam peccati. Tum etiam, quia in sententia horum Authorum Deus decernens auxilium, quo prævisa est peccatura, constituit hominem in statu, cum quo homo non potest coniungere carentiam peccati; cum illam non possit coniũgere cum auxilio, & Scientia Media peccati: quorum vtrumque antecedit existentiam absolutam peccati.

76 Scio hos Authores docere; quod licèt homo non possit coniungere cum permissione peccati vitationem illius; potest tamen facere, quod non existat permissio; & licèt non possit coniungere carentiam peccati cum auxilio, & Scientia Media peccati; potest tamen facere, quod non existat talis Scientia vtendo benè auxilio illo: in nostra autem sententia status ille, cum quo voluntas non potest coniungere carentiam peccati sic est à Deo, vt voluntas creata statum illum impedire non possit. Hac etiam doctrina vruntur defensores primæ impossibilitatis ad illum tuendam asserentes, in eorum sententia non tolli libertatem creaturæ per intentionem pœnitentiæ ante absolutam prævisionem peccati; quia homo potest facere, quod non existat talis intentio, vitando, scilicèt, peccatum: potest etiam facere, quod Deus non intẽdat gloriam per modum coronæ, omittendo, scilicèt, merita; & potest eodem modo facere, quod non existat permissio.

77 Sed hoc reijcitur primo: quia quãvis ipsi hoc asserant; est tamen omninò falsum: nec est intelligibile, quod creatura possit facere in tempore in statu absoluto, quod non existat scientia, quæ existit abæterno in Deo, & quæ intelligitur in ipso pro priori ad decretum dandi libertatem creaturæ. Est etiam omninò falsum hominem per omissionem meritorum posse facere, quod non extiterit abæterno intentio gloriæ per modum coronæ, eadem ratione, & pluribus alijs titulis alibi à nobis ponderatis. Similiter est falsum de permissione propter dicta; & quia si creatura hoc posset, non esset in potestate absoluta Dei permittere peccatum, sed potius esset in potestate creaturæ; nam sicut creatura

constituta in actu primo sic habet in sua potestate elicere actum, aut eius omissionem, quod Deus, suppositâ indifferentia creaturæ, non possit facere quod existat, vel non existat actus, quapropter negant, vel debent negare Deo immediatam libertatem ad actum; pariter debent negare in Deo libertatem ad permittendum peccatum; sed hoc adæquatè esse positum in potestate creaturæ; quod est negare Deo permissionem: hac eâdem ratione negant esse in Deo potestatem ad esse, vel non esse Scientiæ Mediæ; sed solum esse in potestate creaturæ.

78 Insuper etiam probatur in nostra etiam sententia non tolli libertatem creaturæ per intentionem pœnitentiæ: quia in illorum sententia non tollitur, quia ex vi illius intentionis solum tenetur Deus conferre auxilia, quibus prævidit per Scientiam Mediam voluntatem libere peccaturam: sed etiam in nostra sententia, ex vi illius intentionis solum tenetur conferre auxilia, quibus per scientiam necessariam cognoscit esse libere peccaturam; ergo in nostra sententia libertas non tollitur. Deindè; quia saltim in eorum principijs intentio pœnitentiæ ante absolutam prævisionem peccati libertatem non aufert; atque adeò ex hoc capite non implicat talis intentio.

79 Et ex his Authores secundæ impossibilitatis reijciuntur: quia iuxtâ sua principia, etiam potest homo non peccando facere, quod non existat intentio pœnitentiæ; ergo saltim iuxtâ illa principia non erit inconveniens, quod Deus constituat hominem in statu illo, cum quo non possit coniungere carentiam peccati; nec hoc titulo in eorum principijs, negandum est antecedens à nobis assumptum. Insuper in eorum principijs Deus iniustus non est constituendo creaturam in statu illo, quia status ille relinquit libertatem in creatura ad vitandum peccatum; quod præstat Deus conferendo auxilia, quibus per Scientiam Mediam prævidit voluntatem libere peccaturam: sed etiam in nostra sententia status ille relinquit libertatem eàndem, quam Deus conservat conferendo auxilia sufficientia, & negando efficacia, quibus per scientiam necessariam cognoscit hominem libere peccaturum; ergo etiam in nostra sententia Deum constituere hominem in statu illo, nullam arguit in ipso imperfectionem.

80 Ex quo à priori hi Authores reijciuntur: quia non est contra perfectionem divinam constituere creaturam in statu, cum quo non possit coniungere carentiam peccati, si in ipsa relinquat potentiam ad illud vitandum; quod non ex Deo, sed ex creatura procedat: hoc enim solum arguit potentiam Dei, & indigentiam gratiæ ad vitandum peccatum, creaturæque defectibilitatem: sic autem contingit in permissione, quæ in negatione gratiæ necessariæ ad vitandum consistit, quam Deus, vipotè nulli debita, suo iudicio occulto, & iusto, aliquibus negat, qua deficiente ex propria defectibilitate, sed libere creatura incidit in peccatum, quod absolutè potens est vitare: hæc tamen potentia non reducitur ad actum sine vlteriori adiutorio gratiæ Dei. Sic etiam contingit in intentione pœnitentiæ, cum qua homo non potest coniungere carentiam peccati: solum enim ex illa sequitur Deum negare gratiam indebitam, necessariam tamen ad vitandum peccatum; qua negatione posita, creatura potens absolutè vitare peccatum, infallibiliter, & libere incidit in peccatum ex propria defectibilitate; eo modo, quo redigeretur in nihilum Deo suspendente concursum, non per aliquam Dei causalitatem; sed quia creatura ex nihilo facta nihil est deficiente concursu Dei conservante.

81 Alij assumptum antecedens impossibile reputant; quia est contra sanctitatem Dei Deum se determinare ad aliquid connexum cum peccato ante absolutam prævisionem illius: sic enim concipiunt sanctitatem Dei, quod licèt possit simul existere cum peccato; non tamen ex propria determinatione reddi incompossibilem cum carentia peccati: quapropter ipsi existimant impossibile decretum in Deo connexum cum peccato antecedens absolutam prævisionem illius.

82 Sed isti manent reiecti ex dictis: constituunt enim peccatum extrà providentiam permissivam Dei; nec constant suis principijs: decretum enim conferendi auxilium, quo prævisa est voluntas creata peccatura, vel connectitur essentialiter cũ peccato, vt suprà dicebamus; vel saltim complectitur complexum ex ipso, & Scientia Media: quorum vtrumque antecedit absolutam existentiam peccati; quin hoc opponatur sanctitati Dei. Deindè Deus ex suppositione Scientiæ Mediæ adhuc indifferens vt coniungatur cum existentia absoluta

ſoluta peccati, vel non ſe determinat ad decernendum auxilium, quo prævisa eſt voluntas peccatura; quo poſito, Scientia Media, quę ex ſe poterat coniungi cum carentia abſoluta peccati, iam non poteſt cũ illa coniungi, nec ipſe Deus; ergo non eſt contra ſanctitatem Dei, Deum ex propria determinatione reddi inconiungibilem cũ carentia peccati. Quod etiam patet vt ſupra: quia Deus ſe determinat ad permiſſionem, cum qua non poteſt coniungi carentia peccati.

83 Tandem; vltrà potentiam ad vitandum peccatum communem peccanti, & vitanti peccatum, neceſſaria eſt ſpecialis gratia ad vitandum peccatum, quæ confertur à Deo vitanti peccatum, & negatur peccanti; quam á Deo petimus, vt omninò neceſſariam ad adimplendum præceptum, & vitandum peccatum; & nobis confertur, non quia adimplemus præceptum, aut vitamus peccatum; ſed vt adimpleamus, & peccatum vitemus: quam proindè Deus confert ex propria determinatione, cui vult, & cui vult negat; quia cui vult miſeretur, & quem vult indurat. Inſuper Deus donat actum adimpletivum præcepti, quem non donat frangenti præceptum: & cum ſit ſuorum donorum ſupremus Dominus, donat quia vult; ſi enim homo non diſtribuit dona ſua, niſi quia vult, quia illorum Dominus eſt, hoc Deo denegare nefas eſt. Tunc ſic: Deus volens negare ſpecialem gratiam neceſſariam ad vitandum peccatum, ex propria determinatione eſt inconiungibilis cum carentia peccati: Deus volens non donare actum, quo adimplendum erat præceptum inſtãs, ex propria determinatione redditur incõiungibilis cum actu adimpletivo præcepti; & conſequenter inconiungibilis cum carentia peccati; non ergo eſt contra ſanctitatem, & puritatem Dei, quod ex determinatione propriæ voluntatis reddatur incõiungibilis cum carentia peccati: & ratio eſt ſupra attacta; quia hoc ſolum eſt permittere peccatum à creatura patrandum, & non conferre gratiam ſpecialem neceſſariã ad illud vitandum, & ad quam conferendã non tenetur; ſivè eſt velle non donare actum adimpletivum; quod vt ſupremus Dominus illius ſine alteriùs iniuria poteſt facere.

§. V.

Alia capita impoſsibilitatis referuntur, & reijciuntur.

84 ALIJ, & frequentius, aſſerunt, antecedens à nobis aſſumptum eſſe impoſsibile, quia exiſtimant Deum ſic intendentem pœnitentiam, & ex eius intentione eligentem permiſsionem peccati, non poſſe non amare peccatum: quod colligunt primo; quia ipſa intentio efficax pœnitentiæ eſt amor virtualis peccati, eo quod amor efficax finis eſt virtualis amor omniũ illorum, quæ prærequiruntur ad conſequutionem finis; eorum, inquam, quę prærequiruntur, & non ſupponuntur ad intentionem finis: non ſolùm autem permiſsio, ſed peccatum ad pœnitentiam eſſentialiter prę ſupponitur, & non ſupponitur prævisum ante intentionem pœnitentiæ; atqueadeò intentio pœnitentiæ eſt virtualis amor non ſolum permiſsionis, ſed etiam peccati. Secundo hoc colligunt; quia amare permiſsionem peccati ex intentione pœnitentiæ, eſt illam amare vt vtilem ad pœnitentiam; medium enim vt tale amatur ratione finis, & vt vtile ad illum: at permiſsio non eſt vtilis ad pœnitentiam; niſi ratione peccati; ergo eligens permiſsionem ex intentione pœnitentiæ amat neceſſario peccatum, quo permiſsio conſtituitur vtilis ad pœnitentiam.

85 Et hinc aliqui conſtituunt diſcrimen inter permiſsionem electam ex fine humilitatis, aut etiam ex fine pœnitentiæ; quod humilitas non præſupponit per ſe peccatum; vel etiam ſi hic, & nunc illud ſupponat; non tamen reſpicit per ſe peccatum, vt eſt averſio à Deo, ſed ſecundum quod in ipſo relucet propria fragilitas, quę ad humilitatem movet: & patientia, vel non ſupponit peccatum ex parte iniuriantis; vel ſi hic & nunc illud ſupponit, non tamen illud reſpicit, vt eſt averſio à Deo, ſed ſecundum quod vertat, vel exercet patientiam iniuriati: pœnitentia verò

reſ-

respicit peccatum, vt est aversio â Deo; est enim detestatio illius, secundum quod avertit â Deo, ex quo habet esse medicinã illius: quapropter quamvis eligens permissionem ex intentione humilitatis, vel patientiæ, non necessario velit peccatum; eligens tamen permissionem ex intentione pœnitentiæ, non potest non amare peccatum.

86 Sed isti etiam reijciuntur: & primo, quod amor efficax pœnitentiæ non sit virtualis amor peccati, probatur: nam hinc intentio finis est virtualis amor eorũ, quæ desiderantur ad consequutionem finis, quando illa existere non possunt, nisi ex vi amoris intendentis finem: at licèt peccatum necessario præsupponatur ad pœnitentiam, non desiderat ad sui existentiam amorem Dei intendentis pœnitentiã, sed solum permissionem illius; ergo intentio efficax pœnitentiæ non est amor etiam virtualis peccati. Consequentia est bona: & maior probatur, & explicatur: quia intendens finem, solùm formaliter vult existere finem, & non existere carentiam consequutionis, seú existentiæ finis; ergo solũ vult virtualiter illa, quibus formaliter volitis existet infallibiliter finis: at volita peccati permissione, etiamsi non velit peccatum, ponetur finis intentus; ergo intentio pœnitentiæ solùm est virtualis amor permissionis, & non peccati.

87 Confirmatur: Deus ante intentionem pœnitentiæ, & permissionem peccati cognoscit esse in sua potestate pœnitentiam, vt tali potestati nullus valeat resistere, quamvis peccatum necessarium ad existentiam pœnitentiæ solùm sit in eius potestate permissiva, non influxiva; ergo potest intendere pœnitentiam, absque eo, quod ex vi illius intentionis obligetur, seù teneatur ad amandum peccatum, sed solùm ad vtendum suprema potestate, quam habet ad faciendum, quod existat pœnitentia: cum ergo hæc suprema potestas in ordine ad peccatum prærequisitum ad pœnitentiam solum sit permissiva, non influxiva, solum tenetur ad permittendum peccatum, non ad amandum. Vel alijs terminis: Deus intendens pœnitentiam, solum vult virtualiter id, ad quod tenetur ex vi talis intentionis, scilicèt, ad vtendum sua infinita, & infrustrabili virtute ad existentiam pœnitentiæ: sed hæc suprema potestas est solum factiva pœnitentiæ, & permissiva peccati; ergo solum vult virtualiter permittere peccatum, & suam Omnipotentiam applicare per imperium, & vsum ad exequutionem, & influxum in pœnitentiam.

88 Deindè hoc ipsum explicatur exemplo, quod optimè expendit Magister à S. Thoma in præsenti: Deus intendens; v. g. reproducere Angelum existentem, nõ vult etiam virtualiter ipsum nihil, quod amabile â Deo non est, etiamsi vt exequutioni mandetur intentio illa, necessarium sit, quod Angelus existens vertatur in nihilum, vt iterùm producatur: & ratio huius est; quia licet vt reproducatur Angelus modo existens, sit necessarium, quod vertatur in nihilum; quia tamen vt nihilum sit, non est necessarium, quod Deus amet ipsum nihil; sed sufficit, quod velit suspendere concursum conservantem Angelum amor, seù intentio reproducendi Angelum solum est virtualis amor suspendẽdi cõcursum conservantem Angelum; non autem amor etiam virtualis ipsius nihil; ergo similiter quamvis sit necessarium peccatum ad existentiam pœnitentiæ; tamen quia vt detur peccatum destruendum per pœnitẽtiam, non exigitur amor peccati; sed sufficit Deum illud permittere, seú negare gratiam efficacem ad illud vitandum peccato pœnitentiæ non erit amor virtualis peccati, sed solum virtualis amor negandi gratiam necessariam ad vitandum peccatum.

89 Nec incompossibilitatem rectè colligunt ex secunda illatione: pro quo iterùm advertendum est, quod intendens finem, vt prudenter procedat, ne exponatur eius intentio periculo frustrationis, debet præcognoscere habere in sua potestate consequutionem finis, qualiter esse in potestate Dei, iam vidimus, sub cuius dominio sunt omnia prærequisita ad pœnitentiam; & etiam ipsum peccatum sub eius dominio est, non effectivo, sed permissivo. Deindè advertendum est, quod Deus sic prævidens, & intendens pœnitentiam, solum amat virtualiter ex vi illius, quod est necessarium, & tenetur amare formaliter, vt existat pœnitentia infallibiliter: & cum ad istum finem consequendum non sit necessarium amare peccatum, sed solum permissionem illius; per illam intentionem amat virtualiter permissionem, quam formaliter amat per actum consequentem ex intentione derivatum.

90 Deindè advertendum est: quod

ad

ad finem consequendum dupliciter potest aliquid prærequiri; vel vt conducens per modum causæ influẽtis, & causantis finem, seu per modum conditionis causæ approximantis subiectum ad consequutionem finis; vel vt materia destruenda ipsa consequutione finis. Quod primo modo prærequiritur, admittimus non posse non amari virtualiter per ipsam intentionem finis, & formaliter per electionem ex intentione finis derivatam; præcipuè si existere non possit absque amore intendentis finem. Id autem, quod prærequiritur solum vt materia destruenda ipsa consequutione finis, non necessario amatur virtualiter per intentionem finis, nec eligitur necessario ab intendente finem, si absque eius electione existere possit. Ex quo fit, quod cum peccatum solum sit necessarium vt materia destruendà per pœnitentiam, non ametur virtualiter per intentionem pœnitentiæ, nec eligatur à Deo ad consequutionem illius finis.

91 Ex his dupliciter potest formari argumentum: id solum amatur formaliter per electionem derivatam ex intentione finis, quod amatur virtualiter ex vi intentionis finis: sed ex vi intentionis pœnitentiæ ante prævisum peccatum, non amatur virtualiter peccatum; ergo nec amatur formaliter per electionem ex tali intentione derivatam; & consequenter ex intentione pœnitentiæ ante prævisum peccatum non colligitur in Deo amor formalis, aut virtualis peccati. Consequentia est legitima. Maior videtur certa; nam amor electionis derivatur ex intentione; ergo solum amatur formaliter per electionem necessario, quod virtualiter amatur per intentionem, aut ex vi intentionis. Minor autem probatur: nam ex vi intentionis finis solum amatur virtualiter id, ad quod tenetur intendens finem, vt illum infallibiliter consequatur, & quod necessarium est ad huiusmodi consequutionem facere: sed Deus intendẽs pœnitentiam, & ad eius consequutionem non tenetur amare peccatum, nec ad eius consequutionem hoc est necessarium; ergo non amatur virtualiter peccatum ex vi intentionis pœnitentię. Maior, & minor sunt probandę: & maior probatur sic; nam intendens finem solum amat formaliter consequutionem finis; ergo solum amat virtualiter id, quod est necessarium facere, & amare ad consequutionem infallibilem finis. Minor autem etiam probatur: nam ad consequendam pœnitentiam, & vt ipsa existat, non est necessarium, quod Deus amet peccatum; sed sufficit illud permittere.

92 Confirmatur: Deus intendens pœnitentiam solum vult non frustrari eius voluntatem; ergo solum vult id, quod necessarium est, vt non frustretur: at vt non frustretur, non est necessarium velle peccatum; sed solum velle permittere; ergo non necessario vult peccatum, sed solùm permissionem peccati. Confirmatur secundo: Deus prævidens Adamum peccaturum, si crearetur, ipsum creavit in sententia Adversariorum, volens proculdubiò non falsificari eius scientiam; ad quod, licèt supposita creatione Adami, sit necessarium peccatum; quia tamen necessarium non est Deum illud velle, vt existat; sed sufficit ipsum permittere, vt non falsificetur scientia; non est necessarium; quòd Deus velit peccatum, sed sufficit permittere; quia sola voluntate permittendi finis ille, & veritas illius scientiæ subsistunt; ergo sim liter Deus volens non frustrari intentionem pœnitentiæ non tenetur velle peccatum, quamvis necessarium sit ad pœnitentiam; sed solum velle permissionem illius.

Quod ampliùs explicatur: Deus præsciebat, quòd si crearet Adamum, esset peccaturus, & consequuturus salutem, & consequenter acturus pœnitentiam; ergo se determinans, hac præcuntè scientia, ad creãdum Adamum virtualiter voluit pœnitentiam, & salutem illius, quin ex hoc inferatur voluisse peccatum, sed solùm voluisse illud permittere: & vt diximus, voluit non falsificari eius scientiam, quæ per carentiam peccati falsificaretur; & tamen non voluit peccatum, sed solum eius permissionem.

93 Dices ad hoc: quod Adamus non peccans non falsificaret scientiam; sed faceret, quod non existeret. Contra tamen est: quia non potest Adamus non peccando facere quod non existat scientia, quæ ad eius creationem præsupponitur. Tàm etiã: quia etiã in sententia ipsorum, si homo non peccaret, faceret quod non existeret intentio efficax pœnitentiæ; non illam faustraret.

Confirmatur tertio vt supra: nam licèt ad reproducendum Angelum existentem necessarium sit, quod prius redigatur in nihilum; non tamen ex vi intentionis reproducendi necessario amatur nihilum; quia nihilum, ex quo reproducitur, non indiget, vt detur, amore Dei.

Confirmatur vltimo: Deus intendens gloriam per modum coronæ, & eligens effica-

cia

ficacitèr merita, ex vi huius intentionis, & electionis non applicat Omnipotentiam ad influendum in merita; sed illam relinquit indifferentem, & vnicè applicandam, & determinandam à voluntate creata; eo quod ad merita, vtpotè libera, non potest Omnipotentia concurrere applicata efficacitèr, & determinata à voluntate diuina; sed solùm applicatur, & determinatur à voluntate creata, in sententia Aduersariorum; ergo quamvis ex intentione pœnitentiæ inferatur existentia peccati: non tamen infertur, Deum determinari ad causandum, seú volendum peccatum; quia peccatum ex natura sua petit existere Deo solum permittente, non volente, aut influente.

94 Dices: ex his sequi, quod Deus intendens efficacitèr gloriam per modum coronæ, non necessario amet formaliter, & efficacitèr merita; quia quamvis sint necessaria ad gloriam per modum coronæ: non tamen indigent, vt existant, efficaci amore Dei in principijs Aduersariorum. Respondetur concedendo sequelam: & licet consequens nobis absurdum videatur; non tamen reputamus inconueniens, quod ex principijs Aduersariorum inferatur: sicut etiam fatemur infetri, quod si omnia prærequisita ad consequendam pœnitentiã existerent infallibiliter sola permissione diuina, posset Deus intendere pœnitentiam; absque eo quod vellet aliquod ex prærequisitis ad illam, sed solum teneretur velle illa permittere.

95 Dices secundo: quod licèt ex intentione pœnitentiæ non inferatur Deum influere, aut velle influere in peccatum, quia huiusmodi influxus ad existentiam peccati non requiritur; immò illi repugnat: nihilominùs cum necessarium sit creaturam influere; Deus saltim tenetur velle creaturam influere. Respondetur negando sequelam; quia licèt necessarium sit creaturam influere; sufficit tamen, vt influat, quod Deus velit permittere illius influxum; immò aliter non potest influere formaliter in peccatum, nisi Deo prævie permittente.

96 Secundum autem argumentum formatur ex dictis in hunc modum: ex vi intentionis finis solum amantur ea, quæ prærequiruntur ad finem per modum causæ influentis, seù per modum conditionis causæ, seù per modum dispositionis approximantis subiectum ad finis consequutionẽ; non verò illa, quæ requiruntur vt materia destruenda per consequutionem finis, si hęc absolutè possint infallibiliter existere absque amore intendentis finem: sed peccatũ, quod præsupponitur ad pœnitentiam est solum materia destruenda per illam, nec aliter concurrit, potestque infallibiliter existere absque amore Dei intendentis pœnitentiam; ergo non necessario amatur ex intentione pœnitentiæ. Maior probatur: nam finis amatus, & intentus est destructivus, seú potiùs ipsa destructio talis materiæ; ergo amor, seù intentio huiusmodi finis non est amor formalis, aut virtualis talis materiæ. Quod exemplo adducto explicatur: intentio enim reproducendi Angelum non est vllo modo amor ipsius nihil, ex quo Angelus fit; eo quod per productionem Angeli destruitur nihil, ex quo fit.

97 Ex quibus deducitur; quod vt Deus eligat permissionem ex intentione pœnitentiæ, non est necessarium, quod permissio conducat ad pœnitentiam per modum causæ influentis in ipsam, vel per modum conditionis, seù dispositionis positivè approximantis: hoc enim non habet permissio ratione sui, nec ratione peccati; cum nec etiam peccatum hoc modo ad pœnitentiam conducat; sed sufficit esse necessariam vt quid præambulum ad peccatum necessarium ad pœnitentiam, quod est materia destruenda per illam. Undè motivum eligendi permissionem est pœnitentia, quæ est finis: fundamentum autem in permissione, vt ratione pœnitentiæ eligatur, non est vtilitas conducentiæ per modum causæ influentis, dispónentis, seú approximantis subiectum ad pœnitentiam; sed est esse necessario quid præambulum ad pœnitentiam; quod quidem habet permissio ratione sui.

98 Et sic formatur argumentum: vt permissio eligatur ratione pœnitentiæ, non est necessarium, quod ex parte permissionis eligatur conducentia ad pœnitentiam per modum causæ influentis, seú dispónentis; cum hoc non habeat permissio ratione sui, aut ratione peccati; sed potiùs ordinatur, & dispónit ad damnationem ratione peccati ex ipsa illati; ergo sufficit, quod eligatur conducentia ad pœnitentiam, quæ ipsi ratione sui conuenit, & consistit in eo, quod sit necessario quid præambulum ad pœnitentiam; sed hoc habet permissio ratione sui; ergo habet ratione sui quidquid requiritur, vt eligatur á Deo ex intentione pœnitentiæ.

99 Tandem confirmantur dicta argumento communi: amor, seù intentio in-

nefficax pœnitentiæ non eſt amor etiam inefficax peccati; ſed ſolum illorum, quæ neceſſario amanda ſunt, vt exiſtat pœnitentia: alias ſicut repugnat in Deo amor inefficax peccati, repugnaret amor inefficax pœnitentiæ ante permiſsionem peccati; ergo nec intentio efficax pœnitentiæ eſt amor efficax omnium, quæ præſupponuntur; ſed ſolum illorum, quæ præſupponuntur, & non poſſunt exiſtere, niſi ex amore intendentis finem. Inſuper: amor pœnitentiæ, quæ exiſtere non poteſt, niſi extiterit peccatum, non eſt amor, ſeù complacentia in eo quòd peccatum extiterit; ergo nec intentio pœnitentiæ, quæ infert futuritionem peccati, eſt vllo modo amor peccati futuri.

§. VI.

Soluuntur argumenta.

100 ARGUITUR Primo: ſi Deus eligeret permiſsionem peccati ex intentione pœnitentiæ, amaret ipſum peccatum; ſed hoc implicatorium eſt: ergo illud ex quo ſequitur. Probatur maior: amaret permiſsionem peccati, quia eſt conducens ad peccatum; ergo amaret peccatum. Conſequentia probatur: nam amor medij, vt conducentis ad finem, eſt amor finis, vt colligitur ex D. Thoma 1.2.q. 8. art. 3. & q. 15. art. 4. & 1. contra Gentes, cap. 76. vbi docet, quod amor medij vt conducentis ad finem eſt amor finis. Antecedens autem probatur: nam Deus vellet permiſsionem peccati vt conducentem ad pœnitentiam: ſed conducit ad pœnitentiam, quatenus eſt conducens ad peccatum; ergo amaret permiſsionem vt conducentem ad peccatum. Minor hæc probatur: quia permiſsio peccati non aliter conducit ad pœnitentiam, niſi quatenus conducit ad peccatum; non enim conducit immediatè, ſed mediante peccato. Maior etiam conſtat: nam intentio finis non movet ad electionem medij, niſi quia conducit ad finem, vt videre eſt in omni electione: ſi enim eligitur prædicatio Evangelij; v. g. ex intentione beatitudinis, eo eligitur, quia conducens, non quia ad alios fines deſeruire poſsit.

101 Reſpondetur negando maiorem: ad probationem negandum eſt antecedens; ad huius probationem diſtinguenda eſt maior: amat permiſsionem vt conducentem ad pœnitentiam, *ly vt*, dicente rationem motivam, nego maiorem; dicente rationem *quæ* amatam, & neceſſariam, vt ratione pœnitentiæ ametur permiſsio, concedo maiorem; & omiſſa minori, neganda eſt conſequentia: vel diſtinguendum conſequens; amat permiſsionem, vt conducentem ad peccatum conducentia influxus in peccatum, nego conſequentiam; conducentia purè illativa peccati, ſub diſtinguendum eſt conſequens, *ly vt* dicente rationem *quæ* amatam, concedo conſequentiam; dicente rationem motivam, neganda eſt conſequentia. Ad probationem maioris diſtinguendum eſt antecedens, intentio finis non movet ad electionem medij, niſi quia conducit ad finem, *ly quia* dicente conducentiam influxivam, nego antecedens; dicente conducentiam per modum prædicati neceſſario præſuppoſiti ad conſequutionem finis, ſub diſtinguo antecedens, *ly quia* dicente prædicatum neceſſarium, vt ratione finis ametur, concedo antecedens; dicente rationem motivam, nego antecedens.

Itaque, vt diximus, medium amatur, quia conducit ad finem vno ex modis aſsignatis, *ly quia* dicente fundamentum, vt ratione finis ametur: permiſsioni autem hæc conducentia convenit, quia neceſſario præambula ad pœnitentiam, neque aliter ad pœnitentiam conducit: vndè per electionem permiſsionis, ſolum amatur *vt quod* hæc cõducentia, quæ ab eſſentia permiſsionis non diſtinguitur; & vt ratio motiva, ipſa pœnitẽtia, quæ eſt finis; ac proinde ſolũ amatur per electionem finis intentus, qui eſt pœnitentia, & ipſa permiſsio, quorum vtrumque eſt amabile à Deo.

102 Sed dices: permiſsio eſt conducens ad pœnitentiam, quia eſt conducens ad peccatum modo dicto, ſeù quia infert peccatum; ergo ſi amatur, quia conducit ad pœnitentiam, *ly quia* dicente fundamentum, ſeù rationem quæ amatur, debet etiam amari, quia conducit, ſeù infert peccatum, *ly quia* dicente fundamentum, & rationem quæ amatur ex intentione pœnitentiæ. Hoc autem impoſsibile eſt: tùm, quia ſi amatur, quia infert peccatum, *ly quia* dicente rationem *quæ*, non poteſt nõ amari peccatum. Tũ etiã; quia non poteſt vllo modo amari permiſsio, quia illativa peccati, niſi quia amatur

peccatum; sicut non potest amari medium efficax ad finem, vt efficax, & illativum finis, nisi per talem electionem ametur finis. Tùm etiam: quia medium remotum non amatur ratione finis remoti formaliter, sed ratione medij proximioris, quod comparative ad illud est finis proximus, medio quo remotum explicat suam conducentiam ad finem, & medio quo proximè conducit.

103 Respondetur concedendo permissionem amari vt illativam logicè peccati: & quia hoc modo conducit ad illud, conducentia explicatur; hoc est, qui a illativa peccati, *ly quia, & ly vt* dicente rationem amatã, *vt quod* ex motivo pœnitentiæ: itaque in permissione vis logicè illativa peccati est prædicatum illi essentiale, & dependens à Deo; atqueadeò eligens permissionem, etiam eligit hoc prædicatum: non tamen concedendũ est absolutè eligere permissionem vt illativam peccati; quia hoc denotat motivum eligendi, & finem amandi permissionem esse peccatum; sed vel negandum est, vel distinguendum modo dicto: eligit ergo Deus permissionem, & in ipsa vim illativam logicè peccati, quæ est eius essentiale prædicatum; motivum tamen non est peccatum, sed pœnitentia. Quod etiam asserẽdum est, ex quocumque motivo Deus eligat permissionem: semper enim debet in ipsa velle eius prædicata essentialia; & consequenter vim illativam peccati: & etiam in sententia plurium ex Adversarijs, qui concedunt sine inconvenienti decretum connexum essentialiter cum peccato, antecedens absolutam existentiam illius; nam cum ametur decretum, de cuius essentia est ipsa connexio subiectivè sumpta, non potest non amari, amato decreto. Item Deus amans complexum ex auxilio sufficiẽti, & Scientia Media, similiter amat connexionem illius complexi cum peccato, absque eo quod amet peccatum; quia hæc connexio est solum logica, non physica, & influxiva: in hac autem logica connexione potest amari rectum illius, quin ametur obliquum.

104 Ad huius primam impugnationem negandum est antecedens, & est manifestè falsum; nam Deus defacto amat permissionem, & illius prædicata essentialia, quorum vnum est vis logicè illativa peccati. Ad secundam negandum est etiam antecedens, *ly quia* dicente rationem *quæ* amatam: quia tamen amare permissionem, quia est illativa peccati, denotat motivum esse peccatum; concedenduna est antecedens, vel distinguendum iuxtà dicta: & exemplum non est ad rem; quia licet permissio inferat logicè peccatum, non est medium ex natura sua ordinatum ad peccatum tanquàm ad finem: cum enim permissio descendat à Deo, non potest ordinari per se ad peccatum; sed ad manifestationem divini dominij, & ad alios fines; & peccatum posita permissione, non ab illa, sed à voluntate creata defectibili est tanquàm à causa adæquata illud potente vitare cum auxilio divino.

105 Ad tertiam distinguendum est antecedens: quando medium proximius ad finem est amabile ab intendente finem, seù non potest existere absque amore intendentis finem, concedendum est antecedens; quando amabile non est ab intendente finem, nec eius indiget amore, vt sit, negandum est antecedens: peccatum autem nec est amabile à Deo intendente pœnitentiam, nec eius amore indiget, vt sit: permissio verò, quæ necessaria est vt præambula, & est amabilis à Deo, & absque eius voluntate non potest esse, amatur ratione pœnitentiæ, non ratione peccati; cuius ratio constat ex dictis. Accedit, quod peccatum non est finis permissionis, vt vidimus: tunc autem medium remotum amatur ratione proximioris, vt in argumento dicitur, quando medium proximius est finis medij remotioris.

106 Secundo arguitur, & instatur contra solutionem: sicut ad rectitudinem divinę voluntatis pertinet non velle malitiam peccati, nec ipsam causare; sic ad eandem spectat non se determinare ex seipsa ad existentiam malitiæ peccati: at divina voluntas se determinaret ad existentiam malitiæ peccati, si ante peccatum absolutè prævisum intenderet efficacitèr pœnitentiam; ergo non potest illam intendere ante peccatum absolutè prævisum. Probatur minor: se determinaret ad effectum connexum essentialiter cum malitia: at hoc ipso se determinaret ad existentiam malitiæ; ergo ad illam se determinaret, si ante peccatum absolutè prævisum intenderet efficaciter pœnitentiam. Maior constat: nam se determinaret medio decreto ad pœnitentiam essentialiter connexam cum malitia.

107 Hoc argumentum instatur in decreto permissivo peccati, quod essentialiter connecti cum peccato plures ex Adversarijs affirmant; immò omnes tenentur affirmare, nisi negent permissionem peccati esse à Deo volitam, & electam; vel negent permissionem connecti essentialiter cum

pec-

peccato. Respondetur ergo Deum se determinare ex se ad aliquid essentialiter logicè connexum cum peccato: non tamen se determinare ad existentiam malitiæ; quia hoc videtur denotare influxum in peccatum, vel amorem malitiæ; quod Deo repugnat. Si autem se determinare ad malitiam solũ significet se determinare ad aliquid cum malitia connexum solum logicè, concedẽdum est: nec est inconveniens, sed omninò necessarium, Deum ex se cõiungi cum decreto permissivo, cum quo non potest cõponi carentia peccati; & oppositum plura involuit impossibilia. Nec minus opponitur divinæ sanctitati, Deum determinari ab alio ad malitiam peccati; quam determinari ex se ad eandem malitiam: sicut non minus apponitur rectitudini, & sanctitati Dei causare malitiam ex propria determinatione, quam illam causare ex determinatione alterius. In nostris autẽ principijs non est dicendum se determinare ad malitiam, quãvis se determinet ad aliquid logicè connexum cum malitia. Insuper non est minus Deum habere prædicatum aliquod connexum essentialiter cum malitia, & existens in Deo ex determinatione creaturæ, quam habere prædicatum sic connexum existens in ipso ex propria determinatione, vt decet prædicatum divinum. Tandem: oppositum est contra divinam providentiam, quam subterfugit peccatum existens, non supponens in Deo decretum essentialiter cum ipso connexum.

108 In hac tamen verissima doctrina, quæ debet ab omnibus acceptari, vt vidimus, duo inter alia sunt difficilia. Primum est: quod Deum ex se habere decretum inferens infallibiliter peccatum, & cũ quo non potest coniungi carentia peccati, videtur contra eius sanctitatem, & rectitudinem, ratione cuius odio prosequitur peccatum. Secundum est: quod videtur contra eius misericordiam constituere creaturam in statu, cum quo creatura non potest coniungere carentiam malitiæ, & fugere miseriam peccati. Sed ad hoc dicitur breviter: quod cum Deus non teneatur conferre gratiam, qua vitetur peccatum; cum summa rectitudine, iusto eius iudicio illam negat, proùt vult. Nec est contra eius misericordiã habere decretum, cum quo non possit creatura componere carentiam peccati: & ratio est; nam licèt hoc decretum inferat infallibiliter peccatum, reliquit illi libertatem ad vitandum peccatum; & nunquam incidit in peccatum, nisi quia vult, potens vitare peccatum.

109 Sed licèt hæc alibi discutienda sint, non possumus modo prætermittere quod Recentiores admittentes, & rectè, decretum permissivum peccati cum ipso essentialiter connexum, non possunt negare hoc decretum sic connexum præsupponi essentialiter ad peccatum, & peccatum illud essentialiter supponere: quia cum peccatum præsupponat essentialiter permissionem passivam, & permissio decretum illud, ex quo descendit; necesse est, quod peccatum præsupponat decretum permissivum cum ipso connexum: quod si peccatum præsupponit essentialiter voluntatem efficacem permissivam; etiam actus bonus debet essentialiter prę̃supponere voluntatem efficacem influxivam.

110 Ex quo etiam deducitur; quod actus peccati etiam præsupponit essentialiter decretum efficax illius: & ratio est; nam hoc decretum sanctitati Dei non opponitur, eo quod Deus illo determinetur ad aliquid, cum quo non possit coniungi carentia peccati; cum decreto permissivo hoc concedant Adversarij sine inconvenienti contra sanctitatem Dei: nec ex eo, quod per huiusmodi decretum tollatur libertas necessaria ad vitandum peccatum; si enim per decretum permissivum non tollitur; non est ratio, quare per hoc decretum tollatur: nec ex eo, quod Deus velit malitiam peccati; cum solum velit entitatem actus peccati: tenentur ergo admittere huiusmodi decretum.

111 Nec fit satis, si dicatur, quod decretum permissivum connexum cum peccato supponit ipsum peccatum conditionatè futurum in sententia ipsorum: secus autem decretum efficax actus boni, si asseratur necessarium ad existentiam actus boni, vt ponitur à Thomistis; quod dicendum est eâdem ratione de decreto Thomistico prædefinitivo actualitatis, & entitatis peccati. Non, inquam, fit satis: quia decretum permissivum connexum cum peccato præsupponitur necessario ad peccatũ; ergo non potest præsupponere futurũ peccatum conditionatè: eo enim decretũ prædefinitivum actus boni, iuxtà Thomistas, non supponit actum sub conditione futurum, quia necessario præsupponitur ad existentiam actus liberi; quod si quamvis decretum permissivum præsupponatur ad peccatum, præsupponit peccatum condi-

tionatè futurum ; etiam si decretum efficax actus boni necessario ad illum præsupponatur , potest supponere actum bonum conditionatè futurum : & idem dicendum est de decreto efficaci terminato ad entitatem actus peccati. Secundò : nam vt Deus velit permittere peccatum, seu vt velit existere actum liberum bonum, non est necessarium, nisi quod Deus cognoscat esse possibilem actum liberum bonum , & similiter peccatum; ac esse in eius potestate alterum per suum influxum existere , & alterum posse á creatura causari, si ab ipso permittatur; ad quod sufficit suam Omnipotentiam cognoscere.

112 Sed contra ista replicabis: nihil in sententia Thomistarum cognoscitur à Deo futurum , nisi in causa determinata ad dandum illi existentiam : sed Deus cognoscit abæterno peccatum in seipso determinato per decretum pœnitentiæ ; ergo intentio illa pœnitentiæ determinat causam peccati ad dandum illi existentiam; & consequenter vel determinat Deum ad causandum peccatum, vel creaturam: quorum vtrúmque absurdum est.

Sed hoc etiam instatur in decreto permissivo , in quo Deus abæterno cognoscit peccatum futurum : & nisi velint Adversarij Deum non cognoscere abæterno peccatum futurum, debent asserere illud cognoscere in aliqua libera determinatione Dei abæterno existenti : nam cum scientia necessaria Dei sit ex se indifferens ad cognoscendum peccatum futurum , vel cognoscendum non futurum , ex alicuius libera determinatione debet determinari ad hoc, vt extendatur ad cognoscendum peccatum potiùs futurum, quam non futurum: at abæterno non datur determinatio libera, nisi ipsum decretum Dei; & etiam si daretur absurdum esset , quod ab aliquo creato scientia divina determinaretur; ergo dicendum est, ratione decreti divini , & in ipso decreto Deum cognoscere futurum peccatum: quod si non esset connexum essentialiter cum peccato , non esset sufficiens medium ad illud cognoscendum; nec esset determinatio scientiæ Dei ex se indifferentis.

113 Respondetur ergo distinguendo maiorem ; nihil cognoscitur vt phisicè futurum , nisi in causa determinata ad dandum illi existentiam , concedo maiorem; vt logicè futurum, nego maiorem; & distinguenda est minor, cognoscitur peccatum logicè futurum abæterno , concedo minorem; phisicè futurum, nego minorem, & neganda est consequentia. Itaque dupliciter aliquid constituitur futurum ; scilicèt, logicè, & phisicè futurum : logicè futurum constituitur, non per causam determinatam ad dandum existentiam futuro ; sed per prædicatum inferens logicè huiusmodi causam determinatam : decretum autem permissivum, seu decretum pœnitentiæ nõ determinat causam peccati ad dandum peccato existentiam; sed solum infert logicè huiusmodi causam ; nimirùm creaturam à seipsa determinandam in tempore : futurum autem phisicè constituitur per determinationem causæ ad dandum illi existentiam; & quia huiusmodi determinatio abæterno non datur respectu peccati ; fit , vt non sit abæterno futurum phisicè , sed logicè: & cum à Deo cognoscatur peccatum futurum eo modo, quo est abæterno futurum ; consequens est , vt abæterno solum cognoscatur à Deo peccatum , vt logicè futurum, non phisicè.

114 Sed dices : eo modo est peccatum futurum abæterno, quo in tempore erit : sed in tempore phisicè erit, & non logicè; ergo abæterno non solum logicè, sed phisicè debet esse futurum. Respondetur negando maiorem : nam modus futuritionis est logicus, scilicèt, per logicam illationem peccati habituri in tempore phisicam existentiam; atqueadeò modus existendi in tempore est phisicus ; illatus tamen solum logicè, & non influxivè ex determinatione Dei abæterno existenti. Vel distinguatur maior: *Ly eodem modo* determinante , seu appellante suprà peccatum, quod futurum denominatur abæterno, concedo maiorem; *eodem modo* determinãte futuritionem, nego maiorem, & concessa minori , neganda est consequentia : vel distinguendum consequens eodem modo. Itaque est modus futuritionis, & modus existentiæ peccati , cuius existentia, & modus denominatur futurus: modus futuritionis est logicus ; hoc est , futuritio est logica , quia est solum per prædicatum non influxivum , sed illativum existentiæ phisicæ peccati : peccatum autem , eius existentia , & modus, quę denominantur futura logicè à decreto pœnitentiæ, sunt phisica eo modo, quo potest verificari de peccato phisicè existere.

115 Sed adhùc dices : istæ duæ pro-

propoſitiones : *Peccatum eſt futurum*, & *peccatum erit*, idem omninò ſunt : ſed de peccato verificatur abæterno, quod erit phiſicè in tempore; ergo debet abſolutè verificari, quod eſt futurum phiſicè. Reſpondetur vtramque propoſitionem poſſe diſtingui iuxtà dicta. Uel meliùs cum Illuſtriſsimo Godoy dicendum, quod illæ propoſitiones non ſunt omninò idem : quapropter Tractatu de ſcientia conditionatorum cum eodem SS. Magiſtro ex D. Thoma, & Ariſtotele diximus de aliquo verificari, quod eſt futurum, de quo non verificatur, quod erit. Sed quantum ad præſens differentia in hoc ſtat, quod hæc propoſitio : *Peccatum erit*, explicat exiſtentiam peccati, & connotat in obliquo futuritionem, ſeù determinationem defacto exiſtentem, & inferentem exiſtentiam peccati in tempore : quapropter in hac propoſitione: *Peccatum erit phiſicè*, ly *phiſicè* determinat, ſeù appellat ſuprà exiſtentiam peccati ſignificatam per ly *erit* : quapropter eſt verà ; ſcilicèt, quia exiſtentia, quam habiturum eſt peccatum, phiſica eſt : in hac autem *Peccatum eſt futurum* explicatur ipſa futuritio de formali, & de materiali importatur exiſtentia peccati, quæ denominatur futura : quapropter in hac propoſitione, *Peccatum eſt futurum phiſicè*, ly *phiſicè* modificat, ſeù appellat ſuprà futuritionem, denotatque futuritionem peccati, quæ abæterno eſt, eſſe phiſicam ; & ideò hæc eſt falſa, *Peccatum abæterno eſt futurum phiſicè.*

§. VII.

Aliud argumentum ſolvitur, & ſingularis ſententia reijcitur.

116 ARGVITVR Tertio : vt intentio pœnitentiæ non determinet Deũ, & per vim activam ad exiſtentiam peccati, neceſſarium eſt, quod præſupponat peccatum ſaltem ſub conditione futurum, immò, & ipſam pœnitentiam, & quod talis intentio ſit formaliſsimè ipſa permiſſio peccati; ita vt eodem indiviſibili actu Deus intendat pœnitentiam, & permittat peccatum : ſed intentio à nobis poſita non præſupponit peccatum futurum, etiam ſub cõditione, & diſtinguitur virtualiter à permiſsione activa peccati, quæ tanquàm electio derivatur ex intentione pœnitentiæ ; ergo non ſolùm logicè infert peccatum, ſed per vim activam in illud. Minor à nobis vltro conceditur : & maior pro prima parte probatur ; nam ſi non ſupponit peccatum ſub conditione futurum, & ſimiliter ipſam pœnitentiam, tollit libertatem ad vitandum peccatum, & omittendam pœnitentiam : ſed ſuppoſitio antecedens in Deo inferens peccatum, & auferens à creatura potentiam ad illud vitandum, eſt ſuppoſitio determinans per vim activam Deum ad peccatum, & non ſolùm logicè ; ergo intentio pœnitentiæ non præſupponens peccatum ſaltem ſub conditione futurum, determinat phiſicè, & per vim influxivam ad exiſtentiam peccati, & non ſolùm logicè. Maior à Recentioribus vt certa ſupponitur : nam eſt principium apud ipſos, quod ſuppoſitio antecedens ad actum, illum infallibiliter inferens, & non impedibilis à nobis noſtrã auſert libertatẽ.

117 Secundo maior principalis probatur : nam decretum pœnitentiæ non poteſt connecti cum peccato, niſi vel ratione affectus ad peccatum, vel ob vim activam in illud ; vel quia ſupponit peccatum ſub conditione futurum ; nec alius modus excogitari poteſt in huiuſmodi intentione ad inferendum peccatum ; ergo ſi intentio pœnitentiæ non præſupponit peccatum ſub conditione futurum, non poteſt cum illo connecti, niſi propter vim influxivam in illud ; vel quia eſt affectus ad peccatum. Maior autem principalis pro ſecunda parte probatur argumento communi : nam ſi decretum permiſsivum peccati ſupponit intentionem pœnitentiæ, & ab illa diſtinguitur, non poteſt Deus per tale decretum amare permiſsionem, niſi vt conducentem ad pœnitentiam, & vt vtilem ad illam ; & conſequenter non poteſt non amare peccatum.

118 Propter hoc argumentum Recentiores aſſerunt eodem actu indiviſibili intendere pœnitentiam, & permittere peccatum; quo ſalvant Deũ poſſe intẽdere pœnitentiam ante abſolutã præviſionẽ peccati; cum enim ante permiſsionem non

intelligatur peccatum absolutè futurum, & aliàs permissio non existat ante intentionem pœnitentiæ; cum sint idem omninò decretum; consequens est, quod ante prævisum peccatum Deus intendat pœnitentiam. Ut tamen hoc non sit contra sanctitatem Dei, & libertatem creaturæ, necessarium existimant, quod huiusmodi decretum intendens pœnitentiam, & permittens peccatum, supponat peccatum futurum sub conditione, & similiter pœnitentiam.

119 Sed horum argumentum esse inefficax, satis constat ex dictis: illud tamen proponimus, vt singularis sententia examinetur, quæ plura continet falsa: nec mirùm; cum principium cui innititur, falsum sit; nimirùm, dari Scientiam Mediam, quæ necessaria non est ad dirigendum decreta Dei; immò repugnat eius attributis, vt tractatu de scientia conditionatorum, & Prædefinitionibus divinis, vidimus, quæ cum libertate increata non componitur, & creatam destruit. Deindè falsum est, suppositionem antecedentem inferentem infallibiliter actum inimpedibilem à nobis, auferre libertatem nostram: potest enim illam inferre, & causare, sicut & ipsum actum.

120 Duo à nobis breviter probanda sunt. Primum est, quod in hac sententia non salvatur libertas creata: secundum, quod opponitur sanctitati Dei, & alijs attributis. Primum probatur: nam permissio peccati in hac sententia antecedit peccatum, illud infallibiliter infert, & præsupponitur necessario ad existentiam peccati: sed cum hoc in horum principijs non stat libertas in peccando; ergo hæc sententia libertati creaturæ opponitur. Maior, præterquàm quod est eorum sententia, videtur necessario admittenda: ad permissionem enim sequitur infallibiliter peccatum, & necessario præsupponitur, peccatum enim nequit existere, nisi Deo permittente. Minor autem probatur primo: quia eo ipso, quod permissio præsupponatur necessario ad peccatum, non potest prævideri peccatum sub conditione futurum per Scientiam Mediam: sed hoc iuxtà ipsos tollit libertatem creaturæ; ergo cum prædicta doctrina non stat libertas in peccando. Minor est eorum doctrina: & maior probatur; nam vt prævidearur peccatum sub conditione futurum, debent poni ex parte conditionis omnia prærequisita ad existentiam peccati, in sententia principalium Authorum Scientiæ Mediæ: & cum vnum ex prærequisitis sit decretum permissivum; hoc ex parte conditionis debet poni: sed si ex parte conditionis ponatur permissio, non cognoscitur peccatum futurum, per Scientiam Mediam, sed per scientiam necessariam; cum ex conditione, scilicèt permissione infallibiliter inferatur peccatum; ergo decretum permissivum non potest supponere Scientiam Mediam peccati sub conditione futuri.

121 Si autem cùm alijs Authoribus Scientiæ Mediæ dicatur, non esse necessarium, quod ex parte conditionis ponantur omnia prærequisita ad peccatum, sed sufficere, quod ponantur ex parte conditionis, vel ex parte conditionati, & ponenda posita conditione: quo modo cognoscit Deus, quod posito hoc auxilio ex se indifferenti ponetur ab ipso permissio, & deindè sequatur peccatum: quod quidem per Scientiam Mediam cognoscitur; cum conditio non connectatur cum permissione, aut cum peccato. Si hoc, inquâ, asseratur, etiam subsistit argumentum: peccatum enim in statu conditionato præsupponit permissionem ipsum infallibiliter inferentem, & cum ipso connexam; ergo iuxtà ipsos in statu conditionato non videtur peccatum libere ponendum, sed necessariò: si enim Deus prævideat, quod posito auxilio sufficienti, ponetur etiam ab ipso prædeterminatio, ad quam infallibiliter sequetur actus, non videt actum libere eliciendum sub illa conditione, sed necessario; eo quod etiam in statu illo supponit prædeterminationem; ergo esto per Scientiam Mediam, iuxtà hos Authores prævideatur peccatum futurum, non tamen libere futurum, sed necessario: & cum purificata conditione, debeat existere peccatum eo modo, quo prævisum est peccatum futurum sub illa conditione; posito auxilio sufficienti, quod est conditio, erit necessario peccatum.

122 Secundo probatur minor: nam si decretum permissivum præsupponitur, necessario ad peccatum, implicatoriũ est, quod possit impediri à peccatore; id enim quod præsupponitur necessario ad exercitium libertatis, per exercitium consequens nequit impediri: quapropter, quia physica prædeterminatio omninò pre-

re-

requiritur ; nec per actum potest acquiri, nec per omissionem potest impediri, vt etiam admittunt Aduersarij : & præterquã quòd ex terminis videtur notum ; explicatur in eorum principijs : nam eo ipso quod decretum permissivum præsupponatur necessario ad peccatum, constituit potentiam ad peccandum : sed vitatio libera peccati præsupponit potentiam ad peccandum; ergo supponit decretum permissivum constitutivum talis potentiæ ; & consequenter implicatorium est, quod creatura per liberam vitationem peccati impediat decretũ permissivum peccati , quod essentialiter præsupponit ; sicut est impossibile , per actum destrui potentiam ad ipsum actum: & cum alias per peccatum impediri non possit huiusmodi decretum, vt constat ; restat, vt per nullum liberum exercitium possit creatura impedire decretum permissivum: quod autem voluntas non potest per exercitium liberum , in eius libera potestate non est.

123 Et non solum iuxtà horum principia tollitur libertas ad vitandum peccatum ; sed fatendum est, tolli libertatem ad pœnitendum, etiam supposito peccato. Quod sic probatur : nam homo constitutus in actu primo ad pœnitendum non potest impedire decretum pœnitentiæ ; ergo iuxtà horum principia necessitatur ad pœnitendum. Antecedens probatur : non potest impedire decretum permissivum peccati ; ergo nec decretum pœnitentiæ. Consequentia constat : nam est idem indivisibile decretum. Antecedens autem probatur : nam decretum permissivum non potest impediri per actum pœnitentiæ , nec per omissionem liberam illius ; ergo nullo modo. Consequentia est evidens ; quod enim impediri non potest per aliquod liberum exercitium voluntatis , non potest à voluntate vllo modo impediri. Antecedens autem pro prima parte etiam est evidens; nam actus pœnitentiæ præsupponit essentialiter decretum permissivum peccati ; & absque illo existere non potest ; ergo non potest impediri per actum pœnitentiæ. Quod autem nõ possit impediri per omissionem liberam pœnitentiæ, probatur: nam omissio libera pœnitentiæ præsupponit essentialiter decretum permissivum peccati; ergo per illam non potest impediri. Antecedens probatur : nam supponit potentiam ad pœnitendum : sed potentia ad pœnitendum includit, seu supponit essentialiter ipsum decretum permissivum peccati ; ergo omissio libera pœnitentiæ præsupponit decretum permissivum. Minor probatur: potentia expedita in actu primo ad pœnitendum includit , vel supponit cognitionem peccati, quod verè existit ; ergo includit, vel supponit decretum permissivum ; cum absque illo verum peccatum esse non possit.

124 Argumento huic respondent negando voluntatem constituram in actu primo ad pœnitendum non posse impedire decretum pœnitentiæ ; & consequenter negant non posse impedire decretum permissivum peccati cum ipso omninò identificatum ; etenim pœnitentia , & peccatum non præsupponunt hoc decretum permissivum ; sed aliquod vage : vndè quamvis voluntas non possit facere, quod non exiterit peccatum; & consequenter nec quod non exiterit decretum aliquod permissivum : potest tamen facere, quod non existat hoc determinatum defacto identificatum modo dicto cum intentione pœnitentiæ : ad hoc autem vt voluntas sit libera in pœnitendo, non requiritur, quod possit facere , quod non exiterit absolutè aliquod decretum permissivum ; sed sufficit , quod possit facere, quod non exiterit hoc identificatum cum intentione pœnitentiæ.

125 Hæc tamen excogitatio, etiam supposito, quod nos omninò implicatorium putamus, nimirum, posse voluntatem per omissionem actus facere, quod non exiterit decretum prædefinitivum actus, in præsenti subsistere non potest : sequitur enim ex hac doctrina voluntatem creatam, postquam peccavit, posse Deum necessitare ad non habendum decretum illud, quo defacto permisit peccatum , sed aliud ; quod licèt ab ipsis concedatur ; non tamen est intelligibile : sicut cogitari non potest posse creaturam facere , quod ipsa non existat ex vi actionis, qua defacto producta est ; sed ex vi alterius. Deindè sequitur decretum permissivum peccati quoad differentiam, qua distinguitur ab alio eius peccati permissivo, non esse Deo liberum, sed creaturæ ; ex cuius libera determinatione vnum potiùs, quam alterum existit : qua ratione Scientia Media non est libera Deo ; scilicèt , quia existit ex determinatione creaturæ.

126 Deindè inquiro : impedito de-

decreto, quo defacto permisit peccatum, manet Deus in actu primo indifferens ad permittendum; quis ergo necessitat Deum ad permittendum per aliud decretum? Dices; necessitari ex eo, quod præsupponitur peccatum, quando creatura intelligitur indifferens ad pœnitendum; quæ si omittat pœnitentiam, impedit decretum permisivum, quod defacto datur: & quia existente peccato, non potuit non dari decretum permisivum; necessitat Deum ad illud habendum. Sed hoc non minus in intelligibile est: quia decretum permisivum peccati tunc existeret ex vi liberæ omissionis pœnitentiæ, quæ omissio præsupponit peccatum; ergo existeret decretum permisivum post peccatum existens; quo nihil absurdius.

127 Sed his omissis forsàn alibi examinandis; vnum solum satis mirabile adducimus; quod ab his Authoribus conceditur; nimirùm, quod quotiescumque creatura est in actu primo constituta ad actum liberum bonum, quem Deus prædefinivit, potest facere non solum, vt non existat decretum, quo Deus talem actum liberum prædefinivit; sed etiam potest facere, quod non existat aliquod decretum ex illis, quæ defacto habet Deus; & quod non sit Scientia Media alicuius veritatis, quæ defacto datur: & patet; nam Deus iuxtà hos Authores eodem decreto omnia decernit, & eadem indivisibili Scientia Media cognoscit omnes veritates conditionatas contingentes: sed iuxtà ipsos creatura potest facere, quod non existat decretum prædefinitivum actus, & Scientia Media eiusdem; ergo potest facere, quod nullum decretum existat ex his, quæ defacto dantur; & similiter nulla Scientia Media.

128 Secundum, quod probandum proposuimus, nimirùm, hanc doctrinam esse contra sanctitatem Dei; probatur breviter ex dictis: nam decretum intentivum pœnitentiæ, & permisivum peccati tollit libertatem ad illud vitandum, iuxtà eorum principia, vt vidimus: ex quibus evidenter infertur iuxtà eadem principia, Deum determinari ad influendum in peccatum: nihil autem magis oppositum sanctitati Dei. Tùm etiam; quia intentio pœnitentiæ non præsupponens statum conditionatum peccati prævisi per Scientiam Mediam, est amor virtualis illius, vt concedunt; & idem dicunt de decreto permisivo: sed probavimus iuxtà eorum positionem non supponi talem statum conditionatum prævisum; ergo decretum intentivum simul, & permisivum est virtualis amor peccati; quod esse contra sanctitatem Dei nemò negavit.

129 Secundo: nam decretum intentivum, & permisivum, quod existit ex sola determinatione Dei, transfert peccatum de statu conditionatæ futuritionis ad statum futuritionis absolutæ; ergo ex determinatione Dei est absolutè futurum peccatum, licèt præsupponatur conditionatè futurum: quod in sententia ipsorum non distinguentium inter physicam futuritionem, & logicam, est contra sanctitatem Dei.

130 Respondent, quod supposito statu conditionato, ex vi decreti intentivi, & permisivi solum obligatur Deus ad volendum auxilium indifferens, quo prævisa est voluntas peccatura; quo posito infallibiliter ponitur peccatum, non ex vi auxilij; sed ratione status conditionati, qui præsupponitur, vel ratione Scientiæ Mediæ: vndè illa determinatio ex voluntate divina non ponitur.

131 Contra tamen est: quia intentio pœnitentiæ ratione sui connectitur essentialiter cum peccato absolutè futuro, & non solum ratione status conditionati; sed Deus supposito statu conditionato, ex propria determinatione habet decretum pœnitentiæ; ergo ex propria determinatione vult aliquid, quod ratione sui connectitur cum peccato absolutè futuro; & consequenter ex propria determinatione Dei, & ratione illius transfertur peccatum de statu conditionato ad statum absolutum. Tùm etiam: nam licèt auxilium non connectatur cum peccato; decretum tamen permisivum connectitur, & non extrinsicè ratione Scientiæ Mediæ, seù status conditionati, sed ratione sui; aliàs esset indifferens, sicut ipsum auxilium; ergo cum ametur decretum, seipso Deus amat, & ex propria determinatione ponit connexionem decreti cum peccato. Ex quo similiter infertur, futuritionem absolutam peccati esse ex determinatione Dei.

132 Per quod constat solutio ad eorum argumentum: Negamus enim ad libertatem peccati prærequiri statum illum conditionatum, qui pluribus titulis

impoſsibilis eſt ; ſed ſufficit, quod pręſupponatur poſsibilitas peccati, qua ſuppoſita, non indiget Omnipotens ad permittendum peccatum, de cuius ratione eſt eſſe liberum, aliquo quod ab ipſo non ſit ; & conſequenter nec ſtatu conditionato. Inſuper negamus, quod ſi intentio pœnitentiæ præſupponatur ad decretum permiſsivum, hoc ſit volitio peccati, propter illa, quæ ſuprà diximus ; ſcilicet ; quia permiſsio non eligitur vt medium propriè tale; atqueadeò nec vt vtilis,& conducens poſitivè ad pœnitentiam, vt ſuprà explicavimus ; ſed vt præviè neceſſarium, & præambulum ad pœnitentiam, & ad peccatum, quod eſt materia deſtruenda per pœnitentiam. Ex quo deducimus poſſe eligi permiſsionem ex intentione pœnitentiæ, vt quid prævium,& præambulum ad peccatum, quod eſt materia deſtruenda, non ratione peccati amati ; ſed ratione pœnitentiæ, quæ, & non peccatum amatur ; ita vt in permiſsione ametur, *vt quod* ipſa vis logicè illativa peccati, quæ eſt ipſa eſſentia permiſsionis. Deindè diximus, ex intentione finis ſolum amari ea, quæ prærequiruntur ad finem,& exiſtere non poſſunt ſine amore intendentis finem : cumque peccatum prærequiſitum exiſtat infallibiliter ſine eius amore, ſolum poſita, & amata permiſsione, ſit, vt intentio pœnitentiæ, & eius exequutio exiſtat ſine amore Dei erga peccatum. Ex quo deduximus, quod id quod prærequiſitum, & neceſſarium eſt ad finis conſequutionem, non neceſſario amatur ratione illius, quod prerequiſitum eſt, & proximius ad finis conſequutionem, ſi hoc amabile non ſit ab intendente finem, & poſsit infallibiliter exiſtere ſine amore intendentis finem ; præcipuè ſi ſit materia deſtruenda ipſa conſequutione finis, & non conducens per modum medij propriè talis, vt diximus.

§. Vltimus.

Cętera argumenta ſolvuntur.

133 DVO Reſtant argumenta ſolvenda. Primum eſt: non eſt prudentis proviſſoris permittere morbum ex intentione ſalutis : ſed peccatum eſt morbus ſanandus per pœnitentiam ; ergo non permittitur prudenter ex intentione ſalutis. Reſpondetur cum Illuſtriſsimo Godoy : admittendo non eſſe prudentis proviſſoris permittere morbum ex intentione ſolius ſalutis ; non tamen eſt contra illius prudentiam permittere morbum ex intentione perfectioris, & robuſtioris ſalutis; Deus ergo ex intentione pœnitentiæ, non pręciſè vt ſanantis, ſed vt præſtantis perfectiorem ſalutem,& conducentis ad maiorem, ſeú finalem perſeverantiam, poteſt permittere peccatum. Iuxtà quod concedendum eſt, poſſe medicum,& proviſſorem creatum permittere morbum ex intentione robuſtioris, & permanentis ſalutis ; licet non ex intentione ſolius ſalutis ; ſi in eius ſit poteſtate, ex permiſsione morbi perfectiorem præſtare ſanitatem: & licet Deus poſsit alijs medijs præſtare ſalutem robuſtam,& perfectam ſanitatem ; ordinem illum præſtandi ab hominibus non expoſcit ; ſed poteſt ex pluribus medijs eligere, quod maluerit.

134 Hæc ſufficientia ſunt pro ſolutione argumenti. Cęterúm exiſtimamus, Deum poſſe permittere peccatum ex intentione pœnitentiæ non tribuentis perfectiorem ſanitatem : & etiam in reprobo poſſe permittere peccatum ex intentione pœnitentiæ : & ſimiliter ex ſola intentione remittendi, & condonandi peccatum; etiã ſi hoc fiat ſine intrinſeco dono : non enim reputamus inconveniens, Deum permittere peccatum ex intentione manifeſtandi ſuam miſericordiam,& potentiam in condonando peccatum : ſicut poteſt etiam illud permittere ex intentione manifeſtandi

glo-

gloriam, & potentiam suam in collatione virtutis pœnitentiæ.

135 Et ideò secundo respondetur ad argumentum, distinguendo maiorem; si provisor possit prudèter permittere morbum ex alijs finibus, seù quia non tenetur morbum vitare, nego maiorem; si non possit, transeat maior, & concessa minori; neganda est consequentia: & quia Deus ex alijs finibus potest prudenter permittere peccatum; potest similiter ex isto fine: immò cum Deus non teneatur ad maius bonum hominum, & prudentissimè velit sua manifestare attributa; hoc solo titulo potest ex intentione minoris boni hominum, dummodo conducat ad suorum attributorum manifestationem, permittere maius malum. Item cum Deus non teneatur ad conservandam sanitatem in homine, & prudenter possit velle manifestare suam potentiam, condonando peccatum, vel tribuendo donum pœnitentiæ; potest prudentissime permittere, vt amittat sanitatem, permittendo morbum peccati ex intentione condonandi illud.

136 Arguitur secundo: nam iuxtâ Damascenum lib. 2. de Fide cap. 29. & alios PP. communitèr, pœnitentia est bonum accasionatum, de cuius ratione est, quod non ametur, nisi occasione mali, scilicèt, peccati; ergo non potest amari pœnitentia ante absolutè prævisam peccatum, & occasione illius: illam autem amaret Deus, si intenderet illam ante prævisum peccatum.

Confirmatur: actus pœnitentiæ est detestatio peccati, & illius destructivus, vt communitèr docent Theologi 3. p. q. 85. art. 2. at destructio supponit essentialiter rem destruendam; ergo non potest amare pœnitentiam, non prævisso peccato destruẽdo per ipsam. Confirmatur secundo: actus pœnitentiæ amatur ex intentione remissionis peccati; ad hoc enim eligitur, vt disponat ad gratiam remissivam peccati, & consequenter supponit gratiam remissivã: sed gratia vt remittens peccatum supponit ipsum prævisum; ergo etiam intentio, & amor pœnitentiæ. Confirmatur tertio: quia Christus Dominus prædestinatus est vt Redemptor, & ex fine redimendi homines á peccato, supponit eius prędestinatio culpam originalem prævisam: sed pœnitentia eligitur vt destructiva peccati, in quo eius essentia consistit; & consequenter eligitur ex intentione destructionis peccati; ergo necessario supponit illius prævisionem. Tandem confirmatur: quia pœna supponit essentialiter culpam, non potest Deus intendere pœnam ante prævisam absolutè culpam: sed pœnitentia præsupponit essentialiter peccatum; ergo non potest Deus intendere pœnitentiam ante absolutam pręvisionem peccati.

137 Respondetur, omissis alijs solutionibus, quas optimè expendit Illustrissimus Godoy; concedendo pœnitentiam esse bonum occasionatum: quod verificatur, quia existere non potest nisi occasione peccati, & ipso pręsupposito. Ex quo non infertur, Deum non posse ante prævisionem peccati amare huiusmodi bonum; sed solum sequitur non posse velle, quod existat pœnitentia ante prævisum, & existens peccatum: potest ergo Deus velle ante peccatum existens, pœnitentiam post peccatum, & occasione illius: sicut potest velle ante merita gloriam existere per merita, & vt coronam meritorum. Iuxtá quod distinguendum est antecedens, bonum occasionatum non amatur ponendum ante malum occasionans eius existentiam, concedo antecedens; non amatur ante malum, ponendum tamen post malum, & occasione illius, nego antecedens, & neganda est cõsequentia; vel distinguendum consequens iuxtà dicta: & ratio est; quia cum Deus sit potens permittere malum, & causare bonum etiam occasionatum; potest incipere ab intentione boni, & exindè procedere ad volendum permissionem mali, vel é contra, vt sibi placuerit: quod si in eius potestate non esset permittere malum; oppositum esset dicendum, scilicèt, ante prævisionem mali non posse velle efficacitèr bonum occasionatum; & hoc explicatur exemplo meritorum, & gloriæ per modum præmij: semper tamen fatendum est, bonum occasionatum in exequutione supponere malum, ex quo occasionatur, & eius permissionem.

138 Nec propter hoc gloria, quia ex suppositione meritorum datur, vt corona illorum, est bonum occasionatum. Tùm: quia gloria existere potest absolutè sine meritis. Tùm etiam: quia licèt gloria vt corona existere non possit sine pręsuppositis meritis; hoc solum denotat, quod quando existit, & datur vt corona, datur propter merita: quod est dicere, quod in exe-

exequutione datur ex motivo meritorum gloria, quæ absolutè potest dari sine meritis. Tùm denique ; quia bonum non dicitur occasionatum, quia non posit poni in re, & in exequutione sine dependentia ab altero bono, & illo præsuppósito ; sed quia non nisi malo præsuppósito potest existere, & occasione illius : quod de gloria non verificatur.

139 Ad primam confirmationem, concessa maiori, & minori, neganda est consequentia; & instatur iuxtà dicta : gloria vt corona præsupponit essentialiter merita ; ergo ante prævisionem meritorum non potest amari vt corona; concesso antecedenti, neganda est consequentia; vel distinguendum consequens : & similiter dicendum ad confirmationem. Ad secundam respondetur eodem modo, nimirúm, gratiam remissivam vt remittentem non posse existere sine præsuppósito peccato ; sicut neque ipsa remissio : potest tamen intendi ante prævisum peccatum, & Deus potest procedere primo intendendo gratiam remissivam ; deindè volendo pœnitentiam disponentem; & deindè procedere ad volendum permissionem peccati.

140 Ad tertiam confirmationem dicendum, quod quia Christus Dominus fuit prædestinatus vt Redemptor, infertur ex vi præsentis decreti non venturum, nisi existente peccato Adami : quia Christus vt Redemptor habet essentialem connexionẽ cum peccato, & illud præsupponit; & consequenter eius permissionem. Cæterùm dupliciter potuit prædestinari vt Redemptor : primo; ita quod, *ly vt Redemptor* denotet causam finalem ; & sensus sit, quod fuit prædestinatus, vt redimeret homines à peccato, denotando finem *cuius gratia*, fuisse redimere homines à peccato : secundo; ita quod *ly vt Redemptor* solùm specificet id, quod ex vi prædestinationis amatur: finis tamen *cuius gratia* sit ipsa excellentia mysterij. Si primo modo Christus prædestinatus est vt Redemptor ; supponit eius prædestinatio peccatum, & eius permissionem : si autem secundo modo sit prędestinatus, non necessario supponit permissionem peccati ; sed hæc potuit eligi à Deo ex fine Redemptoris : & eodem modo discurrendum est in pœnitentia; scilicèt, quod potest dupliciter amari: primo ita vt Deus velit pœnitentiam, & detestationem peccati, ex motivo, & fine liberandi hominem ab eius captiverio; & hoc modo præsupponit permissionem peccati : secundo modo amari potest ità quod, licet ametur ipsa peccati detestatio; motivum sit, vel ipsum bonum pœnitentię, vel aliud, ad quod possit conducere pœnitentia, quale est beatitudo.

141 Sic Illustrissimus Godoy: quod sic explicamus. Christus vt Redemptor potest prædestinari, vel ex motivo liberalitatis, vel ex motivo ostendendi divitias gratiæ divinæ : & proút sic, licèt inferat permissionem peccati, non necessàrio illam supponit. Secundo modo potest amari ex motivo misericordiæ ; ita vt Deus moveatur ex miseria contracta per peccatum, ad dandum illi remedium aptissimum, scilicèt Christum Redemptorem : & hoc modo decretum Christi Redemptoris præsupponit peccatum. Si primo modo fuit Christus prædestinatus; permissio peccati potuit esse effectus prædestinationis, & eligi ex intentione Christi Redemptoris. Si autem secundo modo prædestinatus est, non est effectus prędestinationis illius. Advertendum tamen est; quod licet Christus Dominus fuerit prædestinatus primo modo decreto intentivo; concedendum est alterum decretum exequutivum eiusdem, quod præsupponat peccatum, & eius permissionem; Deumque moveri ad concipiendum tale decretum ex miseria contracta per peccatum : in secundo autem modo dicendi, negatur primum decretum, & solum conceditur secundum. Quid autem horum verum sit, non est huius loci. Videatur Illustrissimus Godoy.

142 Similiter in pœnitentia concedendum est duplex decretum : alterum intentivum, quod præcedit permissionem peccati ; & ad illud habendum movetur Deus ex fine salutis, vel ex fine ostendendi suum dominium; vel ex fine manifestandi virtutem pœnitentię, vel alio simili : & hoc decretum præcedit permissionem peccati, quæ ex primo decreto derivatur. Potest deindè amari pœnitentia ex motivo misericordiæ ; quatenus Deus motus ex miseria, inquam homo incidit per peccatum, præparat ipsi remedium pœnitentiæ, & huiusmodi decretum supponit peccatum, & eius permissionem.

143 Adduximus exemplum iterato repetendum : dupliciter potest amari gloria, vt corona; primo, ita vt motivum

amari-

amandi sit merita, & tunc amatur propter merita; & quia sunt merita, vult Deus homini sic merenti conferre gloriam; & huiusmodi decretum gloriæ vt coronæ præsupponit merita, & huiusmodi decretum est exequutivum gloriæ post prævisa merita. Secundo potest amari gloria vt corona, ita vt licet in exequutione non sit ponenda sine meritis: motivum tamen amandi non sunt merita; sed ipsa gloria vt corona amatur ex liberalitate, aut ex alio motivo.

Ad vltimam confirmationem negandа est maior: quamvis enim pœna præsupponat essentialiter culpam; hoc solo titulo non est incapax, vt intendatur ante culpam prævisam, vt patet in gloria vt corona; sed quærenda est alia causa; nimirùm, quia videtur species crudelitatis, quæ Deum non decet, vel alia similis; quod modo disputandum non est.

Et hæc de isto dubio.

(((o)))

TRAC.

TRACTATUS VII.

De Voluntario, & Involuntario.

ARTICULUS PRIMUS.

VTRVM IN HVMANIS ACTIBVS INVENIATVR voluntarium?

CONclusio est affirmativa: quam probat D. Thomas in argumento sed contra authoritate Damasceni lib. 2. de Fide cap. 24. dicentis: Quod voluntarium est actus, qui est operatio rationalis: at actus humani sunt operationes rationales, vtpotè orti ab appetitu rationali; ergo in illis reperitur voluntarium. Ex corpore hæc deducitur ratio: voluntarium secundum Aristotelem, Damascenum, & Gregorium Nisenum est id, quod procedit ab intrinseco cum additione scientiæ: sed actus humani procedunt ab intrinseco, scilicèt, à voluntate previa scientia, & cognitione finis; homo enim maximè cognoscit sui operis finem; ergo in eis maximè reperitur voluntarium.

Circa quod dubitatur.

(o)

DVBIVM I.

Quid,& quotuplex sit voluntarium?

§. I.

Explicatur,& defenditur definitio voluntarij.

1 VOluntarium à voluntate dicitur : eius tamẽ significatio amplior est; extenditur enim ad actiones brutorum ab eorum appetitu procedentes, vt articulo sequenti ex D.Thoma dicemus: Voluntarium enim significat id,quod sponte proprio motu, & non coacto ab aliquo fit,vt ex Aristotele 3. Ethicorum lectione 4.docet ibi, & in præsenti D.Thomas,desumiturque ex Damasceno lib. 2. de Fide cap. 24. ex Gregorio Nisseno lib.5.Philosophiæ cap. 3. adductis hic à D.Thom.quod propriè solum convenit actui, procedenti ab aliquo appetitu sensitivo,aut rationali, licèt metaphoricè etiam ad insensibilia extendatur : qua ratione de terra feraci dicitur voluntariè, & sponte herbam germinare.

2 Voluntarium ergo secundum quod dicit ordinem ad appetitum elicitum,multifariam etiam sumitur : aliquando enim accipitur pro eo,quod ab appetitu libere procedit : sic apud Iacobum in sua Catholica,cap.1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis* : hoc est liberè. Aliquando vltrà libertatem, quandam promptitudinem , & alacritatem animi denotat : sic milites voluntarij appellantur, qui non vocati,prõptè & alacriter serviunt militiæ. Quo sensu Exodi 35. dicitur: *Separate apud vos primitias Domino : omnis voluntarius , & prono animo offerat eas Domino.* Tandem accipitur pro eo,quod libere,gratis tamen, & sine causa aliqua, aut ratione fit. Sic Tullius Philipica 1. *Nemò mihi voluntarius hostis fuit, sed Reipublicæ causa* : Sic etiam conquæritur Deus apud Psalmistam : *Odio habuerunt me gratis.*

3 In præsenti autem voluntarium generaliter sumitur pro eo , quod ad appetitum elicitum ordinem dicit,& secundum quod cum spontaneo, & non coacto convertitur : in qua acceptione illud definivit Aristoteles vbi supra: *Voluntarium*, inquit, *vtique est, cuius principium est in ipso agente, sciente singula,quibus est operatio.* Ferè eãdem habet Damascenus lib. 2. de Fide: vbi suprà sic illud definiens : *Sponte id fieri dicitur,cuius principium, & causam cõtinet is,qui agit,resque singulas,per quas actio geritur,& in quibus versatur , quas Rethores circunstantias appellant,compertas, & exploratas habet.* Denique Nisenus vbi suprà hęc habet : *Voluntarium est cuius principium existit in ipso sciente singularia , in quibus est actio.*

4 Scio Bellarminium de Scriptoribus Ecclesiasticis dubitare hos libros Philosophiæ esse Niseni,& à quibusdam Recentioribus tribui Nemesio Episcopo Emisseno, sub cuius nomine habentur in Bibliotheca Veterum PP.tomo 9.cum hac sola differẽtia,quod apud Nisenum dividitur hoc opus in octo libros Philosophiæ: apud Nemesiũ autem est vnus liber de natura hominis divisus in plura capita,in quorum 32. habetur definitio nuper adducta : qua de causa hi libri non extant apud Nisenum in Editione Parisiensi. Quæ ideò retuli, vt appareat causa,quare Mag.Curiel, vt ipse testatur;non potuerit invenire apud Nisenum definitionem,& doctrinam à D.Thoma ex Niseno fideliter relatam.

5 Ex quibus suam deduxit definitionem D.Thomas,quàm postea acceperunt communitèr Theologi , quæ talis est: voluntarium est, *quod est à principio intrinseco cum additione scientiæ* : Quod idem est, atque, *cum cognitione finis* , vt constat ex D.Thoma in fine corporis, & articulo sequenti.Per primam particulam excluditur violentum, cuius principium est foris , & convenit cum naturali , opposita de causa. Per vltimam excluduntur motus merè naturales rei cognitione carentes: id enim est voluntarium,quod quis sponte,& propter aliquem finem facit;ad quod finis cognitio requiritur,qua res insensibiles carent: quapropter non se movent propter finem , seù in finem;sed moventur ab alio cognoscente finem : actus ergo illi sunt , & dicuntur voluntarij,quorum principium est intrinsecum vt agat,& vt propter finem agat: quorum secundum non verificatur nisi de cognoscente finem.

6 Sed vt plenius explicetur,advertendum est ex D.Th. quod cum omne agens, seù motũ agat,seù moveatur propter finẽ; illa perfectè moventur à principio intrinseco,quæ non solum habent principium vt

mo-

moveantur, sed vt moveantur propter finẽ: Ad hoc autẽ exigitur cognitio finis; à potẽtia enim exequẽti, seù eliciente motũ habet motus vt sit; à cognitione autẽ vt propter finẽ sit: Nã esse propter finẽ est esse ex motione finis; hic autẽ media cognitione movet: vndè integrum principiũ motus propter finem consurgit ex potentia eliciente, & cognitione finis: & cum sola cognoscentia habeant potentiam exequentem motum, & cognitionem finis, illa solũ perfectè se movent: alia autem etiam viventia, licet habeãt principium actionis, seú motus, ab alio habẽt propter finem moveri, nimirùm à cognoscente finem, à quo eis imprimitur principium suæ motionis in finem.

7 Ex quo deducitur, quod cum voluntarium importet, quod actus, seú motus sit à propria inclinatione, & perfecta ab intrinseco, ad illius rationem non sufficit esse à principio intrinseco etiam elicitivè, vt motus mere naturales vitales, quales sũt augmentatio, & nutritio; sed requiritur, quod superaddatur cognitio, vt sic in ipso moto sit integrum principium motus. Ex quo provenit vt non solum sit naturalis, sed spõtaneus; hoc est elicitus; quia ex motione finis ipsi operanti apparet bonum talem motum elicere: in quo consistit esse voluntarium.

8 Est tamen advertendum, quod nomine scientiæ non intelligit D. Tho. scientiam rigorosam, sed cognitionem vt abstrahit ab intellectiva, & sensitiva; & nomine finis intelligitur obiectum, non finis formaliter sumptus: Nam vt sequenti articulo constabit ex Aristotele, & Patribus adductis, in brutis, pueris, & à mentibus reperitur voluntarium sine rigorosa scientia, & sine cognitione finis formaliter sumpti: & fortè hac de causa, vt notarunt PP. Salmanticenses, D. Thomas in definitione non apposuit *Finis*, sed solùm scientiam, quæ non potest non esse alicuius obiecti, quamvis possit non esse finis formaliter sumpti.

9 Ex quibus apparet definitionem hanc convertì cum definito: Nihil enim est voluntarium, quod à principio intrinseco cum superadditione scientiæ non sit; neque è contra: quapropter D. Thomas non exposcit ad voluntarium cognitionem omnium circunstantiarum: & meritò; nam hæc ad voluntarium quoad substantiam necessaria non est: vt enim actus sit voluntarius respectu substantiæ obiecti, sufficit illius substantiam cognoscere: ad voluntarium autem non solum quoad substantiã, sed secundùm omnia, quæ circunstant, etiã requiritur circunstantiarum cognitio; circunstantia enim non cognita, neque voluntaria, neque volita esse potest; nihil enim volitum, quin præcognitum. Exemplum est commune: occidit Ioannes proprium patrem sciens esse hominem, ignorans tamen invincibiliter Paternitatis circunstantiam actio illa est voluntaria absolutè, & quoad substantiam vt homicidium est; non verò vt occisio Patris, quia hæc circunstantia est ignorata; si autem cognosceret esse Patrem, vtrúmque esset illi voluntarium, & homicidium, & circunstantia Patricidij.

10 Ex quo componenda venit differentia, quæ inter definitionem D. Thomæ, & definitiones Aristotelis, & Patrum ab ipso adductas versari videtur: Hi enim definierunt voluntarium, non solùm secundum substantiam, sed secundùm ea, quæ obiectum circunstant, ad quod singularium cognitio requiritur; quapropter rectè sic definiunt: *Voluntarium est cuius principium est in ipso agente sciente singula*: sed D. Thom. voluntarium secundum substantiam definiens, solùm exposcit scientiam, vt denotaret ad essentiam voluntarij tãm exactam cognitionem non requiri, & simul quod actus non potest esse voluntarius quoad circunstantiam obiecti ab operante ignoratam. Vel dici potest, quod cognitio omnium circunstantiarum non ponitur ab Aristotele, vt pars essentialis definitionis; sed ad maiorem explicationem, vt scilicèt, denotet à voluntate non procedere id, quod ab intellectu non præcognoscitur.

11 Definitio sic explicata solum competit actibus voluntatis, seù appetitus, & effectibus ab illo præcedentibus, non verò aliarum potentiarum actibus, nisi fortè ab actibus appetitus imperentur: & meritò; nam ad rationem voluntarij requiritur, quod à voluntate, seù appetitu procedat, quod per se actibus voluntatis competit, & ex imperio voluntatis ad aliarum potentiarum operationes extenditur: vndè actus voluntatis, qui ab alio eiusdem voluntatis imperatur, duplici titulo voluntarius est, & quatenus per se immediatè, & ratione sui à voluntate procedit, & simul, quia ad eandem voluntatem medio actu imperante reducitur: quod optimè in definitione explicatur per hoc, quod ad voluntarium prærequiritur cognitio, quod actibus aliarũ potentiarũ à voluntate non convenit.

12 Sed contra definitionem obijcies primo; assensus conclusionis est

à principio intrinſeco, vtpotè vitalis & cũ cognitione, cum præſupponat aſſenſum præmiſſarum; & tamen involuntarius non eſt; ergo. Et confirmatur, actus ſenſus interni eſt à principio intrinſeco, quia vitalis, & cum cognitione, vel quia ipſe cognitio eſt, vel quia ſupponit cognitionem ſenſus externi; & tamen voluntarius non eſt; ergo definitio aſsignata voluntarij convenit actibus non voluntarijs.

Oviedo tract. 2. controverſia 1. puncto 1. duas adhibet ſolutiones: 1. eſt aſſenſum concluſionis ſupponere quidem cognitionem, non tamen eiuſdem obiecti, quod ad voluntarium eſt neceſſarium, ſed alterius. Quod ſi obijcias hunc ſyllogiſmum expoſitorium, hic homo eſt albus: Petrus eſt hic homo; ergo Petrus eſt albus, in quo obiectum præmiſſarum ab obiecto concluſionis non diſtinguitur. Reſponder, quod & ſi nõ diſtinguatur realiter, formaliter tamen diſtinguitur, quia diſtinctis conceptibus formalibus attingitur: actus verò voluntatis idem formaliter obiectum attingit, & eodem prorſus modo, quo à cognitione proponitur.

13 Secundo reſpondet, actum voluntatis, ſeù voluntarium ſemper procedere à potentia, quæ ex ſe in omnibus ſuis actibus cognitionem ſupponit; aſſenſum verò concluſionis procedere à potentia, quæ ſecundum plures actus non ſupponit cognitionem; ac proindè voluntarium ſecundum hanc ſolutionem, à non voluntario diſtinguitur per hoc, quod ſupponit cognitionem ex conceptu ſibi, & omnibus actibus ab eàdem potentia præcedentibus communi.

14 Neutra tamen ſolutio adęquatè ſatisfacit; & contra primam ſtat primo, quod obiectum cognitionis magis diſtinguitur ab obiecto actus voluntatis, quam obiectum aſſenſus præmiſſarum, & concluſionis: quapropter iſti actus maiorem habent inter ſe convenientiam, quam actus intellectus, & voluntatis. Secundo; nam diſtinctionem formalem obiecti præmiſſarum ab obiecto concluſionis inde deducit, quia diſtinctis conceptibus formalibus attingitur: ſed actus intellectus proponens obiectum voluntati, & actus voluntatis illud proſequens magis diſtinguuntur, quam conceptus formales præmiſſarum, & concluſionis; ergo, & illorum obiecta. Tertio; quia ſicut bonum propoſitum ab intellectu attingitur per voluntatem, ita veritas attacta in præmiſsis ſyllogiſmi Expoſitorij nuper adducti attingitur per aſſenſum cõcluſionis; eàdem enim eſt veritas hæc, hic homo eſt albus, atque iſta Petrus eſt albus. Quartò; quia ideò apud hos Recentiores eſt idem obiectum formale propoſitum ab intellectu, & proſequutum à voluntate, quia bonum ab illo propoſitum ab hac amatur: ſed obiecto per primam operationem apprehenſo, aſſentitur quis per ſecundam præſupponentem primam; ergo.

15 Contra ſecundam obſtat 1. explicationem illam reddere valdè obſcuram definitionem, atqueadeò non ſatis aptam ad explicandam naturam voluntarij. Secundo; nam quando aſſerunt, voluntarium procedere à potentia, quæ in omni ſua operatione cognitionẽ ſupponit, vel loquũtur de potẽtia realiter, & entitativè ſumpta, & ſecundum totam ſuam amplitudinem, vel de potentia prout eſt principium aliquorum actuum determinatè: ſi actus voluntatis iuxtà hos Recentiores, nõ procedit à potentia, quæ realiter, & entitativè ſumpta, & in omni ſua amplitudine cognitionem ſupponat in omni ſua operatione, cum iuxta illos eàdem ſit realiter potentia intellectus à volitiva; atqueadeò potentia, à qua actus voluntatis elicitur realiter, & entitative ſumpta, & in omni ſua amplitudine, non præſupponit cognitionem in omni operatione: ſi autem aſſeratur ſecundum, definitio convenit aſſenſui concluſionis, cum procedat à potentia, quæ prout diſcurſiva, in omni ſua operatione cognitionem ſupponit.

16 Secundo alij reſpondent cum Patribus Salmanticenſibus dub. 1. aſſenſum concluſionis, quamvis præſupponat præmiſſarum aſſenſum, poteſt tamen permanere, illo tranſacto: voluntarium autem exigit cognitionem, ſine qua permanere non poteſt, quod definitione ſatis innuitur; non dicitur voluntarium eſſe, aut fieri ex cognitione, ſed cum cognitione ad denotandam neceſſariam vtriuſque concommitantiam. Sed neque hæc ſolutio eſt ſufficiens primo, quia licèt aſſenſus concluſionis poſsit manere, tranſacto præmiſſarum aſſenſu, & manente ſolum virtualiter: non tamen eſt certum, eundem concluſionis aſſenſum manere; plures enim non improbabiliter oppoſitum docent; aſſenſus ergo ille, qui perijt deficiente aſſenſu præmiſſarum, non ſatis excluditur à ratione voluntarij. Secundo; nam li-

cèt

cèt actus voluntatis manere non posſit ſine cognitione, poteſt tamen dari voluntarium, & peccatum nulla exiſtente cognitione; pollutio enim nocturna in ſomnis, cuius homo cauſam evigilans adhibuit, quam tenetur vitare, prævidens illam futuram, eſt voluntarium, & non ſolum effectus peccati, ſed peccatum neceſſario in confeſsione aperiendum, iuxtà ſatis probabilem ſententiam; ergo.

17 Ad argumentum ergo reſpondetur cum Patribus Salmanticenſibus vbi proximè, & communi Thomiſtarum ſententia, cognitionem poſitam in definitione voluntarij, talis debere eſſe conditionis, vt notificet obiectum, circa quod fertur actus voluntatis, ita vt poſsit illum dirigere, & ratione eius obiectum appetitum ad ſe trahere: cognitio verò præmiſſarum licèt influat in aſſenſum concluſionis; nõ tamen notificat eius obiectum, vt mediâ cognitione obiectum aliciendo moveat ad aſſenſum concluſionis. Vnde non omnis cognitio, etiam ſi attingat bonum, aut malum ſub expreſsione boni, aut mali ſufficit ad rationem voluntarij, ſed neceſſaria eſt cognitio practica illud proponens practicè, vt proſequendum, aut fugiendum. Per quod conſtat ad confirmationem, nam cognitio externa præſupponitur ad internam, non vt proponens obiectum proſequendum, aut fugiendum per ſenſum internum, ſed tanquàm principium productivum ſpecierũ, quibus vtitur ſenſus internus.

18 Secundo arguitur; omiſsio actus præcepti eſt voluntaria, cum ſit peccatum: & tamen non eſt à principio intrinſeco; ergo. Maior probatur; quod non eſt, non poteſt eſſe à principio intrinſeco; ſed omiſsio nihil eſt, cum non ſit ens, ſed entis carentia; ergo à principio intrinſeco nõ eſt. Et confirmatur; nam actus voluntatis, qui eſt nolitio, aut fuga eſt à principio cũ cognitione: & tamen non eſt voluntarius; ergo. Minor probatur, obiectum illius nõ eſt volitum, ſed nolitum, aut repulſum; ergo neque actus poteſt eſſe voluntarius. Confirmatur ſecundo; triſtitia, & dolor damnatorum eſt à principio intrinſeco, nempè ab eorum voluntate, & cum cognitione, ſunt enim mali apprehenſi: & tamen non ſunt voluntarij; ergo. Minor probatur: tùm; quia tales actus ſunt illorum pœnæ: at de ratione pœnæ eſt inferri contra voluntatem patiẽtis; ergo. Tùm etiam; quia incredibile videtur damnatos ſumma triſtitia affectos, quã à ſe proculdubiò repellere vellent, hanc eandem virtualiter amare, quod ad rationem voluntarij eſt neceſſarium. Tùm; quia ſæpè homines tàm anxiè concutiuntur actibus timoris, & triſtitiæ, vt nihil non tentent, vt affectus illos excutiat; ergo tunc caſus actus illi voluntarij non ſunt. Tùm denique; triſtitia, & odium alicuius obiecti eſt virtualiter triſtitia, & odium ſui, ſicut amor obiecti eſt ſaltẽ virtualiter amor ſui; ergo actus hic non poteſt eſſe voluntarius. Confirmatur tertio, volitio omnis eſt à principio intrinſeco cum cognitione: & tamen iuxtà D. Thomam infra quæſt. 9. art. 4. ſecundum intelligentiam Caietani voluntaria non eſt; ergo. Quarto, furtum a Petro patratum Ioanne vidente, & perſuadente eſt Ioanni voluntarium: & tamen non eſt à principio intrinſeco illius, cum in furtum influxum non habeat; ergo. Tandem, ſi quis non ſuccurrat indigenti, etiam ſi non teneatur ad malũ inde evenies eſt illi voluntarium: & tamen non eſt à principio intrinſeco, cum in illud non influat; ergo.

20 Ad hoc argumentum aliqui non concedentes puram omiſsionem, reſpondent, omiſsionem eſſe à voluntate ratione actus poſitivi, qui eſt illius cauſa, vel occaſio; iuxtà quos conceſſa maiori, negãda eſt minor, ad cuius probationem diſtinguenda eſt maior; ſi ipſum non eſſe ad aliquod poſitivum conſequatur, neganda eſt maior, aliàs admittenda; & diſtinguẽda eſt minor, eſt carentia actus conſequuta ad actum poſitivum, concedo minorem; aliàs, nego illam, & conſequentiam: itaque carentia formæ licèt nihil ſit, ſi tamen ſequatur ad actum poſitivum in formam, eſt apponente talem formam; ſicut carentia frigoris eſt à producente calorem expellentem frigiditatem. Sed hæc ſolutio deficit propter duo; quia iuxtà illam omiſsio non eſt voluntaria, niſi ſolum conſequutive, vel ad ſummum per modum effectus; non autem vt exercitium voluntatis etiam indirectum; nam de ratione huius eſt ſeipſo à voluntate eſſe. Secundo; quia non ſolvitur argumentum in ſententia ſatis probabili admittente puram omiſsionem.

21 Quapropter diſtinguenda eſt minor, non eſt à principio intrinſeco moraliter, & interpretativè, nego minorem, per phiſicum, & poſitivum influxum, concedo illam, & nego conſequentiam: carentia enim licèt non poſsit per poſitivum, &

phiſicum influxum dimanare ; benè tamen moraliter, & interpretativè ; iuxtà quam ſolutionem definitio voluntarij intelligenda, vel de formali, & poſitivo influxu, vel & morali, & interpretativo : quod de effectu peraccidens ſequuto ad omiſſionem, quem quis tenetur impedire, neceſſario fatendum eſt ; cum ſit voluntarium ſine phiſico, & poſitivo influxu. Vel dicatur, quod privationes, & negationes regulandæ ſunt per propoſitum, quo privant ; ac proindè pro eodem accipiendum eſt, quod à principio intrinſeco ſit, & quod non eſt, cum poſsit, ac debeat: qua ratione D. Thom. infrâ q. 71. artic. 6. ad primum, peccati definitionem traditam ab Auguſtino: *Dictum, factum, vel concupitum, &c.* docet convenire etiam peccato omiſsionis : *Quia pro eodem eſt accipiendum*, (inquit D. Thom.) *dictum, & non dictum factum, & non factum, &c.*

22 Ad primam confirmationem neganda eſt minor. Ad cuius probationem conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia; per nolitionem enim, ſeú odium obiecti conſtituitur obiectum odio habitum, ſeù nolitum ; homo verò illud odio proſequens vult formaliter, aut ſaltim virtualiter odio habere tale obiectum ; non enim minùs voluntariè, aut ſecundum propriam inclinationem homo ſe exercet per odium, quàm per amorem.

Ad ſecundam neganda eſt etiam minor, ad cuius primam probationem, negandum antecedens ; dolor enim, & triſtitia damnatorum non ſunt in rigore pœna, ſed indirectè, & ex conſequenti, quatenus ſequuntur apprehenſionem mali, in quo pœna conſiſtit ; dolent enim, & triſtantur de pœna, quam patiuntur ; ac proindè actus iſti pœnam ſupponunt, qui ex ſuppoſitione mali, & pœnæ ſunt iuxtà inclinationem voluntatis; vndè reperiuntur in animabus purgatorij, in quibus voluntas optimè diſpoſita eſt. Ad ſecundam probationem negandum eſt antecedens ; non enim eſt magis incredibile, hominem voluntariè triſtari de malo præſenti, quam triſtitiam eſſe à voluntate ſpontaneam, & iuxtà illius inclinationem, ſuppoſito malo ; quod eſt omninò certum. Neque obſtat, quod homo vellet talem triſtitiam non habere; hoc enim eo contingit, quia vellet malum non eſſe, non quia ex illius ſuppoſitione non voluntariè triſtetur.

23 Sed dices ; homo non ſolùm vult non eſſe malum, quod eſt obiectum triſtitiæ, ſed multoties vellet in ſe non cõcipere triſtitiam, adhùc ex ſuppoſitione mali; ergo ſaltim tunc triſtitia non erit voluntaria. Reſpondetur, quod tunc caſus ex ſuppoſitione mali, vult non triſtari, quia vellet malum exiſtens ſibi non eſſe malum, vel vt tale non apprehendi ; vel ſi adhùc ex ſuppoſitione mali exiſtentis, vt talis apprehenſi, vellet non habere triſtitiam, talis actus eſt inordinatus, etſi comparative ad alterum inefficax, ſi triſtitia eſſet neceſſaria, rationem voluntarij ſimpliciter à triſtitia non aufert : de quo reddibit ſermo articulo ſequenti : per quod conſtat ad tertiam. Ad vltimam dicatur, quod quia omnes actus voluntatis conveniunt in egreſſu à voluntate cum cognitione, conveniunt etiam in ratione voluntarij, & in eo quod quilibet, etſi fuga ſit reſpectu obiecti, eſt volitio virtualis ſui ipſius.

24 Ad tertiam confirmationem neganda eſt minor, & licèt Caietanus videatur aſſerere in fine articuli, primam volitionem voluntariam non eſſe, eſt tamen interpretandus cum Magiſtro Medina ibi, & aſſerendum, non negare abſolutè libertatem, & voluntarium; ſed non eſſe voluntarium, qualiter alij actus voluntatis, qui ex præcedenti volitione procedunt, cauſanturque à voluntate per conſultationem, & deliberationem. Ad quartam, neganda eſt maior, ſi Ioannes furtum impedire tenetur, aliud enim eſt eſſe volitum, aliud eſſe voluntarium : ad primum ſufficit terminare actum proſequutivum voluntatis; ad ſecundum autem vlteriùs exigitur eſſe à voluntate, quod in caſu poſito furto reſpectu Ioannis non convenit.

25 Ad vltimam, neganda eſt maior; cui non obeſt, ſi obijcias Malum eveniens indigenti eſſe liberum non ſubveniẽti ; ergo voluntarium. Conſequentia eſt bona, antecedens non minus notum eſt; nam malum potens ab aliquo vitari eſt illi liberum, & illud malum poterat vitari à non ſubvenienti ; ergo eſt illi liberum. Propter quod argumentum Magiſter Medina in Commentario articuli concedit poſſe dari liberum, quod tamen voluntarium non ſit. Sed meritò illius ſententia communitèr reijcitur ; nam liberum non minus expoſcit eſſe à principio intrinſeco, quam voluntarium ; liberum enim ex determinatione voluntatis, & cum cognitione, & iudicio procedit : quapropter diſtin-

guen-

guendum eſt antecedens, eſt liberum in actu primo, concedo antecedens, in actu ſecundo, nego antecedens, & diſtinguatur conſequens eodem modo. Itaque ex eo, quod quis poſsit vitare malum alteri, ad ſummum infertur, ipſi eſſe liberum in actu primo: ad hoc autem vt ſit liberum in actu ſecundo, vlterius exigitur, quod procedat ex eius libera determinatione, quod in prædicto caſu non contingit; ac proindè malum illud ſolam eſt voluntarium, & liberum in actu primo.

26 Tertio arguitur; actus charitatis ſupernaturalis eſt voluntarius elicitivè: & tamen non eſt ab intrinſeco; ergo. Minor probatur: tùm; quia eſt donum Dei excedens exigentiam, & virtutem voluntatis; ergo à principio intrinſeco non eſt. tùm etiam; quia vt docet hic D. Thom. eſſe ab intrinſeco importat, quod actus ſit ex propria inclinatione: at in voluntate, aut natura, inclinatio ad actum ſupernaturalẽ non datur, ergo. Confirmatur: Nã peccatũ eſt volũtarium; immò in tantum eſt peccatum, in quantũ eſt voluntariũ. & tamen nõ procedit ab intrinſecò, ſic enim procedere, vt vidimus ex D. Thoma, eſt procedere à propria inclinatione, peccatum autem non eſt iuxta inclinationem naturæ, ſed contra illam, vt docet Div. Thomas infra quæſt. 71. art. 2. Confirmatur ſecundo, peccatum ex ignorantia culpabili non procedit ex cognitione, quin potiùs ideò eſt peccatum, quia ſupponit ignorantiam, quæ in carentia cognitionis conſiſtit: quod tamen voluntarium eſt; ergo. Quod amplius ex Damaſceno confirmari poteſt, qui vbi ſupra docet: *Qui præter ſpem in theſaurum incidit, ſponte quidem ac libenter inciait, nõ tamen ex electione*: vbi ſine prævia cognitione agnoſcit voluntariam inventionem theſauri.

27 Reſpondetur negando minorem, ad cuius primam probationem aliqui reſpondent, eſſe donum Dei, & excedere abſolutam exigentiam, & virtutem naturę non tollere, quominùs ab ipſa natura, ſaltim partialiter oriatur, ſuppoſita elevatione, & gratia Dei: & ad ſecundam aſſerunt actum charitatis eſſe ex propria inclinatione naturæ, ſuppoſita gratia; nam quamvis in natura non detur abſoluta inclinatio ad actus ſupernaturales, datur tamen conditionata, ſicut & potentia ſub conditione, ſcilicèt, elevationis, qua purificata, inclinatio conditionata tranſit in abſolutam: hæc tamen ſolutio nobis placere non poteſt, quia continet falſam doctrinam de concurſu partiali naturę in actus ſupernaturales.

28 Quapropter ad primam probationem, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, vel diſtinguendum conſequens, non eſt à principio intrinſeco voluntatis ratione ſui proximè, & immediatè, concedo conſequentiam, ratione formæ elevantis, nego illam: actus enim charitatis eſt à principio intrinſeco voluntatis; quia ab illa procedit ratione habitus charitatis intrinſeci; eſt autem donum Dei omninò indebitum; quia voluntas ex ſe nullam habet virtutem proximam ad actum illum, neque abſolutam neque conditionatam, ſed adæquata virtus eſt habitus charitatis voluntati indebitus. Ad confirmationem omiſsis varijs ſolutionibus, neganda eſt minor, & ad probationem dicẽdum eſt, eſſe iuxtà inclinationem elicitam voluntatis; quod & non amplius exigitur ibi à Div. Thoma ad rationem voluntatis: cùm quo benè componitur eſſe contra inclinationem innatam, vt loco allegato docet D. Thom. quæ ſolutio ex eo colligi videtur artic. 4. ſequenti, vbi ad tertium, ſic habet: *Id, in quod voluntas tendit peccando, & ſi ſit malum & contra naturam rationalem, ſecundum rei veritatem, apprehenditur tamen vt bonum, & conveniens homini ſecundum aliquam delectationem ſenſus, vel ſecundum aliquem habitum corruptum*: vbi fatetur, re vera peccatum eſſe contra naturam, eſſe tamen iuxtà inclinationem elicitam, eo quod id, quod re vera malum eſt, vt bonum, & conveniens apprehenditur.

29 Ad ſecundam confirmationem reſpondent aliqui, quod peccatum illud licet ſit ex ignorantia legis, vel alicuius ſimilis, eſt tamen cum cognitione obiecti, quod amatur. Hęc tamen ſolutio non ſufficit; quia amor obiecti eſt voluntarius, etiam vt legi opponitur, eſt enim peccatum; cuius tamen non præcedit cognitio, iuxtà hanc ſolutionem; ergo iuxtà illam ad voluntarium non prerequiritur. Quapropter melius dicitur ſupponere cognitionem interpretativam legis; ſic enim peccans, habuit formalem ſufficientem, vt poſsit obligari ad inquirendum de lege, quam ignorare voluit interpretativè, & dicitur vt ſupra, negationem illam reduci ad genus poſitivi, ita vt ſenſus ſit, voluntarium eſſe

cum

cum cognitione,vel non cognitione,quam quis potuit,& debet habere. Ad Damascenum omissa solutione P. Uazquez asserentis Damascenum non sibi cohærere: respondetur cum M. Baptista disp.66.dub.3. non loqui Damascenum de thesauri inventione, sed de complacentia, & gaudio sequuto: quod non obscurè colligitur ex illis verbis: *Sponte quidem, ac libenter incidit*; id est, libenter vult.

§. II.

Traddantur divisiones voluntarij.

30 CUM Voluntarium sit, quod à voluntate cum cognitione procedit, multiplicari,& dividi necesse est,ex diverso modo procedendi, & ex cognitionum diversitate. Primo ergo dividitur in voluntarium perfectum, & imperfectum; perfectum est,quod cum cognitione perfecta procedit, qualis est intellectiva perfectè attingens obiectum. Imperfectum verò, quod ex imperfecta cognitione procedit, qualis est sensitiva hominis, aut Bruti, vel etiam intellectiva imperfecta,qualis est in pueris,& in amentibus; cui similis est cognitio intellectiva dirigens actus necessarios in via, etiam in adulto rationis compote.

31 Secundo, voluntarium dividitur in liberum, & necessarium: primum vocatur à Damasceno,& Aristotele voluntarium ex electione,& est illud, quod procedit à voluntate cum indifferentia ad vtrùmque,seù quod sic à voluntate procedit,quod ab ipsa pro sua electione possit poni,& non poni necessarium est, quod à voluntate procedit sine hac indifferentia, sed potiùs cum determinatione ad vnum. Huius divisum ab aliquibus dicitur esse voluntarium perfectum; ab aliquibus autem voluntarium vt sic, quod parum refert: iuxtà hos necessarium,quod in hac divisione est vnum ex membris dividentibus sub dividitur in perfectum, & in imperfectum, iuxtà nuper dicta; voluntarium enim necessarium aliud procedit ex perfecta cognitione,vt amor Dei in Patria; aliud ex imperfecta vt amor necessarius in via. Liberum etiam sub dividitur in liberū quoad exercitium, & quoad specificationem: de qua divisione agunt Theologi infrà quæst.13.artic.1.& alibi.

32 Tertio dividitur voluntarium involuntarium directum, & indirectum; quam divisionem aliqui confundunt cum divisione voluntarij in voluntarium in se, quod aliqui vocant formalem, & voluntarium in causa, quod ab alijs dicitur interpretativum: verum D.Thom. infra quæst. 77.art.7.in corpore, vtramque divisionem vt distinctam adduxit, iuxtà quem voluntarium directum est illud,in quod voluntas fertur; indirectum autem illud, quod potuit voluntas prohibere, sed non prohibet; vt voluntarium omissivum. Voluntarium ergo directum iuxtà D.Th. est id, in quod voluntas fertur positivè formaliter in se,vel in sua causa; indirectum autem id, in quod voluntas non fertur positivè, quod tamen non removet, cum possit: vndè voluntarium in causa non est voluntarium indirectum,quia licet non in se, terminat tamen in sua causa actum positivum voluntatis, à qua positivè procedit.

33 Sed dices ex Div. Thoma vbi proximè: voluntarium in se est id, in quod voluntas directè fertur; ergo coincidit cum voluntario directo; & consequenter voluntarium in causa cum indirecto. Insuper voluntas non directè fertur involuntarium in causa, aliàs ipsi conveniret definitio voluntarij in se; ergò indirectè, & consequenter erit voluntarium indirectum, quod aliud non est, nisi id,in quod voluntas indirectè fertur. Sed mentem Div. Thomę explicatione non indigere, constat, cum vtramque divisionem distinguat, licèt ex modo quo voluntarium in se definit, colligatur non omninò incongruè voluntarium in se posse dici directum, & voluntarium in causa indirectum; licèt meliùs oppositum asseratur, vt ibi asseruit Div.Thomas. Ad argumentum ergo dicitur, quod ad voluntarium directum sufficit,quod positivè attingatur á voluntate,vel in se, & directè,vel in sua causa,& ad indirectum nó sufficit non attingi directè, sed requititur, neque in causa positivè attingi; quæ est mens D.Thomæ,& illius ratio potest esse, quod etiam id,quod in causa solum attingi-

gitur, eſt à voluntate poſitivè, & per proprium influxum, & conſequenter directè voluntarium: voluntarium autem indirectum à voluntate poſitivè non procedit, quod eſt voluntarium omiſsivum.

34 Ex quibus conſtat quarta diviſio voluntarij in ſe, & in ſua cauſa; primũ eſt in quod formaliter directè fertur voluntas. Secundum autem, in quo formaliter, & in ſe non fertur, fertur tamen poſitivè in ſuam cauſam; quæ diviſio vt notarunt PP. Salmanticenſes, non eſt voluntarij eliciti, ſed voluntarij imperati, vel quia voluntatium elicitum non eſt voluntarium in ſe, neque in cauſa: non primum, quia voluntarium elicitum eſt actus voluntatis, inquem voluntas directè non fertur, ſed ad ſummum reflexe formaliter, aut virtualiter: non ſecundum quia, neque voluntas fertur in illius cauſam, vel quia vt docent prædicti PP. omnis actus à voluntate elicitus eſt voluntarius in ſe; atqueadeò voluntarium elicitum prædictam diviſionem non admittit, & licet hæc ratio ſolum convincat voluntarium elicitum contineri adæquatè ſub voluntario in ſe, ex quo non infertur, quod diviſum non ſit voluntarium vt ſic, oſtendit tamen congruentiam, vt diviſio ipſius fiat in voluntarium elicitum, & imperatum, & poſteà imperatum ſubdividatur diviſione prædicta.

35 Voluntarium in ſe ab aliquibus appellatur voluntarium formale; voluntarium autem in cauſa, interpretativum, quia voluntarium in ſe directè amatur à voluntate; voluntarium autem in cauſa, ſolùm interpretativè, quatenus qui cauſam adlibet cum effectu connexam, cuius connexionem cognovit prudenter, & rationabiliter dicitur velle effectum: alij autem diviſionem voluntarij in formale, & interpretativum aliter explicant; voluntarium formale appellant, quod à voluntate procedit per veram, & formalem volitionem; interpretativum autem, quod præſumitur à voluntate per volitionem, quæ præſumitur exiſtere; ſicut ſi ſubditus à Prælato licentiam petat accipiendi pecunias ab aliquo, ſi ſuperior potens facultatem negare, exterius neque neget, neque concedat, prudenter præſumitur in ipſo exiſtere voluntatem illam concedendi; atqueadeò acceptio pecuniarum tunc caſus eſt illi voluntaria.

36 Eſt tamen advertendum, quod vt aliquid ſit voluntarium in cauſa, vnum ex duobus requiritur, vel quod volens ponere cauſam præcognoſcat connexionem illius cum effectu, ſi enim non cognoſcat illam, ſed invincibiliter ignoret, volens cauſam non prudenter præſummitur voluntariè ponere effectum. Per cauſam non neceſſario intelligitur vera cauſa, ſed ſe habet ſicut prædicatum ſuperius, in quo inferiora virtualiter continentur; vt ſi quis aliquem occidat, quem cognoſcit eſſe hominem, invincibiliter ignorans eſſe Patrem, homicidium eſt voluntarium in ſe, quia directè volitum; patricidium autem in prædicato communi homicidij.

37 Recentiores quidam Complutenſes diſp. 1. cap. 5. licèt concedant neceſſariam eſſe cognitionem connexionis cauſæ cum effectu ad voluntarium in cauſa, negant tamen neceſſario præcedere, ſed ſufficere; ſi concomitanter ſe habeat; quod hoc exemplo declarant; incumbit Petrus lectioni librorum, vbi de rebus obſcœnis eleganter tractatur; duplici tunc inſtruitur notitia: altera, qua cognoſcit iucunditatem capiendam ex Authoris accumine, & elegantia: altera; per quam cognoſcit inde ſequendum turpem conſenſum, ipſe tamen vellet legere abſque hoc periculo. Tunc ſic, notitia, qua cognoſcit ex lectione ſequendum eſſe turpem conſenſum eſt neceſſaria, vt conſenſus ſit voluntarius in cauſa, non tamen prævidet actionem, aut eius volitionem: quod probant, quia hæc cognitio potiùs removet Petrum à lectione quam illam cauſet; non ergo præcedit volitionem lectionis.

38 Sed quamvis hæc doctrina ſit conformis illorum principijs, & his Recentioribus valdè familiaris, illius tamen obliviſcuntur, diſp. 1. cap. 1. vbi docent; quod vt effectus ſit voluntarius in cauſa, requiri præcognoſci cauſam vt connexam cum effectu, & meritò, nam vt ipſi fatentur, eſt communis Theologorum ſententia; quæ convincitur ex eo, quod vt effectus ſit voluntarius in cauſa, debet quis velle cauſam vt connexam cum eff. &c., & ad hoc prærequiritur cognitio connexionis; cum nihil volitum, quin præcognitum.

39 Per quod patet ad eius argumentum; licèt enim connexio lectionis cum turpi conſenſu non moveat in caſu poſito ad volendum actionem, terminat tamen volitionem, & illius obiectum proponit attingendum. Hanc autem non ſolum præcedit cognitio obiecti motivi, ſed

terminativi, nisi velit amorem, quo ex charitate diligitur Petrus propter bonitatem divinam supponere quidem cognitionis bonitatis moventis, non tamen Petri amorem terminantis; quod tamen concedere non possunt, nisi negent communem veritatem, nihil volitum, quin præcognitum.

40 Sed dices; stat voluntarium esse effectum in causa, quin voluntas feratur in causam vt connexam cum effectu; ergo ratio adducta nulla est. Probatur antecedens, homo volens causam connexam cum effectu, ignorans invincibiliter connexionem, quam tenebatur cognoscere, facit sibi voluntarium effectum, iuxtà dicta; sed homo non vult causam vt connexam cum effectu; ergo stat effectum esse voluntarium in causa, quin voluntas feratur in causam vt connexam cum effectu. Maior probatur; implicat sic velle causam, quin præcognoscat connexionem, cum nihil volitum, quin præcognitum.

41 Respondetur, quod vt effectus sit voluntarius in causa non est necessariũ quod voluntas feratur expresè, & formaliter in causam vt connexam cum effectu, sed satis est, si in illam vt virtualiter connexam feratur; ad quod sufficit cognitio, quæ in virtute attingat causam vt connexam: hoc autem superaddatur, quoties est voluntarius effectus; nam cognitio illa, vi cuius potest, & tenetur cognoscere connexionem, altera cognitione causæ, & virtualis connexionis indiget, cognitioque præcedere debet formaliter, aut virtualiter, vt hæc sit in voluntate vt connexæ: argumentum autem nostrum procedit in casu, quo cognitio formalis connexionis sit necessaria, vt effectus sit voluntarius, vel quando vi illius cognitionis est voluntarius: tunc enim præcedere debet volitionem causæ vt proponens obiectum, per illos attingendum; semper ergo est necessarium, quod cognitio, vi cuius effectus est voluntarius debet præcedere volitionem causę; aliàs ad voluntarietatem effectus nihil conducet; cuius oppositum non convincit argumentum factum, sed solũ probat, non esse necessariam cognitionem expressam connexionis; non tamen non esse necessariam aliquam, quæ, qualiscumque illa sit, debet præcedere volitionem causæ, vt vi illius effectus sit voluntarius; ad eum modum quo cognitio præcepti prohibentis esum carnis in die veneris, quamvis non alliciat voluntatem ad comestionem, præcedit tamen volitionem peccaminosam illius; eo quod talis volitio attingit obiectum difforme rationi, quod sine prævia cognitione præcepti stare non potest; quod si quis ignorans præceptum, vel nesciens esse diem veneris, quod scire tenebatur, comedat, etiam præceptum frangit; quia cognitione, vi cuius tenetur, & potest scire præceptum, proponitur comestio saltim inconfusè, aut virtualiter, vt difformis.

42 Tandem alijs omissis, voluntarium dividitur in elicitum, & imperatum: elicitum est, quod ratione sui, & formaliter est voluntarium, vt actus ipse voluntatis, qui ratione sui à voluntate procedit; imperatum est, quod ratione alterius à voluntate eliciti ad ipsam reducitur: vndè actus aliarum potentiarum absolutè nequeunt esse voluntarij, nisi hoc modo; actus verò voluntatis etiam potest esse imperatus medio alio eiusdem voluntatis, qui proindè duplici titulo erit voluntarius, scilicèt, quia ad voluntatem reducitur medio actu imperante, quia seipso à voluntate procedit.

43 Cui non obest si obijcias, quod nullus actus voluntatis habet duplicem libertatem, aliam proximam, & formalem ratione sui, & aliam ratione actus imperatis; ergo neque duplicem rationem voluntarij. Consequentia patet à paritate rationis, & antecedens est certum, cum ex suppositione actus imperantis alterum, non maneat in voluntate libertas ad non esse actus imperati. Non inquam obstat, nam antecedens est falsum; quod non convincitur probatione facta, ad quam neganda est antecedens; nam cum adhùc ex suppositione actus imperantis, obiectum actus imperati proponatur medio iudicio indifferenti, voluntas manet libera, licèt non posit coniungere carentiam actus imperati cum imperio efficaci; sed his ad proprium locum remissis, pro nunc admisso antecedenti, neganda est consequentia, & ratio disparitatis est, quia actum esse voluntarium est à voluntate procedere; & quia voluntas in actum imperatum influit immediatè, & medio actu imperante, ideò duplici titulo est voluntarius: libertas autem in indifferentia consistit, & quia voluntas aliam indifferentiam non habet ad esse, & non esse actus imperati, nisi illam, quam habet ad esse, & non esse actus imperantis iuxtà arguentes, ideò actus imperati-

peratus duplicem libertatem habere non poteſt.

44 Recentiores, quos ſupra retulimus in dubium vertunt; an omnis actus elicitus à voluntate ſit voluntarius, & de actu imperato eandem excitant quæſtionem: circa primum præbuit dubitationi fundamentum Caietanus, qui docere videtur, primum actum voluntatis voluntarium non eſſe. Circa quod Recentiores prædicti duplex voluntarium diſtinguunt, aliud in genere formali, aliud in genere cauſali: Primum eſt id, quod per modum formæ conſtituit voluntatem volentem, & obiectum volitum; & hoc modò omnis actus proſequutivus voluntatis eſt, quia conſtituit voluntatem volentem per modum formæ, & nullus actus fugæ eſt voluntarius in hoc genere, ſed potiùs noluntarius; quia cum non conſtituat voluntatem volentem, ſed nolentem, neq; obiectum volitum, ſed nolitum conſtituit: in genere aut actûs cauſali, aſſerunt, nullum actum neceſſarium eſſe voluntarium, niſi fortè imperetur ab alio actu voluntatis: ratio eorum eſt, quia ad voluntarium cauſale, eſt neceſſarium eſſe volitum, & exiſtere ex determinatione voluntatis, & cum nullus actus neceſſarius ſit volitus formaliter ſeipſo, niſi fortè per alium actum reflexum; ſit, vt nullus ſit voluntarius ſeipſo in genere cauſali: de actibus autem liberis aliter philoſophandum exiſtimant aſſerentes etiam eſſe voluntarios cauſaliter, quia actus liber exiſtit ex determinatione voluntatis, & ſeipſo eſt volitus formaliter.

45 Ex quibus deducunt, actus neceſſarios fugæ, nullo modo eſſe voluntarios; non in genere formali, quia non cõſtituũt voluntatem volentem, ſed nolentẽ; non in genere cauſali, quia non amantur ſeipſis, neque voluntas determinat eorum exiſtentiam per amorem illorum. Secundo inferunt, actus neceſſarios proſequutivos non eſſe voluntarios ſimpliciter, neque cõprehendi ſub definitione voluntarij á Div. Thoma traddita, & à Theologis communiter recepta; illa enim ſolum datur de voluntario cauſali.

46 Hæc ſententia duobus nititur principijs. Primum eſt; ad rationem voluntarij requiri eſſe volitum propriè & rigoroſe. Secundum eſt volitiones neceſſarias, & nolitiones ſeipſis volitas non eſſe. Primum probant, quia licèt vt volitio actualis à voluntate elicita ſit voluntaria per modum formæ ſufficiat, quod reddat voluntatem volentem; at vt ſit voluntaria in genere cauſali, non eſt cùr non requiratur id, quod neceſſarium eſt vt alij effectus, & operationes aliarum potentiarum ſint voluntarij: ſed vt alij effectus ſint voluntarij non ſufficit procedere à voluntate, ſed neceſſarium eſt procedere cum cognitione ipſorum dirigente ad ipſorum poſitionem, & per illorum amorem determinante ad ipſorum exiſtentiam; ergo vt actualis volitio ſit voluntaria in genere cauſali, requiritur eſſe volitam, & procedere à voluntate per amorem ipſius.

47 Et confirmatur; nam vt volitio ſit voluntaria in genere cauſali, requiritur quod procedat à voluntate determinante per amorem ipſius exiſtentiam, vel non? Si primum, habetur intentum; ſi ſecundũ; ergo habitus genitus ex conſuetudine actus, quamvis non procedat à voluntate per amorem ipſius, habitus erit voluntarius cauſaliter, abſolutè, & rigoroſè talis; quod tamen falſum eſt, ergo. Confirmatur ſecundo; iuxtá plures, ſi volitio non procederet à voluntate, & ipſam informaret, conſtituens illam volentem, eſſet voluntaria in genere formali, licèt non in genere cauſali; ergo quamvis à voluntate procedat, ſi tamen ab illa non dimanat, vt determinante per ipſius amorem eius exiſtentiam, non erit volũtaria in genere cauſali. Conſequentia probatur, ad aliqua voluntaria duo requiruntur; nimirùm, procedere à voluntate, & exiſtere ex vi amoris determinantis ad illorum exiſtentiam: at ſi primum deeſſet, volitio non eſt volũtaria in genere cauſali; ergo ſi deſit primum, in hoc genere voluntaria non erit. Tandem confirmatur ex communi apprehenſione. Nullus enim reputat voluntarium, niſi quod ſciens, & volens facit; ergo vt voluntaria ſit volitio fieri debet volita.

48 Secundum principium, nimirùm eſſe neceſſarium omnem volitionem eſſe volitam; probant ex eo, quod nõ ſemper obiectum voluntatis proponitur vt amandum, vt enim quis eliciat volitionem erga aliquod obiectum, ſufficit, quod intellectus illius obiecti bonitatem proponat, quin aliquid cogitet de actu; ergo tũc volitio volita non eſt, nihil enim volitum quin præcognitum. Nec dici poteſt eſſe volitam exercite: tũm; quia ad hoc etiam

eſt

est necessarium ab intellectu proponi; nihil enim potest esse vllo modò volitum, quin aliquo modo ab intellectu proponatur: at potest quis velle obiectum, quin intellectus vllo modo proponat volitionẽ; ergo: tùm etiam; quia odium obiecti, non necessario est odium sui, etiam exercitè; qui enim odio habet peccatum ex charitate, neque etiam exercite odio prosequitur odium peccati; ergo amans obiectum non amat necessario etiam exercitè proprium amorem.

49 Sed hæc doctrina nobis placere non potest, & vt vera á falsis discernamus, cum his Recentioribus supponimus, non omnem actum voluntatis seipso esse volitum, vt quod, sed habere extrà se adequatum obiectum, quæ est communior Theologorum sententia: hanc tamen doctrinam inconsequenter coarctant ad actus necessarios; argumenta enim, quæ pro se afferunt, eodem modo convincunt de actibus liberis; quod sic fit manifestum eorum argumenta proponendo.

50 Potest intellectus indifferenter proponere obiectum voluntati nihil cogitans de voluntatis actu: sed tunc volitio, quam habere potest, est libera, & non est volitio sui ipsius; ergo. Maior probatur, quia non potest esse maior difficultas, in eo, quod intellectus proponat obiectum sine indifferentia; v. g. suavissimum cibũ, nihil cogitando de actu voluntatis, quam in eo quod illud obiectum cum indifferẽtia proponat sine cogitatione volitionis. Primo enim modo proponitur vt omninò prosequendum. Secundo; verò modo, vt potens prosequi, & non prosequi: constat autem non magis per secundam propositionem cognosci obiectum voluntatis, quã per primam; ergo si verum est principium ab ipsis assumptum, nimirùm posse sine indifferentia proponi obiectum nihil cogitando de illius amore, pariter poterit proponi cum indifferentia sine amoris cognitione. Minor verò etiam probatur, & quoad primam partem constat; nam voluntas potest prosequi libere obiectum indifferenter propositum, quod etiam negari ab ipsis non potest supposito, quod Deus nolit necessitare voluntatem: pro secunda parte etiam constat, quia nihil volitum quin præcognitum, & consequentia est legitima.

51 Et eodem modo probatur, nullam esse differentiam inter volitionem necessariam, & liberam, quo ad hoc, quod est esse volitam exercite; quod ex ipsis etiã constat. Nam vt hoc modo aliquis actus sit volitio subiectiue, necessarium est ab intellectu proponi: constat autem non magis per propositionem indifferentem obiecti propositum actum voluntatis, quam quãdo sine tali indifferẽtia proponitur. Deindè sicut odium necessarium peccati, non est odium sui ipsius, ita neque odium liberum; ergo sicut ex primo intulerant Recentiores amorem necessarium non esse amorem sui ipsius; ex secundo etiam inferre tenentur, neque amorem liberum esse sui amorem, vel argumenti inefficaci in fateri.

52 Secundo; ipsi Recentiores disputat. 18. sequenti asserunt, posse dari actum voluntatis liberum, qui in ratione liberi constituatur per extrinsecam denominationem, scilicèt, per iudicium indifferens, & solum per illam à necessario distinguatur; & consequenter qui possit sine intrinseca variatione transire de necessario in liberum, & è contra, quod à nobis infrà examinandum est: ex quorum principijs sic nunc breviter inconsequentia deducitur, volitio constituta in ratione liberæ per extrinsecam denominationem, seù indifferentiam voluntatis, est volitio sui ipsius: at non constituitur in ratione volentis se per extrinsecam indifferentiam, sed seipsa; ergo deficiente indifferentia voluntatis, & eádem volitio necessaria manens adhùc remanebit volitio sui ipsius; & consequenter dabitur actus necessarius, qui sit volitio sui. Maior ab ipsis non negatur, neque negari potest; si enim libera volitio libera non est, nullus actus voluntatis voluntarius erit, neque volitio sui. Minor est certa; nam cum actum voluntatis velle seipsum sit exercitium potentiæ indifferentis, per ipsam potentiam indifferentem cõstitui non potest, sicut neque volitio libera per potentiam constituitur. Consequentia autem est nota; tùm, quia actus voluntatis in ratione volentis obiectum non constituitur per extrinsecam denominationem: hac enim deficiente manet actus in ratione volentis obiectum; ergo in ratione volentis se per extrinsecam denominationem non constituitur, cum adhùc hac deficiente sit amor sui; tenentur ergo admittere actum necessarium, qui sit amor sui, vel negare etiam actum liberum esse sui volitionem: quod argumentum etiam convincit in actibus fugę liberis.

Hinc

53 Hinc dicimus, actum voluntatis non esse seipso volitum *vt quod*, sivè liber sit, sivè necessarius; & ratio est; quia solùm id est volitum *vt quod*, quod proponitur ab intellectu vt amandum; certum autem est, quod quando quis amat obiectum, amor ipse non necessario proponitur amandus, sed ad summum vt tendentia ad obiectum; atqueadeò nullus amatur vt quod, nisi per actum reflexum regulatum per cognitionem, qua amor elicitus vt diligendus proponitur.

54 An autẽ actus voluntatis sit amor sui exercitè, & virtualiter dubium est: negat Mag. à S. Thoma hic, neque id putat necessarium ad rationem voluntarij, sed sufficere asserit, à voluntate procedere; alij verò Thomistæ affirmant, sed fortè nullum est dissidium: cum enim volũtas vult obiectum, quasi virtualiter vult obiectum esse volitum, & id, quod necessarium est, vt sit volitum; vult enim obiectum, & sponte illud vult, & sicut qui libere amat obiectum, dicitur libere velle, quia vult; ita necessario volens obiectum, dicitur necessario illud velle, quia necessario vult; & consequenter non est negandum actum voluntatis esse virtualiter, & exercite amorem sui. Neque credo in hoc sensu à Sapientissimo Magistro negari; hoc autem sufficere ad perfectissimam rationem voluntarij posteà videbimus. Quod etiam verificatur de actibus fugæ, cum enim quis odio habet obiectũ, virtualiter, & exercitè vult obiectum esse odio habitum, seù nolitũ, & odio illud habet, quia vult; id quod necessariũ non est, quod actus voluntatis vt obiectum amandum proponatur, sed sufficit, quod proponatur obiectum vt dignũ amore, vel odio. Neque obest, quod actus sit odium, & non amor; nam cum odium etiam seipso sponte egrediatur à voluntate, licèt sit odium respectu obiecti, est tamen virtualiter amor sui, & illa voluntas formaliter odio prosequitur obiectũ, & vult virtualiter, & exercite illud odio prosequi.

55 Deindè supponimus cum eisdem, actus voluntatis aliter esse voluntarios, atque aliarum potentiarum actus; hi enim sunt voluntarij mediis actibus voluntatis; illi autem seipsis. Non tamen possumus illis assentiri in eo, quod asserunt, actum voluntatis ab illa non elicitum posse illam volentem constituere; quia cum velle sit vivere, implicat quod velit per actum ab ipsa non procedentem. Insuper voluntas non potest libere velle per actum ab ipsa non procedentem, vt fatentur; ergo nec necessario. Consequentia probatur; tùm, quia vt vidimus, volitio necessaria est actus vitalis; vterquè autem actus tàm liber, quàm vitalis æquè petit ab intrinseco procedere; ergo. Quod si ab ipsis negatur de actu vitali, eádem ratione de actu libero poterit negari: tùm etiam, quia si semel non implicat actus voluntatis voluntarius solùm *vt quo*, & in genere formali, constituensque voluntatem volentem, à quo actus aliarum potentiarum reddantur voluntarij per modum effectus, quin ipse à voluntate procedat, eàdem ratione non implicabit actus liber vt quo, & solùm in genere formali, constituens voluntatem libere volentem, à quo alij actus reddantur liberi in genere effectivo, hoc est, libere per modum effectus á voluntate procedentes, quin ipse sit liber *vt quod*: at secundum non admittunt; ergo nec primum. Maior probatur, seú explicatur: tùm; quia non magis implicat actum non procedentem à voluntate, nec voluntarium *vt quod*, constituere voluntatem volentem, & esse medium, quo alij actus ad voluntatem reducantur vt effectus, quam actum non liberum *vt quod*, & vt sic à voluntate non procedentem *vt quo* constituere voluntatem libere volentem, & alios actus aliarum potentiarum ab eàdem libere procedentes. Tùm etiam, quia iuxta hos Authores, vt actus voluntatis sit liber, & constituat voluntatem libere volentem, sufficit, si actui, quo est volens superaddatur indifferentia ex parte potentiæ; ergo semel constituta volens per actum ab ipsa non procedentem, superaddita indifferentia, erit libere volens; & consequenter si potest per actum ab ipsa non procedentem constitui volens, poterit etiam constitui libere volens; ergo si hoc non potest, neque alterum.

56 Sed his ad proprium locum remissis, adhùc dato, quod per talem actum vellet, ille non esset voluntarius in genere formali: tùm; quia esse voluntarium in genere formali est à voluntate procedere per modum formæ, & seipso; sicut esse voluntarium in genere causali est à voluntate procedere per modum effectus: at actus ille à voluntate non procederet, neque per modum formæ, & seipso, neque per modum effectus; ergo. Tùm etiam, quia effectus tali actu

imperatus, voluntarius non esset etiam in genere causali; ergo neque actus in genere formali. Antecedens probatur; nam effectus imperatus à voluntate non procederet; implicat enim effectum à voluntate procedere medio actu ab ipsa non procedente; sicut implicat calorem ab igne procedere media actione ab igne non egrediente. Consequentia verò eodem modo probatur; implicat actionem productivam calorís, vt quo, & in genere formali constituere ignem producentem, quin calor productus in genere effectivo ad ignẽ reducatur. Displicet etiam dari actum voluntatis, qui non sit voluntarius vllo modo, neque in genere formali, neque in genere causali; quod de actibus necessarijs fugæ affirmant, & nescio an ab alio dictum sit, cuius falsitas iam constabit.

57 Ex quibus iam asserendum est, omnem actum voluntatis esse propriè voluntarium, ipsique apprime convenire definitionem voluntarij. Quod sic probatur; nam omnis à voluntate procedit cum cognitione; ergo est voluntarius. Consequentia constat, & antecedens est communis Theologorũ sentẽtia, ex dictisq; manifestũ.

58 Neque obstat, quod non procedat volitus *vt quod*: Tùm; quia hoc non tollit quominús verè procedat, & cum cognitione; ergo sine fundamento desideratur esse volitum *vt quod*: tùm; quia non procedere vt volitus *vt quod* solũ arguit nõ procedere vt actum imperatum, non verò non procedere; ergo solum arguit non esse voluntarium imperatum, non verò non esse proprijssimè voluntarium, nisi aliundè probetur, solùm voluntarium imperatum esse propriè voluntarium, quod Recentiores nõ præstant: tùm denique; quia propriùs ex cognitione procedit actus voluntatis, quàm alij, cum sola voluntas dirigatur ab intellectu ad suos actus eliciendos, & solus ille habet essentialiter, & seipso à voluntate procedere; ergo. Confirmatur omnis actus à voluntate elicitus, voluntariè ab ipsa procedit; ergo omnis est proprijssimè voluntarius. Antecedens probatur: tùm; quia omnis actus à potentia libera, vt tali procedens, libere procedit; ergo omnis actus à voluntate procedens libere ab ipsa procedit: tùm; quia non alia ratione effectus ex volitione sequutus est voluntarius, nisi quia ipsa voluntaria est; sicut non alia ratione potest esse liber, nisi quia volitio libera est: tùm denique; quia nihil magis liberum, quam actus elicitus á potentia libera, neque aliquod magis libere ab ipsa procedit; ergo nihil magis voluntariũ, aut magis voluntariè procedit, quam actus volũtatis.

59 Ex quibus constat, omnem actum à voluntate elicitum esse voluntarium, & implicare volitionem à voluntate non procedentem, illam constituere volentem; hoc tamen dato, talis actus non esset volũtarius *vt quo*, & in genere formali, sed tãtum volitus *vt quo*; quia esset forma, qua voluntas constitueretur volens: quidquid sit, an ex illa suppositione oppositum etiam inferatur: quod nobis non obest; cum ex impossibili cõtradictoria sequi, incõveniẽs nõ sit.

60 Ad argumenta contraria facilis est solutio. Ad primum, neganda est maior si per voluntarium in genere causali intelligatur id, quod verè est voluntarium, & à voluntate cum cognitione procedens, vt arguentes intelligere videntur; cum solum voluntarium causale asserant esse simpliciter voluntarium; & ratio est; nam à voluntate procedere cum cognitione stat dupliciter, vel seipso, & essentialiter, vel medio actu imperante. Primum actibus elicitis. Secundum imperatis convenit; neque seipso, & immediatè à voluntate procedere potest minuere rationem voluntarij; sicut nõ minús egreditur à causa actio seipsa egrediens, quam effectus procedens media actione; immò egredi convenit essentialiter actioni; effectui autem accidit ab hac determinata causa procedere, semperque egreditur media actione á se distincta. Neque ex eo, quod cognitio non proponat vt amandum actum voluntatis, infertur non procedere cum cognitione; nam per hoc quod intellectus proponat obiectum amãdum, voluntas ex illius directione elicit amorem: si autem per esse voluntarium in genere formali idem intelligant, atque seipso à voluntate cum cognitione procedere, concedenda est maior, & negandum hoc non sufficere ad propriam rationem voluntarij.

61 Ad primam confirmationem concedimus maiorem, eligimusque secundam partem disiunctionis: consequens inde illatum aliqui inconveniens reputant; nimirũm, habitum genitum ex actibus voluntatis esse voluntarium; sicut est voluntarium habituale peccatum ex actuali relictum. Et quidem negare non possumus habitum esse terminativè voluntarium: in quo nullum est inconveniens: hoc enim

enim non eſt aliud, quam medio actu à voluntate procedere. An autem hoc ſufficiat vt ſit ſimpliciter voluntarius, dubium eſt: Negant communiter Moderni, niſi quis eliciat actum cum intentione vt habitus generetur: tunc enim habitus productus eſt voluntarius non ab habitu generante ipſum, ſed ab imperante illum: quibus magis aſſentimur. In reddenda autem diſparitate inter actum, & habitum nõ conveniũt: ſed minùs ſufficientibus relictis ea mihi videtur eligenda; quia habitus non eſt volitus, neque *vt quo*, neque *vt quod*; ſicut habitus ex actibus intellectus productus, ex vi illorum, neque *vt quo*, neque *vt quod* eſt cognitus. Ex quo provenit, quod à voluntate non ſpontanee procedat; ſed ab actu voluntatis producitur vt natura quædam eſt: quod convinci videtur ex eo, quod ad illius productionem nulla eius prærequiritur cognitio.

62 Si autem obijcias, quod neque etiam requiritur cognitio volitionis. Reſpondetur, quod licèt volitio non proponatur vt obiectum amandum, proponitur tamen obiectum per amorem attingendum; quæ quidem cognitio ad illius elicientiam voluntatem invitat, & allicit: quod eſt proponi virtualitèr, & exercitè ipſam volitionem. Et quidem argumentum inſtantiam patitur ab Adverſarijs ſolvendam: Nam habitus productus ex actibus peccaminoſis non eſt liber; ſiquidem non eſt voluntarius: & tamen inde inferre non licet actus peccaminoſos liberos non eſſe; ergo licèt habitus genitus ex actibus neceſſarijs non ſit voluntarius, non licet inferre ipſos voluntarios non eſſe. Si autem aſſerant habitum vitioſum eſſe liberum, & voluntarium, etiam ſi habitus generetur ex actibus neceſſarijs, erit voluntarius, licèt non liber.

63 Ad ſecundam confirmationem negandum eſt antecedens; plura enim continet falſa: falſum enim eſt, quod actus à voluntate non procedens poſsit illam conſtituere volentem: & hoc dato, falſum eſt actum illum fore voluntarium in genere formali iuxtà dicta. Ad tertiam diſtinguendum eſt antecedens; nullus reputat voluntarium imperatum, niſi id quod facit ſciens & volens, concedo antecedens: elicitum, ſubdiſtinguo illud, niſi id, quod facit ſciens & volens exercite ſeu virtualiter, concedo antecedens formaliter, & ſignatè, nego antecedens; & diſtinguatur conſequens eodem modo. Ad id, quod ſecundo loco obijcitur, iam vidimus qualiter actus voluntatis per intellectum proponatur.

64 Circa voluntarium imperatum etiam dubitant; an omne ſit ſimpliciter, & formaliter voluntarium: & negativè reſpondent; voluntarium enim in cauſa non eſſe voluntarium formaliter affirmant, ſed ſolùm virtualiter; verbi gratia, occiſio hominis in ebrietate prævisa, & volita, voluntaria non eſt formaliter iuxtà ipſos. Oppoſitum tamen veriùs putamus: & probatur brevitèr: talis occiſio eſt à voluntate; nam ex ebrietate naſcitur, quæ à voluntate procedit etiam vt connexa, & vt cauſa occiſionis; ſic enim fuit prævisa, & volita; ergo eſt formaliter voluntaria. Secundò; nam occiſio illa eſt formaliter peccatum; ergo formaliter voluntaria: in tantum enim aliquid eſt peccatum, in quantùm eſt voluntarium. Et quidem abſque fundamento aſſerunt, ad rationem voluntarij requiri terminare actum voluntatis directe, & in ſe: hoc enim in definitione non habetur, neque ex illa colligitur.

65 Ex dictis veriùs exiſtimamus in ſententia admittente puram omiſsionem liberam, & peccaminoſam, dicendam eſſe formaliter voluntariam: Primo; quia eſt formaliter peccatum. Secundo; quia eſt formaliter libera. Tertiò, quia ad rationem voluntarij formaliter talis ſufficere debet id, quod ſufficit vt ſit exercitium voluntatis: at in ſententia illa pura omiſsio eſt formaliter exercitium voluntatis, ergo formaliter voluntaria. Neque obeſt: quod à voluntate non procedat formaliter, ſed ſolùm interpretativè. Non, inquam, obſtat propter dicta inter explicandum definitionem voluntarij. Deindè; quia oppoſitum oppinantes, communem illud dictum: *Peccatum in tantum eſt peccatum, in quantum eſt voluntarium*; interpretantur de voluntario formaliter, aut virtualiter; ergo potiori titulo cum communi ſententia explicari poteſt definitio voluntarij de proceſsione à voluntate formaliter, vel interpretativè, & virtualiter.

66 Secundo colligitur, actus voluntatis divinæ eſſe formaliter, & propriè voluntarios: quod præter Recentiores contra communem ſententiam negat Gaſpar Hurtado diſputatione 1. difficultate 1. ea ductus ratione; quia huiuſmodi actus à voluntate divina non procedunt, neque ab illa eliciuntur. Sed hoc non eſſe neceſſa-

rium ad rationem voluntarij iam vidimus. Fundamentum illius nullum est: quia non minus est de ratione actus vitalis, & liberi ab intrinseco procedere, quàm de ratione voluntarij. Et quidem in creaturis non minus realiter ab intrinseco procedit actus vitalis, & liber, quam voluntarius: at actus voluntatis divinæ ad Deum terminati sunt vitales formaliter, & tendentes in creaturas liberi absque formali egressu; ergo pariter erunt voluntarij formaliter. Et ratio omnium est; quia de ratione liberi, vitalis, & voluntarij solùm est procedere ab intrinseco formaliter, vel virtualiter. Si autem dicas: esse probabilem sententiam negantem actibus divinæ voluntatis egressum adhùc virtualem. Respondetur iuxtà illam asserendum esse, de ratione voluntarij solùm esse egressum formalem, vel per identitatem: id enim, quod per identitatem summam habetur, perfectissimè ab intrinseco habetur.

66 Tertiò deducitur, falso à quibusdam Recentioribus doceri actum divinæ voluntatis liberum esse voluntarium formaliter, quia in ratione liberi constituitur per aliquid modale distinctum ab actu necessario, potensque à Deo deficere secundùm intrinsecam realitatem; atqueadeò potest ab illo realiter procedere. Falsum, inquam, est; quia necessarium putant ad rationem voluntarij formalem egressum. Et quia licèt modus ille realiter procederet, cum solùm sit affectio actus voluntatis, non tamen actus, non sufficeret vt actus voluntatis à voluntate procederet. In eo autem, quod asserunt, decretum divinum constitui per modum superadditum, nullatenus audiendi sunt; vtpotè realem compositionem in Deo admittentes: quod inconveniens non vitatur per hoc, quod asserunt modum illum solùm esse distinctum ab actu necessario secundum quid, & diminute: quia per hoc solum intelligunt, vt in ipsis satis appareat, distinctionem non esse entitativam, & entitatis ab entitate, non verò non esse realem modalem, scilicet modi à re, cuius est modus. Videantur quę diximus Tractatu de Voluntate Dei. Et hæc de isto dubio applicanda litteræ M.

Articulus II.

Vtrùm voluntarium reperiatur in brutis animalibus?

Conclusio D. Thom. est; in brutis animalibus reperitur voluntarium secundum rationem imperfectam: In rationali autem natura secundum rationem perfectam.

Dubitatur II.

Quodnam sit perfectius voluntarium; an liberum, an necessarium?

§. I.

Aliqua supponuntur, & referuntur sententiæ.

1 DIVISIONEM Voluntarij in liberum, & necessarium negavit Almainus Tract. 1. Moralium cap. 1. illud definiens: Voluntarium est operatio, vel omissio ita existens in potestate agentis, quod omnibus prævijs, & requisitis positis est in potestate agentis illam ponere, vel non ponere, quem admodum sunt volitiones, & nolitiones: quæ definitio cum actu libero convertitur; ac proindè actum necessarium excludit à ratione voluntarij; pro quo refert Adamum, & Andræam à Castro. Eandem tenuit Altisiodorensis lib. 2. summæ, titulo 29. cap. 2. quæst. 2. Divisionem tamen admittit communis sententia: constatque ex definitione voluntarij communitèr recepta; quæ actui necessario etiam convenit: cum enim nihil volitum, quia

quin præcognitum, omnis actus à voluntate procedens, sivè liber, sivè necessarius est à principio intrinseco cum cognitione.

2 Deindè voluntarium necessarium dividi potest in sensitivum, & rationale: primum est à principio intrinseco, cũ cognitione sensitiva, quale reperitur in appetitu sensitivo hominis, & bruti: secundum procedit cum cognitione intellectiva; & hoc est duplex, aliud procedit cum cognitione perfecta, vt amor beatificus; aliud cũ imperfecta, vt motus subitus, & indeliberatus voluntatis: voluntarium intellectuale necessarium esse perfectè voluntarium, hoc est retinens omnia requisita ad essentiam voluntatis, tenet communis sententia: de voluntario necessario perfecta cognitione regulato, negari non potest, vt ex dicendis constabit; de regulato autem cognitione imperfecta, vt de motibus subitis probatur; nam sunt simpliciter, & formaliter à voluntate cum cognitione; ergo retinent essentiam, & rationem voluntarij.

3 Maior difficultas esse videtur de voluntario sensitivo, de quo etiam asserendum est, esse simpliciter voluntarium perfectione essentiali; quod sumitur ex Damasceno lib. 2. de Fide cap. 24. illis verbis: *Sed nec illud quidem nos præteat, quod pueri, & bruta sponte quidem faciunt, at non item ex electione*; idem habet Nisenus, & D. Thom. sequens Aristotelem, tertio Ethicorum cap. 2. ita asserente: *Quod sponte fit, ad plura se extendit, est enim & pueris, & amentibus commune; electio verò non est communis*; & ratio id suadet; nam motus appetitus sensitivi est à principio intrinseco cum cognitione, & vtrãmque ipsi simpliciter convenit: primum, quia simpliciter est actus vitalis: secundùm, quia cognitio sensitiva simpliciter est cognitio.

4 Neque obest, quod bruta non cognoscunt perfectè finem, quia ad rationem voluntarij sufficit cognitio imperfecta finis; sufficit enim, quod per cognitionem proponatur obiectum conveniens, vel disconveniens appetenti; ex quo ad fugiendum, vel prosequendum obiectum moveatur, ex quibus eãdem ratione, qua actus appetitus sensitivi est simpliciter vitalis, licèt non ita perfectus sicut actus voluntatis, est etiam simpliciter voluntarius, licèt non ita perfectus in hac ratione.

5 Contra quod obstare videtur D. Thom. hic quatenus asserit, brutis convenire voluntarium secundùm imperfectam rationem: loqui autem de imperfectione simpliciter tali destruente veram rationem voluntarij, colligitur ex solutione ad primum, vbi sic habet: *Voluntarium autem denominative elicitur à voluntate, & potest trahi ad ea, in quibus est aliqua participatio voluntatis, secundum aliquam convenientiam ad voluntatem, & hoc modo voluntarium attribuitur animalibus brutis*: vbi docere videtur in brutis solum reperiri voluntarium per participationem, & similitudinem ad hominis voluntatem; atque adeò secundum quid; nam eodem modo concedit brutis participare voluntarium, quo voluntatem; immò ex participatione voluntatis voluntarium deducit; sed brutum solùm per similitudinem, & metaphoricè participat voluntatem; ergo eodem modo participat voluntarium. Idem habet quæst. 24. de Veritate art. 2 ad 1. & in hac quæst. art. 7. ad 3. expresè affirmat: in his, quæ vsum rationis non habent, non esse voluntarium, neque involuntarium.

6 Tertio, obstat idem D. Thomas 2. contra Gentes cap. 47. illis verbis: *Invenitur autem in substantijs creatis quædam, quæ non agunt seipsas ad operandum, sed aguntur à natura, sicut inanimata, plantæ, & animalia bruta*: at de ratione voluntarij est se movere; ergo brutis voluntarium non convenit. Et supra quæst. 1. art. 2. docet, solum naturam rationalem agere propter finem, quia sola se mover ex finis cognitione; ergo cum ad voluntarium requiratur se movere propter finem; ob hoc enim ex cognitione finis procedit, docetur que expresè à D. Thoma art. 1. videtur brutis non convenire.

7 Respondetur D. Thom. de imperfectione non destruente rationem voluntarij loqui, quod constat ex definitione ipsius, & ex corpore huius articuli vbi ait, quod ad rationem voluntarij requiritur, quod principium actus sit intrà cum aliqua cognitione; quod formaliter reperiri in actibus brutorum, licèt non ita perfectè, sicut in homine ostendit. Ad huius impugnationem respondetur, sensum Divi Thomæ esse, quod voluntas est à quo impositum est nomen voluntarij; est tamen impositum ad significandum, non solùm id, quod à voluntate procedit, sed quidquid à voluntate, vel ab habente participationem voluntatis est; nam aliud

est à quo nomen imponitur, aliud, ad quod nomen significandum imponitur. Ad secundum respondetur Divum Thomam admisisse maiorem, loquendo de voluntario restricto ad perfectum ex deliberatione procedens, Philosophusque interpretandus est de voluntario non impropriè, sed large, hoc est in tota sua amplitudine, in qua maior non est vera. Et ad id, quod additur, dicendum; quod accipere voluntarium secundum quod opponitur violento est illud accipere pro omni voluntario in tota sua amplitudine, non verò pro omni, quod opponitur violento, etiam si voluntarium sit: articulo autem sequenti loquitur de voluntario perfecto, ad quod consequitur bonitas, & malitia, quod est voluntarium liberum, vt ex contextu constat.

8 Ad tertium ex secundo contra Gentes dicitur; ibi solum negare D. Thomam bruta se movere cum electione, & dominio, in quo inanimatis assimilantur ab illo; non tamen negare, se movere per elicientiam operationis immanentis tendentis in obiectum ex illius cognitione. Ad id, quod additur ex quæst. 1. antecedenti, respondetur cum Caietano artic. antecedenti huius quæstionis, solum naturam rationalem agere propter finem perfectè, quod solum illa finem perfectè cognoscit, illum conferendo cum medijs, attingendo ordinem, & proportionem finis ad media; in quo sensu bruta non se movent propter finem; hoc est ex collatione finis ad media; quia tamen imperfectam habent finis cognitionem; quatenus cognoscunt obiectum vt conveniens, vel disconvenies, imperfectè se movent propter finem; & quia media sunt inter rationalia, & insensibilia, aliquando illis adiunguntur, dicunturque agere propter finem, quia ex aliquali cognitione finis, aliquando verò istis, quia ex imperfecta finis cognitione operantur: quapropter aliquando dicuntur non agere propter finem: ad rationem autem voluntarij sufficit agere propter finem ex imperfecta eius cognitione; hoc enim sufficit, vt spontaneè agant.

9 Ex quibus facilè deducitur, divisionem voluntarij in liberum, & necessarium, & huius in sensitivum, & intellectivum esse vnivocam: cui non obest imperfectio voluntarij sensitivi; hæc enim illi convenit ex conceptu differentiali, ratio autem communis vna est, & in qua diversitas non reperitur. Neque etiam obest, quod conceptus vnivocus non suscipit magis, & minus; non enim dicitur homo magis animal, quam equus; sed voluntarium rationale magis volũtarium est, quam sensitivum; ergo ratio voluntarij non est vnivoca. Nam respondetur cum PP. Salmanticensibus, quod rationi vnivocæ non obstat, quod magis dicatur de vno, quam de alio ex membris dividentibus, si ratio vnivoca admittit latitudinem, & adiectivè significatur, vt contingit in præsenti: homo autem non dicitur magis animal, quam equus; licèt dicatur animal perfectius, quia substantive prædicatur.

10 Deindè certum debet esse, voluntarium liberum ex conceptu suo esse perfectè voluntarium, etiam perfectione accidentali, & quasi quantitiva; præcipuè si sit libera ex perfecta deliberatione; & facilè probatur, nam est perfectè ab intrinseco, & cum perfecta cognitione; ergo est perfectè voluntaria; cuius perfectio crescit cæteris paribus, quo perfectius fuerit liberum, & perfectiori cognitione. Deindè etiã debet esse certum voluntarium necessarium ex conceptu suo non esse positivè perfectè voluntarium perfectione accidentali; & ratio est, nam huiusmodi conceptus reperitur in voluntario imperfecto etiam brutorum, quod verum esse nõ posset, si ex se esset positivè, & perfectè voluntarius. Ex quo deducimus, voluntariũ liberum ex conceptu suo dicere actu, & positivè maiorem perfectionem, quam voluntarium necessarium: quod sic probatur; nam liberum ex conceptu suo dicit positivè procedere perfectiori modo ab intrinseco, & ex perfectiori cognitione; ergo dicit positivè maiorem perfectionem. Consequentia constat; nam perfectio voluntarij desumenda est ex eo, quod perfectiori modo, & ex perfectiori cognitione procedat; ergo id, quod ex conceptu suo hoc habet positivè, erit ex conceptu suo positivè perfectius. Antecedens etiam facilè probatur: tũm, quia liberum ex conceptu suo dicit procedere ex cognitione intellectiva; necessarium autem, licet illud permittat, non tamen positivè illud requirit, cum reperiatur in bruto, in quo á cognitione intellectiva non procedit: tũm, quia liberũm petit cognitionem obiecti attingentem non solum bonitatem, sed illius limitationem; necessarium autem non ita; vt patet in motibus subitis;

quia

quia à cognitione attingente bonitatem procedunt, non tamen eius limitationem; qua ratione libertate carent: sed perfectior est cognitio obiecti limitata bonitate gaudentis, ostendens nedum bonitatem, verum etiam eius limitationem, quam solum manifestans bonitatem; ergo.

11 Cum quo componi potest, quod aliquod voluntarium necessarium perfectè ab intrinseco, & ex perfectiore cognitione procedat; quia licèt hoc illi non conveniat ex conceptu communi, potest tamen ex conceptu differentiali illud habere, qualem esse amorem beatificum statim videbimus. Dubium ergo est, vtrùm aliquod voluntarium necessarium sit perfectè tale, & in eo gradu vt excedat, quodlibet voluntarium liberum.

12 Prima sententia docet, nullum actum necessarium esse perfectè voluntarium perfectione accidentali, ac proindè omnem excedi à quolibet libero: hanc tenet Uazquez disput. 23. cap. 4. qui pro se adducit Conradum, illam sequitur Mag. Lorca disp. 1. & plures ex Recentioribus. Secunda docet, quod etsi actus necessarius possit esse perfectè voluntarius; v. g. amor beatificus, actus tamen liber cæteris paribus excedit in ratione voluntarij, quam sententiam tenet Oviedo plures alios pro se referens. Tertia affirmat dari actum necessarium adeò perfectè voluntarium, vt excedat omnem actum liberum; quam tenent communiter Thomistæ hic, Salmanticenses. Mag. à Sancto Thoma, Gregorius Martinez, Serra, Ildephonsus Baptista, & novissimè Gonet pro cuius explicatione sit.

§. II.

Explicatur vera sententia.

13 PRIMA Conclusio, actus voluntatis eo perfectior est in ratione voluntarij perfectione essentiali, quo perfectioris fuerit speciei in linea actus voluntatis: Hæc conclusio probatur. Eo actus est perfectior in ratione voluntarij perfectione essentiali, quo voluntarium in ipso repertum per perfectiorem differentiam contrahitur: sed quo actus est perfectioris speciei, voluntarium in ipso repertum contrahitur per differentiam essentialem perfectiorem; ergo quo perfectioris speciei fuerit actus, perfectior erit in ratione voluntarij perfectione essentiali. Consequentia est bona, maior cõstat, quia eo actus est perfectior in ratione voluntarij perfectione essentiali, quo voluntarium in ipso repertum perfectius fuerit perfectione essentiali; sicut in ratione scientis perfectior est aliquis perfectione essentiali in linea scientis, quo scientia perfectior fuerit essentiali perfectione: sed voluntarium contractum per differentiam essentialem perfectiorem, est perfectius perfectione essentiali; ergo eo actus est perfectior in ratione voluntarij, quo voluntarium in ipso repertum per perfectiorem differentiam essentialem contrahitur: minor verò probatur; nam differentia essentialis, per quam actus constituitur in specie, contrahit formaliter tanquàm differentia essentialis rationem voluntarij in actu repertam; ergo quo actus est perfectioris speciei, eo voluntarium per perfectiorem differentiam contrahitur. Antecedens probatur; nam voluntarium formaliter est prædicatum genericum actus voluntatis; ergo contrahitur tanquàm per differentiam essentialem, per illam, qua actus in specie constituitur; prædicatum enim genericum alicuius speciei, contrahitur tanquàm per differentiam essentialem per prædicatum constituens talem speciem. Antecedens verò probatur; nam esse voluntarium formaliter est esse à principio intrinseco, cum cognitione: sed hoc est prædicatum genericum actus voluntatis; ergo. Minor probatur primo; quia est prædicatum essentiale commune omnibus actibus voluntatis, non præsuppositum, nec consequens ad eius essentiam; ergo genericum. Secundo; quia per esse à principio intrinseco cõstituitur in esse vitalis, per esse cum cognitione distinguitur ab actu vitali mere naturali; sed esse vitale, & distingui ab actu mere naturali convenit actui voluntatis ex conceptu generico; ergo.

14 Respondeti potest, primo esse voluntarium non esse prædicatum essentiale actibus voluntatis, quia non est de essentia illius, à voluntate procedere, quia per actum ab illa non procedentem vo-

luntas

luntas velle poteſt; & conſequenter nequit eſſe prædicatum genericum. Secundo reſponderi poteſt actum voluntatis procedere à principio intrinſeco media actione à ſe diſtincta; atqueadeò à voluntate procedere, quamvis ſit prædicatum inſeparabile ab actu voluntatis; non tamen poteſt eſſe prædicatum genericum. Tertio reſponderi poteſt, eſſe quidem prædicatum eſſentiale, ſed præſuppoſitive, vtpotè deſumptum per ordinem ad voluntatem, & cognitionem, quod quidem præcedit differentiam eſſentialem actus, quæ ab obiecto deſumitur tanquàm à fundamento. Tandem reſponderi poteſt eſſe prædicatum conſequens eſſentiam actus; nam tanquàm per differentiam eſſentialem contrahitur per liberum, & neceſſarium, quæ in veriori ſententia ſunt accidentia actus voluntatis eius eſſentiam ſupponentia; vt docent M. à Sancto Thoma, Ildephonſus Baptiſta Serra, & alij Thomiſtæ communitèr; prædicatum autem genericum accidentis actus, non poteſt eſſe prędicatum genericum actus, ſed neceſſario illum conſequitur, & ſupponit, ſicut prædicatum coloris generícum ad albedinem non poteſt non ſupponere hominem, cuius albedo eſt accidens.

15 Sed nulla ex ſolutionibus ſatisfacit. Prima enim falſo nititur fundamento ſuprà reiecto. Secunda etiam falſum aſſumit; nam actum voluntatis ſeipſo à voluntate procedere, & eſſe qualitatem, quæ eminenter, ſeù virtualiter eſt actio eſt cómunis Theologorum ſententia in libris de Anima, quam modo ſupponimus. Secundo; etiam ſententia oppoſita admiſſa, dicendum eſt, quod actus voluntatis, licèt media actione à ſe diſtincta procedat ab illa, ſeipſo, & eſſentialiter dependet, qui vtpotè vitalis non poteſt à potentia vitali non procedere, & ſicut eſt prædicatum formale, & eſſentiale actionis à voluntate procedere, pariter eſt de eſſentia actus voluntatis, ab illa media actione procedere. Tertio; nam hac doctrina non obſtante vitalitas eſt prædicatum eſſentiale actus voluntatis, quamvis media actione à ſe diſtincta à potentia vitali procedat, in quo vitalitas conſiſtit; ergo pariter ratio voluntarij: & quidem nobis ſufficit eàdem certitudine rationem voluntarij eſſe prædicatum genericum, atque de vitalitate affirmatur.

16 Tertia etiam reijcitur, quia non eſt prædicatum præſuppoſitum realiter diſtinctum ab actu voluntatis; nõ enim eſt voluntas, neque cognitio, quarũ neutra conſtituit actum formaliter voluntarium, non actio medians inter potentiam, & actum, quia hæc non datur, vel quiá vt modo dicebàmus, etiam hoc admiſſo, actus ſeipſo eſt voluntarius. Inſuper non eſt prædicatum indiſtinctum ab actu, & ad illius ſpeciem præſuppoſitum, quod rationibus ſuprà adductis convincitur. Secundo; quia in actu voluntatis nihil datur præcedens eius eſſentiam adæquatè ſumptam; aliàs in illo duplex eſſentia eſſet diſtinguenda; neque ex eo, quod eius ſpecies ab obiecto deſumatur, oppoſitum infertur; ſolum enim deducitur eſſentiam actus voluntatis non intelligi adæquatè non intellecto ordine ad obiectum: ſicut ex eo, quod actio ſpeciem deſumat à termino, nõ licèt inferre, egredi ab agente eſſe prædicatum per ſuppoſitum per modum fundamenti, ſed ſolùm vtrùmque ingredi conceptum ſpecificum actionis. Tandem; etiã dato eſſe prædicatum præſuppoſitum ad actum, quantum ad ſpeciem actus, argumentum ſuas retinet vires; nam huiuſmodi prædicatum neceſſario contrahitur per aliquam differentiam, quæ non eſt formalis differentia actus, ſed illum præcedens per modum fundamenti; ſed hæc nõ poteſt non creſcere ad incrementum differentiæ actus; quo enim perfectioris ſpeciei eſt actus, perfectiori modo eſt ab intrinſeco, & vitalis; ergo.

17 Quarta denique reijcitur, quia ſuppoſito, quod libertas, & neceſsitas ſint accidentia actus, vt communitèr docent Thomiſtę, ſuſtinendum non eſt voluntariũ dividi eſſentialiter in liberum, & neceſſarium; ſed vt docent PP. Salmanticenſes, tenemur aſſerere eſſe diviſionem accidentalem; quod argumento facto convincitur, & vrgetur contra Thomiſtas relatos oppoſitum aſſerentes; quia pro priori ad libertatem, & neceſsitatem actus intelligitur procedens cum cognitione, & conſequenter voluntarius. Neque dici poteſt, rationẽ voluntarij præcedere libertatem, & neceſſitatem tanquàm genus ad illa, quod priús eſt differentijs ſubſiſtendi conſequentia. Contra enim eſt; nam pro priori ad libertatem, & neceſsitatem intelligitur actus voluntatis conſtitutus in determinata ſpecie voluntarij; ergo antecedens, ſi libertas, & neceſsitas realiter diſtinguuntur ab

actus

actu, vt plures volunt, manifestè probatur; nam intellecta præcisè entitate actus voluntatis, intelligitur procedere ab intrinseco cum cognitione; sed quidquid in entitate actus intelligitur est in determinata specie, pro priori ad accidens realiter distinctum; ergo. Si autem sint indistincta ab entitate actus, pertinentque ad illius individuationem, vt alij volunt; etiam probatur; nam intellecta præcisè specie actus, intelligitur ratio voluntarij: at quidquid intelligitur, intellecta specie actus, intelligitur in determinata specie, antequam intelligatur individuatio actus; ergo ratio voluntarij intelligitur in determinata specie, antequam intelligatur ratio liberi, aut necessarij.

§. III.

Solvuntur argumenta.

18 CONTRA Hanc conclusionem objicitur primo; esse à principio intrinseco cum cognitione, in quo ratio voluntarij consistit essentialiter variatur penes liberum, & necessarium: at liberum, & necessarium sunt accidentia actus; ergo voluntarium non potest esse prædicatum genericum cõtrahibile formaliter per essentialem differentiam actus. Consequentia à nobis negari non potest. Minorem posteà dabimus; & maior probatur. Voluntarium liberum est à principio intrinseco indifferenti, & cum cognitione etiam indifferenti; necessarium autem est à principio determinato, & cum cognitione determinata: sed hi modi procedendi ab intrinseco essentialiter variantur; ergo esse ab intrinseco cum cognitione variatur essentialiter per liberum, & necessarium.

19 Confirmatur primo; nam variato actu de libero in necessarium variatur ratio voluntarij manente eâdem entitate actus saltim cum eisdem prædicatis essentialibus; ergo non potest esse genus ad actum. Antecedens probatur: liber, dum realiter procedit à principio indifferenti, dũ necessarius, à principio determinato; ergo dum variatur de libero in necessarium, variatur processio actus ab intrinseco cum cognitione; & consequenter ratio voluntarij. Confirmatur secundo; nam liberum essentialiter, & formaliter est voluntarium; ergo ratio voluntarij non se habet præsuppositivè, & tanquàm subiectum ad rationem liberi. Consequentia probatur: album non dicitur formaliter corpus, quia corpus præsuppositivè se habet ad albedinem; ergo si liberum est formaliter voluntarium, hoc non præsupponitur ad rationem liberi. Antecedens autem probatur; nam liberum essentialiter, & formaliter est à principio intrinseco cum cognitione; ergo est voluntarium formaliter.

20 Confirmatur tertio; nam stat, quod voluntarium prædicetur necessario de omni actu voluntatis, ita vt etiam metaphisicè possit ab illo separari, & quod non sit genus ad actum, sed ad liberum, & necessarium; ergo ratio à nobis facta nulla est. Consequentia probatur; quia ratio nostra in eo stare videtur; quod voluntarium est prædicatum commune, necessario etiam metaphisicè conveniens omni actui; ergo si cum hoc compatitur, non esse genus ad actionem, sed ad liberum, & voluntarium, ratio nostra nulla est. Antecedens verò probatur; prædicatum abstrahens tanquàm genus à libero, & necessario, necessario metaphisicè convenit omni actui voluntatis: & tamen non est genus ad actum; ergo. Maior probatur, cui necessario convenit aliqua ex speciebus disiunctivè, & vagè, necessario convenit prædicatum genericum ad tales species: sed liberum, vel necessarium vagè necessario convenit actui voluntatis; ergo similiter prædicatum genericum ad liberum, & necessarium.

21 Respondetur, negando maiorem, ad probationem neganda est minor. Nam sicut actus per illam diversitatem in modo procedẽdi solùm accidentaliter variatur, pariter esse ab intrinseco, seu ratio voluntarij solùm accidentaliter variatur: quod necessario fatendum est à Thomistis de viralitate; nam cum de illius ratione sit, esse ab intrinseco, argumentum factum si quid probat, convincit diversificari essentialiter per liberum, & necessarium, quod tamen admitti non potest; cum non possit negari esse prædicatum essentiale, & genericum actus.

Ad

22 Ad primam confirmationem, distinguendum est antecedens. Variatur accidentaliter, concedo antecedens, essentialiter, nego antecedens, probatio autem adducta solùm convincit diversitatem accidentalem. Ad secundam, concesso antecedenti, neganda est consequentia, ad cuius probationem, distinguendum est antecedens; quia præsuppositivè se habet ad albedinem, quæ est adæquatum significatum *per* ly *album*, concedo antecedens, præcisè; quia præsuppositivè se habet, nego antecedens, & distinguo consequens: non præsuppositivè se habet ad liberum, quoad adæquatum significatum per ly liberum, concedo consequentiam, quoad inadæquatum, nego consequentiam: itaque liberū non significat præcisè modum libertatis, sed voluntarium sub illo modo, scilicèt, quod procedit à principio intrinseco indifferenti; atqueadeò, tàm ratio liberi, quā ratio voluntarij formaliter prædicantur de libero: album verò solùm qualitatem significat, & corpus de materiali importatur; atqueadeò de albo non prædicatur formaliter: neque est novum, quod terminus significans in concreto modum, significet etiam rem, cuius est modus; tunc autem de concreto non solùm prædicatur formaliter modus, sed etiam res: quod exemplis fit clarum; de vltima dispositione ad ignē formaliter prædicatur calor, quia vltima dispositio non solùm significat intensionem caloris vt octo, sed ipsum calorem; similiter intuitiò obiecti est formaliter notitia, licèt significet modum cognitionis, quia significat notitiam sub illo modo.

23 Si autem liberum significat modum libertatis in concreto, negandum est antecedens, nimirùm liberum esse formaliter voluntarium; quia ratio voluntaris solùm de materiali importatur ex parte subiecti. Sed dices: etiam liberum ratione modi libertatis est ab intrinseco cum cognitione; ergo esse voluntarium convenit libero, non solùm ratione actus de materiali importati sed ratione modi libertatis, & consequenter formaliter, id enim, quod convenit subiecto ratione significati formalis, convenit formaliter. Assumptum autem probatur; quia modus libertatis est ab intrinseco cum cognitione; ergo. Respondetur, distinguendo antecedens; est ab intrinseco, tanquàm modus afficiens actū, qui est ab intrinseco cum cognitione, concedo antecedens, tanquàm actus egrediēs, nego antecedens, & distinguatur consequens, esse voluntarium per modum modi, & vt quid incompletum in linea voluntarij, concedo consequentiam, voluntarium completum, nego consequentiam.

24 Ex quibus deducitur, voluntarium abstrahens à completo, & incompleto formaliter prædicari de libero, ipsique convenire ratione modi libertatis: voluntarium autē cōpletum, & simpliciter tale, solùm præsuppositivè se habere, de quo intelligenda est nostra conclusio: & eodem modo philosophandum est de vitalitate, nimirùm vitalitatem completam, quæ directè ponitur in prædicamento, præsuppositivè se habere ad libertatem, vitalitatem autem abstrahentem à modo, & re, formaliter se habere in modo libertatis. Ad vltimam dicatur, rationem nostram non consistere precisè in eo, quod voluntariū sit prædicatum commune necessario conveniens, sed insuper probavimus, non præsuppositivè, neque consequenter se habere.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

25 SECUNDA Conclusio, actus necessarius, quo Deus seipsum diligit, excedit in ratione voluntarij omnem actum creatum, sivè liberum, sivè necessarium, non solùm perfectione essentiali, sed absolutè, & omnibus modis. Conclusio quoad primam partem constat; nam ratio voluntarij, quæ propriè, & formaliter reperitur in amore, quo Deus seipsum diligit, determinatur ad ipsum per perfectissimam differentiam, seù quasi differentiam essentialem, quæ in infinitum excedit omne voluntarium creatū; ergo voluntarium necessarium in Deo repertum, perfectione essentiali excedit omne voluntarium creatum. Quoad secundam etiam probatur; amor, quo Deus seipsum diligit, est propriè, & formaliter voluntarius, cuius essentialis differentia, vtpotè infinita, omnem continent perfectionem

in

in ratione amoris,& in ratione voluntarij; ergo omnibus modis excedit voluntarium creatum: qua ratione ſcientia divina in ratione ſcientię excedit in infinitum omnem ſcientiam creatam,non ſolum perfectione eſſentiali, ſed abſolutè,& omnibus modis. Confirmatur, quidquid in Deo reperitur, cum ſumma perfectione in Deo reperitur; ergo vel amor divinus non eſt voluntarius formaliter,vel eſt ſummè,& infinitè voluntarius;atqueadeò excedit in infinitum omne voluntarium creatum.

26 Huic argumento Recentiores poſt P.Vazquez,& M Lorcam reſpondent, non eſſe inconveniens aſſerere , amorem divinum in ratione voluntarij excedi ab amore libero creato, quo creatura Deum amat; quia hoc non oritur ex aliqua imperfectione actus divini , ſed ex ſumma perfectione, ex qua illi repugnat libertas, quæ eſt perfectio in ratione voluntarij imperfectione admixta ; quapropter à Deo relegatur ; eſſet enim in illo maxima imperfectio ſe libere,& non neceſſario amare; ac proindè hanc perfectionem,ſeù gradum in ratione voluntarij inconveniens non eſt, ſicut neque inconveniens reputatur à Deo relegare diſcurſum,iram, & dolorem; ſic etiam libertas ſumpta pro prædicato cæteris paribus magis extenſivo; verbi gratia libertas ad omittendum amorem erga Deum,ad odium Dei, & ſimilia, eſt perfectio libertatis ; tamen ea libertas Deo non competit,quia non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex , ſed admixta imperfectione.

27 Sed hæc ſolutio eſt inſufficiens pro argumenti ſolutione ; quia amor divinus eſt formaliter,& propriè voluntarius; eſſe enim voluntarium eſt perfectio ſimpliciter ſimplex , ex ſe nullam dicens imperfectionem,& ratione voluntarij carere imperfectio eſſet : ſed hæc ratio voluntarij in Deo perfectè reperitur in propria linea perfectione excludente omnem imperfectionem; ergo ſummè, & infinitè perfecta in ratione voluntarij ; & conſequenter infinitè excedens omne voluntarium creatum : qua ratione amor divinus in ratione amoris excedit omnem creatum; quia ſcilicèt actus,quo Deus ſe diligit eſt formaliter amor , & ratio amoris in actu divino reperta, perfecta eſt perfectione excludente omnem imperfectionem , ex quo rectè deducitur, in ratione amoris excedere in infinitum omnem amorem creatum.

28 Confirmatur, ex eo, quòd perfectio, ſeù gradus perfectionis in ratione voluntarij,qui advenit amori creato Dei ex libertate, non conveniat amori increato, non infertur increatum amorem non eſſe infinite perfectum in ratione voluntarij ; ergo per hoc non tollitur , quominùs excedat in hac ratione exceſſu infinito amorem creatum. Antecedens probatur defectus perfectionis admixtæ imperfectione non arguit imperfectionem in aliqua linea; Deus enim caret omni perfectione,quæ in ſuo conceptu imperfectionẽ involuit,quin in Deo arguatur aliqua imperfectio; immò vt ſit ſummè perfectus in omni linea, neceſſarium eſt, quod careat omni perfectione imperfectionem involuente; ergo quod amor divinus careat libertate, quæ perfectio eſt in ratione voluntarij admixta imperfectione , non arguit, quod amor divinus non ſit infinitè perfectus in ratione voluntarij. Explicatur amplius,intenſio in ſcientia perfectio eſt, quia tamen admixta eſt imperfectione , ſcientia divina intenſione carens eſt ſummè perfecta in in ratione ſcientiæ , immò non poſſet eſſe infinite perfecta , ſi illa perfectione formaliter non careret; ergo vt amor Dei in ratione voluntarij ſit ſummè perfectus, non ſolùm non obeſt carere libertate , quæ iuxtà Adverſarios eſt perfectio admixta imperfectè,ſed omninò neceſſarium.

29 Confirmatur ſecundo,ſi voluntarium in amore divino repertum eſſet in illa linea minùs perfectum,quam creatum, ſeù non magis perfectum , non eſſet formaliter in Deo : at hoc eſt falſùm , cum amor divinus ſit formaliter voluntarius;ergo. Maior probatur , nam voluntarium minùs perfectum,quam creatum , ſeù non magis perfectum eſt imperfectum , cum ſit limitatum in ratione voluntarij; ſed hoc in Deo reperiri non poteſt ; ergo vera eſt maior. Minor probatur; tùm, quia nullum prædicatum imperfectione admixtum reperitur in Deo. Tùm etiam,quia iuxtà Adverſarios Deum libere amare eſt perfectio admixta imperfectione, Deus non ſe libere amat; ergo ſi voluntarium carens libertate admiſcet imperfectionem non reperitur in Deo formaliter. Tandem vt in ſolutione dicitur actus voluntatis imperfectus in Deo reperiri non poteſt ; vndè carere libertate non poteſt provenire ex imperfectione amoris , ſed ex ſumma illius perfectione; ergo neque voluntarium in Deo repertum

po-

potest esse imperfectum, sed potiùs libertate carere ex summa illius perfectione debet nasci.

30 Exempla in solutione adducta, & alia similia, ex quibus potest sumi argumentum contra nostram conclusionem solum convincunt voluntarium actus divini carere perfectione libertatis, & tunc sine imperfectione de Deo non negari: non tamen convincunt, prædicatum aliquod repertum formaliter in Deo non esse summe perfectum; atqueadeò non probant, voluntarium esse imperfectum ex eo, quod illa perfectione careat, sed potiùs oppositum; cum ad summam perfectionem necessarium sit carere perfectione, quæ in suo conceptu aliquam involuit imperfectionẽ.

31 Tertia conclusio, amor creatus beatificus in ratione voluntarij excedit amorem liberum creatum. In hac conclusione non loquimur de perfectione essentiali, in qua sunt æquales amor charitatis viæ, & Patriæ; nam iuxtà communem sententiam non differunt specie, & iuxtà plures, neque etiam numero, quod si actus charitatis indeliberatus viatoris sit eiusdem speciei cum amore libero, æquales erunt perfectione essentiali amor charitatis indeliberatus, & liber viatoris, atque amor beatificus. Conclusio ergo intellecta de perfectione accidentali probatur, charitas vię perficitur in Patria, tàm ex parte cognitionis, quàm ex parte inclinationis, & principij elicientis; ergo crescit in ratione voluntarij. Consequentia constat, nam cum ratio voluntarij in egressu à principio intrinseco cum cognitione consistat, ad hortũ incrementum non potest non crescere in ratione voluntarij. Antecedens probatur, & pro prima parte constat; nam visio Dei est perfectior qualibet cognitione, & amor ex illa regulatus ex perfectiori advertentia obiecti procedit. Quoad secundam etiã probatur; nam Beatus toto conatu fertur in Deum, quem summum bonum, & dignum vt in eum tota voluntas feratur, intuetur: vndè amor ex tota voluntate procedit, quam satiat, & implet absque aliqua cessatione; ergo perfectiori modo est à principio intrinseco cum cognitione, quam amor viæ.

32 Huic argumento respondet Vazquez, amorem beatificum excedere quidem amorem liberum absolutè, non tamen in ratione voluntarij, ad quod non tàm attenditur substantia, & perfectio actus, quàm modus tendendi, & egrediendi à principio, & quia in hoc excedit actus liber, quatenus in modo tendendi, & egrediendi magis distat ab actibus brutorum, quàm amor beatificus, ideò hic excedit in ratione voluntarij: perfectio autem visionis de materiali se habet, neque conducit, vt actus magis spontaneæ procedat. Paulò aliter respondet M. Lorca, negans esse magis à principio intrinseco amorem Patriæ, quàm viæ; quia ille est magis ab intrinseco, per quem vivens magis se movet, per actum autem liberum magis se movet voluntas; atqueadeò magis est ab intrinseco; deindè cognitio magis influit in actum liberum, licèt absolutè non sit ita perfecta, quia non solum proponit obiectum, sed est iudicium, & sententia de ipsa operatione: at cognitio non deliberata proponit quidem obiectũ, sed ipsa operatio procedit impetu naturæ, & non virtute iudicij.

33 Sed neutra solutio satisfacit, & prima reijcitur ex D. Thoma in hoc articulo, vbi docet, quod voluntarium perfectum est, quod sequitur ad perfectam cognitionem; perfecta autem cognitio, ait Angelicus Magister, est quando non solùm apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio eius, quod ordinatur ad finem ipsum, & talis cognitio finis competit solùm rationali naturæ: sed visio beata attingit rationem finis, & proportionem eius, quod ordinatur ad finem perfectiori modo, quàm actus viæ; quia maior perfectio ad rationem voluntarij non se habet de materiali iuxtà D. Thomam; & constat, quia maior illa perfectio conducit, vt voluntas beati non cæco modo, sicut appetitus naturalis, sed ex influentia cognitionis repræsentantis summum bonum, feratur toto impetu in Deum; atqueadeò maximè voluntariè.

34 Secundo, perfectio cognitionis, quæ magis ignorantiam excludit non potest de materiali se habere ad rationem voluntarij; sed visio beata ratione suæ perfectionis magis excludit ignorantiam, quam cognitio fidei; ergo illius excellentia non de materiali se habet, sed voluntarium auget. Minor constat, & maior probatur; nam cognitio causat, & auget voluntarium, ad illudque prærequiritur, in quantum tollit ignorantiam voluntario oppositam; ergo perfectior cognitio, quæ magis ignorantiam excludit, non potest

non

hon conducere ad augendum voluntariũ; & quidem cum cognitio ratione indifferentiæ non excludat ignorantiam, ratione huius non auget voluntarium: & hinc ſummitur confirmatio, quam rectè expendit Mag. à Sancto Thoma; nam voluntarium non creſcit ex cognitione, vt indifferenter proponente obiectum, ſed vt manifeſtante bonum attrahens, & aliciens voluntatem, ex hoc enim creſcit inclinatio, & propenſio voluntatis in obiectum, & tanta poteſt eſſe illius bonitas, vt impleat, & ſatiet totam inclinationem voluntatis; ex quo provenit, vt voluntas quantum poteſt feratur in obiectum, non impetu naturæ, ſed voluntariè, quia ex vi alicientiæ obiecti in illud fertur.

35 Tertio falſum eſt, quod omnis actus neceſſarius in modo magis convenit cum voluntario brutorum, quam actus liber, & quod modus libertatis magis hominem a brutis diſcernat; nam licèt hoc ſit verum de actu neceſſario, qui talis eſt ex imperfectione cognitionis, eſt tamen falſum de actu neceſſario, propterea, quod ex perfecta obiecti cognitione procedit, qualis eſt amor beatificus, vel quia iſte ita eſt neceſſarius, vt ſit eminenter liber, vel quia neceſſario procedere ex perfecta cognitione, magis diſtat ab actu brutorum, quam actus liber viatoris; ergo magis hominem à bruto diſtinguit. Antecedens probatur, ſe neceſſario amare eſt proprium Dei, quod per gratiam homini communicatur, qui magis Deo aſsimilatur per modum illum neceſsitatis, quam per actum liberum. Tertio, quod cognitio regulans actum liberum eſt media inter cognitionem brutorum, & viſionem Dei; ergo modus neceſsitatis ortus ex viſione, quæ eorum cognitionem excedit, magis diſtat à modo neceſsitatis brutorum, quam modus libertatis, qui eo datur in actu, quia procedit ex perfectiori cognitione, quam poſſit reperiri in brutis, imperfectiori tamen quam in beatis.

36 Neque obeſt, quod amor beatificus, & actus brutorum conveniant in conceptu communi neceſsitatis, quia neceſsitas in actu beatifico ex perfectione provenit; brutis autem ex imperfectione; neque nomen *neceſsitas* maiorem indicat convenientiam. Sicut ex eo, quod ens rationis in immaterialitate, ſeù carentia materiæ cum Angelis conveniat, non tamen homo, non infertur maior convenientia, ſeù minor diſtantia inter ens rationis, & Angelum, quam inter iſtum, & hominem; quia Angelus caret materia ex perfectione; at ens rationis ex eo, quod tám imperfectum eſt, vt neque minimam materiæ perfectionem habeat, quæ inter Angelum, & ens rationis mediat; ſic ergo actus brutorum ſunt neceſſarij, non ex perfectione, ſicut amor beatificus, ſed ex eo perfectionem actus liberi longè inferioris beatifico, attingere non poteſt.

37 Secunda ſolutio Magiſtri Lorca, præterquàm quod ex dictis manet excluſa reijcitur; quia falſum eſt ſubſtantiam magis ſe movere per actum liberum, quam neceſſarium; per vtrúmque enim æqualiter ſe movet, per neceſſarium, neceſſario, per liberum, libere, & præſtat actus neceſſarius pondere, quia in obiectum toto conatu fertur voluntas, non naturaliter, & cæco modo, ſed ex alicientia obiecti, vt vidimus: neque ſatis benè percipio, quomodò ſtare poteſt voluntatem magis ſe movere per actum liberum, quam per neceſſarium iuxtà Recentiores vtentes doctrina Magiſtri Lorca, ſecundum quos actus liber voluntatis ſolum diſtinguitur à neceſſario extrinſecè ex cognitione, de quo dubio ſequenti. Id verò, quod addit SS. iſte Magiſter cognitionem magis influere in actum liberum, quam in neceſſarium, falſum etiam eſt, cuius argumentum nihil convincit; nam cognitio regulans actum neceſſarium, non ſolum proponit obiectum, ſed iudicat ſaltim exercitè de actu, vt dubio antecedenti explicuimus, & in viſione beatifica clariùs eſt; per illam enim proponitur Deus, non ſolùm vt amabilis, ſed hic, & nunc vt omninò amandus iudicatque eſſe eliciendum amorem, & nullum eſſe motivum ad illius ceſſationem.

§. V.

Argumentis contra iſtam concluſionem occurritur.

38 ARGVITVR Primo contra iſtam concluſionem teſtimonium Div. Thomæ, quod exiſtimant contra noſtram ſententiam Magiſter Lorca, & Vazquez, ita enim ait hoc articulo 2. vbi poſt verba pro noſtra concluſione ſuprà adducta, ſic habet: *Perfectam igitur cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem perfectam, prout, ſcilicèt, apprehenſo fine poteſt deliberans de fine, & de his, quæ ſunt ad finem moveri in finem, vel non moveri: imperfectam autem cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem imperfectam, prout ſcilicèt apprehendens eſſe finem, non deliberat, ſed ſubito movetur in ipſum*: quibus verbis apertè docet, perfectam rationem voluntarij tunc eſſe, vbi deliberatio eſt, imperfectam, vbi non eſt, quæ ita expreſſa iudicat Lorca, vt indignum cenſeat expoſitiones referre, & reijcere ſola grammaticali conſtructione contentus: quod alij confirmant ex ſolutione ad tertium, vbi docet, quod laus, & vituperium conſequitur voluntarium, ſecundum perfectam rationem voluntarij: ſed laus, & vituperium non ſequuntur, niſi ad actum liberum; ergo ſolum in illo invenitur perfecta ratio voluntarij.

39 Sed licèt ita expreſſum videatur his Authoribus teſtimonium adductum; plures tamen Recentiores, qui ſententiæ noſtræ adverſantur, ingenuè fatentur nullam habere efficaciam. Cuius plures explicationes adducit hic Magiſter Gregorius Martinez dub. 2. Ildephonſus Baptiſta diſp. 78. fragmento 3. communior tamen, & verior eſt, quàm poſt alios traddit Magiſter à Sancto Thoma, qui aſſerit Div. Thomam per illa verba: *Perfectam cognitionem finis, ſequitur voluntarium ſecundum rationem perfectam*, adæquatam definitionem perfecti voluntarij traddidiſſe, per quam aſsignatur differentia voluntarij perfecti ab imperfecto, quod in pueris, brutis, & amentibus reperitur: per verba autem ſequentia, nimirùm, *prout ſcilicèt apprehenſo fine, poteſt quis deliberans de fine, &c.* ſolùm apponit exemplum quoddam voluntarij perfecti in actu libero magis nobis noto, vt ſi quis dicat. *Animal eſt vivens ſenſibile, quemadmodùm homo*, non licèt infferre, ſolúm hominem ſentire, quia nempè adæquata definitio eſt vivens ſenſibile, cuius exemplum per notiora traditur; quæ expoſitio abſquè aliqua violentia explicat D. Thomam.

40 Et inſuper duabus conjecturis ex Divo Thoma colligitur: prima eſt, quod definiens in verbis à nobis adductis perfectam cognitionem, ad quam poſteà ſequi perfectum voluntarium docet, nullam mentionem facit de actibus deliberatis, ſeú libertatis, ſed tunc dari aſſerit, quando non ſolùm apprehenditur res, quæ eſt finis, ſed etiam cognoſcitur ratio finis, & proportio eius, quod ordinatur ad finem: quod totum abſquè indifferentia, & libertate in viſione beata reperitur. Secunda eſt: quia per illa verba: *Imperfectam cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem imperfectam* adæquatè definitur voluntarium imperfectum: per verba autem ſequentia, *prout ſcilicèt apprehendens finem, non deliberat, ſed ſubito movetur in ipſum*, ſolùm apponit exemplum voluntarij imperfecti; ergo ſimiliter de voluntario perfecto aſſerendum eſt, per priora verba definitionem adæquatam traddidiſſe, per ſequentia exemplum apoſuiſſe. Aſſumptum probatur ad hominem; nam ſi vltima verba ad diffinitionem pertinerent, cui non convenirent, non eſſet voluntarium imperfectum: at amori beatifico non conveniunt, qui quamvis neceſſarius motus ſit, ſubitus non eſt; ergo, non eſſet voluntarius imperfectè; quod negant Adverſarij; & conſequēter vt per hāc definitionē nō excludatur

à ratione voluntarij imperfecti, aſſerere tenentur, poſteriora verba non ad definitionem, ſed ad exemplum illius pertinere. Deindè, quia re vera non omne voluntarium imperfectum eſt motus ſubitus; bruta enim multoties ſatis lente, & paulatim procedunt, & ſimiliter amentes; ergo verba illa non ad definitionem, ſed ad exemplum referendà ſunt.

41 Secundo arguitur voluntarium liberum eſt magis ab intrinſeco, quàm neceſſarium; ergo perfectius. Antecedens probatur; nam procedit à voluntate vt domina ſui actus, & vt habente in ſua poteſtate actum, & illius omiſsionem; neceſſarium autem non ſic; ergo eſt magis ab intrinſeco. Et confirmatur primo; quia voluntarium liberum eſt ab intrinſeco per poſitivum influxum, & ſimul eſt à voluntate permiſſivè; quatenus poteſt actum impedire, & impedit; voluntarium autem neceſſarium ſolum eſt à voluntate per poſitivum influxum, non verò permiſsivè; quia in eius poteſtate non eſt illum impedire; ergo potiori titulo eſt à voluntate voluntarium liberum, quam neceſſarium. Confirmatur ſecundo, voluntarium liberum imputatur ad laudem, & vituperium voluntati, non autem neceſſarium; at non alia ratione, niſi quia magis eſt à voluntate, ipſi proximius, & proprius liberum, quam neceſſarium; ergo.

42 Confirmatur tertio: motus ſubitus minus voluntarius eſt, quam actus liber, etiam ſi illo toto conatu feratur voluntas in obiectum; ergo eſto per amorem beatificum feratur voluntas toto impetu in Deum; non arguit eſſe magis voluntarium, & ratio in vtroque eadem videtur eſſe; nam eo motus ſubitus non evadit perfectè voluntarius, etiam ſi in illo toto impetu feratur voluntas, quia potiùs per modum naturæ, quàm per modum appetitus eliciti moveturr, quod non aliundè colligitur, niſi quia voluntas vt domina ſuorum actuum, & conſequenter potiùs vt acta quam à ſe, quod æqualiter convenit omni actui neceſſario.

43 Reſpondetur negando antecedens, ad probationem conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Ad primam confirmationem conceſſo etiam antecedenti, neganda eſt ſimiliter conſequentia, quando enim non poſſe impedire actum ex perfecta cognitione procedit, magis poſitivè eſt ab intrinſeco, quia maiori connatu ex directione cognitionis procedit, & impedire poſſe actum, arguit non ferri voluntatem in obiectum tota ſua virtute. Ad ſecundam confirmationem, conceſſa maiori, neganda eſt minor; imputari enim ad laudem, & vituperium provenit ex eo, quod voluntas elicit actum vt illius domina, & potens illum non elicere, quod non arguit proximius, & proprius eſſe à voluntate, quam actus neceſſarius, ſi talis ſit ex perfecta cognitione; tunc enim eſt perfectè ab intrinſeco, & proprius, & proximius à voluntate procedit, quia ab illa ſecundum conceptum naturæ provenit, qui proximus eſt in voluntate, & perfectior noſtro modo intelligendi; atqueadeò in actu ab illa proùt ſic procedente, perfectior ratio voluntatij explicari debet.

44 Cui non obſtat, quod motus ſubitus ab illa vt natura procedit, qui tamen imperfectior eſt in ratione voluntarij: Non inquam obſtat, quia ex defectu cognitionis oritur, vt voluntas in eliciendo actum, etiam ſi toto conatu operetur, magis aſsimilatur motui naturali lapidis; verbi gratia, qui quamvis toto impetu feratur in centrum, ex defectu cognitionis, non habet in ſe integrum principium motus; proindèque dicitur eſſe à generante: at in noſtro caſu, cum voluntas ex perfecta cognitione operetur, & ſecundum conceptum perfectiorem ipſius, vt voluntas eſt, non poteſt non explicari in actum maior perfectio in ratione voluntarij. Neque eſt neceſſarium, quod quoties ſecundum perfectiorem conceptum operatur, perfectior ſit effectus, ſed ſat eſt, ſi actus perfectiſsimus illius proùt ſic, qui eſt explicatio perfectionis illius, excedat quemlibet alium eiuſdem proùt libera eſt. Et ex his conſtat ad ſecundam confirmationem.

45 Tertio arguitur, ex doctrina data ſequitur amorem creatum neceſſarium Patriæ non excedere liberum amorē Dei in eodem ſtatu: cōſequens eſt cōtra cō-

munem ſententiam Thomiſtarum aſſerentium amorem Dei neceſſarium in Patria quemlibet alium excedere in ratione voluntarij. Vt probetur ſequela ſupponendum eſt, beatos in Patria non ſolũ diligere neceſſario Deum, ſed libere, quatenus Deus eſt ratio diligendi creaturas, quia amor liber in ſententia plurium realiter diſtinguitur ab amore neceſſario; in ſententia autem aliorum eſt idem cum illo, & in vtraque ſententia ſequela probatur, amor iſte vt liber, eſt æquè ab intrinſeco, & cum æquali cognitione, regulatur enim ipſa viſione Dei; ergo eſt æquè voluntarius, atque actus neceſſarius. Conſequentia conſtat ex dictis, eo enim actus creſcit in ratione voluntarij, quo perfectiùs eſt ab intrinſeco, & cum perfectiori cognitione: immò actus liber excedere videtur; nam cum æquales ſint in proceſsione ab intrinſeco, & cognitione, præſtat actus liber, in eo quod á voluntate procedit, vt ipſius domina.

46 Propter hoc argumentum aſſerunt aliqui, doctrinam præcedentem veram eſſe, ſi comparetur actus neceſſarius Patriæ cum actibus liberis viæ, comparativè ad quos actus neceſſarius Patriæ longè excedit ex præſtantia cognitionis; ſecus autem ſi comparetur cum actu libero Patriæ regulato viſione Dei. Hæc tamen doctrina menti Thomiſtarum non conſonat, & reijcitur; quia amor neceſſarius, quo Deus ſeipſum diligit, magis voluntarius eſt, quam actus liber, quo diligit creaturas, & ſe vt rationem illas diligendi; ergo amor neceſſarius Dei creatus magis voluntarius eſt, quam liber eiuſdem, etiam ſi vterquè eâdem viſione reguletur. Conſequentia conſtat; tùm, quia amor creatus neceſſarius eſt participatio amoris increati neceſſarij, & liberi. Tùm etiam, quia motivum Adverſariorum eodem modo convincit in actibus increatis Dei, ſi aliquid probat. Tùm denique, quia argumenta probantia antecedens, facilè applicari poſſunt ad probandum conſequens. Antecedens autem probatur; quia Deus in ſui amorem fertur toto conatu tanquam ſummum bonum adæquans inclinationem voluntatis divinę, ſecus autem in amorem creaturarum, quas iuxta illarum perfectionem magis, vel minùs diligit. Tùm etiam; quia magis ſe amat, quàm creaturas, non impetu naturali ex ignorantia, aut nè ſcientia, vt in motibus ſubitis, ſed ex perfectiſsima cognitione infinitæ bonitatis; ergo magis voluntariè ſe amat, quam creaturas.

47 Ad argumentum dicendum; quod eſto reguletur viſione Dei actus liber in Patria. Non eſt ita perfectè ab intrinſeco, neque cùm cognitione æquè perfecta. Ratio primi eſt, quia per amorem neceſſarium fertur voluntas beati toto conatu, vt modo dicebamus; non ſic autem in amore libero. Ratio ſecundi eſt, quia licèt reguletur viſione Dei, perfectior eſt viſio, vt regula amoris neceſſarij, quam liberi; regulat enim amorem neceſſarium, quatenus repræſentat Deum vt ſummum bonum in ſe: amorem autem liberum, quatenus per illam proponitur Deus, & eius bonitas, vt ſufficiens ratio diligendi creaturas, vel creaturas vt potentes diligi ratione divinæ bonitatis; viſio autem ſub prima conſideratione perfectior eſt ſeipſa inſpecta ſub ſecunda.

48 Pro complemento dubij inquires, vtrùm amor creatus beatificus excedat in ratione voluntarij non ſolùm amorem liberum Dei, ſed quemlibet alium actum liberum erga obiectum creatum? Et de amore neceſſario obiecti creati negare non poſſumus; quia non poteſt eſſe neceſſarius, niſi ex imperfecta cognitione, atqueadeò amor beatificus ex perfecta cognitione procedens non poteſt illum non excedere. Dubium ergo eſt de amore libero: cui docti Thomiſtæ in manuſcriptis negativè reſpondent aſſerentes, amorem liberum obiecti creati regulatum cognitione comprehenſiva illius excedere amorem beatificum neceſſarium, quia illa ex perfectiori cognitione procedit, quamvis enim viſio Dei ſit perfectior cognitio, non tamen Deus ita perfectè cognoſcitur, ſicut obiectum creatum per cognitionem comprehenſivam. Ex quo etiam deducunt, quod amor, quo Angelus ſuperior diligit inferiorem eſt magis voluntarius, quam amor eiuſdẽ obiecti elicitum ab alio illum non comprehendente,

te ; ſicut comprehenditur à ſuperiori: & ſimiliter amor, quo Angelus ſuperior diligit inferiorem, excedit in ratione voluntarij amorem, quo inferior ſe diligit; quia amor ſuperioris regulatur ſuper comprehenſione inferioris, amor autem, quo inferior ſe diligit, ſolùm dirigitur comprehenſione ſui.

49 Sed affirmativè reſpondendum exiſtimo: & in primis perfectione eſſentiali amorem beatificum excedere quemlibet alium, conſtans debet eſſe, cùm inter actus voluntatis ſit perfectiſsimæ ſpeciei; de perfectione autem accidentali modo ſupra explicato ad id affirmandum moveor primo ab inconvenientibus, quæ ex oppoſito ſequuntur. Primo ſequitur amorem liberum in ratione voluntarij abſolutè excedere neceſſarium, cuius contrarium docent communitèr Thomiſtæ. Sequela probatur; nam eſto iuxta hanc doctrinam aliquis actus neceſſarius excedat aliquos liberos, plures liberi excedunt aliquos neceſſarios; immò plures excedant perfectiſsimum neceſſarium; plures enim, immò infiniti procedere poſſunt ex cognitione comprehenſiva obiecti, qui proindè excedunt amorem beatificum.

50 Secundo ſequitur amorem creatum procedentem ex cognitione comprehenſiva obiecti excedere amorem increatum Dei, quo ſe neceſſario diligit, cuius falſitas ex dictis conſtat. Sequela autem eſt manifeſta; nam amor creatus ex ſuper comprehenſione procedit, amor verò increatus ſolùm ex comprehenſione, cum vis activa intellectus Dei non excedat intelligibilitatem paſsivam illius. Tertiò ſequitur, amorem liberum, quo Deus diligit creaturas, excedere neceſſarium, quo ſe diligit, eàdem ratione, nimirùm, quia amor creaturarum procedit ex illarum ſuper comprehenſione, ſecus autem amor neceſſarius Dei.

51 Secundo moveor, quia amor beatificus etiamſi ex cognitione ſolum quidditativa procedat, procedit tamen ex cognitione repræſentante Deum vt eſt in ſe, cuius bonitas clarè cognita vtpote infinita, ita alicit voluntatem, vt illam neceſsitet ad illius amorem, atqueadeò voluntas non ex ignorantia, ſed ex clara cognitione bonitatis obiecti toto impetu in ipſum fertur, quod in amore obiecti creati, etiam regulato cognitione comprehenſiva non contingit; licèt enim per illam cognoſcatur obiectum, & eius bonitas; cum hæc vtpotè finita non adæquet capacitatem voluntatis, eiuſque inclinationem non ſic alicit, neque voluntas iuxtà adæquatam inclinationem fertur in obiectum, atqueadeò non ita voluntaria.

52 Sed dices, iuxtâ Div. Thomam, voluntarium creſcit ex perfectione cognitionis, vel ergo ex perfectione cognitionis abſolutè, & quaſi entitativè, vel ex perfectione reſpectiva, & formali, quatenus ſcilicèt, per ipſam magis penetratur obiectum: ſi primum; ſequitur amorem indeliberatum ſupernaturalem excedere quemlibet actum naturalem, etiam procedentem ex comprehenſione obiecti, cum amor ille ex perfectiori cognitione procedat, vtpotè ſupernaturali; hic autem ex naturali. Similiter ſequitur actum virtutis ſupernaturalis excedere in ratione voluntarij actum virtutis acquiſitæ, quamvis ille extenui cognitione obiecti procedat; hic verò ex pleniſsima illius comprehenſione: ſi verò dicatur ſecundum, falſa ſunt hucuſquè dicta, cum cognitio regulans actum beatificum non ſit ita perfecta reſpectivè, neque ita penetret obiectum, ſicut cognitio comprehenſiva obiecti creati.

53 Pro ſolutione advertendum eſt, ad rationem voluntarij perfecti requirere D. Thomam cognitionem perfectam; hæc autem perfectio conſiſtit in eo, quod cognoſcatur, non ſolum res, quæ eſt finis, ſed etiam ratio finis, & proportio eius, quod ordinatur ad finem; qua perfectione deficiente, deficit perfecta ratio voluntarij, etiam ſi cognitio, aliundè, quia ſupernaturalis eſt, excedat: vndè motus ſubitus ſupernaturalis, etiam admiſſo regulari perfectiori cognitione, non æquat rationem voluntarij repertam in amore naturali directo ex cognitione, nedum comprehenſiva, verùm qualibet alia inferiori, etiam non quidditativa, ſed ſolùm quoad an eſt, vt aiunt, dum tamen per illam cognoſcatur ratio finis; quod intelligendum eſt de perfectione accidentali, & quaſi quantitativa; nam de eſſentiali alia eſt ratio; nam vt non ſemel diximus, motus ſubitus, quoad ſpeciem excedere poteſt actum deliberatum; poſita autem

perfecta cognitione obiecti in ſenſu explicato, creſcit ratio voluntarij cæteris paribus ad incrementum cognitionis reſpectivum, & formale; quo enim magis penetratur obiectum, creſcit ratio voluntarij; quod verum exiſtimo de incremento cognitionis vſque ad comprehenſionem obiecti; nam exceſſus in comprehenſione, ſeù ſuper cõprehenſione multum iuvat ad perfectionẽ voluntarij, quatenus arguit perfectiorem voluntatem, non verò quia conducat, vt ex alicientia obiecti voluntatis magis voluntariè feratur in ipſum: cum quo componitur voluntarium procedens ex cognitione ſolum quidditativa, ex alio capite ita creſcere, vt abſolutè, & ſimpliciter longè ſuperet voluntarium ex ſuper comprehenſione procedens; quod tunc contingit, quãdo cognitio proponit clarè infinitum obiectum, & infinitæ bonitatis: ex quo naſcitur, vt voluntas tali cognitione directa, magis inclinetur in illius proſequutionem, & vt magis conformiùs ad propriam inclinationem, iuxtà totam illam feratur in obiectum; atqueadeò magis voluntariè, quàm in bonitatem creatam ſuper comprehenſam, inquam, quia limitatam, & perfectè cognitam, quamvis voluntariè feratur, non tamen iuxtà totam ſuam inclinationem.

54 Sed dices, ex hac doctrina ſequi amorem creatum beatificum excedere amorem increatum liberum creaturarum, eum creatura, quamvis ſuper comprehenſive cognita, finita, & limitata ſit. Sed negãda eſt ſequela; tùm, quia ratio motiva amoris liberi increati eſt ipſa bonitas infinita Dei, non bonitas limitata creaturæ. Tùm etiam; quia voluntas divina infinite excedit creatam: vndè quælibet illius proſequutio excedit amorem creatum, etiam adæquantem totam inclinationem voluntatis creatæ, qui exceſſus in nulla voluntate creata reperiri poteſt reſpectu voluntatis beati.

55 Sed adhùc objicies; actus beatificus non eſt ita ab intrinſeco, ſicut actus naturalis; ergo malè ex eo, quod ſit perfectiſimè ab intrinſeco, eius perfectam rationem volũtarij intullimus. Antecedens probatur, actus naturalis eſt adæquatè à voluntate, actus verò beatificus à charitate, quę à Deo infunditur; ergo magis eſt ab intrinſeco voluntatis actus naturalis, quam beatificus.

Hoc argumentum multùm probat. Cum eodem modo militet reſpectu cuiuſcũque actus ſupernaturalis, etiam perfectiſimè liberi; poteſt tamen habere aliquam vim in ſententia aſſerente charitatem non eſſe totam rationem agendi, ſed illam, & voluntatem partialiter concurrere; in illa enim dicendum videtur, magis eſſe à voluntate actum naturalem, quam ſupernaturalem; cum ille ſit à voluntate tanquàm à cauſa adæquata, iſte verò, vt à cauſa, & principio inadæquato: effectus autem magis eſt à cauſa adæquata, quàm ab inadæquata; in noſtra autem ſententia facilè reſpondetur negando antecedens, & ad probationem dicatur, eſſe à charitate non tollere, quominùs ſit à voluntate, immò ipſa charitas eſt ratio adæquata, vt ſit à voluntate, tanquàm à cauſa adæquata; ab illa, inquam, vt elevata per charitatem, eo ſanè modo, quo Dei prædeterminatio non tollit libertatem actus, ſed præſtat vt à voluntate libere procedat.

56 Sed dices, ſi charitas eſſet ſolum partialis ratio agendi, actus ſupernaturalis non ſic eſſet ab intrinſeco voluntatis, ſicut actus naturalis, vt fatemur; ergo potiori titulo, ſi eſt tota ratio agendi. Neganda eſt conſequentia, quia eo ipſo, quod ſit tota ratio agendi, adæquata cauſa eſt voluntas, & elevatio non tollit, ſed præſtat, vt à voluntate tanquàm à cauſa adæquata procedat: ſi autem eſt partialis ratio agendi, voluntas ſolum partialiter concurrit. Et hęc de iſto dubio, applicanda litteræ Magiſtri, vbi dubium præcedens.

((o))

Ar-

Articulus III.

Vtrùm voluntarium posſit eſſe abſque omni actu?

PRIMA CONCLVSIO.

Voluntarium directum non poteſt eſſe abſque aliquo actu, benetamen voluntarium indirectum.

SECVNDA.

Non ſemper id, quod ſequitur ad defectum actionis, reducitur in cauſam, ex eo quod non agit, ſed ſolùm tunc, cum poteſt & debet agere.

DVBIVM III.

Vtrùm vt omiſsio ſit voluntaria, requiratur præceptum, ſeù obligatio ponendi actum?

§. I.

Aliqua prænotantur, & referuntur ſententiæ.

1 IN Omiſsione tria conſiderari poſſunt, poſſe, teneri, & non facere, de quibus poteſt eſſe dubium; an requirantur, & ſufficiant, vt omiſsio ſit voluntaria; quæ duplicitèr poteſt intelligi voluntaria, vel in actu primo, vel in actu ſecundo. Ad primum ſufficit potentia in voluntate ad promiſsionem; eſſe enim voluntarium in actu primo, eſt poſſe volũtatem omittere, ad quod ſufficit potentia ad actum, & non requiritur ipſum non facere, ſeú ipſa omiſsio; vt autem ſit voluntaria in actu ſecundo requiritur ipſum non facere; ſicut vt actus ſit voluntarius in actu primo, ſufficit potentia ad illum; vt autem ſit voluntarius in actu ſecundo, neceſſarium eſt, exiſtere ipſum actum. Dubium ergo eſt de omiſsione voluntaria in actu ſecundo, ad quod requiſitum eſt, vt diximus, ipſam dari. Inſuper certum eſt, quod vt omiſsio ſit hoc modo voluntaria, neceſſarium eſt dari potentiam ad actum omiſſum, ſine qua actus negatio voluntaria non erit, vt docet D. Thomas in præſenti, & cum eo communitèr Theologi.

2 Verùm licèt omninò certum ſit, omiſsionem non eſſe libere voluntariam ſine potentia ad actum oppoſitum; poſſe tamen eſſe voluntariam, voluntarietate neceſſaria, ſine tali potentia his argumentis probari videtur. Primo, quia vt actus ſit voluntarius, non requiritur potentia ad illius omiſsionem, vt contingit in motibus indeliberatis, & in amore beatifico; ergo ſimiliter, vt omiſsio ſit voluntaria, potentia ad actum non requiritur; quamvis ſit neceſſaria, vt omiſsio ſit libera. Secundo ex vi cognitionis proponentis actum, vt omninò eliciendum ſine indifferentia ad eius omiſsionem, actus exiſtit voluntariè, quamvis non liber; ergo ex vi cognitionis proponentis actum, vt omninó non eliciendum, & ſine indifferentia, vt eliciatur, exiſtet illius omiſsio voluntariè, quamvis non libere.

3 Confirmatur, & explicatur primo. Omiſsio poteſt eſſe exercitium voluntatis, vt ſupponimus: ſed ad illud poteſt determinari ex vi cognitionis; ergo poteſt dari omiſsio neceſſaria, & voluntaria ſine potentia ad actum. Maior probatur; ex vi cognitionis proponentis clarè obiecti impoſsibilitatem, determinatur voluntas ad omiſsionem intentionis efficacis illius, & beatus ex vi cognitionis beatificæ determinatur ad omittendum actum peccaminoſum; ergo voluntas ex vi cognitionis determinatur ad omiſsionem actus. Secundo; quia ex vi cognitionis proponentis indifferenter actum, & illius omiſsionem, voluntas eſt indifferens ad omittendum, & ſi defacto omittat, ipſi non ſolùm eſt voluntaria, ſed libera; ergo ſi ex vi cognitionis determinatur ad omiſsionem, quamvis nõ ſit libera defectu indifferentiæ, erit tamen

vo-

voluntaria. Tertio. Quia esse exercitium liberum supponitur ad rationem peccati, præceptum requisitum ad peccatum non est necessarium ad exercitium liberum; quapropter improbabili sententia, de qua postea, omissio est libera sine præcepto: sed exercitium voluntatis esse volũtarium, supponitur ad rationem liberi, cum libertas sit accidens illius; ergo potentia ad actum omissum, licèt sit necessaria, vt omissio sit libera, non requiritur, vt sit voluntaria.

4 Nihilominùs communis sententia tenenda est, scilicèt, nullomodò esse omissionem voluntariam sine potentia ad actum omissum: cuius ratio alijs omissis est, quia omissio actus sine huiusmodi potentia, non est exercitium voluntatis; ergo nõ potest esse voluntaria. Antecedens probatur, carentia actus solùm potest esse exercitium potentiæ liberę, quæ propter suam vniversalitatem, & dominium potest velle, & non velle hoc, vel illud; sed sine potentia ad actum, omissio illius non est exercitium potentiæ liberæ vt talis; ergo non potest esse exercitium voluntatis.

5 Confirmatur primo; quamvis aliquando in igne detur carentia combustionis ex defectu concursus divini, vel ex defectu materiæ, non tamen hæc carentia est exercitium illius, quia potentia combustiva, vtpotè naturalis est determinata ad actum positivum tanquàm adęquatum eius exercitium: sed voluntas sine indifferentia est potentia naturalis; ergo determinata ad actum positivum, tanquàm adæquatum illius exercitium proùt sic; & consequenter esto in illa detur carentia actus, non tamen dicenda est illius exercitium. Confirmatur secundo, omissio non potest ad voluntatem reduci, nisi solùm moraliter, cum non possit terminare influxum phisicum illius: sed vt moraliter reducatur necessaria est potentia ad actum omissum; ergo vt sit voluntaria. Minor probatur; nam moraliter reduci ad voluntatem, est sic voluntatem se habere; ac si positivè vellet omittere actum; sed sine potentia ad actum, & cum necessitate ad illum non habendum, non præbet fundamẽtum, vt intelligamus sic se habere, ac si vellet omittere, neq; huiusmodi omissio est digna laude, aut vituperio; ergo vt reducatur moraliter ad voluntatem, necessaria est potentia ad actum omissum.

6 Argumentum factum convincit de omissione actus interioris voluntatis, de quo nostra doctrina procedit; nam de omissione exterioris alia est ratiõ, nam cum non sit voluntaria tanquàm voluntatis exercitium, sed per modum effectus, seu imperativè, potest dici medio actu necessario voluntatis ad ipsam reduci; vt si homo necessitetur ad volendum non ambulare, deambulationis carentia ad voluntatem reducitur medio actu necessario illius, sine potentia libera ad deambulandum.

7 Ad primum in contra, neganda est consequentia, quia actus est exercitium voluntatis etiam vt potentia naturalis est; atqueadeò vt ab illa procedat, potentia ad omissionem non desideratur. Ad secundũ neganda est consequentia; quia licèt ex vi cognitionis necessitetur voluntas ad non habendum actum, illius tamen carentia nõ est exercitium voluntatis, sicut nèque carentia combustionis, ad quam ex defectu concursus divini necessitatur ignis, est illius exercitium. Ad primam confirmationem admissa maiori, vel explicata iuxtâ dicta, distinguatur minor, potest determinari ad illud voluntate merè passivè se habente, concedo minorem, ad illud vt exercitium formaliter, nego minorem; nam supposita cognitione determinante, omissio à voluntate non est, neque vt non agẽte, sed vel à cognitione determinante, vel aliundè; per quod constat ad minoris probationem.

8 Sed dices; ad amorem beatificum necessarium, sequitur carentia peccati; ergo saltim in beato omissio peccati erit voluntaria; sicut admisimus de carentia deambulationis sequuta ad actum necessarium. Sed etiam si admittatur consequens, nobis non obest, tunc enim carentia peccati esset voluntaria per modum effectus, non per modum exercitij; sed neganda est consequentia, quia ex vi visionis datur in beato carentia peccati; vndè quãvis ex amore inferatur, ab illa tamen non causatur. Ad secundam confirmationem constat ex dictis. Ad tertiam admissa maiori, distinguenda est minor, in exercitio voluntatis positivo, concedo minorem, omissivo, nego minorem, & consequentiam.

9 Secundo notandum est, aliud esse omissionem esse voluntariam, aliud peccaminosam, & ad hanc requiri præceptum actum illum prohibens, nulli dubium est; de prima ergo in præsenti communitèr du-

bio

bitatur,& non solùm deipsa, sed de effectu ad illam consequuto, vt de submergione navis ad omissionem gubernarionis. Tertio etenim advertendum est,quod sicut effectus positivus sequi potest ad omissionẽ actus, vt in exemplo posito, positiva submergio navis ad omissionem gubernationis,ita etiam effectus privativus,vt ex omissione audiendi sacrum, sequitur,quod quis ignoret matrimonium inter impeditos cõtrahi,& ex eo quod quis omittit docere filium, quod necessarium est ad salutem, sequitur filium hoc ignorare; pariter ex causa positiva potest nasci omisio actus, & etiam effectus positivus: exemplum proximi habetur in ludo, ex quo sequitur omisio audiendi Sacrum; exemplum secundi conspicitur in fœmina se ornante propter honestum finem, ad quod sequitur affectus inordinatus in iuvene: de quibus omnibus meritò dubitatur; an ad eorum voluntarietatem requiratur præceptum. Vltimo advertendum est,effectum ex omissione sequutum posse triplicieter contingere, vel enim homo vult expresè omissionem gubernationis; v. g. eo fine vt sequatur submergio navis, vel solum vult omissionem gubernationis, vel tandem omittit gubernationem sine expressa volitione effectus omisionis gubernationis, & in omnibus his procedit quæstio.

10 In qua triplex versatur sententia. Prima affirmat esse necessarium præceptum, non solùm vt effectus ex omissione sequutus sit voluntarius, sed vt omisio sit voluntaria, quam tenet Caietanus in presenti, Conrado hic,& Cornejo disp. 1. dub.10.conclusione 2. Lorca disp. 2. Curiel dub.2. & P.P.Salmantic.dub.etiam 2. Serra dubio vnico, Gonet disp.1.art.3. Ildephonsus Baptista disp.79. dub. 1. & 2. pro qua refert D.Antoninum 1. parte titulo 4.cap.3.& 2. Navarro in Manuali,Præludio 6.num. 4. quos refert Lorca vbi supra, quem plures Recentiores sequuntur, etiam extrà Scholam D.Thomæ. Secunda extremè opposita affirmat ad omisionis, & effectus ex illa sequuti voluntarietatem non esse necessarium præceptum,quàm defendit Salas in præsenti tract.3.disp.3.sect. 4. num.46 pro qua refert alios suppresso nomine, illam etiam tenet Thomas Sanchez tomo 3. de Matrimonio disp. 45. Tertia sententia media distinguit inter omissionem, & illius effectum; asseritque, esse necessarium præceptum, vt effectus ex omissione sequutus sit voluntarius, omisionem autem esse voluntariam, etiam sine præcepto hanc tuetur Montesinos disp.9.q.4. Gregorius Martinez dub. 2. Mag. Ioannes à Sancto Thoma disp 3. art. 3. Patr.Uazquez disp.24.cap 3. Suarez de Uoluntate disp.1.sect.5.& plures ex Recentioribus pro cuius explicatione sit.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

11 PRIMA Cõclusio,vt omissio sit voluntaria, non est necessarium præceptum. Hæc conclusio defenditur ab Authoribus tertię sententiæ. Et probatur primo ex D. Thoma,qui hac quæst.6.art.7.ad 3.docet, quod voluntarium dicitur,quod est in potestate voluntatis,vt non velle, & non agere,& infrá quæst. 71.art.5.ad 2. dicendũ; quod aliquid dicitur voluntarium, non solum,quia cadit supra ipsum actum volũtatis, sed quia in potestate nostra est, vt fiat, vel non fiat, vt dicitur 3.Ethicorum; vndè etiam ipsum,non velle potest dici voluntarium,in quantum in potestate hominis est velle: vbi ad voluntarietatem omisionis solùm requirit dominium, seú potestatem ad actum omissum nulla facta mentione præcepti; quod etiam præstitit hic art.3 in argumento *Sed contra*, & ad 3. vbi ex dominio super hoc,quod est velle, & nõ velle, intulit, quod sicut velle est voluntariũ, pariter,& non velle; vndè sicut velle nullo indiget præcepto,vt sit voluntarium, pariter,& non velle.

12 Vt probationem clariùs proponamus,distinguenda est duplex sententia, vtraque ferè æquè probabilis, altera asserens, puram omisionem in individuo voluntariam,& liberam, altera requirens actum, qui sit causa, vel occasio illius. Priusque est probanda conclusio in hac secunda sententia hac ratione; qui libere eligit ludum tempore, quo celebrandum est sacrum, prævidens ludo sequendam esse omis-

omiſsionem Sacri, ętiam nullo exiſtente præcepto. Volùntariè omittit Sacrum,non ſolùm in actu primo, ſed in actu ſecundo; ergo omiſsio abſque præcepto eſt voluntaria, ſi exiſtat actus, qui ſit cauſa, vel occaſio illius. Antecedens probatur, qui vult ludum, cum quo eſt incompoſsibilis auditio Sacri, prævidens incompoſsibilitatem, ex conſequenti vult omiſsionem Sacri,qui enim vult aliquod,cum quo aliud eſſe non poteſt, ex conſequenti vult illo carere : at eo ipſo,quod ſaltim ex conſequenti vult carere auditione Sacri, cum poteſtate illud audiendi, omiſsio auditionis Sacri eſt voluntaria in actu ſecundo;ergo.Maiòr habetur in D.Thoma,quæſt.7. ſequenti art. 5. dum refert duas opiniones circa indigentiam actus,vt omiſsio ſit voluntaria,& peccatum,& licèt ſit probabile D.Thom. non requirere actum, vt omiſsio ſit voluntaria, non tamen negat principium illud, quod ex contraria refert.

13 Deindè probatur ratione, qui vult cauſam vt cum effectu connexam, prævidens connexionem, non poteſt non velle ſaltim ex conſequenti effectum : ſed eligens ludum, illum prævidens cauſaturum omiſsionem Sacri ratione incompoſsibilitatis cum auditione, vult ludum, vt connexum cum omiſsione ex ipſo cauſata; ergo ex conſequenti vult omiſsionem Sacri. Minor autem probatur ; eo ipſo,quod velit ex conſequenti. Omiſsionem Sacri hæc reducitur in voluntatem, vt in cauſam; ergo eo ipſo eſt voluntaria in actu ſecundo. Conſequentia conſtat, & antecedens probatur, omiſsio volita in voluntatem reducitur, vt in cauſam medio actu voluntatis ad illam directè terminato ; ergo indirectè volita, etiam ad voluntatem reducitur ſaltim indirectè,nam in vtroque caſu ex actu voluntatis procedit.

14 Reſpondebis cum Patribus Salmanticenſibus vbi ſupra omiſsionem in hoc caſu voluntariam non eſſe, neque ex ludo cauſari non exiſtente præcepto, quia omiſsio fieri non poteſt etiam eo modo, quo formarum carentiæ cauſari poſſunt ab extrinſeco ſibi oppoſito; vndè á voluntate cauſari non poteſt medio ludo, niſi intelligatur præceptum, vel actus omiſſus, quæ dumtaxàt omiſsioni opponuntur, quorum neutrum adeſt in caſu argumenti ; atqueadeò non adſunt ſufficientia, vt omiſsio à voluntate cauſetur.

15 Quod vlteriùs explicant, nam ſicut eatenus forma poſitiva ſit, quatenus eius carentia deſtruitur ; ſic carentia ſuo modo debet fieri, quatenus deſtruitur forma poſitiva,quam excludit;& ſicut dari nõ poteſt productio formæ poſitivæ, non intervenientibus duobus terminis, ſcilicèt termino à quo ; qui deperditur per productionem formæ poſitivę, qui terminus eſt non eſſe formæ,quæ producitur,& termino, ad quem acceditur per productionem, qui eſt ipſa forma producta ; pariter carentia auditionis ſacrificri non poteſt,niſi intervenientibus duobus terminis, *à quo*, & *ad quem*; primus eſt à quo receditur pro fieri omiſsionis,& eſt ipſe actus poſitivus, cuius eſt carentia,qui per omiſsionem deſtruitur, Secundus eſt terminus, ad quem acceditur per adventum carentiæ, eſtque ipſa carentia; & quia ſolum dupliciter poteſt præcedere actus ad eius omiſsionem, vel in ſeipſo formaliter, vel in obligatione, & quaſi iure ad ipſum, quod ſtat in præcepto, vel illud ſupponit;hinc eſt,quod vt omiſsio cauſetur á voluntate, neceſſariũ eſt, quod præintelligatur præceptum, vel actus in ſeipſo, debet enim fieri ex termino ſibi oppoſito : vndè ſolum in caſu, quo interrumpatur actus,non eſt neceſſarium præceptum, vt omiſsio fiat; tunc enim ſine præcepto, datur terminus á quo oppoſitus,& excluſus per omiſsionem, nimirùm actum, quo tamen deficiente neceſſarium eſt præceptum; conſequenterque aſſerunt, quod omiſsio actus, qui præceſsit, ſolùm eſt voluntaria in primo inſtanti, quando verum eſt non eſſe actum ; tunc enim datur terminus *à quo* excluſus ; poſt primum autem inſtans à voluntate non cauſatur, oppoſita de cauſa : ex quibus ad argumentum factum reſpondent, ludum in caſu poſito eſſe cauſam omiſsionis in actu primo, & quoad ſufficientiam, non verò in actu ſecundo, niſi accedat præceptum, vel interrumpatur auditio ſacri.

16 Hanc tamen ſalutionem,& doctrinam,quàm erudite tradunt PP. Salmant. optimè impugnat Illuſtriſ. Godoy, quem noſtræ ſententiæPatronum habemus,tract. de Peccatis ad quæſt.71.art.5.dub.2. contra quam ſic obijcio primo ; nam ex illo ſequitur,quod in caſu, quo quis expreſsé, & formaliter,& directè vellet non audire ſacrum, ſi non adſit præceptum, aut interrumpatur actus audiendi, illius omiſsio nõ ſit voluntaria; conſequens eſt falſum; ergo ad voluntarietatem omiſsionis, nec præ-

cep-

ceptum, nec interruptio actus requiritur. Sequela probatur; tunc enim non adest terminus à quo oppositus, ex quo fieri debet omissio, cum non præintelligatur præceptum, aut actus; ergo iuxtá horum Authorum principia, non potest esse voluntaria. Falsitas autem consequentis deducitur ex eo, quod in casu illo omissio existit ex determinatione expressa, & formali voluntatis, nimirúm ex actu, quo expressè voluit non audire sacrum; at id, quod existit ex voluntatis expressa, & formali determinatione, non potest non esse á voluntate, & consequenter voluntarium; ergo.

17 Secundo reijcitur; quia dum quis omittit sacrum existente præcepto, & nullo præcedente actu auditionis datur sufficiens terminus à quo, vt omissio á voluntate fiat, quia licet non præcedat actus formaliter in seipso, præcedit tamen virtualiter, & indebito ratione præcepti: sed dum quis sine præcepto omittit sacrum, ad quod audiendum est valdè inclinatus, & propensus, præcedit actus, licèt non in se, virtualiter tamen in propensione, & inclinatione ad illum; ergo datur sufficiens terminus á quo, vt fiat omissio. Confirmatur; non minus est propinqua potentia ad actum, ad illumque eliciendum ratione inclinationis, & maximæ propensionis ad illum, quam cum præcepto; neque minus continetur actus in potentia valdè propensa ad illum, quam in potentia obligata, & sicut ratione præcepti actus est debitus moraliter, etiam ratione propensionis, debetur saltim debito physico orto ex inclinatione; ergo sicut est sufficiens terminus â quo omissionis actus præexistens virtualiter in præcepto; pariter sufficit præexistens in propensione. Et quidem propinquior est actus furandi in homine valdè assueto ad furtum ratione propensionis ad illud, quam in homine vitijs dedito amor Dei, ad quem obligatur ex præcepto; ergo sicut omittens amorem Dei debitum ex præcepto, causat omissionem ex actu virtualiter præexistenti, pariter omittens furtum, ad quod est valdè propensus causat illius omissionem ex actu virtualiter præexistenti in assuefactione, & propensione.

18 Ex quo etiam deducitur, non solum in homine maximè propenso ad actum esse voluntariam omissionem sine præcepto, sed nunquam præceptum requiri; quod sic probatur; nam quoties quis omittit, potens elicere actum, datur aliqua propensio ad illum, non enim datur potentia absque aliqua inclinatione; ergo semper præexistit actus virtualiter in potentia ad illum: quòd ex eorum principijs confirmatur; nam ipsi non requirunt præceptum strictum obligans ad culpam, sed latum obligans solum ad pœnam, in quo etiam virtualiter continetur actus; ergo nõ erit necessaria maxima propensio ad actum, sed quælibet sufficiet, vt in ipsa virtualiter præexistat actus.

19 Tertio reijcitur; nam etiam existente præcepto, & obligatione, ab ipsis assignari non potest terminus à quo per omissionem destructus; ergo adhùc existente præcepto, si vera est illorum doctrina, omissio à voluntate non fit. Consequẽtia constat, quia omissio iuxtà illos fieri nõ potest, nisi destructo termino *à quo* opposito cum termino ad quem, & ab illo excluso. Antecedens autem probatur; nam per omissionem præceptum, aut obligatio non destruitur, alias omissio nunquam esset peccaminosa, cum non posset componi cum obligatione ad actum; ergo assignare non possunt terminum destructum.

20 Viderunt hoc argumentum SS. Patres; cui respondent debitum ad aliquem actum destrui moraliter, quando vrget, & non adimpletur, quatenus per talem omissionem violatur, & impeditur ab actus cõsequutione, in quo actus, qui iam propè erat, destruitur virtualiter, quatenus impeditur, nè fit, qui ex debito futurus erat; idem enim præstat impedire actum, quod præstaret eius destructio, si formaliter esset: ex quo inferunt, quod licèt posita omissione permaneat aliquomodò debitum, non tamen sicut anteâ, quia ante omissionem erat incolume, & explebile per actum, continensque actum in virtute; posteá verò manet læsum, & violatum, & ita ratione huius, quod in prædicto debito destruitur, potest esse terminus, vndè fit omissio.

21 Contra tamen est primo; quia non est ratio quare eodem modo de potẽtia, & inclinatione ad actum non philosophemus; sicut enim debitum impeditur ab actus consequutione, etiam potentia impeditur ad habendum actum; ergo in eodem sensu, quo debitum destruitur, verum est destrui potentiam, & consequenter eo sensu, quo datur posito præcepto terminus *à quo* destructus, potest assignari sola existen-

te potentiâ. Similiter ſicut debitum manet in explebile conſequenter, & ex ſuppoſitione, quod non elicitur actus, atqueadeò abſque continentia virtuali illius; pariter potentia manet in explebilis ex ſuppoſitione, quod non eliciat actum, & conſequenter abſque virtuali continentia illius in ſenſu compoſito, in quo ſolum primum eſt verum; ergo in potentia ſeclusa obligatione poteſt aſsignari terminus *à quo* eò modò, quo ab ipſis traditur poſito præcepto.

22 Secundò reijcitur; nam re vera non aſsignatur terminus *à quo* deſtructus per omiſsionem, quod tamen intendunt prædicti Magiſtri: Aſſumptum probatur; ſi enim aliquis eſſet terminus deſtructus, eſſet debitum, & obligatio incolumis, & virtualis continentia actus: at hoc non deſtruitur; ergo. Minor probatur debitum, & obligatio incolumis, virtualiſque continentia actus nihil aliud eſt, quã obligatio vrgens ad actum; at quando ſi datur omiſsio, datur obligatio ſic vrgens; ergo. Minor conſtat; nam hac ratione omiſsio eſt peccatum, quia ſcilicèt coniungitur cũ obligatione vrgente ad actum. Maior autem probatur. Nam debitum, & obligatio incolumis, virtualiſque continentia actus, non eſt obligatio expleta per actum; ergo ſolum eſt obligatio inſtans, & vrgens ad actum. Antecedens conſtat; quia obligatio expleta per actum importat formaliter actum, terminus autem à quo non neceſſario eſt actus formaliter ſumptus, aliàs omiſsio ſemper fieret ex actu formaliter ſumpto, quod recuſant concedere, & benè; nam ſine præcedentia formali actus datur omiſsio. Conſequentia verò probatur, quia præciſo actu, quo expletur obligatio, ſolùm remanet ipſa obligatio inſtans; ergo virtualis continentia actus, & debitum incolume, ſolum eſt obligatio inſtans ad actum; cum autem hæc non deſtruatur, non aſsignatur terminus *à quo* deſtructus.

23 Confirmatur, & ponamus peccatorem vſque modò non amaſſe Deum, neque ad amorem fuiſſe obligatum, & quod modo incipiat præceptum, quo in hoc inſtanti alligetur ad diligendum pro hoc inſtanti, & quod per omiſsionem frangatur præceptum; in quo caſu, terminus *à quo* omiſsionis, non eſt amor, neque obligatio explebilis, aut incolumis exiſtentia tempore antecedenti, cum ſupponamus horum neutrum extitiſſe; debet ergo aſsignari terminus *à quo* deſtructus exiſtens in hoc inſtanti: at implicat, quod aliquid in hoc inſtanti exiſtens, deſtruatur in hoc inſtanti per omiſsionem nunc exiſtentem; ergo nequeunt aſsignare terminum deſtructum. Minor conſtat, quia id, quod in hoc inſtanti deſtruitur, in hoc inſtanti non eſt: ſed implicat eſſe, & non eſſe in eodem inſtanti; ergo implicat, quod terminus exiſtens in hoc inſtanti, in illo deſtruatur, ſeù non componatur, & coexiſtat omiſsioni nunc exiſtenti.

24 Neque video, quod reſpondere poſſunt, niſi vel aſſerendo, quod revera terminus à quo non deſtruitur formaliter, ſed ſolum virtualiter, quatenus per omiſsionem impeditur, nè ſit; terminus autem iſte eſt actus formaliter ſumptus, qui per omiſsionem impeditur, etiam ſi præextiterit formaliter, quod eſt virtualiter deſtrui; vel aſſerendo, quod in hoc inſtanti priori ad actum, & omiſsionem exiſtit præceptum explebile, quod tamen pro ſigno poſteriori ad omiſsionem explebile non eſt; atqueadeò aliquod eſt in hoc inſtanti pro priori ad omiſsionem, quod per ipſam excluditur.

25 Sed hæc facilè reijciuntur, & primum, quod ab his Authoribus inſinuari videtur in prima parte ſolutionis, quam impugnamus, non ſatis conſtat cum eorum doctrina, qui contendunt, non ſemper omiſsionem fieri ex actu tanquàm ex termino à quo, ſed ex aliquo per omiſsionem formaliter deſtructo: inſuper quamvis hæc doctrina vera ſit, argumentum factum non ſolvit, vt ſtatim videbimus. Secundo reijciendum eſt, quia admittitur in eodem inſtanti reali temporis, debitum verificari eſſe, & non eſſe, quod implicatorium eſt: hoc autem admitti conſtat; quidquid enim pro ſigno indifferentiæ volũtatis exiſtit, in illo inſtanti abſolutè exiſtit; quidquid autem in illo per omiſsionem deſtruitur, in illo inſtanti non eſt: ſed id, quod exiſtit pro ſigno indifferentiæ voluntatis excluditur in illo inſtanti per omiſsionem; ergo de debito verificatur abſolutè eſſe, & non eſſe in eodem inſtanti.

26 Inſuper præceptum eſſe explebile eſt aliquid incompoſsibile cum omiſsione, vel non? Si incompoſsibile; ergo in potentia, & præcepto pro illo priori intelligitur aliquid incompoſsibile cum omiſsione; & conſequenter voluntarius eſt impo-

potens ratione illius ad omiſsionem, quod tamen eſt falſum, cum defacto omittat; ſi non eſt incompoſsibile; ergo per omiſsionem non excluditur. Rurſus pro illo priori ſolum intelligitur præceptum explebile antecedenter; & conſequenter ſolúm intelligitur forma, qua ſic conſtituitur, hæc autem non eſt aliud, quam ipſum præceptũ, & voluntas potens ad actum, & omiſsionẽ, quorum neutrum deſtruitur per omiſsionem; hac enim poſita, adhúc voluntas eſt potens antecedenter adimplere præceptum. Denique quidquid intelligitur propriori ad actum, & omiſsionem, aliquem influxum habet in omiſsionem, quã præcedit; hac enim ratione præintelligitur ad illum: id autem, quod defacto in omiſsionem influit, illi non opponitur, neque per illud excluditur.

27 Sed dices: aliqui Philoſophi aſſerunt, formam ſubſtantialem per eductionẽ productam fieri ſemper ex eius privatione, quæ non neceſſario præcedit in materia tẽpore antecedenti, quando ſcilicèt ſimul, & in eodem inſtanti creatur materia, & educitur forma, ſed quę præcedit in materia pro priori ad formam, quatenus materia pro illo ſigno nõ intelligitur habere formã, quam recipit pro ſigno ſequenti, pro quo excluditur eius privatio.

Reſpondetur, nos non admittere horum Philoſophorum doctrinam, ſi in rigore ſumatur; concedit enim formam, & privationem exiſtere in eodem reali inſtanti; niſi fortè velint, quod pro illo priori in materia non intelligitur forma: quod tamẽ valdè diverſum eſt à privatione formæ; per primum enim ſolúm ſignificatur, quod materia, quæ pro priori intelligitur nullo alio intellecto, ex ſe non dicit formam, neque eius carentiam, quod privatio non eſt, ſed prædicatum eſſentiale materiæ, de cuius ratione eſt, in ſuo conceptu non dicere formam; immò ſi quia pro illo priori intelligitur materia nullo alio intellecto, eſſet pro illo priori privatio formæ, quia pro illo non intelligitur privatio formæ, eſſet forma pro illo priori; in illo autem caſu, quo materia creetur, & forma in eodem inſtanti educatur, hæc non fit ex eius privatione, quæ eſſet, ſi forma non educeretur.

28 Tandem ſolutio reijcitur; quia vt omiſsio fiat, non eſt neceſſarius terminus per illam deſtructus, ſed ſufficit terminus impeditus, & qui eſſet, ſi omiſsio non daretur: ſed hic datur etiam non exiſtente præcepto; ergo illo non exiſtente à voluntate poteſt fieri. Cõſeq. eſt bona. Maior, & min. probandæ: maior prob. Nam vt forma poſitiva in ſubiecto fiat, non eſt neceſſariũ aſſignare terminũ per illam deſtructum, ſed impeditum, & qui eſſet, ſi forma non produceretur; vt patet in exemplo poſito materiæ creatæ, & formæ eductæ in eodem inſtanti: conſtatq; in gratia Angelorum infuſſa in primo inſtanti ſui eſſe, per quã non excluditur eius privatio, ſed impeditur, nè fit; & in Angelo abæterno creato, qui ex nihilo fieret, non quia nihilum præceſſerit, ex quo fieret, ſed quia ſibi relictus nihil eſſet, & ex vi creationis impeditur illud nihil, quod eſſet creatione deficiente; vt ex Avicena docet D. Tho. quæſt. 3. de Potent. art. 14. Min. autẽ prob. nam ſicut exiſtente præcepto, eſſet actus, ſi non eſſet omiſsio, pariter præcepto deficiẽte, & ſolùm remanente potentia indifferenti ad actũ, & omiſsionem; neq; aliter voluntas poteſt actum vitare, niſi omittendo; ergo ex vi omiſsionis actus impeditur.

29 Sed dices: id quod ſupponitur exiſtens, quamvis non ſupponatur factum, non poteſt fieri: ſed negatio actus præſupponitur in caſu poſito exiſtens, licèt non facta à voluntate; ergo fieri non poteſt ab illa. Minor, & conſequentia conſtat, & maior probatur. Nam fieri tendit ad eſſe, qua ratione ſi Angelus præſupponeretur exiſtens, quamvis per impoſsibile non eſſet factus, fieri non poſſet; ergo id, quod præſupponitur exiſtens, fieri non poteſt. Hoc argumentum etiam militat exiſtente præcepto. Et reſpondetur, diſtinguendo maiorem, ſi præſupponatur exiſtens in illo inſtanti, concedo maiorem, in tempore antecedenti, ſubdiſtinguo illam, non poteſt fieri per influxum dantem primum eſſe, concedo maiorem, conſervantem in eſſe, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequẽtiam: quamvis enim præextiterit negatio actus in tempore antecedenti; in hoc tamen inſtanti ratione indifferentiæ voluntatis ad actum, & omiſsionem, huius exiſtentia à voluntate dependet.

30 Secunda ſolutio eſt aliorum Recentiorum aſſerentium omiſsionem, vtpote negationem, cauſam habere non poſſe; ſicut enim, quod nihil eſt, non poteſt influxum poſitivum habere in ens poſitivum, pariter influxum verúm terminare non poteſt: vndè quamvis ſequatur ex actu incompoſsibili cum actu, cuius eſt ca-

carentia, non tamen medio illo causatur a voluntate; atque adeò voluntaria non est. Sed contra hanc solutionem obstat primo; nam quamvis omissio vtpotè carentia actus non possit primo, & per se verùm influxum terminare, benetamen secùdario, & ex consequenti, quatenus existere potest ex vi influxus terminati primario ad formã positivam; ergo solutio est nulla. Antecedẽs probatur; in physicis efficiens formam effectivè concurrit ad expulsionem oppositę: sed effective expellens formam, causat effective, licèt non primario, ex consequenti tamen non esse illius; ergo carentia potest saltim secùdario verùm influxũ terminare.

31 Secundo, vt omissio sit voluntaria, sufficit, quod existat eo modo, quo potest existere ex vi determinationis voluntatis, nullumq́; alium influxũ requirit: sed omissio in casu posito existit ex vi determinationis voluntatis; ergo terminat sufficientem influxũ, vt sit voluntaria. Conseq. constat, & maior est certa; id enim, quod existit ex determinatione voluntatis, nõ solum permissive est à voluntate: sed esse à voluntate nõ solùm permissive, sufficit, vt sit voluntaria; ergo sufficit existere ex determinatione voluntatis. Min. prob. Nam in casu posito voluntas pro priori ad ludũ, & sacri auditionẽ est indifferens ad eligendum quod maluerit, omissioq́; est indifferens, vt sit, & nõ sit, quæ indifferentia determinatur à voluntate eligente ludum; ergo existit omissio ex determinatione voluntatis. 2. prob. càdem minor; in hoc instanti omissio sacri pro aliquo priori est indifferens, vt sit, & non sit; ergo si in hoc instãti ponatur, & pro altero posteriori existit, debet assignari aliqua determinatio, vi cuius habeat esse præ non esse. Conseq. constat, quidquid enim est indifferens ex se, vt sit, & non sit, ex vi alicuius determinationis habet esse prę non esse; ergo omissio existens in hoc instanti, potens non esse ex vi alicuius determinationis habet esse præ non esse: at non alterius nisi voluntatis, cuius arbitrio ex vi indifferentiæ erat omissio determinanda; ergo omissio in casu posito existit ex vi determinationis voluntatis.

32 3. Carentia creaturæ possibilis datur defacto ex vi determinationis voluntatis divinæ volentis creaturam non existere; ergo carentia potest terminare sufficientem influxum, vt voluntaria sit. Cõseq. ex dictis cõstat, & antec. ex probatione nuper adducta; nam carentia creaturę, sicut & ipsa creatura est indifferens, vt sit, & non sit; ergo ex vi determinationis alicuius habet esse præ non esse; at non alteriùs nisi Dei decernẽtis creaturam non producere; ergo carentia creaturæ purè possibilis existit ex vi determinationis voluntatis divinæ. Tandẽ; quia si ratio facta aliquid convinceret, probaret quod etiam existente præcepto non possit omissio esse voluntaria; nã etiam illo posito remanet purum nihil; ergo incapax existẽdi ex vi influxus, & determinationis voluntatis; & consequenter incapax voluntarietatis.

33 Contra rationem, qua conclusionem probavimus, est argumentũ; nam ex eo quod voluntas aliquid velit, & causet incõpossibile cum auditione sacri, non sequitur omissionem in voluntatẽ tanquàm in causam reducendam esse; ergo ratio facta est nulla. Antec. prob. quia aliàs essent voluntariæ penè infinitæ omissiones; actus enim ludi, non solùm cum auditione sacri, sed cũ pluribus alijs actibus opponitur. 2. Quia Deus permittens peccatum, ponit aliquid incompossibile cum illius vitatione, nempè decretum permittens, & carentiam gratiæ ab intrinseco efficacis necessariam ad vitandum peccatũ; & in omnium sententia implicat Deũ permittere peccatũ, & hominẽ illud vitare: & tamen peccatũ nõ potest Deo esse voluntarium, neq́; in voluntatem divinam tanquàm in causam reduci; ergo etiam si homo sua voluntate ponat ludum, cum auditione sacri incompossibilem, non infertur omissionem sacri in voluntatem tanquàm in causam reducendam esse.

34 Respondetur illam non esse rationem adæquatam, sed vltrà requiritur prævisio incompossibilitatis, & potentia in actu primo expedita ad audiendum sacrum; in quo sensu negandum est antecedens; ad primam probationẽ dicatur, quod quamvis actus ludi cum pluribus alijs sit incompossibilis, non tamen omnium illorum omissiones sunt voluntariæ, sed solùm eorum, quos voluntas est potens proximè, & expedite facere, & cum quibus prævidet incompossibilem ludi actum. Ad 2. disting. maiorem, incompossibile cum vitatione peccati indirectè ratione sui, & directè ratione peccati logicè illati ex permissione divina, & à voluntate creata influxive ponendi, concedo maiorem. Incompossibile directè ratione sui, nego maiorẽ. & cõcessa min. neg. est conseq. itaq́; Deus permittẽs peccatũ habet decretum efficax negandi gratiã efficacem

neceſſariam ad illud vitandum, & tàm decretum illud, quàm gratiæ efficacis carētia ſunt Deo voluntaria, & in eius voluntatem tanquàm in cauſam reducuntur: ſunt inſuper incompoſsibilia cum vitatione peccati, non tamen directè, & ratione ſui, ſed indirectè ratione peccati, quod inferunt; illud tamen non phiſicè, ſed logicè inferunt. Cuius ratio eſt, quia inferunt adęquatam cauſam peccati in illud influxuram nimirùm voluntatem creatam; quapropter non in voluntatem Dei, ſed in voluntatem creatam reducitur peccatum: at in noſtro caſu ludus à voluntate elicitus non infert omiſsionem ſacri ab alio ponendam, ſed ab ipſa voluntate creata, quæ ſupponitur indifferens ad omittendum, & non omittendum, & cuius arbitrio, & determinatione hic, & nunc relinquitur audire ſacrum, vel illud omittere. Hæc dicta ſunt iuxtá veram ſententiam ſtatuentem in Deo decretum efficax permittendi peccatum, & negandi gratiam efficacem ab intrinſeco neceſſariam ad illud vitandum: iuxtà autem alios Authores faciliùs ſolvitur, iuxtâ quos nihil eſt in Deo connexum adhùc logice cum peccatò; immò ipſa permiſsio peccati non eſt Deo voluntaria; cum decretum conſtituatur in ratione permittentis per Scientiam Mediam, quæ Deo voluntaria nō eſt, quod aſſerēdū eſſe alibi probavimꝰ.

35 Difficiliùs eſt probare concluſionem in altera ſententia admittente puram omiſsionem, & prætermiſsis alijs rationibus, quæ nobis minus efficaces vidētur; probatur concluſio, & primo de omiſſione actus interioris; nam non exiſtente præcepto non velle eſt exercitium voluntatis liberæ, ſecundum quod eſt non activa, ſicut velle eſt exercitium illius vt operativæ; ergo non velle, ſeú omiſsio eſt voluntaria in actu ſecundo, etiam ſine præcepto. Conſequentia conſtat; nam exercitium voluntatis non poteſt non eſſe voluntarium. Antecedens autem probatur; nam in ſententia illa non velle eſt exercitium voluntatis, etiam in actu ſecundo; quia ipſa eſt indifferens libertate contradictionis ad volendum, & non volendum; vndè non velle, dum poteſt velle, eſt eius exercicium: ſed ad hoc non eſt neceſſarium aliquod præceptum; ergo non exiſtente præcepto, non velle eſt exercitium voluntatis.

36 Confirmatur, tàm actus, quàm eius omiſsio, eius arbitrio relinquitur; ergo ſicut velle eſt illi voluntarium ſine præcepto, pariter, & non velle. Confirmatur 2; quod eſt à voluntate tanquâm à non agente, voluntarium eſt iuxtá D. Thom. hic in ſolutione ad primum; ſed vt hoc modo ſit à voluntate, non requiritur præceptum; ergo. Maior autem probatur; quia eſſe à voluntate tanquàm à non agente nihil aliud videtur eſſe, quàm non eſſe ab illa actum, quem poteſt elicere, per hoc enim per voluntatem ſtat non elicere actum. Confir. 3, in hac ſententia ſubijcitur dominio voluntatis elicere actum, vel illum puré omittere, & omiſsio, quæ aliundè exiſteret, hic, & nunc à dominio voluntatis dependet, vt ſit, vel non ſit; ergo non exiſtere actum hic & nunc, ad voluntatem vt cauſam reducitur. Quæ omnia ſi convincunt puram omiſsionem eſſe poſsibilem, etiam probant eius poſsibilitatē non exiſtente præcepto. Quod vlteriùs explicatur, & probatur; nam omiſsio ſupponitur in ratione exercitij voluntarij ad præceptum; ergo vt ſit exercitium, non requiritur præceptum. Antecedens probatur; id quod prohibetur, eſt ipſum exercitium voluntatis omiſsivum vt talis: inſuper id, quod præcepto opponitur, & quo frangitur, eſt omiſsio voluntaria in actu ſecundo; ergo in ratione exercitij voluntatis ſupponitur ad præceptum; atque adeò illo non indiget, vt ſit voluntaria, licèt ſit neceſſarium vt ſit peccaminoſa.

37 Dices: præcepto prohiberi omiſsionem voluntariam in actu primo, nō in actu ſecundo. Sed contra eſt; id, quod prohibetur, eſt omiſsio, quæ eſt peccatum, ſi defacto ponatur; hæc autem non eſt omiſsio voluntaria ſolum in actu primo, quæ quamvis coexiſtat præcepto, non eſt peccatum, cum in voluntate ſolum in actu primo conſtituta non poſsit dari peccatū; ergo omiſsio voluntaria in actu ſecundo, eſt quę prohibetur. Secundo; licèt præceptum imponatur voluntati in actu primo exiſtenti; id tamen, quod ipſi præcipitur eſt actus ſecundus, & quod prohibetur eſt nè libere in actu ſecundo omittat; ergo præceptum ſupponit omiſsionem liberam in actu ſecundo, & omnia principia requiſita, vt defacto ſic exiſtat. Tertio; licèt præceptū non ſupponat actum præceptum exiſtentem, ſed ad illum eliciendum moveat, ſupponit omnia principia requiſita, vt actus exiſtat: vndè etiā deficiente præcepto actus exiſtere poteſt: & ſimiliter prohibitio actus ſupponit omnia principia requiſita, vt exiſtat actus prohibitus; quapropter deficiente

prohibitione, poteſt exiſtere; ergo ſimiliter præceptum prohibens omiſsionem liberam in actu ſecundo, ſupponit omnia principia requiſita, vt ſit; quapropter eo deficiente, poterit omiſsio in actu ſecundo libera exiſtere: & quidem eo tendit prohibitio, vt omiſsio à voluntate cauſabilis, defacto non cauſetur; ergo ſupponit illam à voluntate cauſabilem, & conſequenter non conducit vt ab illa cauſetur.

38 Tandem; quia præceptum eſt principium requiſitum, vt exiſtat actus obedientiæ, vt talis, non poteſt præcipi actus obedientiæ, niſi ſupponatur aliud præceptum, ex cuius motivo eliciendus eſt actus obedientiæ, vt modo ſuppono ex doctrina Illuſtriſsimi Godoy tractatu de Impeccabilitate Chriſti: ex quo principio optimè de more ſuo componit Chriſti impeccabilitatem cum præcepto moriendi. Et ſimiliter omiſsio actus obedientiæ vt talis prohiberi non poteſt, niſi aliud præceptum ſupponatur; ergo ſi ad omnem omiſsionem voluntariam in actu primo requiritur præceptum, nulla poterit prohiberi, niſi alio præcepto præſuppoſito: quod tamen apertè eſt falſum.

39 Dices ſecundo, quod vt omiſsio permiſsivè ſit libera, & in actu primo, ſufficit indifferentia ad actum, quod probant argumenta facta; at vt à voluntate etiam virtualiter cauſetur, requiritur præceptum; ſic enim cauſari nihil aliud eſt, quam quod omiſsio imputetur voluntati, tanquàm ab ipſa exiſtens: hoc eſt vt in ordine ad vituperium, & pœnam, ſic ſe habeat, ac ſi eſſet actus à voluntate elicitus; cauſari enim virtualiter, ſeù moraliter à voluntate, eſt imputari ad vituperium, & dignum eſſe pœna, & nihil amplius; & cum ad hoc requiratur præceptum, fit, vt abſque illo voluntaria non ſit.

40 Hæc tamen ſolutio argumentum factum non ſolvit, & reijcitur primo; quia præceptum ſupponit, vt probatum eſt, potentiam ad omiſsionem cauſandam, & libere in actu ſecundo ponendam, cuius exercitium prohibetur; ergo eſſe exercitium voluntatis non eſt formaliter imputari ad vituperium, ſed ad hoc ſupponitur. Secundo; quia imputari ad culpam non poteſt, quod aliàs exercitium voluntatis non eſt; ſed omiſsio iuxtà hanc ſolutionem præciſa imputabilitate, exercitium voluntatis non eſt; ergo non poteſt imputari. Maior probatur. Nam voluntas in actu primo, digna non eſt pœna, aut vituperio; ergo imputabilitas ad vituperium præſupponit voluntatem reductam ad actum ſecundum; ex eo enim, quod voluntas ſuam libertatem exercet, ſequitur, quod tale exercitium ſit conforme, vel difforme rationi, & deindè, quod ſit imputabile ad vituperium, vel laudem. Et quidem aliud eſt, quod omiſsio à voluntate ſit, & aliud quod ab illa ſit conformiter, vel difformiter ad rationem, & primum ſupponitur ad ſecundum. Quod etiam in actu manifeſtè convincitur, in quo priùs eſt eſſe â voluntate, & deindè quod ſit conformis, vel difformis rationi: quapropter caſu quo homini prohibeatur actus aliquis, ſi Deus abſque eius influxu poneret talem actum, ipſi non imputaretur; quia ſcilicèt imputabilitas ſupponit eſſentialiter non ſolum actū, ſed illum eſſe exercitium voluntatis; quod verum eſt, etiam ſi homo in caſu illo poſſet impedire, quod Deus actum infunderet; ergo quamvis homo poſsit impedire, nè ſit omiſsio ponendo actum, ipſi non imputaretur, niſi priùs intelligatur omiſsionem eſſe exercitium voluntatis.

41 Quę omnia optimè explicantur in ſententia aſſerente, puram omiſsionem non poſſe eſſe voluntariam, ſeù exercitium voluntatis; in qua dicēdū eſt, quod ſi poſito præcepto actus, Deus neget auxilium efficax ad omnem actum, carētia actus non imputaretur, quantumvis in homine eſſet potentia ad actum præceptū; quia ad peccatū non ſufficit, non facere actum, quem quis poteſt, & tenetur elicere, ſed inſuper requiritur, quod per ipſum non facere tranſeat voluntas de actu primo ad ſecundum, qui opponatur præcepto; quod in caſu illo non contingit iuxtà illam ſententiam, & ſuppoſito, quod pura omiſsio exercitium voluntatis non ſit, rectè inferunt in caſu illo non imputari, neque ad imputabilitatem reperiri ſufficiens fundamentum, quod impugnari non poſsit, niſi probetur, omiſsionem puram eſſe exercitium libertatis independenter ab imputabilitate. Tādem reijcitur in ſententia Authorum ſolutionis, in qua voluntas potens purè omittere, & defacto omittens etiam non exiſtēte præcepto omiſsionem cauſare debet; omiſsio enim exiſtit, & iuxtà illos non ex determinatione Dei, aliàs auferretur à voluntate potentia libera ad actum; ergo cum contingenter exiſtat, à voluntate creata exiſtit.

§. III.

§. III.

Solvuntur argumenta.

42 PRIMO Arguitur authoritate D. Thomę hoc art. 3. in corpore, illis verbis: *Sciendum, quod non ſemper id, quod ſequitur ad defectum actionis, reducitur ſicut in cauſam in agens, eo quod non agit, ſed ſolum cum poteſt, & debet agere; ſi enim gubernator non poſſet navem dirigere, vel non eſſet ei commiſſa gubernatio navis, non imputaretur ei navis ſubmerſio, quæ per abſentiam gubernatoris contingeret; quia igitur voluntas volendo, & agendo, poteſt impedire hoc, quod eſt non velle, & non agere, & aliquando debet, ideò hoc, quod eſt non velle, & non agere imputatur ei, quaſi ab ipſa exiſtens, & ſic voluntarium poteſt eſſe abſque omni actu.* Ex quibus ſic arguitur; id quod neceſſe eſt, vt non velle reducatur in voluntatem quaſi ab ipſa exiſtens, eſt neceſſe, vt non velle ſit voluntarium: ſed ad illud priùs neceſſe eſt iuxtà Divum Thomam, quod voluntas poſsit, & debeat impedire hoc, quod eſt non velle; ergo idipſum neceſſe eſt ad hoc, vt non velle ſit voluntarium.

43 Neque ſufficit reſpondere cum Magiſtro à Sancto Thoma, quod Divus Thomas requirit præceptum, vt omiſsio ſit imputabilis ad culpam, non verò vt ſit voluntaria; vt enim probet voluntarium poſſe dari abſque omni actu, ſumit tanquàm principium nobis magis notum, quod aliqua ſunt imputabilia ad culpam abſque omni actu, vt conſtat in ſubmerſione navis, quæ contingit ex eo, quod nauta, cui incumbit obligatio gubernandi navem, illam non dirigat, quia licèt non omne voluntarium ſit imputabile, omne tamen imputabile eſt voluntarium; quamobrem ex hoc vltimo primum intulit, quod eius erat intentum; non tamen vnquam vniverſaliter docuit ad voluntarium omiſsionis requiri præceptum.

44 Contra hoc enim eſt; nam D. Thom. non aſſumpſit imputabile ad culpam, vt inde inferat voluntarium abſolutè, ſed per imputabile intellexit voluntarium; ergo ſi iuxtà D. Thom. vt imputetur omiſsio, requiritur præceptum, etiam eſt neceſſarium, vt ſit voluntaria, vtrùmque enim pro eodem à D. Thom. accipitur. Aſſumptum probatur; nam requirit præceptum, & debitum impediendi, non vt omiſsio vtcumque imputetur, ſed vt imputetur voluntati, quaſi ab ipſa exiſtens: ſed imputari voluntati, quaſi ab ipſa exiſtens eſt eſſe voluntariam præciſsè; ergo per imputabilitatem ſolum intellexit rationem voluntarij. Maior eſt D. Thomæ. Minor probatur; nam aliud eſt imputari voluntati, tanquàm ab ipſa exiſtens, aliud, quaſi ab ipſa culpate exiſtens: primum eſt illi tribui, quaſi cauſæ, quod ſolum denotat rationem voluntarij: ſecundum eſt illi tribui vt cauſæ peccanti, denotatque imputabilitatem ad culpam; ergo cum ſolum primum docuerit D. Thomas, per imputabilitatem aliud non intellexit, quam rationem voluntarij.

45 Quod clariùs conſpicitur ex D. Thom. infra quæſt. 79. artic. 1. vbi traddens, qualiter Deus non ſit cauſa peccati, quomodò moraliter in ipſum non refundatur tanquàm in cauſam, ſic habet: *Vndè non imputatur ei,* (ſcilicèt Deo) *quod alius peccet, ſicut cauſæ peccati; ſicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis, ex eo, quod non gubernat navem, niſi quando ſubſtrahit gubernationem potens, & debens gubernare*: vbi D. Thom. illis verbis non imputatur ei, quod aliquis peccet ſicut cauſæ peccati, non ſolum excluſit à Deo imputabilitatem ad culpam, ſed influxum in peccatum, quod erat eius intentum: quod tamen non præſtaret, ſi per imputari ſicut cauſæ peccati, intelligeret imputabilitatem ad culpam; cum ex negatione inferioris non inferatur negatio ſuperioris: tunc ſic, ſed idem eſt aliquid imputari voluntati vt cauſæ, & imputari vt ab ipſa exiſtens; ergo ſicut per primum ſolum intelligitur eſſe à voluntate pariter per ſecundum.

46 Tandem; nam D. Thom. illis verbis, ſi enim gubernator non poteſt navē dirigere, vel nō eſſet ei cōmiſſa gubernatio navis, non imputaretur ei navis ſubmerſio

non intelligit imputabilitatem ad culpam, ſed non reductionem in voluntatem tanquam in cauſam; ergo verum eſt aſſumptum. Antecedēs probatur nam ſi intelligeret imputabi itatem ad culpam, ex negatione imputabilitatis non rectè inferret ſubmerſionem navis non reduci in voluntatem, tanquàm in cauſam; cum ex negatione inferioris negatio ſuperioris non inferatur; ergo per imputabilitatem ſolum intelligit rationem voluntarij.

47 Licèt hæc argumenta non omninò convincant, eorum ſolutionem prætermittimus, quia alia nobis adeſt via ad explicandum D. Thomam, qui loquendo in prioribus verbis de effectu ad omiſsionem ſequuto, aſſeruit tunc ſolum ad voluntatem reduci, tanquàm in cauſam, cum poteſt, & tenetur agere: loquendo autem de omiſsione in verbis poſterioribus, excluſionem non appoſuit, ſed ſolum docuit, quod quando poteſt impedire, hoc quod eſt non velle, & tenetur, imputatur ei, quaſi ab ipſa exiſtens: ex qua affirmativa non infertur, nunquam omiſsionem eſſe volũtariam ſine præcepto; immò ex eo, quod loquendo de effectu ad omiſsionem ſequuto, excluſionem appoſuit, quam prætermiſit loquendo de omiſsione, ſatis innuit aliter de hac, atque de illo ſentiendũ eſſe: vndè ad ponderationem factam, neganda eſt minor, quæ ex D. Thoma non probabitur, ſed potiùs ex ſolutione ad tertium oppoſitum deduximus.

48 Secundo arguitur; omiſsio non poteſt eſſe â voluntate, vt negatio eſt actus, ſed ſolùm vt illius privatio: at vt privatio non poteſt eſſe à voluntate ſine præcepto; ergo nullo modò poteſt eſſe voluntaria abſque præcepto. Maior probatur; quia in hoc diſtinguitur negatio á privatione, quod negatio non habet ſubiectum; atqueadeò neque cauſam, ſecus autem privatio. Minor verò etiam probatur; nam ſecluſo præcepto, non eſt privatio; ergo illo ſecluſo non poteſt eſſe à voluntate, vt privatio. Antecedens inde conſtat, quia ſine obligatione, actus non eſt debitus; ergo illius carentia non eſt privatio.

49 Confirmatur. Voluntas indifferens ad agendum, & non agendum aliquid, minus habet, quam iam determinata ad non agendum: ſed ſecundum priorem ſtatum indifferentiæ habet potentiam ad agendum, & non agendum, & negationem actus; ergo in poſteriori ſtatu, nempè in actu ſecundo determinata, aliquid aliud debet habere; quod nihil aliud eſſe poteſt, quam obligatio agendi. Confirmatur ſecundo, omiſsio actus boni ſecluſo præcepto, non eſt bona, neque mala; ergo neque voluntaria, aut libera. Antecedens eſt certum; nam omittere actum bonum non præceptum, neque eſt bonum, neque malum. Conſequentia verò probatur, quia iuxtà D. Thom. infrà quæſt. 18. art. 9. non poteſt dari opus liberum in individuo, quod non ſit determinatè bonum, vel determinatè malum.

50 Reſpondetur omiſſa maiori, negando minorem, ad cuius probationem diſtinguendum eſt antecedens, non eſt privatio actus debiti ex lege, concedo antecedens, non eſt privatio actus, ad quem eſt aptitudo in potentia, nego antecedens, & diſtinguatur conſequens eodem modo; vt enim omiſsio actus ſit privatio, á ſimplici negatione diſtincta, ſufficit, quod ſit carentia in ſubiecto apto, & expedito ad actum, quod abſque præcepto ſalvatur; omiſsimus maiorem, quia etiam pura negatio, dummodò ſit contingens, cauſam habere poteſt, cùm exiſtere non poſsit, niſi ex alicuius determinatione.

51 Ad primam confirmationem neganda eſt minor. Pro ſigno enim indifferentiæ ad agendum, & non agendum, nõ intelligitur negatio actus, aliàs non intelligeretur indifferentia ad illum; & argumentum eodem modo probat poſito præcepto; nam voluntas obligata ad actum eſt indifferens ad adimplendum, & non adimplendum præceptum; ergo aliquid ampliùs debet habere dum in actu ſecundo nõ adimplet: at non negationem actus, quæ iuxtà arguentes in primo ſtatu intelligitur, neque obligatio, quæ præſupponitur; ergo. Ad ſecundam confirmationem, aliqui aſſerunt, quod licèt actus non poſsit eſſe indifferens in individuo; benetamen omiſsio; alij verò, quod omiſsio iuxtà motivum extrinſecum, vel interpretativum, eſt determinatè bona, vel mala: ſed meliùs reſpondetur, omiſsionem puram ſemper eſſe malam ex defectu ordinationis ad bonum finem; natura enim rationalis tenetur in finem rationis ordinare quodlibet eius exercitium.

52 Tertio arguitur id, quod per ſe & eſſentialiter eſt inutilè ad alterius exiſtentiam non poteſt eſſe illius cauſa: ſed voluntas eſt inutilis ad carentiam actus; ergo

ergo non potest esse illius causa. Maior videtur nota; cum enim causa det esse effectui, non potest non esse vtilis ad illius existentiam. Minor verò probatur, illud est invtilè per se, & essentialiter ad alterius existentiam, cuius purum non esse, cæteris paribus, æquè, vel magis prodest ad eam existentiam: sed ad existentiam carentiæ operationis dependentis essentialiter à voluntate creata, magis prodest purum non esse voluntatis, quam ipsa creata voluntas; ergo hæc est inutilis per se, & essentialiter ad existentiam eius carentiæ. Minor probatur primo; nam existere non esse voluntatis creatæ, infert essentialiter non esse productionis eius voluntatis; rectè enim infertur; non existit voluntas; ergo non operatur; at existentia voluntatis, non infert carentiam suæ operationis; stat enim voluntatem existere, & operari; ergo per se essentialiter loquendo, propinquior est ad existendum carentiam operationis non existente voluntate, quam ea existente; & consequenter magis prodest ad existentiam carentię operationis non esse voluntatis, quam ipsa voluntas, atqueadeò hæc per se inutilis est ad existentiam carentiæ operationis.

53 Dices: voluntatem esse inutilem ad existentiam carentiæ actus, vt negatio actus; atqueadeò illam proùt sic non causare: non verò esse inutilem ad ipsam vt privatio est; proùt sic enim sine voluntate non datur; atqueadeò potest esse illius causa, vt privatio est. Contra tamen est; nam id, quod addit privatio ad carentiam solum est aptitudo voluntatis ad actum; nulla enim facta variatione intrinseca in carentia, posita præcisè in voluntate aptitudine ad actum, talis carentia est privatio: sed hæc aptitudo in voluntatem, vt in causam efficientem, vel quasi efficientem non reducitur; ergo neque omissio vt privatio est. Consequentia probatur. Nam voluntas iuxtà solutionem, non est causa omissionis, vt carentia est, sed vt privatio est; ergo si non est causa illius, quo in ratione privationis constituitur, nullo modo potest esse illius causa. Maior verò probatur; nam aptitudo voluntatis ad actum cõsistit in eius indifferentia, & potentia ad illum: sed hanc non causat efficienter voluntas; ergo.

54 Confirmatur primo; nam aliud est, quod voluntas, & eius aptitudo ad actum conducat vt carentia sit, & dicatur privatio; aliud est, quod voluntas causet hanc carentiam. Primum verùm est; nam carentia actus à voluntate, & eius aptitudine denominatur privatio; atqueadeò voluntas ad hanc denominationem maximè conducit. Secundum autem falsum est; nam vt existat carentia actus vtiliùs est non esse voluntatis, vt probatum est; ergo voluntas non potest esse illius causa. Confirmatur, & explicatur; in omissione actus duo sunt, & non esse actus, & hanc carentiam esse privationem: sed neutrum causatur à voluntate efficienter; ergo. Minor pro prima parte probatur, quia vtiliùs est ad non esse actus, non esse voluntatis, quam ipsa voluntas. Pro secunda etiam probatur; nam carentiam actus esse privationem, præstatur à voluntate in genere causæ formalis; aptitudo enim illius ad actum constituit non esse actus in ratione privationis; ergo non potest in voluntatem reduci. Tandem confirmatur. Voluntatem in actu primo constitutam non impedire carentiam actus, non est illam causare, sed solùm permittere: sed illam permittere non sufficit, vt in voluntatem reducatur, vt constat in effectu ad omissionem sequuto; ergo.

55 Hoc tamen argumentum deficit primo, quia si quid probat, convincit non posse dari puram omissionem, quæ sit exercitium voluntatis; cuius oppositum modo supponimus, & eodem modo probat, sivè absit præceptum; immò etiam probat, quantumvis detur actus, qui sit causa, vel occasio omissionis. Secundo deficit, quia sic arguentes tenentur fateri dari omissionem peccaminosam, quæ nullo modo sit à voluntate creata, hancque peccare absque aliquo eius exercitio; nam in casu puræ omissionis existente præcepto, omissio est peccaminosa, vt concedunt: & à voluntate non est aliquo modo: quod sic probatur; nam omissio vt carentia est præcisè à voluntate, non est, vt ipsi asserunt, negatio vt imputabilis ad culpam; quia in ratione talis constituitur iuxtà ipsos per præceptum, & potentiam ad actum, quorũ neutrum est à voluntate: hoc tamen esse falsum supra probavimus, & de se est manifestum; voluntas enim ideò peccat, quia contra rationem suam libertatem exercet. Insuper, quia si omissio actus, quæ ex se, & vt est carentia illius, non est exercitium voluntatis, neque voluntati superadditæ præcepto est peccaminosa. Sequitur etiam huiusmodi peccatum esse adæquatè à Deo; quod

quod non concedunt. Assumptum probatur; nam carentia illa non est exercitium voluntatis, neque existit ex vi alterius determinantis voluntatem creatã, & contingenter existit;ergo ex determinatione Dei. Insuper id, quo constituitur imputabilis,& peccatum à solo Deo est, nimirùm ipsum præceptum,& potentia ad illud adimplendum; ergo peccatum adęquatè est à Deo.

56 Tandem instatur argumentum; nam non esse alterius mundi in Deum tanquàm in causam reducitur; hæc enim negatio ex determinatione Dei existit; sicut alius mundus, si daretur,ex eius existeret voluntate: & tamen ex Dei non esse, si pro impossibile daretur, infertur non esse alterius mundi,qui ex existentia Dei non infertur; cum Deus existens possit alium mundum creare; ergo etiam si ex non esse voluntatis creatæ inferatur non esse operationis, quod ex existentia voluntatis non infertur, nullatenus deducitur, quod existente voluntate, non esse operationis in illam non reducatur, tanquàm in causam.

57 Vnde ad argumentum distinguenda est maior, quod per se,& essentialiter est inutile, hoc est, ex terminis non est necessarium, & in nulla suppositione vtilè, concedo maiorem: quod non est vtilè, aut ex terminis necessarium, benetamen ex aliqua suppositione, nego maiorem; & distinguo minorem eodem modo, non est vtilis, hoc est, non est ex terminis necessarius, concedo minorem, in nulla suppositione est vtilis, nego minorem, & consequentiam. Itaque id, quod ex terminis non est necessarium ad non esse actus, ex aliqua suppositione potest esse vtilè, & causa illius non essè, nimirùm ex suppositione, quod eius libertati,& dominio subdatur esse,& non esse actus; tunc enim cõtingentia actus ad esse, & non esse, determinanda est ab habente tale dominium; & quia ex suppositione voluntatis, potentis ad actum,& eius omissionem, eius subditur dominio esse,& non esse actus ex illa suppositione, sicut esse actus si datur, existit ex eius determinatione; pariter non esse ad ipsam reducitur tanquàm in non agentem vt illius exercitium, quatenus nõ activam. Quod rectè explicatur instantia adducta de Deo; est tamen duplex differentia, scilicèt,quod suppositio,ex qua Dei subditur dominio esse, & non esse mundi est maximè necessaria, nimirúm esse Dei; suppositio autem, ex qua voluntati subditur esse,& non esse actus est contingens: alia est, quod non esse alterius mundi non est exercitium voluntatis divinæ, sed effectus decreti Dei; at non esse actus voluntatis est eius exercitium.

58 Ex quibus constat ad confirmationes adductas, quatenus nobis Adversari possunt: Nam etiam si non esse operationis in ratione privationis constituatur per aptitudinem voluntatis, quod tamen est falsum, quia illud non esse connotata aptitudine, seipso est privatio; aliâs privatio per aliquod positivum constitueretur: Hoc, inquam, admisso, solutio ibi assignata, quæ iuxtà dicta, optima est, nõ infringitur; nam quoties non esse actus est privatio, quidquid sit de constitutivo privationis, ad voluntatem reducitur, quia eius subditur dominio esse, & non esse actus. Ad vltimam dicatur,non elicere actum non esse solùm permittere carentiam actus, sed exerceri voluntatem,vt est non activa, per ipsum non esse actus: de effectu autem ad omissionem sequuto alia est ratio, vt statim videbimus.

59 Ex dictis sequitur, omissionem externam, quę per se sequitur ex interna, esse voluntariam absque præcepto; nam cum quis omittit libere actum internum voluntatis, quo velit audire sacrum, non solum est voluntaria omissio volitionis, sed etiam omissio externa auditionis; & ratio est, quia omissio exterior sequitur per se ad interiorem,& consequenter ab illa participat voluntarietatem, & libertatem; & sicut operari est voluntarium ab actu voluntatis, etiam non operari in potentia exteriori est ab omissione interiori voluntarium.

((§))

§. IV.

Quid ſit dicendum de effectu ad omiſsionem ſequuto?

60 ULTIMA Concluſio ; effectus peraccidens ex omiſsione ſequutus ſolum eſt voluntarius, cum adeſt obligatio ad illum impediendum : hæc concluſio tradditur à D Thom. in præſenti, & infra quæſt. 79. artic. & verbis ſupra relatis, & habet duas partes probandas: prima eſt effectum non eſſe voluntarium ſine obligatione : ſecunda eſt ſtante obligatione eſſe voluntarium. Prima pars probatur ; nam effectus ſic ſequutus non eſt voluntarius, & liber immediatè, & ſeipſo, cum non ſit exercitium voluntatis, neque eſt voluntarius mediatè, & per modum effectus ; nam ſubmerſio navis; v. g. cauſatur ab omittẽte auxilium, ſed ſolùm peraccidens ad omiſsionem ſequitur; ſi tamen adſit obligatio opem ferendi, per ſe autem à ventis, vel tempeſtate cauſatur.

Confirmatur, Deo non ſunt voluntaria peccata etiam phiſicè, quamvis ea potens impedire, non impediat, & ſequantur ad omiſsionem cõferendi auxilium efficax ad illa vitanda ; quia ſcilicèt non tenetur auxilia efficacia conferre; ergo potenti impedire effectum, non tamen obligato non eſt voluntarius, etiam ſi omittat auxilium, quo impediretur.

61 Dicere autem, Deo eſſe voluntaria peccata ſaltim indirectè, vt docet Salas hac quæſt. 6. art. 3. diſp. 1. ſect. 4. abſurdum communitèr reputatur à Theologis, & meritó; nam eo ipſo, quod Deo voluntaria ſint, in divinam voluntatem tanquàm in cauſam debent reduci, iuxtâ definitionem voluntarij, quod non decet ſanctitatem Dei : quare alij, conceſſo antecedenti, negant conſequentiam ; aſſeruntque, Deo non eſſe voluntaria, quia conſilio, & præcepto ea impedir, deſiderans vitari peccatum. Contra tamen eſt, quia licet Deus hoc modo peccatum impediat, poteſt tamen efficacitèr illa impedire, & tamen non impedit; ergo ſi poſſe, & non impedire ſufficit ad voluntarium, peccata erunt Deo voluntaria. Secundo ; ſi Deus teneretur auxilio efficaci peccata impedire, quamvis oppoſitum etiam inefficacitèr deſideraret, conſuleret, & præciperet, illi eſſent voluntaria ; ergo non propterea illi voluntaria non ſunt; quia conſilio, vel præcepto ea impedit, ſed quia non tenetur efficaciter impedire : & quidem ſuperiori potenti, & obligato ad impediendum peccatum ſubditi, ſi omitteret impedire, voluntarium eſſet ſubditi peccatum, quamvis inefficacitèr vellet illius vitationem; ergo ſi potenti, & non impedienti eſt voluntarius effectus non exiſtente præcepto, etiã erit voluntarius quamvis inefficacitèr velit eius vitationem.

62 Sed dices: Deo ratione præcepti, & voluntatis inefficacis adimpletionis præcepti eſt involuntarium peccatum; ergo præceptum, & deſiderium vt vitetur peccatum, cauſa eſſe poteſt, vt Deo non ſit voluntarium, quod eſſet voluntarium his deficientibus. Reſpondetur omiſſo antecedenti, conſequens non infertur, vt conſtat in exemplo ſuperioris, nuper adducto; quamvis enim peccatum ſubditi ratione deſiderij, & conſilij ſit aliquo modo ſuperiori involuntarium; ſi tamen tenetur, & poteſt impedire, eſt abſolutè voluntarium: vndè ſolùm probatur eſſe Deo peccata partim mixta ex voluntario, & involuntario, non verò non eſſe voluntaria.

63 Tandem probanda eſt concluſio; quia effectus ſequutus peraccidens ex actione poſitiva non eſt voluntarius, vt conſtat in muliere ſe ornante iuxtà ſtatum ſuum ad quod ſequitur alterius peccatum. Similiter, qui petit Sacramenta à Parrocho, quem videt in peccato adminiſtraturum, & aliundè non habet, à quo commodè petat, non peccat, nec Parrochi peccatum in adminiſtrando commiſſum, eſt ipſi voluntarium, quia nimirùm ex volitione petentis non ſequitur per ſe, ſed peraccidens, & alias perendo vtitur iure ſuo ; ergo ſimiliter omittenti impedire effectum, quando non tenetur, non eſt voluntarius effectus ex illa omiſsione peraccidens ſequutus.

64 Secunda pars concluſionis probatur; nam quamvis ſuppoſita obligatione impediendi, voluntas omittendo nõ influat phiſicè in effectum; moraliter tamẽ in-

influit; ergo est voluntarius effectus. Consequentia constat; nam ad voluntarium sufficit esse á voluntate physicè, vel moraliter. Antecedens verò probatur; quia non impedire causam operativam damni, quãdo quis tenetur, reputatur moraliter, quãvis non physicè; debitum enim facit quod damnum medio illo ad voluntatem pertineat, quæ illud vitare debebat, moraliterque præsummitur illius causa, iuxtà illud Ambrosij dictum: *Si non pavisti, occidisti*, nempè esurientem, cum id facere tenebaris, hoc est, perinde te habuisti, ac si occidisses.

65 Contra hanc conclusionem est commune argumentum; nam omissio est voluntaria nullo existente præcepto; ergo effectus. Consequentia probatur. Ideò omissio non indiget præcepto, vt voluntaria sit, quia illo secluso est potens voluntas ad actum, & eius omissionem: sed etiam est potens secluso precepto, ad impedendum, & non impediendum effectum; ergo illo secluso erit voluntarius. Confirmatur; quia præcepto secluso voluntas est potens, & libera in actu primo ad non submersionem navis; v. g. cum possit causare libere non submersionem; ergo pariter est illi libera navis submersio. Hæc consequentia probatur; quia implicat voluntas in actu primo libera ad vnum extremum contradictionis sine libertate ad alterum; libertas enim consistit in indifferentia ad vtrùmque: tunc sic; ergo vt reducatur hęc libertas ad actum submersionis, vel non submersionis, precepto non indiget. Hæc cõsequentia probatur; quia voluntas præcisivè à præcepto est potens, & libera ad eliciendum actum, & illum omittendum, vt hæc libertas ad actum secundum reducatur, sivè per actum positivum, sivè per omissionem, præcepto non indiget; ergo si precisive ab obligatione voluntas est potens, & libera in actu primo ad submersionem, & non submersionem navis, vt hæc indifferentia reducatur ad exercitium, non est necessarium præceptum. Confirmatur secundo. Submersio navis non est necessaria non subvenienti; ergo libera, & consequenter voluntaria. Tertio confirmatur, non impediens submersionem verè illam ponit; ergo est illi voluntaria. Antecedens probatur, non impediri est poni; ergo non impediens ponit. Antecedens verum est de quolibet effectu; etenim potens existit, si non impediatur eius existentia ex alicuius determinatione; ergo non impedire rem est poni.

66 Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam, ad probationem admissa maiori, & cõcessa minori, neganda est consequentia; ex præmissis enim solum infertur, esse voluntarium impedire, si impediat, & non impedire sic, vel non impedire, dum se determinaverit voluntas, non tamen sequitur, effectum ex non impeditione sequutum esse voluntarium, quia non sequitur per se ex omissione impediendi, sed ex alijs causis influentibus positive in illum: disparitas autem inter omissionem, & effectum ex dictis constat; nam omissio vtpotè exercitium voluntaris seipsa est voluntaria, si voluntas est indifferens; atqueadeò præcepto non indiget; effectus autem non est seipso voluntarius, neque ad voluntatem reduci potest, nisi medio illius exercitio ab eadem causetur, quod in præsenti non contingit, cum ex omissione non sequatur per se.

67 Ad primam confirmationem admissis antecedenti, & casu, scilicèt, quod libere possit causare non esse submersionis, illam impediendo, neganda est cõsequentia, stat enim benè, quod voluntas possit libere ponere effectum, & quod illius voluntarium in potestate illius non sit; neque difficilè intelligitur, quod Petrus possit in aliquo casu impedire submersionem navis, & consequenter causare non submersionem, & tamen, quod in eius potestate non sit navis submersio; faciliùs enim est impediri aliquam causam ab effectus productione, quam eius effectum producere: & quidem Deus potest impedire peccatum creaturæ, quod tamen ponere, seù causare non potest, sed solum permittere. Ad consequentiæ probationem, negandum est antecedens; vbi distinguere oportet inter exercitia libertatis, & effectum ex exercitio sequutum; vt enim voluntas sit libera, oportet, vt possit ad exercitium libertatis oppositum contrariè, vel contradictoriè, & absque hac indifferentia libertas non consistit: vndè si Petrus libere potest velle impedire submersionem navis, potest hanc volitionem libere omittere, & idem dicendum est de actu, & omissione potentiæ exterioris subiectæ voluntati; vt enim quis libere possit ambulare, necessarium est, quod possit omittere deambulationem; in effectu autem

tem exteriori ab alia causa ponendo non sic contingit ; nam stat casus , in quo quis possit impedire effectum ; & consequenter facere , quod non sit , quin possit præstare , quod ille effectus ponatur; requiritur tamen, quod possit illum permittere,hoc est,illum impedire.

68 Ad secundam confirmationem, omisso antecedenti , distinguendum est consequens, est libera permissive, concedo consequentiam;positivè , seù influxive , nego illam : sicut enim ex eo , quod peccatum creaturæ non sit Deo necessarium , non infertur ipsi esse voluntarium, & liberum positive , & influxive , sed solum permissive , quod est non esse absolutè voluntarium , pariter in præsenti. Ad tertiam negandum est antecedens , ad cuius probationem iterùm , negandum , vel distinguatur claritatis gratia ; si non impediri idem sit , quod nihil incomposibile poni ab aliqua causa cum existentia effectus, concedo antecedens , si idem sit atque ab aliqua causa non poni , nego antecedens,& consequentiam.

69 Tandem arguitur ad probandum, quod etiam posito præcepto,effectus peraccidens sequutus non est voluntarius; nam secluso præcepto non est voluntarius, quia à voluntate non causatur , sed permittitur : sed posito præcepto solùm permittitur à voluntate ; ergo etiam posito præcepto non est voluntarius. Minor probatur ; nam adhùc posito præcepto , nihil ponitur â voluntate influens in effectum : solùm enim ponitur omissio impediendi , quæ non influit , effectusque ab alia causa adæquatè ponitur ; ergo solùm permittitur á voluntate. Respondetur concessa maiori , negando minorem , & ad probationem asserendum,omissionem impediendi supposito præcepto moraliter influere; cui influxui non obstat, quod ab alia causa phisicè adæquatè causetur.

((o))

Articulus IV.

Vtrùm voluntati possit inferri violentia?

PRIMA CONCLVSIO.

Voluntas quantum ad actus ab ipsa imperatos potest pati violentiam.

SECVNDA.

Non potest inferri violentia voluntati,quantum ad actus ab ipsa immediatè elicitos.

Articulus V.

Vtrùm violentia causet involuntarium?

CONCLUSIO Est affirmativa , quam probat D.Thomas authoritate Aristotelis,& Damasceni vbi supra artic. 2.& hac ratione violentia directè adversatur voluntario,sicut & naturali ; vtrúmque enim est â principio intrinseco ; violentia autem à principio extrinseco : quapropter, sicut violentia in his rebus,quæ cognitione carent, est contra naturam; ita in rebus sensu,& ratione vtentibus facit esse contra voluntatem : quod autem est contra naturam ,dicitur esse innaturale , quod autem contra voluntatem, dicitur involuntarium, & consequenter violentia involuntarium causat.

Postquàm D. Thom. in præcedentibus explicuit rationem voluntarij iam hoc articulo incipit agere de eius opposito, scilicèt involuntario , eiusque causis. Sicut enim

enim voluntarium duo requirit, nimirùm principium intrinsecum, & cognitionem dirigentem; eius oppositum ex oppositis principijs causatur: vndè involuntarium est, vel quia operatio est â principio extrinseco, sicut est violentia, & metus, vel ex defectu cognitionis, qui contingit per ignorantiam, & passionem; de quibus in sequentibus articulis; nunc verò de violentia sermo est.

Vbi advertendum est, quod violentia, vis, & coactio in rigore sermonis differũt; nam violentia significat impetum contra insitam naturæ inclinationem, cui resisti nõ potest, diciturque tàm de animatis, quàm de inanimatis: vis autem significat impetum contra innatam inclinationem, & in eàdem vniversalitate; extenditur tamen ad impetum, cui resisti potest: coactio verò est propria eorum, quæ sensu, & ratione prædita sunt. Vt ex Durando in 2. distinct. 26. quæst. 4 num. 4. referunt Recentiores; iam tamen pro eodem communi Philosophorum, & Theologorum vsu sumuntur violentia, vis, & coactio.

Est etiam advertendum, quod quamvis necessitas ab Aristotele cum violentia, & coactione confundatur; tamen revera latius patet, quam violentia, & coactio; nam licèt omne violentum, & coactum sit necessarium, non tamen omne necessarium est violentum, aut coactum: amor enim beatificus, & similes actus necessarij minimè sunt violenti, sed maximè voluntarij, vt suprà vidimus; solùm ergo necessitas proveniens à coactione, idem est, atque violentia, non verò illa, quæ oritur ex determinatione potentiæ ad vnum, quæ etsi opponatur libertati, rectè cum voluntario cohæret.

Deindè advertendum est, quod violentum, & invitum attenta rigorosa significatione, non sunt idem; nam violentum, vt vidimus, significat impetum contra inclinationem naturalem, & est quid commune animatis, & inanimatis: invitum verò significat passionem, seù coactionem contra inclinationem naturæ, reluctante affectu contrario, quo aliquis patitur, vel cogitur: vndè solùm convenit cognitione vtentibus: ex quo infrà asserimus cum ratione inviti rationem voluntarij reperiri posse.

****

Dubium Vnicum.

IN ORDINE QUARTUM.

Vtrùm voluntati possit inferri violentia?

§. I.

Explicata definitione violenti, statuitur prima conclusio.

1 VIOLENTUM Sic à Philosophis communitèr definitur; violentum est illud, quod procedit à principio extrinseco, passo non conferente vim: vltima verba non sunt intelligenda negative, quasi sufficiat ad violentiam, subiectum non cooperari motui violento, sed positivè, & contrariè, ita vt passum positivè renitatur, & resistat extrinseco agenti; aliàs infusio habituum, & donorum supernaturalium violenta esset, cum natura nullam conferat vim ad eorum infusionem, sed per potentiã obedientialem illa recipiat: Quod exprimit ipsa ratio violenti; idem enim est, atque vi illatum: nulla autem fit vis, vbi nulla est positiva resistentia. In determinanda autem huiusmodi resistentia, non omnes conveniunt; aliqui enim cum Conimbricensibus lib. 5. Physicorum cap. 6. ad genus causæ efficientis resistentiam restringendam esse affirmant, asserentes, quod vt motus sursum in lapide sit violentus, necessarium est, quod forma lapidis active illi resistat: alij autem cum Pat. Vazquez in præsenti disp. 25. cap. 3. asserunt, non sufficere ad rationem violenti resistentiam passivam, sed necessariam esse formalem, vel activam; vndè subiecto mere receptivo nulla potest violentia inferri.

2 Oppositum tamen est asserendum cum communi sententia, quãm expressè tradit D. Thomas hoc articulo ad secundum, docens, motum esse violentum, quando fit contra interiorem inclinationẽ passivi: qua ratione alterationes, & generationes corporum simplicium naturales esse affirmat, quia scilicèt sunt iuxtà incli-

na-

nationem materiæ;& ratio eſt,quia materia,quæ ſolùm eſt principium paſsivum, eſt natura,vt docet Ariſtoteles, & ex eo D.Thom.2.Phiſicorum cap. 1. lect. 1. & conſequenter id,quod eius opponitur inclinationi,contra naturam eſt; atqueadeò violentum potiori titulo de forma aſſerendum,non ſolùm ea ratione, qua principium activum eſt,ſed quia eſt cauſa formalis: & quidem abſque aliquo fundamento requiritur reſiſtentia activa; cum abſque hac motus poſsit eſſe contra inclinationem materiæ,& formæ.Cui accedit, quod eſt probabilis plurium ſententia, motum lapidis deorſum ſolùm paſsive eſſe à lapide, & active à generante; atqueadeò lapis non active, ſed paſsive reſiſtit motui ſurſum, qui tamen eſt ipſi violentus: ſimiliter materia in quantitatem non influit active, ſed ſolùm paſsive iuxtá Vazquez,& tamen eſt naturalis materiæ, eiuſque privatio violenta.

3 Fundamenta ſententiæ contrariæ facilè ſolvuntur: primum deſumunt eius Authores ex eo, quod materia prima non eſt natura: ſecundum, quia ſi ad rationem violenti ſufficeret eſſe contra inclinationem paſsivi, tenebræ eſſent violentæ veri; & forma ſubſtantialis materiæ; quia ſcilicèt tenebræ ſunt contra inclinationem veris ad habendam lucem, & forma contra appetitum materiæ ad alias formas. Similiter quies, quæ erit in cœlo poſt diem Iudicij, eſſet illi violenta, cum in cœlo ſit inclinatio ad motum, qui propterea ipſi naturalis eſt; quietem autem non fore illi violentam conſtat, quia perpetua eſt. Tertio moventur; quia perſonalitas Verbi eſſet humanitati violenta, cum ſit contra inclinationem illius ad propriam ſubſiſtentiam.

4 Ad primum, negandum eſt antecedens, cuius falſitas conſtat ex Philoſopho,& Div. Thoma in præſenti. Ad ſecundum dicendum, potentiam paſsivam veris eſſe disiunctivè ad lucem, vel tenebras, vndè tám tenebræ, quàm lux ipſi connaturaliter inſunt, quod non tollit, quod aliqui probabiliter affirmant, ſcilicèt, veri inferri violentiam, ſi ad præſentiam luminoſi luce privaretur.De materia prima idem dicendum, nimirùm habere potentiam indifferentem ad plures formas,& quamlibet eſſe iuxta eius inclinationem. Ad exemplum de cœlo idem dicatur; poteſtque addi, quod motus eſt cœlo naturalis propter influxum in hæc inferiora, quo fine deficiente, poſt diem Iudicij naturaliter quieſcit, vel dicendum,quod quies illius erit à Deo, à quo nulla creatura violentiam patitur.

5 Ad tertium negandum eſt antecedens; nam ſolùm tunc violentia infertur paſſo,quãdo per receptionem formæ privatur termino inclinationis, & per formam receptam non accipit perfectiori modo, quod à forma connaturali erat præſtandum; & quia perſonalitas verbi continet eminenter perfectionem ſubſiſtentię creatæ, præſtatque humanitati perfectiori modo, quod á perſonalitate creata erat præſtandum, ideó non patitur violentiam; & hoc vltimum, ſi convinceret, probaret non ſufficere reſiſtentiam activam ad violentiam; cum propria ſubſiſtentia ſit active à natura.

6 Alij difficiliùs contra præfatam doctrinam ſic inſurgunt. Principium paſsivum eſt verè,& propriè cauſa materialis formæ, quę educitur ex eius potentia naturali, vel obedientiali, ita vt verè pendeat in eſſe,& conſervari á ſubiecto; ergo non ſolùm non reſiſtit formæ,quæ in ipſo recipitur, ſed potiús vi, & conatu in genere cauſæ materialis præbet vt forma exiſtat;ergo in receptione formæ,non poteſt pati violentiam.

7 Propter hoc argumentum vidi aliquos aſſerentes, materiam in receptione formæ nullam poſſe pati violentiam,quæ tamen ipſi inferretur, ſi expoliaretur omni forma, in quo apertè Vazquez diſſentire videtur: nobis tamen oppoſitum eſt dicendum;& ratio eſt: nam ipſa receptio formæ poteſt contrariari inclinationi naturali; nihil enim obeſt, quod ſubiectum inclinetur ad aliquam formam cauſandam, & recipiendam, & quod ab aliquo efficienti, cui ſubijcitur, cogatur ad alteram recipiendam, ad quam non inclinatur; ac proindè illius receptio contraria erit inclinationi naturali, vtpotè impeditiva termini inclinationis: quod videre eſt in receptione motus ſurſum in lapidè, quæ eſt cauſalitas lapidis in motu, & ipſi violenta paſſo; ergo vt tali poteſt inferri violentia, in receptione formæ. Quod autem

tem hæc receptio violenta sit, inde constat, quia contrariatur receptioni motus deorsum, qui est adæquatus terminus inclinationis lapidis.

8 Confirmatur primo; nam violentum formaliter in eo consistit, quod recipiatur, & materialiter causetur forma ab extrinseco agente producta contra inclinationem subiecti; ergo causalitas materialis non potest violentiæ opponi; atque adeò ex eo quod subiectum materialiter causet formam, non infertur, illam non pati contra ipsius inclinationem; ad quod non est necessarium recurrere ad inclinationem activam subiecti; nam existente præcisè inclinatione passiva ad formam, receptio contrariæ est contra inclinationem. Confirmatur secundo; nam, vt concedunt, si materia spoliaretur omni forma, ipsi inferretur violentia, & privatio esset illi violenta, quam tamen materia causaret in genere causæ materialis eo modo, quo privatio causam habere potest; ergo forma, quæ à subiecto materialiter causatur, potest illi esse violenta, & contra inclinationem passivam illius: ratio autem quare causa materialis contra adæquatam inclinationem possit causare, est, quia eius causalitas est imperfecta, causat enim recipiendo, in quo agenti subijcitur, quod efficienter præstat vt materia contra propriam inclinationem formam, quam ipsum efficit, recipiat; per quod constat ad argumentum, ad quod concesso antecedenti, neganda est consequentia, quamvis enim materia passive causet formam illam recipiendo, hoc aliquando fit ab agente coactè, & contra propriam inclinationem subiecti.

9 Deindè supponimus, Deum nihil violentum operari in suis creaturis, quæ est doctrina D. Thomæ 1. part. quæst. 103. articulo 8. ad tertium. Et quæstione 105. articulo 6. ad 1. & 3. parte quæst. 44. articulo 2. quæstione 1. de Potentia, articulo 3. ad 1. 3. contra Gentes capit. 200. quam desumpsit ex Augustino libro 26. contra Faustum, capit. 3. illamque optimè explicant, & defendunt; PP. Salmanticenses in præsenti dub. 2. iuxtà quam voluntas non potest pati violentiam simpliciter in cessatione ab actu, neque in illius actibus elicitis, aut imperatis, aut in receptione alicuius formæ, si hæc à nullo agente extrinseco præter Deum causatur: verumtamen licèt hoc ita sit, manet locus præsenti disputationi; nam licèt Deus non possit inferre violentiam creaturæ absolutè, & simpliciter, benetamen secundum quid, quatenus potest aliquid facere contra particularem inclinationem, & exigentiam creaturæ; quod licèt non sit illi simpliciter violentum, quia non potest non esse iuxtà præcipuam eius inclinationem, scilicèt obediendi Deo, cui in omnibus subijcitur, potest dici secundum quid violentum, quia opponitur speciali inclinationi creaturæ; eo sanè modo, quo à quæ, dum ascendit ad replendum vacuum, aliqualis fit violentia, quia scilicèt motus ille fit iuxtà præcipuam eius inclinationem, qua respicit bonum vniversi, cuius est pars; est tamen contra eius specialem inclinationem, quæ desiderat contrarium: in hoc ergo sensu procedit disputatio. Circa quod dubitari potest; an pati possit violentiam in cessatione ab actu? An in illo eliciendo? An in actibus imperatis? & tandem, an possit in recipiendo aliquam formam violentari? de quibus omnibus breviter est dicendum. Sitque.

10 Prima conclusio, voluntas potest pati violentiam in cessatione ab actu: hæc conclusio communius traditur à Thomistis, illam defendit Magister Cornejo disputatione 2. dubio 4. Gregorius Martinez dubio 2. Curiel dubio 3. Lorca disputatione 4. Montesinos disputatione 10. quæstione 7. PP. Salmanticenses dubio 3. & probatur; nam Deus potest impedire voluntati actum, ad quem est inclinata; ergo potest inducere privationem actus contra eius specialem inclinationem; atqueadeò violentiam inferre in sensu explicato. Antecedens probatur; nam Deus beato ipsum videnti potest non præbere concursum ad actum charitatis, & consequenter illum impedire; potest similiter impedire Anlo amorem naturalem sui, & Dei Authoris naturę, cui vterquè amor est debitus; potest etiam voluntati necessitatæ ad actum ex vi cognitionis, negare concursum ad illum; potest etiam voluntati volenti efficacitèr diligere, negare concursum ad diligendum: potest tandem cum voluntate nunquam concurrere ad operandum, sed illam relinqnere in per-

pe-

petua ſuſpenſione : at beatus ita eſt inclinatus , & propenſus ad amorem , vt ſine miraculo non poſsit illo privari ; Angelus ex natura ſua eſt determinatus ad ſui, & Creatoris amorem ; volenti efficacitèr amare , amoris privatio eſt ab extrinſeco , actualiter reſiſtente voluntate ; & tandem voluntas ab Authore deſtituta , vt proprijs actibus ſe perficiat , non poteſt non eſſe ſpecialiter inclinatas ad aliquando operandum ; ergo in omnibus his patitur voluntas violentiam in ceſſatione ab actu.

11 Confirmatur ; nam ſi materia prima expoliaretur omni forma , violentiam pateretur , vt concedunt, contrariæ ſententiæ Authores ; ergo voluntas beata neceſsitata ad actum , in illius privatione violentiam pateretur. Conſequentia probatur ; ideò antecedens eſt verum, quia materia eſt inclinata ad habendam formam : ſed etiam voluntas beati eſt inclinata ad amorem ; ergo illius privatio eſt violenta ; eſt enim evidens ſignum inclinationis , & propenſionis ad actum, illo ſine miraculo non poſſe carere ; ſicut evidens eſt inditium inclinationis materiæ ad formam, non poſſe omni forma carere abſque miraculo.

12 Reſpondebis ex Magiſtro Ioanne â Sancto Thoma , diſputatione 4. articul. 1. cui oppoſita placuit ſententia, quod voluntas noſtra eſt agens ſecundum, primo ſubordinatum ; ac proindè non inclinatur ad agendum , niſi media motione , & influxu Dei : quapropter hoc influxu ceſſante ex voluntate Dei , naturaliter, & abſque aliqua violentia caret operatione : Quid enim (inquit) connaturalius, quam cauſam ſecundam non agere abſque influxu primæ , qua ratione cœlum naturaliter quieſcit Angelo ſuſpendente actionem, qua illud movet ; & aër caret luce ad defectum lumineoſi ; at verò materia prima fertur in formam appetitu innato independenter à motu formæ , quin potius , ſi forma ſit abſens , materia magis inclinatur ad ipſam : & vt ampliùs hoc explicet , addit, Deum poſſe privare creaturam ſtatu aliquo ſibi convenienti , duplicitèr , primo relinquendo inclinationem ad illum habendum ; in lapide ſurſum detento , inclinationem ad deſcendendum, & in materia prima privata forma , inclinationem ad illam, & tunc infert ipſi violentiam , quamvis ad hoc vtatur ſua abſoluta potentia , quia per inclinationem ad oppoſitum reſiſtit poſitivè creatura. Secundo hoc poteſt facere nullam relinquendo inclinationem ad ſtatum aliàs connaturalem,& ſic contingit in exemplis ſupra adductis.

13 Contra hanc tamen doctrinam obſtat ; nam ſicut agens creatum ita Deo ſubordinatur , vt agere non poſsit abſque influxu Dei , pariter materia prima ſic Deo ſubijcitur , vt non poſsit ſuſcipere formam , niſi Deo illam conferente : ſed hoc non obſtante ſi non conferret materiæ formam aliquam , illi violentiam inferret ; ergo ſimiliter Deo non dante voluntati actum , medio ſuo influxu , voluntas patietur violentiam. Conſequentia exinde probatur ; quia ideò materiæ violentia infertur in negatione omnis formæ , quamvis non poſsit illam habere, niſi Deo dante , quia exigit dari à Deo; ſed voluntas beati exigit , quod ab ipſo conferatur amor voluntati , phiſicè ad illum prædeterminando ; ergo in illius negatione violentia infertur. Minor hæc probatur ; quia voluntas beati non minus eſt connexa cum actu , & illum exigit, quam materia formam in ſententia,quam admiſsimus ; ergo non minus exigit à Deo ipſi conferri actum medio eius influxu , quam materia , vt ipſi conferatur forma.

14 Confirmatur primo ; nam voluntas beati exigit concurſum divinum ad actum ; ergo in illius negatione patitur violentiam. Antecedens probatur, exigit actum ; ergo exigit omnia prærequiſita ad illum cum illis connaturaliter connexum. Quod ſic vlteriùs probatur ; ſi in natura eſſet virtus partialis in actum ſupernaturalem , non poſſet non eſſe in illa exigentia alteriùs principij ſupernaturalis requiſiti ad actus ſupernaturalis exiſtentiam : qua ratione concurſus partialis in natura ad actus ſupernaturales negatur à Thomiſtis ; ergo exiſtente in voluntate beati connexione natura ſua cum actu dilectionis, non poteſt non eſſe in illa exigentia , ſeù connexio cum concurſu divino requiſito ad illum.

15 Confirmatur ſecundo; inclinatio voluntatis beati ad actum dilectionis, non eſt conditionata ſub conditione, ſcilicèt concurſus divini , ſed abſoluta; ergo perſeverat adhùc deficiente concurſu divino ; atqueadeò ceſſatio ab ac-

tu est contra illius inclinationem, & violentia. Antecedens probatur; tùm quia materia prima non habet inclinationem ad formam, sub conditione, scilicèt, quod à Deo conferatur, sed absolutam; aliàs Deo non conferēte formam, nulla fieret violentia materiæ. Tùm etiam; quia voluntas beati præcisivè à concursu divino conectitur naturaliter cum actu, quem naturaliter exigit; hancque exigentiam non accipit ex concursu Dei, sed ex ipsa beatitudine; ergo illius inclinatio non est conditionata.

16 Confirmatur vltimo; nam si beatus non exigeret concursum divinum ad amorem, nullum interveniret miraculum in cessatione ab illo: at hoc est falsum; ergo exigit concursum, illique est debita prædeterminatio ad illum. Probatur maior. Nam non est miraculum non amare, supposita negatione concursus; cum ex illa suppositione sit necessario; neque est miraculosa negatio concursus; est enim negatio alicuius non debiti, & quod à natura exigitur, miraculum non est; ergo nullum interveniret miraculum: & quidem carentia amoris contra exigentiam, & inclinationem voluntatis non est, cum hæc carentia non detur nisi deficiente Dei concursu, & cum alias concursum deficere contra exigentiam voluntatis non sit, iuxtà hos Authores, nihil est in carentia amoris in beato, quod connaturale non sit.

17 Ex quibus deducitur distinctionem illam à SS. Mag. adductam, nimirùm aliquando Deum relinquere inclinationem ad statum conaturalem in creatura illo privata, & aliquando non, quoad præsens nullam esse; neque enim est assignabilis ratio, quare hæc inclinatio in voluntate beati ad amorem non maneat; immò plures esse ad illud probandum satis ex dictis constat; & idem dicendum est de qualibet causa naturali, igne verbi gratia non comburente ex defectu concursus divini, in quo etiam manet inclinatio ad combustionem, & ad concursum Dei: cui non obstat, quod sine illo non potest comburere: non enim ponimus in igne inclinationem ad combustionem coniungendam cum negatione concursus, licèt cum hac negatione componatur inclinatio ad combustionem secundum se; sicut cum negatione concursus componimus potentiam ad actum, & similiter cum actus negatione: neque ex eo, quod componi non possit combustio cum carentia concursus, infertur, quod non possit cum hac carentia componi inclinatio ad combustionem, sicut & componitur potentia; quod pervium est in doctrina Thomistarum.

18 Infertur etiam, quod ad hoc vt maneat inlinatio in voluntate beati ad amorem non est necessarium, vt voluntas beati negato concursu conetur ad actum per aliquod á se distinctum: quod convincitur in materia prima, in qua expoliata omni forma manet inclinatio ad illam, quin sit aliquis conatus in materia distinctus: neque dici potest, quod materia ratione dispositionis conatur ad formam: tùm, quia expoliata omni forma, & dispositione esset in statu violento, vt concedunt: tùm etiam, quia eodem modo potest dici, quod voluntas beati ratione beatitudinis conatur ad amorem. Tùm denique, quia dispositiones non sunt in materia nisi per inclinationem, & conexionem naturalem cum forma, quod totū in voluntate beati reperitur.

19 Quod addunt, scilicèt, grave sursum detentum, conari ad descendendum per aliquid à gravitate distinctum, & ab ipsa derivatum, quod est impulsus impressus corpori detento, non probat, hoc semper esse necessarium, vt maneat inclinatio, vt patet in materia: ideò autem ibi sic contingit, quia lapis sursum detentus non impeditur à gravitatione, & impulsu, sed solùm à motu; quod si ab vtroque impeditur, manente gravitate, etiam ipsi fieret violentia; deficiente verò concursu divino impeditur agens ab actu secundo, & ab omni conatu ab ipso distincto: immò ex hoc ipso exemplo conficimus argumentum; nam impulsui, & conatui lapidis fit violentia per hoc, quod impediatur á motu: & tamen vltrà ipsum impulsum inclinantem ad motum, nihil datur, quo in actu secundo inclinet; ergo etiamsi in gravi naturali nihil detur, quo conetur ad actum, propter inclinationem secum identificatam illius carentia erit violenta.

20 Asserere autem, quod agens negato concursu Dei, non solùm non inclinat ad agendum, sed positivè inclinat ad non agendum, magis distat; inclinatio enim supponit potentiam: sed in agente naturali non est potentia ad non agendum; cum non agere non possit esse illius exercitium; ergo in illo ad non agere non po-

test

teſt dari potentia, neque inclinatio Ex quibus etiam apparet, quod volũtas etiam patitur violentiam in nunquam operando, ſivè hoc contingat ex negatione concurſus actualis, ſivè ex alio defectu ſe tenente ex parte actus primi. Nam voluntas ex ſua natura deſtinata ad operandum exigit aliquando operari, & omnia ad operationem requiſita, ſivè ex parte propoſitionis obiecti, ſivè aliunde: vndè ſi homo eſſet perpetuò privatus cognitione, fieret violentia, non ſolùm intellectui, ſed etiam voluntati; quod ſi defectus iſte eſſet à cauſa ſecunda, eſſet ſimplicitèr violentia; ſi autem eſſet â Deo, ſolùm ſecundum quid; quia licèt eſſet contra ſpecialem inclinationem, eſſet tamen iuxtà aliam principaliorem obediendi Deo. Pro complemento eſt advertendum, quod licèt non operari ſit aliquando violentum voluntati, tunc ſolùm eſt involuntarium, quando privatur propria operatione contra voluntatem efficacem operandi: aliud eſt enim eſſe non involuntarium, aliud eſſe poſitivè involuntarium; ad primum ſufficit exiſtere, & non ex actu voluntatis, ſeù appetitus; ad ſecundum autem requiritur eſſe poſitivè contra actum elicitum voluntatis.

§. II.

Statuitur ſecunda concluſio.

21 SECUNDA Concluſio. Voluntas non poteſt pati violentiam in elicientia ſuorum actuum: Hæc concluſio ſtatuitur contra Angeſtum in ſuis Moralibus, cap. 3. Nam quamvis ibi aſſerat, non poſſe violentari voluntatem, docet tamen poſſe cogi, quod idem eſt; atque violentiam pati. Sententiam noſtram tenet Divus Thomas in præſenti, & 1. part. quæſt. 82. art. 1. quæſt. 22. de Veritate artic. 5. quẽ ſequuntur communitèr Theologi, & probatur primo ex Auguſtino lib. 5. de Civitate Dei, cap. 10. ibi: *Si aliquod ſit voluntate, non ſit neceſsitate, ideſt coactè*: vbi neceſsitatem pro coactione accipit, non pro determinatione ad vnum; aliàs falſa eſſet eius doctrina; eandem docet Anſelmus de Libero Arbitrio cap. 3. illis: *Ligari poteſt homo, & invitus, quia nolens poteſt torqueri invitus, quia nolens poteſt occidi: velle autem non poteſt invitus, quia non poteſt velle, nolens velle*, Damaſcenus lib. 3. de Fide, cap. 27.

22 Secundo probatur concluſio. Omnis actus â voluntate elicitus, eſt voluntarius, vt conſtat ex definitione voluntarij: ergo nullus poteſt eſſe violentus. Conſequentia probatur; nam eſſe voluntarium, & violentum inter ſe opponuntur, cum voluntarium ſit à principio intrinſeco cum cognitione; violentum verò ab extrinſeco; atqueadeò eidem actui nequeunt convenire; ergo ſi omnis actus voluntatis eſt voluntarius, nullus poteſt eſſe violentus. Secundo probatur, omnis actus à voluntate elicitus, eſt ſecundum eius inclinationem, immò quædam eius actualis inclinatio, quia licèt non ſemper inclinetur voluntas medio ſuo actu in obiectum; ipſa tamen nolitio, ſeù odium obiecti eſt quodam pondus voluntatis ad fugiendum illud; atqueadeò omnis actus eſt voluntatis inclinatio; ergo cum violentum ſit illud, quod eſt contra inclinationem illius, quod patitur violentiam, nullus actus voluntatis poteſt ipſi eſſe violentus.

23 Contra concluſionem ſunt aliquę inſtantiæ, quas ſolvere oportet: prima eſt, voluntas poteſt neceſsitari à Deo ad eliciendum actum; ergo cogi. Antecedens eſt certum, & conſequentia probatur; quia neceſsitari, & cogi idem ſunt. Tùm etiam; nam voluntas inclinatur ad libere operandum; ergo ſi poteſt neceſsitari, poteſt elicere actum contra propriam inclinationem. Et confirmatur; nam quando Deus neceſsitat voluntatem, facit illam operari maiori conatu, quam exigit ex natura ſua; ergo violentatur. Conſequentia probatur, quia lapis verbi gratia, non ſolùm violentiam patitur, quando movetur ſurſùm, ſed quando deſcendit maiori conatu, quam petit ex natura ſua;

ergo si voluntas necessitata operetur maiori cohatu, quam ipsa petit, violentiam patitur.

24 Ad argumentum concesso antecedenti, neganda est consequentia, ad cuius probationem respondetur ex Div. Thoma, quæst. 22. de Veritate, art. 5. quod est duplex necessitas, altera coactionis, & est illa, quæ est contra propriam inclinationem, & hæc in voluntatem nullo modo cadere non potest. Altera iuxtá propriam inclinationem, & hæc voluntati potest convenire. Ad secundam dicatur, quod voluntas est indifferens ad libere, & necessario operandum, & actum, ad quem habet inclinationem supposito indifferenti, potest libere operari: stante autem iudicio determinato exigit necessario operari: vndè cum Deus necessitat medio iudicio determinato, non potest actus necessarius esse violentus. Acceditque vterquè actus, tam liber, quàm necessarius est à principio intrinseco cum cognitione, & actualis inclinatio voluntatis, quibus perinde repugnat esse ipsi violentos.

25 Sed dices, potest Deus necessitare voluntatem stante iudicio indifferenti; quid enim obstat, quominùs Deus illo stante imprimat qualitatem necessitantem ad vnum ex actibus, ad quos erat indifferens ex vi iudicij: & tamen operatio esset contra inclinationem voluntatis in actu primo, cum voluntas præventa iudicio indifferenti posit libere operari; ergo. Secundo potest Deus stante iudicio indifferenti ad amorem, illud mutare in iudicium determinatum necessitans ad odium eiusdem obiecti: sed tunc voluntas patietur violentiam in eliciendo odium; ergo idem quod priùs. Maior probatur. Nam licèt illud elicere ex suppositione iudicij necessarium sit; tamen illa suppositio est violenta: sed quidquid sequitur suppositionem violentam, violentum est absolutè; ergo elicientia odij esset violenta.

26 Respondetur negando maiorem; nam sicut Deus non potest facere, vt voluntas sine prævia cognitione operetur; quia hac impletur, & expeditur in actu primo ad operandum; pariter non potest facere, quod necessario operetur, si iudicium sit indifferens; quia sicut non potest tendere in obiectum ab intellectu non propositum, non potest aliter in illud tendere, quam proponitur: vndè qualitas illa si inferret infallibiliter actum, non posset non inferre actus libertatem. Secundo omissa maiori, neganda est minor; nam si semel à Deo necessitari potest, quamvis conaturaliter sit libera operatio, non potest non habere in actu primo inclinationem ad actũ necessarium, quem elicere potest; atque adeò non potest esse omninò contra inclinationem. Insuper, cum actus sit actualis inclinatio orta ab intrinseco, esto esset contra adæquatam inclinationem, non potest esse violentus: & quidem si actus liber, & necessarius solùm extrinsecè distinguuntur, vt plures volunt, nihil datur in actu necessario contra inclinationem voluntatis, cum in nullo prædicato intrinseco á libero distinguatur: vndè ad summum potest esse contra inclinationem voluntatis qualitas necessitans, non actus.

27 Ad secundum respondetur ex D. Thom. quæst. 22. de Veritate artic. 8. in corpore, illis verbis: *Quantumcunque voluntas immutetur in aliquod, non dicitur cogi in illud*; cuius ratio est, quia ipsum velle aliquod, est inclinari in illud; coactio autem, vel violentia est contraria inclinationi illius rei, quæ cogitur; cum igitur Deus voluntatem immutat, facit, vt præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, & ita quod prima aufertur, & secunda manet: vndè illud, ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi iam existenti, sed inclinationi, quæ priùs inerat: vndè non est violentia, nec coactio. Sicut lapidi ratione suæ gravitatis inest inclinatio ad locum deorsum; hac autem inclinatione manente, si sursum proijciatur, erit violentia; si autem Deus auferat à lapide inclinationem gravitatem, & det ei inclinationem levitatis, tunc ferri sursum non erit ei violentum; & ita immutatio motus potest esse sine violentia.

28 Et adhúc admisso, aliquam inferri violentiam voluntati in mutatione iudicij liberi in necessarium; actus tamen voluntatis non esset violentus, quia in illa suppositione, etiam esset ab intrinseco voluntatis, & eius inclinatio actualis: & ad probationem allatam dicendum est, quod suppositio illa licèt esset violenta quoad modum, quoad substantiam esset naturalis; esse enim voluntatem constitutam in actu primo ad operandum necessario ipsi naturale est: vndè actus esset absolutè voluntarius, & iuxtà inclinationem, licèt aliqualem supponat violentam quoad intellectum: sicut si Deus disponeret, quod voluntas nun-

quam

quam esset constituta in actu primo, ad libere operandum, sed semper ad actum necessarium; ipsi inferretur aliqualis violentia, iuxtà supradicta, quia scilicèt petit non necessario operari; attamen voluntas non cogeretur, neque ipsi violentia inferretur in eliciendo actum, quia semper esset ab intrinseco, & eius actualis inclinatio, & indeterminata occasione dispositio illa se tenens ex parte actus primi, non esset violenta secundum se considerata.

29 Ex quo, vt tacitæ obiectioni occurramus, apparet discrimen inter motum lapidis sursum, & actum voluntatis in casu posito; nam suppositio, ex qua infertur motus sursum in lapide, nimirùm impulsus, est ab extrinseco, & omninò contra inclinationem lapidis, & adhùc illo posito, lapis non influit in motum; & quamvis impulsus inclinet in locum sursum, & motus sit quasi actualis inclinatio in illum, nõ est inclinatio lapidis sursum; hæc enim petit esse ab intrinseco: iudicium autem determinatum non est absolutè, & simpliciter contra inclinationem voluntatis, & illo posito actus necessarius est ab intrinseco, & actualis inclinatio voluntatis. Ad confirmationem, negandum est antecedens. Quamvis enim voluntas, præventa iudicio determinato, maiori conatu operetur; non tamen excedit exigentiam voluntatis sic præventæ; in quo discriminatur á lapide, qui non exigit maiorem illum conatum, quo impulsus descendit: quapropter, licèt concedamus, hunc esse lapidi violentum, quod plures negant; non tamen tenemur idem concedere de conatu voluntatis.

30 Sed dices, iuxtà D. Thomam, si Deus daret lapidi levitem, naturaliter ascenderet: & tamen levitas non posset non esse contra inclinationem lapidis; ergo licèt impulsus sit contra inclinationem eiusdem, quia tamen est qualitas ad motum sursum inclinans, talis motus, erit absolutè naturalis, quod dici non potest. Maior probatur; nam gravitas est proprietas lapidis; sed qualitas opposita proprietati alicuius naturę, non potest non esse contra inclinationem talis naturæ; ergo cum levitas gravitati opponatur, non potest non esse contra inclinationem lapidis.

31 Respondetur, quoad veritatem doctrinæ D. Thom. sufficit, quod si per possibile, vel impossibile Deus mutaret gravitatem lapidis, in levitatem ita, quod sicut necessario habet gravitatem, haberet levitatem sibi conaturalem; tunc motus sursum esset naturalis, sicut nunc motus deorsum; quidquit sit de huius possibilitate: ex quo rectè deducitur, quod Deus potest mutare voluntatem, de vna in vlteriorem inclinationem, ipsi non inferret violentiam: iuxtà quod admissa maiori, neganda est minor, vel distinguenda, non potest non esse contra inclinationem lapidis in suppositione, nego minorẽ, absolutè, & rebus vt nunc, concedo minorem, & nego consequentiam.

32 Uel secundo dicatur, quod sicut voluntas est indifferens, vt constituatur in actu primo per iudicium determinatum, vel indifferens; ita lapis indifferens est ex se ad gravitatem, & levitatem; potuit enim Deus taliter vniversum disponere, vt lapis haberet qualitates conservativas ipsius sursum, sicut modo habet deorsum; in quo casu ipsi esset naturalis levitas, sicut modo gravitas: hæc enim ipsi conaturalis est, quia media illa acquirit locum sibi conaturalem, vbi vigent qualitates illum conservantes; & consequenter sicut Deus potuit oppositum disponere, potuit etiam facere, quod levitas ipsi esset conaturalis.

33 Secundo arguitur; nam peccatum est contra adæquatam inclinationem voluntatis, vt dicitur infrà quæst. 71. art. 2. & consequenter est ipsi violentum: & tamen à voluntate elicitur; ergo in eliciendia actus, potest pati violentiam. Similiter odium Dei, & sui ipsius est contra adæquatam inclinationem hominis, sicut & actus, quo appetit sui non esse; & tamen à voluntate eliciuntur; ergo.

34 Ad argumentum aliqui respondent, negando maiorem, scilicèt, peccatum esse contra adæquatam inclinationem voluntatis; est enim in illa duplex inclinatio, altera ad bonum honestum, quod est eius inadæquatum obiectum; altera ad suum obiectum adæquatum, quod est bonum abstrahens à verò, & apparenti; vndè licèt actus peccati possit dici secundum quid violentus, quatenus est contra inadequatam inclinationem est tamen naturalis simpliciter, & absolutè.

35 Hæc tamen solutio non est conformis D. Thom. hoc artic. ibi: *Ad tertium dicendum, quod id, in quo voluntas tendit peccando, & si sit malum, & contra rationalem naturam secundum rei veritatem: apprehenditur tamen vt bonum, & conveniens homini, secundum aliquam delectationem sensus,*

vel

vel secundum aliquem habitum corruptum; quibus verbis apertè docet, peccatum revera esse esse contra naturam rationalem, & nullam illius terminare inclinationem: & ratio ibi subiungitur, natura enim non inclinatur naturaliter, nisi in id, quod revera est eius bonum; ergo cum peccatum non sit bonum, nullam potest terminare inclinationem. Quapropter, concessa maiori, loquendo de innata inclinatione, & omissa minori, neganda est consequentia; nam ad rationem violenti non sufficit esse contra innatam inclinationem, sed vltrà hoc requiritur esse ab extrinseco, quod peccato non convenit, est enim maximè ab intrinseco, cum illius adæquata causa sit voluntas: ratio autem quare possit esse ab intrinseco, absque aliqua inclinatione naturæ, est, quæ ibi insinuatur à D.Thom. quia voluntas ex nihilo facta potest ab intrinseco rendere in bonum solùm apparens, si ab intellectu vt tale, & vt ipsi conveniens proponatur, cui potentiæ ratio inclinationis negatur; quia hæc non potest non terminari ad bonum.

36 Ad confirmationem respondetur, illos actus, si sint peccaminosi, non terminare inclinationem innatam voluntatis iuxtà dicta, si verò odium Dei sit necessarium, & absque peccato exerceatur, eodem modo de illo dicendum esse existimo; atque de odio respectu illius, nimirùm esse contra adæquatam inclinationem innatam; sed neque actus odij Dei, aut creaturæ sunt dicendi simpliciter violenti, quia sunt ab intrinseco; quod præcipuè verificatur de odio, quod essentialiter est voluntarium, & inclinatio voluntatis elicita; & idem dicendum existimo de omni actu voluntatis, qui non potest libere exerceri absque peccato: quapropter si odium sui, & actus, quo apperit sui non esse, sunt huiusmodi, nullam terminant inclinationem innatam, etiam necessario eliciti; sunt tamen voluntarij, & non violenti simpliciter ratione iam dicta.

37 Tertio arguitur, potest Deus facere, quod voluntas odio prosequens Petrum, illum diligat infundendo amorem, ipsa passivè se habente: at tunc ipsi infertur violentia; ergo potest in actibus elicitis violentiam pati. Maior constat; quia hoc nullam implicat contradictionem. Minor autem probatur. Amor esset ab extrinseco contra inclinationem actualem, & elicitam voluntatis. Confirmatur primo; nam potest Deus necessitare voluntatem odio prosequentem Petrum, ad illum amandũ amore ab ipsa elicito, & vtrúmque actum conservare; ergo. Antecedens probatur. Tùm; quia amor, & odium eiusdem obiecti sub diversa ratione, non opponuntur; Deus enim amat Petrum; quia homo odio illum prosequitur, quia peccator. Tùm etiam: quia etiamsi opponantur, oppositio est solùm contraria; Deus autem potest qualitates solùm contrariè pugnantes simul in eodem subiecto conservare. Confirmatur secundo; nam volenti efficacitèr Petrum diligere, potest Deus tribuere qualitatem, qua ad illum diligendum necessitetur; in quo casu dilectio esset violenta, vtpotè contra inclinationem elicitam voluntatis.

38 Tandem, potest voluntas violentiam pati, in eo, quod tristatur; sed tristitia est actus ab illa elicitus; ergo. Maior probatur; tùm, quia incredibile videtur, damnatos non teneri violentissime æterna tristitia, qua cruciantur. Tùm etiam; quia tristitia materialis doloris violenta est appetitui sensitivo; ergo spiritualis tristitia appetitui rationali: tùm etiam; quia naturæ violentum est, quod naturaliter refugit: at sicut natura sensitiva refugit dolorem materialem, ita natura rationalis spiritualem tristitiam; qua de causa beati non tristantur de peccatis in via comissis, quamvis illa odio prosequantur; ergo.

39 Respondetur negando maiorem; ratio autem implicationis, est quia de ratione actus vitalis, & voluntarij est esse ab intrinseco; dato tamen, quod Deus posset illum infundere non præstaret effectum formalem diligendi; quia adhunc requiritur inhæsio, & egresio à voluntate: si verò præstaret effectum diligendi, non posset cũ actu odij à Deo conservari, vt statim dicemus. Ad primam confirmationem dicatur, quod amor Petri, quia doctus; v.g. & odiũ illius, quia peccator non opponuntur, & possunt simul reperiri; eo quod non solùm ratio formalis sub qua est diversa, sed etiam ratio quæ, & talis est amor, quo Deus diligit Petrum, quia homo, & eiusdem, quia peccator: etsi de his procedit argumentum, neganda est consequentia; ille enim inclinationes non opponuntur: si autem sermo sit de amore, & odio efficaci Petri secundum eandem rationem, negandum est antecedens, ad cuius primam probationem constat solutio. Ad secundam, dicendum, quod licèt amor, & odium solùm opponãtur contrariè formaliter, opponuntur vir-

tua-

tualiter contradictoriè ; ſicut acceſſus, & receſſus ab eodem termino : dato tamen poſſe componi, dicendum; nullum illorum actuum eſſe violentum ſimpliciter , licèt vterquè poſsit dici ſecundum quid violentus, & idem dicendum eſt ad ſecundam confirmationem.

40 Ad tertiam,& vltimam , diſtinguenda eſt maior, & concedenda de violentia ſecundum quid , neganda autem de violentia ſimplicitèr ; quamvis enim damnatus fugiat obiectum triſtitiæ, & velit ipſam triſtitiam non habere ; abſolutè tamen omnibus penſatis , voluntariè triſtatur , & iuxtà propriam inclinationem ; per quod conſtat ad primam probationem. Ad ſecũdam dicatur, quod dolor accipi poteſt, vel obiectivè pro obiecto actus appetitus fugientis obiectum,vel pro affectione ab ipſo elicita, qua triſtatur de obiecto. Primo modo tranſeat , quod dolor appetitus ſit violentus, non enim eſt actus ipſius;ſecundo autem modo negandum eſt eſſe violentum ſimplicitèr ratione dicta. Ad tertiam admiſſa maiori , diſtinguenda eſt minor, vel enim intelligitur de obiecto doloris, & triſtitiæ, & hoc voluntariè refugit , vel de ipſa triſtitia,& actu doloris elicito ab appetitu ſenſitivo , & licèt hos actus vellet homo non eſſe, defacto convincitur ad voluntariè illos eliciendos ; quapropter licèt aliquid admiſceant voluntarij , & violenti, abſolutè ſunt voluntarij, & iuxtá inclinationem.

§. Vltimus.

Quid ſit dicendum de actibus imperatis?

41 EX Dictis conſtat nullum actum voluntatis poſſe eſſe ab extrinſeco,atque adeò nullum poſſe eſſe ſimplicitèr violentum : conſtat etiam omnem actum à voluntate elicitum eſſe illius actualem inclinationem,qui ſpontanæe,& voluntariè ab ipſa eſt, atqueadeò omnem eſſe ſimplicitèr voluntarium,& iuxtá inclinationem elicitam, immò ipſam inclinationem; cum quo componitur, aliquem eſſe contra adæquatam inclinationem innatam,nimirùm peccatum,& aliquem eſſe contra inclinationẽ elicitam inefficacem,vt actus , quem abſolutè voluntas elicit, vellet tamen inefficacitèr non eſſe , qualis eſt triſtitia de malo præſenti : modo reſtat quæſtionem reſolvere de actibus imperatis, & elicitis à potentijs ſubiectis voluntati.

42 Circa quod ab omnibus conceditur cum D.Thoma in præſenti , voluntatem poſſe pati violentiam , ſi eliciantur ipſa efficacitèr renuente , vel impediantur ab illorum elicientia potentiæ exteriores voluntati ſubiectæ , ipſa efficacitèr imperante; v.g. renuit efficacitèr voluntas motum progreſsivum,& aliundè potentia loco motiva ad illum determinatur , vel è contra imperat motum progreſsivum , & ab alio agente impeditur eius elicientia ; in vtroque,inquam , caſu fit violentia voluntati; nam tàm motus , quam eius privatio ſunt contra efficax imperium voluntatis , & ab extrinſeco. Solùm poteſt eſſe difficultas an ipſis potentijs exterioribus fiat violentia.

43 Pro quo advertendum eſt,quod aliæ immediatè ſubijciuntur voluntati , vt potentia loco motiva ; aliæ ſolùm mediatè, vt potentia viſiva , quæ in elicientia ſui actus non dependet immediatè à voluntate, ſed mediatè, quatenus ab illa dependet applicatio obiecti : ex quo fit , quod actus viſionis non poſsit eſſe immediatè violentus ipſi voluntati , ſed ſolùm mediatè ; & conſequenter neque ipſi potentiæ viſivæ poteſt eſſe immediatè violentus ſub aliqua conſideratione : vndè dubium ſolùm poteſt eſſe, an potentia immediatè ſubiecta voluntati poſsit pati violentiam in elicientia ſuorum actuum immediatè , & potentiæ mediatè ſubiectę mediatè , eo quod actus eliciunt contra imperium efficax voluntatis : neque poteſt procedere de violentia omnibus numeris abſoluta , implicat enim quod à potentia elicitus, ſit ſimpliciter ab extrinſeco,& non eſſe iuxtá aliquam eius inclinationem; ſolùm inquirimus , an poſſint elici contra principaliorem inclinationem.

44 Deindè advertendum eſt,quod nulla creatura poteſt cogere potentiam loco motivam ad eliciendum motum ; hæc enim nulli præter voluntatem obedit; quapropter ſi renuente voluntate cogitur quis ad motum, ille non elicitur à potentia loco motiva, ſed membra exteriora ab extrin-

trinseco illum patiuntur: secus dicendum est de Deo; nam potentiæ istæ non solùm voluntati obediunt, sed potiori titulo Deo; Deus ergo potest non solùm membra exteriora movere contra imperium voluntatis, sed facere, quod potentia loco motiva motum eliciat voluntate renuente, si potentia elicitiva motus à potentia appetitiva distinguatur; atqueadeò iuxtà nostra principia nulla potest inferri violentia potentiæ exteriori in elicientia suorum actuum; nam solùm Deus potest facere, quod renuente voluntate operetur; & esto in potentia exteriori potiòr sit inclinatio ad obediendum voluntati, quam ad propriam perfectionem; principalior tamen est inclinatio ad obediendum Deo, quam voluntati; ergo in elicientia actuum violentari non potest; sicut neque operari contra principalem inclinationem. Quapropter quæstio devolvitur ad hoc; an scilicèt potentiæ exteriori in elicientia actus possit fieri violentia secundum quid, & an in cessatione ab actu? Sit ergo.

45 Conclusio: potentia exterior in elicientia actuum solum potest pati violentiam secundum quid; in cessatione autem ab illo potest violentari simplicitèr: Hæc conclusio colligitur ex Div. Thoma in præsenti art. 4. & 5. & in 1. dist. 48. art. 3. ad 1. & in 2. dist. 7. quæst. 2. art. 1. ad 2. & quæst. 22. de Ueritate artic. 5. & quæst. 24. de Veritate art. 1. ad 18. 2. dist. 8. q 1. quoad primam partem, quatenus asserit, non posse violentari simplicitèr, constat ex modo dictis; quia solùm à Deo cogi potest ad eliciendum actum contra imperium voluntatis: sed tunc operatur iuxtá præcipuam inclinationem, secundum quam obedit Deo; ergo. Probatur autē quod fiat violētia saltem secundum quid; in potentijs exterioribus præter generalem inclinationem obediendi Deo, ex communi conceptu creaturæ, datur duplex altera inclinatio, alia ad exercitium suarum operationum, & alia ad obediendum voluntaria: at hæc secunda principalior est, quàm prima; ergo operari contra imperium voluntatis, non potest non esse contra præcipuam inclinationem harum potentiarum propriam, & secundum quid violentum.

46 Maior, & minor indigent probatione. Maior probatur primo; in qualibet re datur duplex inclinatio, altera ad propriū bonum, & altera ad bonum totius: quapropter in gravi datur inclinatio ad proprium bonum, secundum quod naturaliter descendit, & inclinatio ad bonum vniversi, secundum quam ascendit ad replendum vacuum; ergo in potentijs exterioribus, quæ naturæ sunt moveri ex appetitu totius, vltrà inclinationem ad proprium bonum, alteram debemus admittere quasi vniversalem ad bonum totius, & ad obediendum appetitui vniversali, qui est voluntas. Secundo; nam hæc potentia est naturaliter voluntati subiecta; ergo naturaliter inclinatur ad obediendum illi; non enim esset rectè ordinata natura, si facultates naturaliter subiectæ, essent expertes inclinationis ad obediendum potentiæ naturaliter dominatrici. Minor autem principalis probatur; nam inclinatio ad obediendum voluntati indistincta, est propter bonum totius, inclinatio autem ad propriam perfectionem est propter bonum partis, scilicèt, ipsius potentiæ: at potentia propensius inclinat in bonum totius, quam in bonum proprium; ergo potentia magis appetit obedire voluntati, quam propriam operationem. Secundo probatur exemplo adducto lapidis, qui magis propendit in bonum totius vniversi, quam in bonum proprium: hac enim ratione oblitus proprij boni ascendit ad replendum vacuum.

47 Secunda pars conclusionis, scilicèt, quod in cessatione ab actu possit simplicitèr violentari, probatur; nam imperante voluntate motum progressivum, potest potentia exterior impediri ab agente creato: at tunc patitur violentiam simpliciter; ergo in cessatione ab actu potest potentia exterior pati violentiam simplicitèr. Minor probatur; nam cessatio ab actu est ab extrinseco, nimirùm ab agente creato, & cōtra adæquatam inclinationem, qua respicit propriam operationem, & obedire voluntati, & fingi non potest alia inclinatio, iuxtá quam fit; ergo absolutè, & simplicitèr patitur violentiam. Neque obest, quod potentiæ exteriori impeditæ ab extrinseco non debetur actus; nam licèt reduplicato impedimēto non debeatur, debetur tamen absolutè; sicut lapidi debetur descensus etiam impedito, quamvis non reduplicato impedimento. Et hæc de isto dubio applicanda litteræ Magistri in 2. dist.

25.

****

Ar-

Articulus VI.

Vtrùm metus cauſet involuntarium ſimplicitèr?

Concluſio eſt: quæ per metum aguntur, ſunt mixta ex voluntario, & involuntario; abſolutè tamen, & ſimplicitèr ſunt voluntaria, & involuntaria ſecundum quid.

Dubitatur V.

Vtrùm ex metu facta ſint mixta ex voluntario, & involuntario, & quo modo?

§. I.

Aliqua prænotantur, & ſtatuitur prima concluſio.

1 TIMOREM Sic definit D. Thomas infra quæſt. 41. art. 2. *Timor eſt paſsio partis appetitivæ circa malum futurum difficilè, cui reſiſti non poteſt*, quod ſcilicèt ſine magna difficultate vitare nõ poſſumus; ſicut enim ſpes eſt proſequutio boni ardui futuri, quod non ſine difficultate adipiſci poteſt; pariter, & timor eſt fuga mali futuri imminentis, quod de facili vitare non poteſt: hæc definitio colligitur ex Ariſtotele 2. Ethicorum cap. 5. & ex Ulpiano lege 1. ff. de eo, quod metus cauſa fit. Eſt autem advertendum; quod licèt timor eſſentialiter reſpiciat malum futurum; quapropter fuga mali præſentis non eſt timor, ſed triſtitia; vterquè affectus timoris & triſtitiæ eodem modo cauſare poſſunt involuntarium; ſicut enim ex fuga mali futuri poteſt quis operari, ſimiliter ex fuga præſentis. Deindè ſicut reperiri poteſt ſpes non ſolùm in parte ſenſitiva, quæ dicitur paſsio, ſed etiam in intellectiva, quæ paſsio non eſt, ita ſimiliter, & timor: quod docuit Div. Thomas vbi proximè, & infra quæſt. 22. artic. 3. ad 3.

2 Deindè ſupponendum eſt, aliud eſſe aliquid fieri ex metu, vel per metum, aliud fieri cum metu: primum importat influxum metus in actionem, quæ fit, vt quando ex metu mortis ſuborta tempeſtate mercator proijcit merces in mare: ſecundum autem fieri, ſcilicèt, cum metu, eſt metum commitari actionem, quæ fit, non verò in illam influere; ſicut quando Martyres cum metu mortis fidem profitentur; hęc enim fidei profeſsio nõ cauſatur ex metu, licèt ſimul cum illo exiſtat, & in primo ſenſu procedit diſputatio. Notare tamen oportet cum Mag. Baptiſta in expoſitione articuli, metum nõn influere effectivè, ſed motivè in actionem; ex quo oritur differentia inter coactionem, & metum, quod cogens eſt cauſa effectiva inducens effectum abſque conſenſu voluntatis, & ſic illum reddit in voluntarium; metus autem, cum ſolum ſit cauſa motiva, non inducit ſe ſolo effectum, ſed medio conſenſu voluntatis: quapropter non tollit abſolutè volũntarium, vt infrà dicemus.

3 Deindè notanda eſt ex Magiſt. à Sancto Thoma diſpoſitio operantis ex metu tàm in actu exteriori, quàm in actibus interĥis, in quo plures actus concurrunt, licèt propter ordinem, quem inter ſe ſervant, vnus moraliter reputentur. Primus actus eſt ſimplex amor, quo vult mercatur vitam conſervare. Secundus eſt, quo vult, quatenus eſt ex ſe paratus conſervare divitias. Tertius eſt odium cauſæ inducentis metum, quam voluntas effugit: quibus ſuppoſitis mercator; v. g. efficacitèr intendit vitam conſervare, & indè eligit medium, quod ſibi hic, & nunc videtur vtilè, nimirùm, proijcere merces in mare, quamvis alias ſit obiectum diſplicens; vincit enim diſplicentiam conducentia, quàm in proiectione videt ad conſervandam vitam, & ex diſplicentia illius ſecundum ſe remanet quædam voluntas conditionata, quæ fortè non diſtinguitur à voluntate inefficaci, qua vellet non exequi tale medium, ſi ceſſaret tem-

tempestas : vndè operationes ex metu, quousque cesset spes evadendi periculum, tepidè operatur ; si tamen crescat timor, & nulla sit spes evadendi , nisi proiectis divitijs, metus auget voluntatem , & diligentiam in operando. Dubium ergo potest esse, vtrùm quæ ex metu fiunt , sint mixta ex voluntario, & involuntario ? an semper sint huiusmodi, & an sint simpliciter volũtaria, & solùm secundum quid involuntaria , & tandem vtrùm metus excuset à peccato , & quo modo : quibus singulis conclusionibus, satisfaciendum est. Sit ergo.

4 Prima conclusio. Quę ex metu fiunt sunt mixta ex voluntario, & involuntario : hęc conclusio probatur à D. Thoma ex Philosopho 3. Ethicor. cap. 1. & ex Gregorio Nisseno lib. 5. Philosophiæ cap. 1. illam etiam tradit Damascenus lib. 2. de Fide Orthodoxa cap. 24. & est communis inter Theologos, & probatur ratione ex D. Thoma detumpta; ea, quæ ex metu fiunt, ex vna parte sunt voluntaria, & ex alia involuntaria; ergo mixta. Antecedens pro 1. parte probatur ; nam metus mortis movet voluntatem mercatoris, v.g. vt vellit efficacitèr proijcere merces in mare; ergo proiectio ex metu proveniens est ab intrinseco cum cognitione , & involuntatem tanquàm in causam reducitur , & consequenter est voluntaria. Pro secunda parte probatur; nam vltra actum efficacem, quo vult proijcere merces , datur alius in mercatore, quo illas diligit , & vellet retinere; ergo proiectio illarum est involuntaria , & repugnans dilectioni illarum, & actui, quo vult divitias retinere.

5 Confirmatur; proiectio mercium secundum se considerata , & precisive ab alijs circunstantijs est obiectum malum , & displicens; ergo sub illa consideratione est involuntaria. Insuper ; omnibus attentis executioni mandatur ex electione efficaci voluntatis; ergo est voluntaria , & consequenter mixta ex vtroque. Confirmatur secundo operari cum dolore, & tristitia signum est in voluntarij, vt docet Philosophus vbi supra : at proijciens merces ex metu, cum tristitia, & dolore operatur ; ergo involuntariè sub aliqua ratione ; & aliàs cum operatio ex electione voluntatis fiat, est voluntaria; ergo idem quod priùs.

6 Neque his obstat, quod actiones istæ inter se repugnare videntur ; nam obiectum sub aliqua ratione displicere , & attentis omnibus circunstantijs eligi , opposita non sunt ; atqueadeò erga proiectionem esse electionem efficacem omnibus circunstantijs inspectis, vi cuius executioni mandatur, & actum inefficacem nolitionis ipsius secundum se consideratæ bene possunt componi ; sicut in Deo componitur actus efficax, quo superbum à gloria vult excludere, & inefficax, quo vult salvum fieri ; his autem actibus oppositis proiectio est voluntaria ex vno, & involuntaria ex altero.

7 Neque iterùm obstat, quod metus solùm causat, & movet voluntatem , vt eligat efficacitèr proiectionem mercium, ex qua electione, non est involuntaria, sed solùm voluntaria; atqueadeò non videtur verum , metum causare involuntarium. Non, inquam, obstat; nam metus non causat involuntarium formaliter , sed materialiter, quatenus est causa actionis, quæ aliũdè est involuntaria ; causat enim electionem efficacem proiectionis , quę est involuntaria, non ex metu, aut ex electione efficaci, sed ex alio actu voluntatis inefficaci, quo diliguntur merces, & vult proijciens illas retinere.

8 Ex his deducitur, non solùm actionem exteriorem proijciendi esse mixtam ex voluntario, & involuntario , sed ipsam electionem efficacem proijciẽdi: quod sic ostenditur, & in primis esse voluntariam, constat ex eo, quod est actus voluntatis; quod autem sit involuntaria probatur; Nam proiectio exterior eo est involuntaria, quia contrariatur actui voluntatis inefficaci, quo merces diliguntur , & earum retentio ; sed etiam electio ex metu causata contrariatur illi ; ergo est involuntaria. Minor probatur ; nam conatus tendens ad non esse proiectionis , saltim indirectè tendit ad non esse causæ illam inferentis infallibiliter : sed electio efficax est causa inferens infallibiliter proiectionem; ergo conatus ad non esse proiectionis, etiam tendit ad non esse electionis efficacis ; atqueadeò hæc contrariatur conatui, qui habetur ex vi amoris divitiarum, & retentionis illarum. Probatur maior ; inclinationi gravis ad existendum in centro non solùm contrariatur motus sursum, quo extrahitur à centro , sed etiam impulsus inferens infallibiliter talem motum ; ergo actui voluntatis inefficaci tendenti ad conservandum divitias, non solùm contrariatur illarum proiectio, sed electio efficax illam inferens infallibiliter.

Con-

9 Contra hæc tamen obijcies: volitio inefficax conſervandi divitias non eſt involuntaria vllomodò; ergo neque electio efficax illas proijciendi. Antecedens eſt certum, & conſtat, quia voluntas illa non cauſatur ex metu, ſed omninò ſpontaneæ, & ab intrinſeco habetur. Conſequentia verò probatur. Sicut efficax electio proijciendi merces contrariatur volitioni inefficaci illas retinendi; pariter volitio inefficax contrariatur electioni; & ſicut efficax electio eſt proſequutio obiecti, cuius eſt fuga volitio inefficax; ſic actus inefficax eſt proſequutio obiecti, quod fugitur per electionem efficacem: & tandem ſicut actus efficax tendit in obiectum oppoſitum illi, in quod tendit volitio inefficax; ſic obiectum volitionis inefficacis opponitur obiecto electionis efficacis; ergo ſicut electio contrariatur volitioni inefficaci, pariter hæc opponitur electioni: tunc ſic; ſed hoc non obſtante volitio inefficax non eſt vllo modo involuntaria; ergo neque efficax electio.

10 Aliqui reſpondent; quod volitio inefficax præcedit electionem efficacem; atqueadeò elicitur abſque aliqua reſiſtentia: electio autem efficax cum ſit poſterior, ſupponit actum, cui contrariatur atqueadeò cum reſiſtentia elicitur; ratione cuius eſt involuntaria. Sed quidquid de hac ſolutione ſit; conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, ad probationem negandum eſt antecedens; nam volitio efficax contrariatur inefficaci, non autem è contra; contrariatur (inquam) non quia incompoſsibiles ſint, cum defacto ſimul exiſtant, ſed quia electio efficax reddit irritum conatum voluntatis inefficacis, eſtque incompoſsibilis cum obiecto per illam amato; atqueadeò ei contrariatur; at volitio inefficax, licèt obiectum oppoſitum reſpiciat, non reddit irritum conatum electionis efficacis; ex quo fit, quod electio contrariatur volitioni inefficaci obiectivè, quatenus illius obiectum deſtruit; volitio autem inefficax, neque ratione ſui eſt incompoſsibilis cum electione, neque eius obiectum deſtruit, ſed cum vtroque componitur.

***

poteſt enim admiſcere aliquid involuntarij abſque malitia morali : quod ſi conſtat poteſt quis ex metu gehennæ obſervare legem, quin diſpliceat in obſervantia vt cum lege coniuncta, ſed præciſsè illam fugit propter difficultatem, & moleſtiam, quam ſecum affert : at in hoc caſu obſervatio legis eſt honeſta, & involuntaria ſecundum quid; ergo poteſt eſſe involuntaria abſque aliqua malitia morali. Maior probatur ; nã difficultas reperta in obſervatione legis poteſt ſecundum ſe, & nullo addito reſpectu ad legem divinam terminare diſplicentiam, vt patet in obſervantia præcepti impoſiti Abrahamo de filio interficiendo, & in præceptoChriſti Domini de acceptando mortem, cuius obſervantia ſecundum ſe, & non habito reſpectu ad legem divinam, propter eius difficultatem, & moleſtiam poterat diſplicere.

13 Ex quo etiam probatur minor: Nam obſervantia præcepti ſub conſideratione licita terminat diſplicentiam; vt conſtat in dolore, & triſtitia, quam Chriſtus Dominus habuit; non quidem de præcepto impoſsito â Patre, ſed de moleſtia, & difficultate operis ſecundum ſe; ergo obſervantia legis abſque aliqua malitia morali poteſt terminare aliquam diſplicentiam : hac autem ſuppoſita non poteſt non eſſe aliquo modo involuntaria, iuxtà dicta ; & conſequenter poteſt legis obſervantia ex metu inferni abſque aliqua malitia morali eſſe mixta ex voluntario, & involuntario.

14 Ex quibus etiam deducitur, quod quamvis adæquatum motivum obſervandi legem ſit declinare pœnas inferni, non ideò intervenit peccatum: quod ſic patet; nam obſervantia ex illo motivo non eſt mala moraliter, ſed honeſta, & donum Dei, ſicut, & attritio concepta ex illo motivo, vt conſtat ex Tridentino Seſsione 6. Canone 8. & aliàs poteſt non dari aliqua diſplicentia actualis in voluntate, vel ſi datur, poteſt non eſſe peccaminoſa ; ergo etiam ſi adæquatum motivum obſervandi legem ſit declinare pœnas inferni, poteſt in obſervantia non intervenire peccatum.

15 Secundo, eligere obiectum materiale bonum ex vno motivo honeſto, alio etiam honeſto relicto, non eſt peccatum; ergo eligere obſervantiam ob vitandas pœnas inferni, relicto motivo honeſtatis repertæ aliàs in obſervantia, peccatum non eſt. Dices, quod licèt in prædicto eventu reperiantur formaliter illa præciſsè, quæ aſsignavimus ; atque adeò, quod non interveniat peccatum illis præciſsè attentis, at ſimul arguitivè invenitur, quod non obſervaretur lex, ſi non comminaretur pœna, & quod animus ita ſit diſpoſitus ad non obſervandum legem, quod caſu, quo non comminaretur, non obſervaretur, in quo reperitur peccatum.

16 Sed contra eſt ; nam benè ſtat, quod hic, & nunc obſervetur lex adæquatè ex metu gehennæ, & quod ſi hoc motivum non proponeretur, obſervaretur ex motivo honeſtatis in obſervantia legis repertæ ; ergo ex eo, quod hic, & nunc motivum adæquatum ſit vitare pœnas, non infertur legem non adimplendam hoc motivo deficiente. Secundo ; nam ex oppoſito ſequitur hominem obſervantem legem ex metu pœnæ, & ex honeſtate obſervationis, tanquàm ex motivo adæquato, peccare : conſequens admitti non poteſt ; ergo neque illud, ex quo ſequitur. Sequela probatur ; metus gehennæ eſſe motivum inadæquatum adimplendi legem, infert, quod illo deficiente non obſervaretur ; ex quo vlteriùs infertur, ad eſſe peccatum ; ergo deficiente in noſtro caſu motivo adæquato conflato ex illis duobus motivis, lex non adimpleretur; atque adeò in adimpletione ex illo motivo, infertur ad eſſe peccatum : Hoc autem admitti non poſſe, conſtat ; quia in adimpletione ex illo motivo adæquato nulla apparet malitia. Tertio ; nam abſque fundamento negatur, poſſe hominem obſervare legem ex adæquato motivo fugiendi pœnam, quin ſit animi promptitudo ad illam non obſervandam illo motivo deficiente ; ergo non eſt fundamentum ad aſſerendum in huiuſmodi adimpletione ad eſſe peccatum. Antecedens probatur. Nam ſic adimplens poteſt nihil cogitare de eventu, in quo non immineret pœna, vel ſaltim omittere omnem deformitatem reſpicientem hunc eventum conditionatum; ergo.

17 Quarto ; quia non obeſt, quod fortè verum ſit legem non obſervandam, ſi illud motivum non adeſſet ; nam vel hoc eſt verum ſolum ex vi decreti conditionati permittendi peccatum, & tunc cum involuntate non adſit affectus pravus, nullum adeſt peccatum ; vel eſt verum præciſsè attenta diſpoſitione voluntatis inclinatæ habitualiter ex aſſue-

tu-

tudine peccatorum, ad frangendum legem, & neque tunc adest peccatum, cum hæc habitualis dispositio non sit peccatum: sic homo leviter tentatus vincens tentationem non peccat, etiamsi fortè verum sit, quod si graviter tentaretur, succumberet; vel tandem est verum ex vi displicentiæ erga observantiam secundum se, & ob eius difficultatem; & neque tunc adest peccatum, cum displicentia illa peccatum non sit. Verum quidem est, quod si hæc displicentia inferret infallibiliter peccatum, & esset libera, esset peccatum; non tamen sic infert, potest enim voluntas ex motivo honestatis repertę in observantia legis moveri ad illam non frangendam, etiamsi ab esset motivum timoris pœnę, posset huiusmodi observatio cum prædicta displicentia componi.

18 Sed inquires, vtrùm actio ex metu facta vt sit involuntaria necessario requiratur formalis displicentia; an sufficiat virtualis? Respondetur, regulariter reperiri formalem displicentiam, vt constat in exẽplo adducto; ex amore enim divitiarum regulariter sequitur desiderium illas retinendi, & formalis displicentia erga illarum proiectionem; verumtamen proiectio esset involuntaria, etiam deficiente displicentia formali, si amor divitiarum maneret: & ratio est; nam divitiarum amor est virtualis volitio illas retinendi, & displicentia virtualis proiectionis; ergo proiecto illi repugnat; atqueadeò est involuntaria. Quod autem non semper adsit formalis displicentia, inde fit verosimile, quod aliquando ita terret periculum mortis, vt solum quis attendat ad salvandam vitam, & ad ponenda media necessaria ad vitandum periculum.

19 Contra conclusionem obstare videtur, Divum Thomam in articulo in diffinitione asserere, ea, quæ fiunt ex metu, esse involuntaria; atqueadeó iuxtá eius doctrinam, nullus assignandus est casus, in quo actio facta ex metu non admisceat rationem involuntarij. Deindè obstat, quod Divus Thomas non requirit displicentiam actu existentem, ad rationem involuntarij repertam in actione ex metu facta; quod constat ex illis verbis: *Id, quod per metum agitur, in se consideratum, non est voluntarium, sed fit voluntarium in casu, scilicèt ad vitandum malum, quod timetur*: ex quo infert esse mixtum: at in verbis illis nullam assignat displicentiam formalem, aut virtualem, quæ non requiritur ad non esse voluntarij: constat etiam ex verbis, quibus concludit corpus articuli: *Et ideò est involuntarium secundum quid, id est, prout consideratur extra hunc casum existens*; vbi ad rationem involuntarij secundum quid repertam in actione ex metu facta, non requirit displicentiam, quæ sit, sed quæ esset extra casum metus.

20 Respondetur, doctrinam Divi Thomæ intelligendam esse de his, quæ regulariter accidunt, in illis scilicèt actionibus, quę secundum se displicent, neque ex se habent amabilitatem, nisi solum ratione vtilitatis ad vitandum malum; in his enim regulariter reperitur amor illius, quod per metum excluditur; atqueadeò eius expulsio sicut actio ex metu causata est involuntaria: cui doctrinæ non opponitur; quod aliquando actione, quæ expellitur ex vi metus, non sit amor; non enim est impossibile divitias, quæ proijciuntur ex metu mortis, non amari; licèt hoc sit difficilè iuxtà communem hominis inclinationem; qua etiam ratione contingere potest, vt obiectum ex se amabile executioni mandetur per actionem mixtam ex voluntario, & involuntario; nam audire Missam in die sacro ex se amabile est, & fieri potest cum metu mortis, cum displicentia in tali actione; doctrina ergo vera est, vt tradditur à Div. Thoma, scilicèt regulariter in actionibus, quę ex se amabilitatem non habent, nisi ratione vtilitatis ad vitandum malum.

21 Ad id, quod additur, respondetur; Divum Thomam in illis verbis non apposuisse omnia requisita ad voluntarium mixtum, quę expressit in eodem corpore, ibi: *Sed quod accipiatur id, quod per metum fit, vt extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati*: vbi rationem involuntarij constituit in eo, quod repugnet voluntati, quod absque displicentia non stat; & in artic. sequenti, ibi: *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur secundum quod in se consideratur.* Per quod constat ad alia verba; displicentiam enim defacto existentem esse requisitam ad involuntarium, explicat per hoc, quod actio, quę ex metu fit extra casum periculi imminentis, non fieret, ratione, scilicèt, displicentię erga illam secundum se.

(((§)))

****

§. III.

Statuitur tertia concluſio.

22 TERTIA Concluſio, ea, quæ ex metu fiunt, ſunt ſimpliciter voluntaria, & involuntaria ſecundum quid; eſt Div. Thomæ hic, Ariſtotelis 3. Ethicorum cap. 1. Niſſeni lib. 5. Philoſophiæ capite 1. & inter Theologos communis; & probatur; ideſt, abſolutè, & ſimpliciter voluntarium, & ſecundum quid involuntarium, quod abſolutè eſt á voluntate media electione efficaci, & ſolum illi opponitur ratione diſplicentiæ inefficacis; ergo eſt ſimpliciter voluntarium, & ſolum ſecundum quod involuntarium. Secundo probatur ratione D. Thomæ, quæ ex metu ſiunt, abſolutè poſitis omnibus circunſtantijs á voluntate ſemper evadunt; licèt ablato metu ab illa non eſſent, quia ſecundum ſe diſplicent; ergo hic, & nunc, actio ex metu facta eſt ſimpliciter voluntaria, & ſolum ſecundum quid involuntaria, quatenus voluntati repugnat ſecundum ſe conſiderata; ratione cuius deficiente metu, ab illa non eſſet. Conſequentia probatur. Unumquodque eſt ſimpliciter tale, ſecundum quod eſt in actu ſecundum omnes conditiones individuales, & ſolum ſecundum quid tale, conſideratum ſecundum ſe præciſivè à circunſtantijs: ſed volitio ex metu cauſata eſt voluntaria, ſecundum quod eſt in actu, & conſiderata ſecundum omnes conditiones individuales, & ſolum involuntaria ſecundum ſe, quatenus proùt ſic diſplicet; ergo eſt ſimpliciter voluntaria, & ſecundum quid involuntaria.

23 Contra concluſionem obſtat primo Divus Thomas 2. 2. quæſtione 14. articulo 3. vbi ſic habet: Ea, quæ per timorem fiunt, principium habent ab exteriori impellente: vndè non ſunt ſimpliciter voluntaria; ergo contra Divum Thomam oppoſitum aſſerimus. Divo Thomæ conſonat doctrina Philoſophi 3. Ethicorum capite 1. vbi ſic ait: *Simpliciter enim nemò ſuas fortunas elicit ſponte, ſed omnes propter ſuam, cæterorumque ſalutem eijciunt*; ergo iuxtà Philoſophum non eſt ſimpliciter ſpontanea proiectio divitiarum; & conſequenter neque voluntaria.

24 Secundo obſtat hæc ratio. Quod convenit actioni ſecundum ſe, potiori titulo convenit, quam quod de illa verificatur ex ſuppoſitione contingenti; quapropter potiori titulo verificatur de homine eſſe animal, quam eſſe album: ſed actioni ex metu factę ſecundum ſe conſideratę convenit eſſe involuntariam, & ſolum verificatur de illa eſſe voluntariam ex ſuppoſitione contingenti, nimirùm ex ſuppoſitione metus; ergo potiori titulo verificatur de illa eſſe involuntariam, quàm voluntariam. Ad hanc rationem reſpexiſſe videtur Divus Thomas loco proximè citato ex 22. vbi conferens illa, quæ fiunt ex intemperantia, cum his, quæ fiunt ex metu, ait; eaque fiunt ex timiditate in ſingulari accepta eſſe minus voluntaria, & magis voluntaria in communi; & idem repetit in ſolutione ad primum; ergo malè nos aſſerimus, actionem ex metu factam eſſe magis voluntariam conſideratis omnibus circunſtantijs, & conditionibus individualibus; minus autem voluntariam præciſive ab his ſecundum ſe, & in communi.

25 Ad primum dicendum ly *ſimpliciter* ſummi á Divo Thoma aliter, atque in præſenti articulo; ibi enim idem ſignificat, atque omnibus modis, in quo ſenſu actio prædicta non eſt ſimpliciter voluntaria, cum ſecundum ſe involuntaria ſit, & diſpliceat, quod conſtat ex eodem Divo Thoma ibidem; ſic enim habet: *Non ſunt ſimpliciter voluntaria, ſed mixta*, vbi contraponit voluntarium ſimpliciter ad voluntarium mixtum, & in eodẽ ſenſu loquutus eſt Ariſtoteles. Uel dicatur, quod ſimpliciter voluntariũ ſumitur per eo quod ex ſe voluntarium eſt, in quo ſenſu actio ex metu facta non eſt ſimpliciter voluntaria: nos autem ſumimus voluntarium ſimpliciter per eo, quod abſolutè, & ſimpli-

ter

citer à voluntate procedit, in quo ſenſu loquitur D. Thomas in præſenti.

26 Vt tamen authoritati D. Thom. fiat ſatis, placet adducere verba Angelici Magiſtri locis allegatis, quæ talia ſunt: *Alio modo, quia ea, quæ ſunt temperati, ſunt magis voluntaria in particulari, minus autem voluntaria in vniverſali, nullus enim vellet intemperatus eſſe, allicitur tamen homo à ſingularibus delectabilibus, quæ intemperatum faciunt hominem; ſed in his, quæ pertinent ad timiditatem, eſt è converſo, nam ſingularia, quæ imminent, ſunt minus voluntaria, vt abijcere clypeum, & alia huiuſmodi, ſed ipſum commune eſt magis voluntarium, puta fugiendo ſalvari, &c.* Ex quibus conſtat, per ly commune, ſeù vniverſale, non intelligere Div. Thomam actionem ex metu factam ſecundum ſe conſideratam præciſivè à circunſtantijs, ſed id eſt commune, ad quod deſeruit huiuſmodi actio, vt in proijciente merces, commune, ad quod deſeruit proiectio, eſt vitam conſervare, quod omninò & purè eſt voluntarium; nulli enim diſplicet hoc obiectum; cuius oppoſitum contingit intemperantia; nam ipſum commune, ad quod conducit actio ex intemperantia facta eſt intemperatum eſſe, quod ſecundum ſe acceptum nulli eſt gratum, ſed diſplicens: è contra verò actio ex metu facta ſecundum ſe eſt diſplicens, & repugnans voluntati, & ſolùm fit amabilis, quia vtilis, & neceſſaria ad vitandum malum, aut conſequendum bonum omninò voluntarium: ex quo fit, quod hic & nunc exerceatur repugnante voluntate, & quod ſit involuntaria; at actio intemperati ſecundum ſe eſt iucunda, & pluries hic, & nunc ſit ſine repugnantia voluntatis, & conſequenter hic, & nunc eſt magis voluntaria, quàm actio ex metu facta. Ex qua doctrina ſolùm infertur, actionem intemperati, iuxtá D. Thomam in ſingulari acceptam eſſe magis voluntariam, quàm ſit actio ex metu facta; nullatenus tamen deducitur, quod hæc non ſit magis voluntaria, quàm involuntaria: immò ex ibi dictis à Divo Thoma confirmatur ipſius doctrina in præſenti traddita, vt enim intentum concludat aſſumit pro principio huius articuli doctrinã illis verbis; hoc autem eſt ſimpliciter magis voluntarium, quod eſt magis voluntarium in ſingularibus, in quibus eſt actus.

27 Ad ſecundum tertio loco adductum reſpondetur, quod quando aſſerimus, actionem ex metu factam eſſe ſecundum ſe involuntariam, non eſt ſenſus, quod ſit eſſentialiter involuntaria, ſed quod ad illam ſub ſtatu præciſionis à circunſtantijs, conſequitur eſſe involuntariam, & terminare diſplicentiam voluntatis: at tàm ſtatus ille, quàm diſplicentia accidunt actioni; ratio autem ſolùm poteſt habere vim de prædicatis eſſentialiter convenientibus. Sit exemplum; ex eo, quod homini ſecundum ſe, hoc eſt, in ſtatu præciſionis conveniat eſſe ſpeciem, vel concipi conceptu communi, non inde infertur, potiori titulo hoc prædicatum illi convenire, quam eſſe album, quia ſcilicèt, vtrúmque accidentaliter convenit.

28 Sed adhùc admiſſo rationem involuntarij actioni competere eſſentialiter, argumentum non convincit, & ratio eſt; nam etiam hoc admiſſo involuntarium eſſentialiter conveniens eſt ſecundum quid tale, ſcilicet, repugnantia cum diſplicentia inefficaci: voluntarium autem competens ex ſuppoſitione contingenti, eſt tale ſimpliciter; cum ſit ſimpliciter â voluntate ex electione efficaci procedere: ex quo ſolùm infertur involuntarium ſecundùm quid eſſentialius, & potiori titulo convenire, quàm voluntarium ſimpliciter; non tamen actionem eſſe magis involuntariam, quàm voluntariam; ſicut ex eo, quod hominẽ amari à Deo, ſeú ab ipſo eſſe amabilem conveniat ratione propriæ entitatis, & eſſentialiter, eſſe autem amabilem ratione gratiæ ſolùm ex ſuppoſitione contingenti, non infertur magis amari, ſeù amabilem eſſe ratione propriæ entitatis, quàm ratione gratiæ: & ſimiliter ex eo, quod peccator ſit diligibilis ratione propriæ entitatis, & odibilis ex ſuppoſitione contingenti, nimirum, peccati, non inde infertur magis eſſe diligibilem, quàm odibilem.

§. Vltimus.

Statuitur Vltima concluſio.

29 ULTIMA Concluſio, actio ex metu facta, plerumque habet ſufficiẽtem voluntarietatem ad peccatum mortale: loquimur in concluſione de metu gravi; nam de levi nulla eſt difficultas; metus gravis eſt qui cadit in virum conſtantem, hoc eſt, metus mali, quod virtuoſus, & ſubſtinere poteſt, aut debet; ad quod requiritur, quòd malum imminens magnum ſit, & quod verè immineat, habeatque paratam exequutionem; ſi enim magnum malum ſit, non tamen proximè immineat, illius metus non cadit in virum conſtantem; ſicut neque leve imminens quamvis proximè, & certo moraliter futurum ſufficit ad huiuſmodi metum; qui dupliciter inferri poteſt, iuſtè, ſcilicèt, & iniuſtè: iuſtè infertur à cauſa naturali, vt à tempeſtate, vel ægritudine timor mortis, & etiam à cauſa libera habente ius ad illud, vt cum iudex aliquem damnat ad mortem: timor iniuſtè illatus eſt, qui infertur à cauſa libera non habente ius; & de omnibus his noſtra concluſio procedit, & facilè probatur; actio ex metu facta plerumque fit cum plena deliberatione, plerumque enim metus non abſorbet vſum rationis, neque tantam animi perturbationem affert, vt illum impediat, ſeù vt homo non advertat malitiam, vel bonitatem actionis, quæ ad vitandum malum eligitur; ergo actio ſic elicita ſufficiẽtem habet voluntarietatem ad peccatum mortale: ſic, qui propter metum mortis negat fidem, vel non fatetur veritatem, quam confiteri tenetur ſub mortali, peccat mortaliter.

Verumtamen eſt, quod metus minuit rationem peccati, vt docet Div. Thomas; quia actio aliquid admiſcet involuntarij, minuitur quidẽ libertas, quamvis non auferatur: cæterùm, vt rectè obſervat Magiſt. Baptiſtæ, cum hæc admixtio involuntarij libertatem non auferat, quamvis minuat, non facit quod transferatur peccatum de mortali in veniale.

30 Contra tamen eſt argumentum; nam metus multoties operatur, quod actio ex ipſo facta maiori impetu, & intenſius fiat, quo enim quis magis timet periculum mortis, celeriùs, & promptiùs proijcit merces ad illud vitandum; ergo non minuit rationem voluntarij, ſed auget, & conſequẽter peccatum. Reſpondetur iuxtà ſuppoſita dicta, quod metus, cum ſolum impellat ad exercendam actionem ratione vtilitatis ad vitandum malum, relinquit diſplicentiam in voluntate, ratione cuius eſt minus volũtaria, & aliás cum vitare malum apprehendatur vt maximum bonum, parvam relinquit libertatem ad non eligẽdum medium, quod tanquàm neceſſarium apprehenditur: vndè quamvis aliquando intenſius fiat actio, minus tamen voluntariè voluntarietate ad peccatum requiſita.

31 Ex quibus infertur, metum non excuſſare à peccato mortali, ſi ex illo aliquid fiat, vel omittatur contra præceptum inſtans, adhúc metu exiſtente, & obligans ſub mortali: & ratio eſt; nam tunc actio, vel omiſsio habet ſufficientem libertatem ad peccatum mortale, & aliàs exercetur contra præceptum inſtans, & obligans ſub mortali. Hinc negare fidem, vel illam non confiteri in præſentia tyranni minãtis malum, eſt peccatum mortale; quia ſcilicèt, adhùc inſtante metu mortis, inſtat præceptum confitendi Chriſtum: ſi verò præceptum non vrgeat inſtante metu, actio, vel omiſsio non eſt peccatum; quod inde cõſtat, quia non eſt contra aliquod præceptum obligans hic, & nunc; ex quo fit, vt vrgenti gravi metu, omiſsio ſacri in die feſto non ſit peccatum; quia ſcilicèt, præceptum exiſtente gravi metu, non inſtat: vndè quod actio ex metu cauſata aliquando ſit peccatum, & aliquando non, petendum non eſt ex eo, quod in vno potiùs, quàm in altero caſu ſit voluntaria, & libera; nam metus mortis æqualiter impellit ad negandam fidem, atque ad non audiendum ſacrum; ſed ex eo, quod inſtante metu alterum præceptum inſtat, aliud autem in illa circunſtantia non obligat.

32 Si autem inquiras, quod præceptum etiam inſtante metu mortis, obliget, & quod non? Brevitèr dicendum eſt, quod præcepta naturalia negativa obligãt, etiam metu mortis inſtante, quapropter contra illa operari, etiam ad ſalvandam vi-

tam,

tam, eſt præcepti trangreſsio,& peccatum: & ratio eſt; nam hęc præcepta prohibent actionem intrinſecè malam, quæ nulla circunſtantia honeſtari poteſt; vt odio habere Deum, negare fidem; illaque proindè facienda non ſunt, etiam propter vitandam mortem: quod intelligendum etiam eſt de præceptis obligantibus ſub veniali, quale eſt præceptum de non mentiendo; non enim licèt mentiri, etiam propter vitandam mortem, vt docet Auguſtin. lib. contra Mendacium, & ex illo D. Thom. in Additionibus ad 3. partem, quæſt. 23. art. 1.

33 De præceptis affirmativis naturalibus aliter eſt dicendum; videlicèt non ita obligare, vt metus mortis non excuſſet ab eorum adimpletione; & probatur: Nam præceptum eſt naturale ſolvere debitum, & proximo ſubvenire in extrema neceſsitate: & tamen cum periculo mortis non inſtat, neque enim cum tanto diſpendio tenetur quis ad ſolutionem, aut proximo ſubvenire.

Contrà tamen obijcies, quod præceptum naturale affirmativum præcipit actionem bonam, quia bonam; ergo ex conſequenti prohibet eius omiſsionem, quia mala; ergo neque in metu mortis poteſt omitti actio præcepta. Antecedens eſt certum, & prima conſequentia probatur; nam ſi omiſsio actionis præceptæ non eſſet mala ex ſe, non eſſet naturaliter prohibita; ergo ſi ex conſequenti prohibetur præcepto naturali, ideò prohibetur, quia mala. Secúda etiam probatur, ideò enim actio prohibita præcepto naturali negativo, licitè exerceri non poteſt, etiam inſtante periculo mortis, quia non eſt mala, quia prohibita, ſed prohibita, quia mala; ergo ſi omiſsio præcepto naturali prohibetur, quia mala, licita non eſt etiam ad vitandam mortem.

34 Reſpondetur, quod præceptum naturale affirmativum obligat ſemper, non tamen pro ſemper: vndè omiſsio actionis ſic præcepta ex ſe mala non eſt, cum aliquando detur ſine peccato tempore, quo, vel pro quo præceptum charitatis non inſtat; ſi ergo datur tempus, pro quo non inſtat, inconveniens non eſt aſſerere, non inſtare, quia ex eius adimpletione imminet periculum mortis, ſed maximè iuſta prudentia aſſeritur; nullum enim tẽpus potiùs aſsignari poteſt, pro quo non inſtet: ex quo ad argumentum in forma diſtinguendum eſt antecedens, præcipit actionem bonam, vt pro ſemper fiat, nego antecedens, vt exerceatur tempore opportuno, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens, prohibet omiſsionem, quia mala, eo modo, quo prohibetur, concedo conſequentiam, quia mala ſemper, & ex ſe, nego conſequẽtiam: omiſsio ergo actus præcepti prohibetur ex conſequenti, eo modo, quo prohibetur; nõ autem prohibetur quod ſemper exiſtat omiſsio; ergo tunc mala eſt quãdo prohibetur non tamen prohibetur, quod aliquando fit, & conſequẽter mala non eſt.

35 Ex quibus à fortiori infertur, præcepta humana, ſivè Eccleſiaſtica, ſivè civilia non obligare in circunſtantia gravis metus; ſi enim præceptum naturale affirmativum non obligat, multo minùs lex humana, quæ minoris eſt authoritatis; neque quantum ad hoc, aliquod reperitur diſcrimen inter præcepta affirmativa, & negativa; quia præceptum humanum, non prohibet actionem, quia mala, nec præcipit, quia bona: & ratio omnium eſt, quia exiſtente metu mortis ſimul cum præcepto humano, aut naturali affirmativo, occurrit alterum maius deſervanda vita, quod magis inſtat, quam bono inferiori proſpicere; vndè obligat præceptum conſervandi vitam, & alteriùs obligatio pro tunc ceſſat: immò idem dicendum eàdem ratione de præcepto divino poſitivo, quod ſcilicèt non inſtat cum periculo mortis; & conſtat ex ſecundo Machabęorum cap. 4. vbi refertur, quod Mathathias, & eius milites præceptum ſibi à Deo impoſitum non obſervarũt dimicantes contra inimicos, qui tamen non peccarunt, vt docet D. Thom. infrà quæſt. 100. artic. 8.

36 Ab hac doctrina excipiuntur duo caſus: primus eſt, ſi adimpletio præcepti maximè expedit ad bonum commune; tunc enim vita eſt poſtponenda, & obſervandum præceptum, vt quando militi præcipitur non deſerere locum illi aſsignatum, etiam cum periculo vitæ, in quo caſu non eſt deſerendus locus, etiam cum vitæ periculo: ſecundus eſt, ſi incutiatur metus, vt præceptum tranſgrediatur, & in illius contemptum, vel in contemptum fidei; vt ſi alicui ab hæretico inferatur metus mortis, vt comedat carnes in die veneris in contemptum præcepti, & Fidei Catholicæ. Huius ratio, quæ doctrinam noſtram explicat, eſt; quia quando duo præcepta occurrunt, tunc illud inſtat, quod eſt de ſuperiori bono; & quia bonum commune ſuperius eſt comparative ad finem, vel bonum pri-

va-

vatum, ideò obligat cum huius dispendio; & ratio naturalis dictat bonum privatum postponendum esse bono communi: quapropter manus exponitur periculo ob conservationem totius. Similiter, quando fit in contemptum fidei, vel ad persuadendum, quod lex positiva Ecclesiastica, vel Civilis non obligat in conscientia, vel fit in contemptum Ecclesiæ, aut Legislatoris, lex est observanda eâdem ratione; defensio enim fidei est bonum commune, & superiùs ad vitam: contemptus autem Ecclesiæ, aut Legislatoris est deterioratio boni communis; cui proindè subveniendum est, potiùs, quàm vitæ privatæ.

37 Verùmtamen alij satis probabiliter asserunt, quod in his casibus operans ex metu non transgreditur legem humanam, sed aliam naturalem, vel divinam, tunc obligantem ad subveniendum bono communi, & fidei: ex quo colligunt, quod qui in casu ex metu transgreditur præceptum Ecclesiasticum, cui annexa est censura; licèt peccet mortaliter, censuram non incurrit. Sit exemplum; si in contemptum potestatis Ecclesiasticæ compellitur quis metu mortis ad legendum librum prohibitum ab Inquisitoribus sub pœna excommunicationis, peccat quidem legens, sed non incurrit censuram; quia non peccat contra præceptum Inquisitorum, quod tùc non instat, sed contra præceptum fidei; quo confitemur Ecclesiam, & eius potestatem ad condendas leges; & consequenter non incurrit censuram, quæ est imposita transgressoribus legis humanæ, supponitque illius formalem transgressionem.

38 Ex dictis colligitur, contractus celebratos ex metu cadente in virum constantem habere sufficientem rationem voluntarij ad eorum valorem, & consequenter ex hoc capite esse validos stando iuri naturæ: & probatur; nam ad huiusmodi contractus sufficit voluntarium simpliciter tale: at hoc reperitur in contractibus ex metu celebratis; ergo ex hoc capite standò iuri naturæ validi sunt. Confirmatur 1. Non requiritur perfectiùs voluntarium ad valorem contractus, quam ad peccatum mortale: at metus relinquit sufficiens voluntarium ad peccatum mortale; ergo ad valorem contractus. Confirmatur 2. Non minus minuit voluntarium metus iustè illatus, quàm iniustè: at metus iustè illatus relinquit sufficiens voluntarium ad rationem contractus; quapropter matrimonium contractum ex metu gravi, iustè à Iudice illato, validum est; ergo etiam metus iniustè illatus sufficiens voluntarium relinquit. Cum quo rectè componitur, aliquos contractus ex metu celebratos esse irritos iure positivo; alios verò irritandos; quod factum est, non quia deficiat voluntarium sufficiens ad eorum valorem standò iuri naturæ, sed quia datur sufficiens fundamẽtum, ad suspicandum defuisse consensum interiorem, sine quo perfici non possunt, vel ad vitanda inconvenientia, quæ plerumque sequuntur ex contractibus admiscentibus aliquid involuntarij.

39 Hinc matrimonium contractum ex metu iniustè illato, invalidum est: quod est verum non solùm casu, quo contrahens simulet se contrahere, sed etiam quando verè contrahit; sic stabilitur, cap. *Veniens*, cap. *Cum loco*, & c. *Consultationem de Sponsalibus*. Similiter votum solemne ex metu cadente in virum constantem est nullum, quod etiam alij extendunt ad votum simplex: ratio autem quare ab Ecclesia ita sancitur, est; quia contractus, qui semel valet, rescindique posteà non potest, ex metu iniustè celebratus, à principio esset nullus, nè cogatur, qui illum per iniuriam celebravit, semper stare contractui, & huiusmodi sunt matrimonium, & votum solemne. Alij autem contractus, non sunt irriti, sed irritandi sunt; de quibus in titulo de his, quæ vi, metus, vel causa fiunt.

40 Sed contra obijcies, quod cap. *Cum loco de Sponsalibus* citato, non redditur ratio cùr matrimonium ex metu contractum sit nullum, scilicèt, quia non habet locum consensus, vbi metus, vel coactio intervenit; sed deficiente consensu non est sufficiens voluntarium, etiam standò iuri naturæ; ergo metus causat involuntarium, atqueadeò contractus ex metu celebratus involuntarius est. Respondetur non esse sensum, quod nullus sit consensus, sed quod non est purè voluntarius, sed mixtus, quem non sufficere ad contractum irrevocabilem optima ratione stabilitur lege Ecclesiastica.

Articulus VII.

Vtrùm concupiſcentia cauſet involuntarium?

Concluſio eſt negativa circa quam.

Dubitatur VI.

Vtrùm concluſio Divi Thomæ ſit vera?

1 IN Præſentiarum eſt ſermo, non de potentia ad concupiſcendum, ſed de actuali concupiſcentia, quæ aliquando ſumitur ample; prout abſtrahit ab actu appetitus rationalis, & ſenſitivi; vterquè enim dicitur concupiſcere, & de primo conſtat ex Pſalm. 118. *Concupivit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas.* De ſecundo, illud Iacobi 1. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua.* Deindè actus ſtrictè ſumitur per actu appetitus ſenſitivi, & ſic accipitur à D. Thoma in præſenti, quod colligunt frequenter Thomiſtæ, quia articulo præſenti loquutus eſt de motu, qui eſt paſsio appetitus ſenſitivi; ergo in præſenti etiam loquitur de cõcupiſcentia, quæ eſt paſsio; & vbicumque D. Thomas inquirit, vtrùm paſsio minuat peccatum, vel minuat rationem voluntarij, intelligitur de paſsione appetitus ſenſitivi: per concupiſcentiam autem non ſolùm intelligit actum reſidentem in parte concupiſcibili diſtinctum ab amore, & dilectione, neque ſolùm actum appetitus iraſcibilis prout comprehendit omnes actus illius, ſed prout ambit omnem actum appetitus tâm concupiſcibilis, quàm iraſcibilis, diſtinctum â timore; quod etiam colligunt, quia omnes iſti actus conveniunt in modo minuendi, & augendi voluntarium, & quia nullibi D. Thomas inquirit, vtrùm ira cauſet involuntarium, vel aliqua alia paſsio: cuius alia ratio eſſe non poteſt, niſi quia nomen concupiſcentiæ in præſenti omnem paſsionem appetitus ſenſitivi â timore diſtinctum ſignificat. His poſitis.

2 Ratio dubitandi, quæ in varios modos dicendi Thomiſtas diviſit hæc eſt; ideò metus cauſat involuntarium, quia cauſat operationem, quæ ſecundum ſe diſplicet, quæ proindè voluntati inefficaci repugnat; ſed etiam concupiſcentia cauſat actionem, quæ ſecundum ſe diſplicèt, & quæ repugnat voluntati inefficaci; ergo cauſat involuntarium. Conſequentia eſt bona, maior tradditur â nobis articulo antecedenti, & minor probatur; nam avarus, v.g. qui ex concupiſcentia, & vt adipiſcatur bonum concupitum expendit divitias, operatur ex concupiſcentia: at operatio ex illa cauſata, nimirùm expenſio pecuniarum ſecundum ſe diſplicet avaro, & repugnat voluntati inefficaci illas conſervandi, quas & conſervaret, ſi abſque illarum diſpendio, bonum concupitum poſſet conſequi; ergo concupiſcentia cauſat actionem, quæ ſecundum ſe diſplicet, & quæ voluntati inefficaci repugnat.

3 Confirmatur primo; ſicut operatio, quę eligitur ex concupiſcentia eſt abſolutè, & ſimpliciter voluntaria, ita operatio, quę eligitur ex metu; & ſicut operationes factæ ex metu, ſunt aliquando involuntariæ ſecundum quid, & aliquando non, vt ſuprà diximus, pariter factæ ex cõcupiſcentia aliquando ſunt involuntariæ ſecundùm quid, vt quando ex concupiſcẽtia expendit avarus divitias, quas amat, & aliquando non, vt quando ex concupiſcentia exercet quis actionem, aliàs iucundam; ergo inter metum, & concupiſcentiam nullum datur diſcrimen. Confirmatur ſecundo; nam peccans ex concupiſcentia multoties vult bonum ſenſibile, quia delectabile, & nolet illud facere, quia eſt contra rationem, vel quia ex illo plures incommoditates ſequuntur; ergo cum electione efficaci ex concupiſcentia componitur alia inefficax voluntas, cui electio repugnat. Demum explicatur; operans ex concupiſcentia interdum operatur cum dolore, & triſtitia, quod vt ſupra dicebamus eſt ſignum involuntarij; ergo operatio ex concupiſcentia aliquando ſaltim eſt involuntaria. Antecedens conſtat, quia interdum quis ex concupiſcentia peccat cum remorſu conſcientię, cum dolore, & triſtitia de famæ amiſsione, &c.

Ha-

4 Harum voluntatum contrarietatem, & coexistentiam significare videtur Apostolus ad Roman. 7. *Quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum hoc facio*, quæ per totum caput prosequitur; & ad Galatas 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem*: vbi in operantem ex concupiscentia, duplicem voluntatem adinvicem pugnantem agnoscere videtur, ex quibus voluntarium mixtum inferri, supra dixi us; quibus consonat illud Senecæ de Brevitate Uitæ cap. 16. *Ipse voluptates eorum trepidæ, & varijs terroribus inquietæ sunt, subitque eos, dum maximè exultant solicita cogitatio, hæc quamdiù erunt? Ab hoc affectu Reges sucm fluere potentiam, nec illos magnitudo suæ fortunæ delectavit, sed venturus aliquando finis exterruit.*

5 His non obstantibus conclusio D.Thom. vera est; quam docet etiam 2.2. quæst. 142.art.3. 3.Ethicorum lect. 3. & 4. & Nissenus lib.5. Philosophiæ cap.1. & 3. Damascenus lib.2. de Fide cap.24. Conradus, Medina, Curiel, PP. Salmantic. in præsenti, & communiter Theologi; quæ non aliter probatur, quàm rationibus Div. Thomæ,& primo authoritate Philosophi adducta á D.Thom.3.Ethicorum, cap. 1. vbi constituit differentiam inter ea, quæ ex metu, atque ex concupiscentia fiunt, in eo, quod facta ex concupiscentia non sunt involuntaria, sicut facta ex metu, & respondens cuidam obiectioni, sic habet 3. Ethic. cap.1. *Quod si quispiam ideò iucunda violenta dixerit esse, quia & extra sunt, omnia erunt eius sententia violenta. Horum enim gratia omnes omnia agunt. At qui violentia, invitique agunt, ij cum dolore. Qui ob iucundum, hi cum voluptate operantur: est autem ridiculum externa quempiam, sed non seipsum, qui ab huiusmodi rebus facilè capitur.*

6 Deindè probatur ratione Divi Thomæ, sed antequam illam proponamus oportet sensum conclusionis explicare, vt inde appareat rationis efficacia, & in primis constituere D. Thomam discrimen inter concupiscētiam, & metum est certum; nam articulo antecedenti absolutè docet metum causare involuntarium, seù voluntarium mixtum, quod in præsenti negat, de concupiscentia: ex quo vlteriùs constat, non negare concupiscentiam causare involuntarium; quia ipsam involuntarietatem actionis non causat; nam quantum ad hoc nullum est discrimen inter metum, & concupiscentiam; neque enim metus causat involuntarium, quia causet involuntarietatem actionis, vt suprà diximus. Sensus ergo est, concupiscentiam non causare involuntarium, quia non admittit in voluntate displicentiam erga actionem ab ipsa causatam: quod tamen non est intelligendum vniversaliter; ita vt nunquam actio ex concupiscentia facta sit involuntaria, sed indefinite; quod constat, quia eo modo negat de concupiscentia causare involuntarium, quo id affirmat de metu: sed metum non docet semper vniversaliter causare involuntarium, vt suprà diximus; ergo neque de concupiscentia hoc in vniversali negat: & quidem sicut verum est, metum aliquando non causare involuntarium, quando videlicèt non impedit eius actionem, aliàs iucundam; concupiscentia illud causat aliquando, quando scilicèt ad consequendum bonum concupitum, elicitur actio aliàs displicens. Secundo deducitur, hanc esse mētem D.Thomæ ex eo, quod sit incredibile ipsum ignorasse aliquid fieri ex concupiscentia cum aliqua repugnantia voluntatis ratione displicētiæ inefficaciq; quod evidēter est notum, & ex dictis manifestè convincitur: vndè conclusio D. Thom. sic est intelligenda, quod concupiscentia per se, & regulariter excludit rationem involuntarij; licèt peraccidens oppositum contingat.

7 Cui non obstat D. Thomas solutione ad secundum asserens; quod in eo, qui agit aliquid per concupiscentiam, sicut est incontinens, non manet prior voluntas, qua repudiabat illud, quod concupiscitur, sicut operans ex metu: ex quo deducit, quod actio ex concupiscentia facta nullo modo est involuntaria: non, inquam obstat, nam intelligendus est iuxtà dicta, nimirùm, quod per se concupiscentia non causat displicentiam, & sic actio regulariter non est involuntaria per se; licèt peraccidens, quando scilicèt displicentiam admittit, sit involuntaria.

8 Conclusio ergo sic intellecta probatur ratione D. Thomæ; aliquid dicitur voluntarium ex eo, quod voluntas in illud fertur; involuntarium autem ex eo, quod illud fugit: sed per concupiscentiam magis fertur voluntas in id, quod concupiscit; ergo per concupiscentiam non causatur involuntarium, sed magis voluntarium.

Dices, ex hac ratione solùm inferri actionem factam ex concupiscentia esse voluntariam, & magis voluntariam, quo

ma-

maioti impetu in ipſam feratur voluntas concupiſcentis; non verò eſſe purè voluntariam: Nam etiam, quo maior eſt timor mortis, magis fertur voluntas in proiectionem mercium ad illam vitandam, quâ ratione eſt magis voluntaria: & tamen hoc non obſtat quominùs proiectio mercium ex timore non ſit purè voluntaria, ſed mixta; ergo.

9 Hæc tamen ſolutio excluſa manebit, ſi explicemus modum, quo ex concupiſcentia magis fertur voluntas in obiectum, qui modus in caſu metus non datur, qui conſtabit ex ſequenti ratione deſumpta ex ſolutione ad primum, & ſecundum, quæ talis eſt. Concupiſcentia per ſe facit, quod voluntas ſic magis feratur in obiectum, vt non relinquat diſplicentiam erga actionem ex ipſa factam; ergo concupiſcentia per ſe non ſolum cauſat magis voluntarium, ſed purum voluntarium. Conſequentia conſtat: & antecedens eſt Div. Thomæ in ſolutione ad ſecundum; probaturque primo ex ipſa experientia, quæ docet diverſitatem hanc inter metum, & concupiſcentiam: nã operans ex metu quadam vi, & quaſi ex metu coactus operatur; ex concupiſcentia autem delectabiliter, & ſuaviter: quod & indicat dolor, & triſtitia, quæ regulariter in operantibus ex metu, & lætitia, & alacritate in operantibus ex concupiſcentia.

10 Secundo probatur antecedens ex Div. Thoma in ſolutione ad primum; vbi ſic habet. Ad primum dicendum: *Quod timor eſt de malo, concupiſcentia autem reſpicit bonum; malum autem ſecundum ſe contrariatur voluntati, ſed bonum eſt voluntati conſonum: Vnde magis ſe habet timor ad cauſandum involunturium, quam concupiſcentia.* Ex quibus ſic probatur antecedens; nam cum concupiſcentia non reſpiciat malum, ſed ſolum bonum delectabile, & iucundum, nõ habet ex ſe inclinare ad aliquid, quod voluntati repugnet, ſed potiùs ad iucundum, in quo diſtinguitur â metu, cuius obiectum eſt malum, quod difficilè poteſt vitari, & ideò vt illud vitet, ex propria ratione habet inclinare ad eligendum minus malum, quod ſecundum ſe diſplicet, & ſolùm eligitur vt vtilè ad maius malum vitandum; ergo per ſe concupiſcentia non permittit in voluntate diſplicentiam illorum, quæ ex illa eliguntur, ſicut metus. Deindè ex diverſitate obiecti timoris, & concupiſcentiæ naſcitur, quod ex iucunditate, qua voluntas fertur in obiectum concupitum derivatur ad media ſuavitas, & iucunditas, quod experientijs adductis manifeſtum eſt, & contigit Principi Sichem, qui libenter obtulit divitias, vt Dinam conſequeretur Geneſis 34. *Augete dotem, & munera poſtulate, libenter tribuam, quod petieritis, tantum date mihi puellam hanc vxorem*: cum autem obiectum timoris ſit malum, & diſplicens, non derivatur ad media ex ipſo aliqua iucunditas, & ſuavitas, in quo diſcrimen intentum á D. Thoma conſiſtit.

11 Licèt doctrinam hanc exemplo vlteriùs declarare, quamvis calor, vel ex eius debilitate, vel quia frigiditas reſiſtit in ſubiecto conaturali, illam non expellat, non obeſt, quominús ex natura ſua, & formaliter frigiditati opponatur, & in illius tendat deſtructionem; ſimiliter ergo quamvis aliquando concupiſcentia, vel quia parva eſt, vel quia concupiſcens eſt valdè avarus, non omninò auferat diſplicentiam erga diſpendium divitiarum, illam tamen minuit, & ad hoc per ſe tendit, vt illam omninò deſtruat, quod & præſtaret, ſi in maximo gradu ſit concupiſcentia.

12 Ex quibus ad rationem dubitandi facilis eſt ſolutio, ad quam diſtinguẽda eſt maior, quia per ſe cauſat, & regulariter, concedo maiorem; quia cauſat præciſsè, nego maiorem, & diſtinguenda eſt minor, concupiſcentia cauſat actionem, quæ ſecundum ſe diſplicet, adhùc permanente concupiſcentia, per ſe, & regulariter, nego minorem, aliquando, & peraccidens, condo minorem, & nego conſequentiam, vel diſtinguatur conſequens. Cauſat involuntarium peraccidens, concedo conſequentiam, per ſe, & regulariter, nego conſequẽtiam, per quod patet ad primam, & ſecundam confirmationem.

13 Ad tertiam dicendum, quod dolor, & triſtitia, quæ regulariter experitur in agente ex concupiſcentia, conſequitur ad actionem ex concupiſcentia factam, quia bonum ſenſibile iam conſequutum faſtidium parit. Hæc autem triſtitia involuntarium non cauſat, neque indicat præſupponi ad actionem ex concupiſcentia factam omninò voluntariam; ſi quæ autem triſtitia, vel dolor experitur in exequenda actione ex concupiſcentia, non per ſe, & regulariter contingit, ſed peraccidens. Ad teſtimonia Philoſophi reſpondetur, non ſufficere diſplicentiam erga actionem ex concupiſcentiam factam, ſed ſolum voluntatem ex gratia Dei benè operantem repug-

pugnare appetitui sensitivo, cuius motus, adhuc repugnante voluntate, aliquando manet; tunc autem voluntas non operatur ex concupiscentia, sed contra illam, quæ est in appetitu, pugnat; quæ proindè involuntaria est. Alij sunt modi explicandi conclusionem, & sensum D. Thomæ, qui possunt videri apud Gregorium Martinez in præsenti dub. 1, nobis enim sufficit quem veriorem existimamus, tradidisse.

14 Cæterùm vt complete intelligatur conclusio, & doctrina Div. Thomæ, restat examinandum, an concupiscentia augeat voluntarium actionis factæ ex ipsa, quod videtur doceri à Div. Thoma in corpore articuli, illis verbis: *Concupiscentia non causat involuntarium; sed magis facit aliquid voluntarium*; aliundè benè constat concupiscentiam non causare involuntarium, & quod actio ex illa causata, non sit ita perfectè voluntaria. Ratio dubitandi desumitur ex authoritate, & ratione; authoritas est D. Thomæ infrà quæst. 77. articulo 6. vbi docet, quod concupiscentia antecedens minuit voluntarium. Ratio autem desumitur ex eo, quod voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione; concupiscentia autem minuit cognitionem, ex cuius diminutione decrescit ratio liberi; præstat etiã, quod actio sit magis ab extrinseco, scilicèt ex concupiscentia appetitus, quæ extrà voluntatem est; ergo minuit rationem voluntarij.

15 Pro huius intelligentia supponendum est, quod sivè concupiscentia causet, sivè minuat voluntarium, stat veritas doctrinæ D. Thomæ, nimirùm non causare involuntarium; hoc enim salvatur per hoc, quod non admittat in voluntate displicentiam, cum quo componitur, quod actio sit magis, vel minus voluntaria, sivè sine admixtione contrarij potest lux esse magis, vel minus intensa: dubiumque potest esse de sensu D. Thomæ, & de ipsa veritate; an scilicet D. Thomas in hoc articulo doceat concupiscentiam augere voluntarium? Et an ita sit?

16 Circa primum aliqui Thomistæ asserunt, D. Thom. non docere in præsenti concupiscentiam augere volũtarium; quod probatur, quia solum inquirit, vtrùm causet involuntarium; an autem augeat, vel minuat, determinat infra quæst. 77. artic. 6. vbi inquirit vtrùm minuat peccatum? Et vt probet partem affirmantem, quam sequitur, assumit tanquâm medium, minuere rationem voluntarij; ergo in præsenti solum docet non causare involuntarium. Neque verba corporis articuli oppositum convincunt, quæ talia sunt: *Concupiscentia non causat involuntarium, sed magis facit aliquid voluntarium*; nam ly *magis* idem est atque potiùs; ita vt sensus sit, quod potiùs facit voluntarium, quam involuntarium; quod benè intelligitur, etiam si non faciat magis voluntarium, aut illud augeat; cuius rei plura afferri possunt exempla. Vel sensus Divi Thomæ est, quod concupiscentia magis conducit ad hoc, quod actio sit voluntaria, quam ad hoc, quod sit involuntaria; quod rectè intelligitur sine incremento voluntarij. Quod & confirmant ex verbis, quibus concludit: *Concupiscentia magis facit ad hoc, quod aliquod sit voluntarium, quam ad hoc vt sit involuntarium.* Et quidem aliud est facere magis voluntarium, & aliud magis facere voluntarium. Tandem idem persuadent; quia concupiscentiam minuere voluntarium, docet expræsè Div. Thomas vbi proximè; ergo non est credibile in præsenti oppositum docuisse.

17 Nihilominùs veriùs existimo D. Thomam in præsenti docere, concupiscentiam augere rationem voluntarij; quod probatur primo ex verbis adductis, quæ licèt non improbabiliter explicentur ab his Thomistis; non ita syncerè intelliguntur, vt illa recolenti constabit. Secundo; quia D. Thomas probat non facere involuntarium, quia magis facit aliquid volũtarium: sed ad probandum non causare involuntarium, sufficiens medium non est causare voluntarium; nam metus etiam illud causat, qui etiam facit involuntarium; ergo asserendum est assumpsisse tanquàm medium, augere rationem voluntarij, & magis inclinare voluntatem in obiectum; ratione cuius vt docet solutione ad secundum, non admittit displicentiam in voluntate.

18 Tertio; quia inquirens, an causet involuntarium, ineptè consumeret corpus articuli, probando causare voluntarium, in quo nulla potest esse difficultas, & ex quo nullatenus infertur, nullatenus causare involuntarium; ergo non probat causare voluntarium vtcumque, sed magis voluntarium, vt inde inferat non causare involuntarium, quod erat intentum. Tandem, quia concupiscentiam augere voluntarium est verum, & non opponitur doctrinæ aliàs traditæ à Div. Thoma, vt statim

conſtabit; ergo dicendum eſt ſic à D.Thoma in præſenti doceri; cum eius verba ſic planiùs intelligantur. Per quod ad illud, quod in contrarium adducitur, reſpondetur, D.Thomam, vt probet non cauſare involuntarium, aſſerere augere voluntatem, & derivare ad media iucunditatem, ratione cuius cùm maiori conatu appetuntur. Etiam addi poteſt, quod cum in præſenti agat de voluntario in communi, oportuit docere cur augeatur, vel diminuatur ex concupiſcentia, quod poſteà determinat de voluntario libero, quæ inter ſe non opponuntur.

19 Vt autem intelligamus, qualiter verum ſit augere voluntarium, advertendum eſt, voluntarium multiplicitèr poteſt perfici, cum enim eſſentialiter ſumptum ſit actus voluntatis, poteſt accipere perfectionem, vel ex eius ſpecie, vel ex actus intenſione, vel ex perfectione cognitionis, qua attingitur finis, & illius proportio ad media; quæ eſt duplex, altera indifferens regulans actum liberum, & altera determinata regulans actum neceſſarium, vt viſio beatifica.

20 Dicendum ergo eſt, concupiſcentiam non augere voluntarium per additionem perfectionis ſpecificæ, augere tamen voluntarium, quoad intenſionem, quatenus ex concupiſcentia actus evadit magis intenſus, vehementior, & impetuoſior: hoc tamen non ſemper accidit. Prima pars conſtat, eo quod actus voluntatis non variatur eſſentialiter, eo quod ſit ex concupiſcentia; hæc enim ſolum habet actum voluntatis cauſare, quatenus excitat intellectum, vt obiectum proponat, & vt magis vivide eius amabilitatem repræſentet, à quo ſpeciem accipit actus voluntatis, quod quidem abſque concupiſcentia poteſt ab intellectu proponi, & appeti à voluntate; & licèt aliquando concupiſcentia omninò auferat libertatem, & indifferentiam iudicij, ex hoc non variatur eſſentialiter actus voluntatis.

21 Secundà pars probatur ex Div. Thoma infra quæſt. 77. citata, art. 6. ibi; ad tertium dicendum: *Quod etſi motus voluntatis ſit intenſior, ex paſſione incitatus, non tamen ita eſt voluntatis proprius, ſicut ſi ſola ratione moveretur ad peccandum*: vbi argumento concedit ex concupiſcentia evadere actum voluntatis intenſiorem; licèt ex alio capite non ſit ita voluntarius. Secundo probatur ex ipſa experientia, qua conſtat, quod quanto maior eſt paſsio, ſeù concupiſcentia, tanto maiori impetu operatur voluntas, vt patet in vehementi ira, odio, vel amore. Confirmatur; nam in obiectum propoſitum vividius, & efficacius, magis intenſe, & maiori conatu fertur voluntas: ſed concupiſcentia præſtat, vt vividius, & efficacius proponatur obiectum; ergo facit, quod maiori impetu, & conatu in illud feratur voluntas.

22 Tertia pars, quod nempè, non ſemper ſic accidat, probatur, quia adhùc poſita concupiſcentia, ſicut poteſt voluntas ſuſpendere actum erga obiectum concupitum, & concupiſcentiæ reſiſtere, poteſt ſimiliter magis, vel minus intenſe erga illud operari; ergo licèt regulariter, & ex meritis concupiſcentiæ, in ipſum intenſius feratur, non tamen ſemper. Secundo, quia cum omnes animæ potentiæ in eàdem eſſentia animæ radicentur, concupiſcentia appetitus ita poteſt creſcere, vt non relinquat in anima vires ad conſenſum internum, vt docet D. Thomas, quæſtione 77. citata articulo 1: ergo aliquando non auget, ſed minuit voluntarium, etiam quoad intenſionem. Quod diximus de actu interiori voluntatis, dicendum eſt de actu exteriori ex concupiſcentia facto; cum enim hic voluntarius ſit, & dicatur ab actu interiori, eo modo creſcit in ratione voluntarij, quo actus interior.

23 Ex his non infertur, ſine concupiſcentia non poſſe hominem intenſiſsime operari; etenim abſque illa poteſt eſſe indifferens ad actum, & ad intenſiorem actum; atque adeò ex propria libertate poteſt ad actum intenſiorem determinari, & in Patria abſque concupiſcentia, ex neceſsitate intenſiſsime operatur; ſolùm ergo aſſerimus, concupiſcentiam conducere vt intenſius operetur, quatenus iuvat ad hoc, vt obiectum ſenſibile appareat.

24 Dicendum eſt ſecundo, concupiſcentiam minuere voluntarium perfectum, & liberum: tradditur à D.Thoma articulo 6. quæſtionis 77. & probatur; nam concupiſcentia minuit cognitionem proportionis finis ad media, & è contra; minuit etiam circunſtantiarum cognitionem; plerumque enim præſtat, vt homo non advertat ad plura, quæ cognoſceret

liber â concupiſcentia; ergo minuit voluntarium perfectũ, quod per perfectam cognitionem ab imperfecto diſtinguitur. Quod autem minuat rationem liberi, ex his conſtat, & inſuper, quia concupiſcentia præſtat, vt appareat magis bonum obiectum ſenſibile, quam oppoſitum, in quo vix aliquid amabilitatis relinquit; ergo minuit indifferentiam iudicij, & conſequenter libertatẽ. Tùm etiam; quia minus peccat, cæteris paribus, qui incitatus paſsione peccat, quam qui nulla paſsione provocatus; ſed hoc non alia ratione, niſi quia paſsio minuit libertatem; ergo illam minuit. Ex quibus facilè deducitur; ita poſſe creſcere concupiſcentiam, vt totaliter libertatem evertat; tanta enim poteſt eſſe, vt intellectus ſolum conſideret obiectum paſsionis, vt appetibile, nulla exiſtente conſideratione erga rationes, quę poſſunt retardare ab eius proſequutione; quod in paſsionibus iræ frequentius accidit.

25 Duo tamen notare oportet: primum eſt, quod aliquando, quamvis maxima ſit concupiſcentia, poteſt libertatem non minuere, caſu ſcilicèt, quo Deus, ſic ex concupiſcentia excitato ad peccatum, imitteret illuſtrationes, & pias affectiones, quibus homo æquè alliceretur ad diſſenſum, atque ex vi concupiſcentiæ ad peccatum; tunc enim omnibus penſatis, æquè eſſet indifferens ad vnum, atque ad alterum. Secundo obſervandum eſt, quod non quoties peccatum ex concupiſcentia cauſatur, minuitur; poteſt enim & aliquando contingit, vt qnis ex determinatione propriæ voluntatis excitet motum concupiſcentiæ prævidens conſenſum peccaminoſum inde cauſandum; in quo caſu quamvis conſenſus cauſatus ex concupiſcentia fortaſsè non ſit formaliter, & in ſe ita liber, & ab intrinſeco; quapropter in ſe formaliter minuitur in ratione voluntarij, & peccati, nihilominùs eſt perfectè liber in cauſa: ex quo fit, vt homo non minus peccet, quam ſi abſque concupiſcentia conſentiret, immò fortè magis; peccat enim duplici ratione, ſcilicèt, quia concupiſcentiam excitavit prævidens peccatum ex illa cauſandum, & quia ex illa libere conſenſit; qua ratione conſenſus eſt, velut actus exterior comparative ad primam voluntatem, à qua perfectè eſt liber, & habet inſuper libertatem intrinſecam.

26 Contra noſtram reſolutionem arguitur primo; ex eo, quod operans ex concupiſcentia maiori conatu feratur in obiectum, non infertur augere voluntarium; ergo ratio adducta nulla eſt. Antecedens probatur, operans ex metu maiori conatu, & velocitate operatur, & eo magis intensè, quo metus magis vrget; & tamen metus non auget voluntarium; ergo. Maior conſtat ex dubio antecedenti, & minor probatur; tùm, quia cauſat involuntarium: tùm, quia ſicut Divus Thomas aſsignat diſcrimen inter metum, & concupiſcentiam, quantum ad cauſare involuntarium, pariter quoad augere; ſed ex diſcrimine à Divo Thoma aſsignato inferimus, concupiſcentiam non cauſare involuntarium, quod metus cauſat; ergo pariter inferri debet, metum illud non augere, ſicut auget concupiſcentia. Tùm denique, quia Divus Thomas probat concupiſcentiam non cauſare involuntarium, quia voluntarium auget; ergo ſi metus etiam auget voluntarium, non cauſat involuntarium; quod tamen concedere non poſſumus.

27 Reſpondetur negando antecedens, ad probationem diſtinguo maiorem, operans ex metu maiori conatu operatur, ex ſuavitate, & iucunditate, quam refundat metus in actionem ab ipſo cauſatam, nego maiorem, pręciſsè vt fugiat, & vitet malum imminens, concedo maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo, non auget voluntarium ex ſuavitate, & iucunditate, concedo minorem, vt vitet malum imminens, nego minorem, & nego conſequentiam. Ad primam minoris probationem, conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, vel diſtinguendum conſequens iuxtà dicta. Ad ſecundam, conceſſa maiori, & minori, conceditur etiam conſequentia; non enim metus cauſat voluntarium, ſicut concupiſcentia: hæc enim auget derivando ad actionem ex concupiſcentia aliquam ſuavitatem; ſecus autem metus. Ad vltimam explicandum eſt antecedens, quia auget refundendo ſuavitatem, concedo antecedens, præciſsè quia auget, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque ſicut metus cauſat involuntarium, ſi creſcat poteſt illud augere, quatenus ex illo poteſt quis velociùs, & maiori conatu operari, non tamen per hoc, quod derivet ſuavitatem in actionem, quam cauſat; quapropter relinquit diſplicentiam in voluntate erga illam; in quo â cõcupiſcentia diſtin-

tinguitur; quod ſolum diſcrimen intendit Div. Thomas, vt probet concupiſcentiam non cauſare involuntarium ſicut metus.

28 Secundo arguitur. Si concupiſcentia augeret voluntarium, augeret etiam peccatum: ſed peccatum non auget, ſed minuit, iuxtà D. Tho. q. 77. art. 6. ergo non auget voluntarium. Maior probat, in tantum aliquid eſt peccatum, in quantum eſt voluntarium; ergo quo magis voluntariũ, maius peccatum, & conſequenter augens voluntarium, auget peccatum. Secundo probatur; maior D. Tho. vbi proximè, probat concupiſcentiam minuere peccatum, quia minuit voluntarium; ergo ſi iuxtà dicta auget voluntarium, non minuit, ſed auget peccatum.

29 Si dicas, quod licèt augeat voluntarium quoad intenſionem, non tamen quoad libertatem, ſeù voluntarium liberum, ſed potiùs hoc minuitur, iuxtà quod attenditur magnitudo peccati. In contra eſt; nam peccatum, cęteris paribus, creſcit ad incrementum intenſionis actus; ergo etiam ſi non augeat voluntarium liberum, ſed ſolum quoad intenſionem, auget peccatum. Tùm etiam; quia incrementum in ratione liberi non auget peccatum, niſi cætera ſint paria: quapropter ſtat maius peccatum cum minori indifferentia, & libertate; cuius exceſſus ſumitur aliundè; ergo ſimiliter cum minori libertate in peccato ex concupiſcentia patrato, ſtabit abſolutè maius peccatum ratione intenſionis.

30 Reſpondetur iuxtà datam ſolutionem, quę eſt D. Thomæ vbi proximè artic. 6. vbi cum ſibi ſic obiecíſſet: *Quantò intenſiori voluntate aliquis facit peccatum, tantò graviùs videtur peccare: ſed paſſio impellens voluntatem, facit eam vehementiùs ferri in actum peccati: ergo paſſio aggravat peccatum.* Reſpondet; ad tertium, dicendum: *Quod etſi motus voluntatis ſit intenſior ex paſſione incitatus, non tamen ita eſt voluntatis proprius; ſicut ſi ſola ratione moveretur ad peccandum*: vbi D. Thom. eo aſſerit concupiſcentiam non aggravare peccatum, quamvis voluntarium quoad intenſionem; quia motus voluntatis non eſt ita proprius illius, quando excitatus ex concupiſcentia, ſcilicèt, quia non eſt ita liber, & ab intrinſeco voluntatis, ſed concupiſcentia impellente: iuxtà quod in forma diſtinguatur maior, ſi augeret voluntarium ſine diminutione liberi, concedo maiorem, cum diminutione illius in ratione liberi, nego maiorem, & conceſſa minori, neganda eſt conſequentia; ad illius probationem, conceſſa abſolutè maiori, ſecus autem iuxtà ſtatim dicenda, diſtinguendum eſt conſequens, quo magis voluntarium in ratione liberi, concedo conſequentiam, ſecundum intenſionem, ſubdiſtinguo conſequens, ſi maioritas ſit cum diminutione in ratione liberi, nego conſequentiam, ſi abſque illa, concedo conſequentiã.

31 Sed oportet vt explicetur propoſitio illa, quam abſolutè conceſsimus; in tantum aliquid eſt peccatum, in quantum eſt voluntarium, quæ abſolutè vera eſt, ſi faciat ſenſum, quod nihil non voluntarium poteſt eſſe peccatum; ex quo nihil contra nos; eſt etiam vera, ſi faciat ſenſum, quod tota ratio, iuxtà quam menſuratur peccatum, eſt ratio voluntarij, quæ etiam eſt vera cæteris paribus; ex incremento enim voluntarij creſcit peccatum, ſi hoc incrementum aliundè non reſarciatur, vt fit, quando coniungitur cum diminutione voluntarij ſub alia ratione; quod in præſenti contingere vidimus: per quod conſtat ad ſecundam maioris probationem.

32 Ad primam ſolutionis impugnationem, concedendum eſt antecedens, & neganda conſequentia; quia cætera non ſunt paria. Ad ſecundam concedendum eſt antecedens, & neganda eſt conſequentia; cuius ratio eſt, quia intenſio iſta conſurgit ex cauſa diminuente rationem voluntarij liberi.

33 Sed inquires, vtrùm poterit creſcere intenſio peccati ad talem gradum, vt hæc æquivaleat diminutioni libertatis? Certum enim eſt, quod quamvis minuatur libertas, manet quæ ſufficit ad peccatum mortale, quod ſine dubio creſcit ſumpta libertate ex maiori intenſione: ex æquali enim concupiſcentia, & ex eadem libertate, illud erit maius peccatum, quod intenſius; ergo ſi nimis creſcit intenſio, poteſt æquivalere peccatum alteri comiſſo abſque concupiſcentia: quod ſi ſemel hoc concedatur, etiam videtur concedendum, quod concupiſcentia auget aliquando peccatum, & aliquando minuit; primum præſtabit, quando actus peccati ita creſcit in intenſione, vt non ſolum præponderet diminutioni libertatis, ſed ſuperet; ſecundum autem, quando hoc non contingit; quod tamen eſt contra D. Thomam, & à nobis nullatenus concedendum.

34 Reſpondetur, quod in eadem

proportione, iuxtà quam ex concupiſcentia creſcit intenſio actus peccati, minuitur libertas, quia intenſio ex concupiſcentia cauſata conſurgit ex diminutione libertatis, quæ magis conducit ad levitatem peccati, quam intenſio ad eius gravitatem; & licet poſsit intenſio ita creſcere, vt æquivaleat, & ſuperet diminutionem libertatis, non tamẽ intenſio cauſata ex concupiſcentia, ſed ex libera determinatione voluntatis: eſt exemplum, ſit concupiſcentia vt duo, hæc inducit voluntatem, vt eliciat actum intenſum vt duo, & diminuit eius libertatem, etiam vt duo, quæ libertatis diminutio magis conducit ad diminutionem peccati, quam intenſio actus vt duo ad eius graviratem; in quo caſu ſi voluntas eliciat actum intenſum vt ſex, fortaſsè æquivalebit, aut ſuperabit diminutionem libertatis, eritque maius peccatum, quàm actus intenſus vt duo abſque concupiſcentia, ceterùm intenſio à concupiſcentia non cauſatur, quæ ſolum inducit ad actionem vt duo, ſed ex determinatione libera voluntatis: ſicut ſi in caſu poſito eliceret actum peccati vt vnum, hæc minor intenſio, non concupiſcentię, ſed libertati tribuenda eſſet: licèt ergo peccatum ex concupiſcentia cauſatum poſsit eſſe maius, quam peccatum eiuſdem ſpeciei abſque concupiſcentia; hæc maioritas non ex concupiſcentia, ſed aliundè deſumitur: quapropter de concupiſcentia non verificatur augere peccatum.

35 Tertio arguitur; concupiſcentia minuit rationem liberi, & conſequenter rationem voluntarij; ergo non poteſt illud augere. Conſequentia probatur; nam diminutio, & augmentum ſunt motus oppoſiti, ſicut intenſio, & remiſsio: ſed intenſio, & remiſsio eiuſdem qualitatis ſimul componi non poſſunt; ergo neque augmentum, & diminutio eiuſdem volũtarij. Confirmatur, voluntarium eſt ab intrinſeco voluntatis: ſed hæc ratio non augetur, ſed ſolum minuitur per concupiſcentiam; ergo concupiſcentia non auget voluntarium. Minor probatur, eſſe á concupiſcentia, eſt eſſe ab aliquo voluntati extrinſeco, concupiſcentia enim extra voluntatem eſt; ergo per hoc, quod ſit á concupiſcentia, non magis eſt ab intrinſeco voluntatis, ſed ſolum magis ab extrinſeco.

36 Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ad eius probationem, diſtinguenda eſt maior, diminutio, & incrementum ſecundum eandem rationem, concedo maiorem, ſecundũ diverſam, nego maiorẽ; & conceſſa minori, diſtinguendum eſt conſequens, diminutio, & augmentũ eiuſdem voluntarij, ſecundum eandem rationem, conc. conſeq. ſecundum diverſam, nego conſeq. nam voluntarium, vt ſupra diximus, poteſt cauſari ſeù perfici, vel ex maiori conatu, vel ex perfectiori cognitione, quæ in via ſibi habet annexam libertatem; & ſtat ex vno capite creſcere, & ex alio minui; ſicut poteſt elici maiori intẽſione, & conatu, & ex minus perfecta cognitione procedere, & cum minori libertate: intenſio autem, & remiſsio eiuſdem qualitatis, eſt diminutio, & augmentum ſecundũ eandem rationem, quapropter ſunt incompoſsibiles. Ad confirmationem neganda eſt min. Ad cuius prob. diſtinguo antec. eſt eſſe ab aliquo extrinſeco voluntati, ipſa allicientе, vt maiori impetu feratur in obiectum, concedo antecedens, non inferente talem impetum, nego antecedens, & conſequẽtiã.

37 Sed inquires: eſto concupiſcentia minuat rationem liberi, & voluntarij, quæ magis conducit ad rationem meriti, vel demeriti, quam perfectio voluntarij, quã cauſat; vtrùm ſit perfectius voluntarium ratione maioris intenſionis, quam cauſat? ſtat enim benè eſſe perfectius voluntarium abſolutè, & eſſe minus aptum ad meritum, & demeritum, vt conſtat in voluntario neceſſario, quod eſt perfectius, quam liberum, ſi ex perfecta cognitione procedat, vt ſupra diximus, & tamen excludit meritum, & demeritum, vt amor beatificus.

38 Aliqui Recentiores affirmative reſpondent, ducti primo ex eo, quod eſt magis ab intrinſeco voluntariũ illud, quod à voluntate intenſiori impetu, & determinatione procedit, quamvis non ſit ita liberum. Secundo moventur, quia eſſe liberum eſt ſolum extrinſeca denominatio, quæ non præſtat, vt actus quoad intrinſeca ſit magis à voluntate. Sed inconſequenter ad propria principia procedunt; ipſi enim aſſerunt, voluntarium liberum eſſe perfectius neceſſario, quia eſt magis ab intrinſeco, & ad illud ſe determinat voluntas. Inſuper; ſi illorum motiva aliquid convincerent, probarent, quodlibet voluntarium neceſſarium excedere quodlibet liberum, quod neque ipſi concedunt.

39 Reſpondendum eſt ergo negative, quia cum voluntarium ſit à principio intrinſeco cum cognitione, quo perfectior eſt cognitio, eſt abſolutè per-

perfectiùs voluntarium, & perfectiori modo ab intrinseco: sed concupiscentia minuit cognitionem, & obnubilat intellectum; ergo quamvis voluntas maiori conatu feratur, non tamen est ita perfectè voluntarium. Confirmatur; nam motus primo primus non est ita perfectè voluntarius, sicut actus liber, quia ex imperfecta cognitione procedit, quamvis toto conatu in illū feratur voluntas; ergo maior conatus voluntatis ex imperfecta cognitione procedens perfectiùs voluntarium absolutè non arguit: & quidem bruta ex imperfecta cognitione toto conatu in obiectum feruntur; & tamen eorum voluntarium est imperfectū.

40 Ex dictis infertur habitum augere voluntarium actus ad quem inclinat, ea ratione, qua concupiscentia; nam cum habitus natura sit facilem reddere potentiam, & illam inclinare ad actum, præstat, vt maiori propensione in ipsum tendat; & consequenter reddit actum oppositum minus voluntarium. An autem reddat actum magis voluntarium in ratione liberi, dubium est; in quo aliqui absolutè asserunt, minuere rationem liberi; quia operans ex habitu, operatur quasi per modum naturæ, magis determinatus, & cum minori indifferentia iudicij.

41 Sed nobis asserendum videtur, habitum voluntatis non minuere voluntarium etiam in ratione liberi; & ratio est, quia habitus est facilitas ad actum liberum: sed hæc actum non minuit; ergo neque eius libertatem. Confirmatur primo; habitus inclinat ad actus similes illis, à quibus genitus fuit: sed gignitur ab actibus liberis; ergo inclinat in actus simili libertate gaudentes; & cum inclinatio, & facilitas ad aliquem actum, ipsum non destruat, sed perficiat, consequens fit, vt habitus neque actum, neque eius libertatem minuat, aut destruat. Confirmatur secundo, quia physica prædeterminatio est applicatio ad actum liberum, illius libertatem non aufert, neque minuit, sed perficit, quamvis cum actu infallibiliter connectatur; ergo si habitus est inclinatio ad actum liberum, quamvis reddat magis propensam, & facilem voluntatem ad actum, eius libertatem non minuit.

42 Confirmatur tertio; nam habitus est perfectio potentiæ illam afficiens, & determinans iuxtà suum modum: sed ipsa vt receptiva habituum, & perfectibilis prorsus illos, est libera; ergo in ratione liberæ per habitum perficitur, quod præstare non posset, si potentiæ libertatem minueret. Quarto, eliciens actum bonum, ieiunij verbi gratia, promptè, & delectabiliter ex habitu, magis meretur, vel saltim non minus, quam illum eliciens absque habitu, & similiter peccans ex habitu vitioso non minus peccat, quàm sine habitu, immò magis, vt docet Divus Thomas infra quæst. 78. articulo 2. at si habitus minueret libertatem ad actum, hoc non esset verum; ergo non minuit.

Per quod ad motivum in oppositum respondetur; quod operans ex habitu, operatur quasi determinatus per naturalem inclinationem habitus ad actum liberum vt talem, quæ eius libertatem non minuit; sicut neque prædeterminatio ad actum liberum: quod ex dictis facilè intelligitur; immò ipse actus liber in se magis determinatus est, & tamen est maximè liber.

43 Sed dices; habitus minuit indifferentiam iudicij: sed hac ratione concupiscentia minuit libertatem; ergo & habitus. Maior probatur. Quia qualis vnusquisque est talis ei finis apparet, hoc est, vnusquisque iudicat de rebus iuxtà dispositionem voluntatis; ergo ex vi habitus minuitur indifferentia iudicij, magisque inclinatur ad obiectum habitus, quam ad oppositum. Quod etiam docuit D. Thomas infra quæstione 78. articulo 2. Respondetur, distinguendo maiorem, minuit indifferentiam iudicij ex inclinatione ad actum liberum, vt talem, concedo maiorem, absque tali inclinatione, nego illam, & minorem; concupiscentia enim minuit indifferentiam iudicij ex inclinatione præcisa ad actum, quin vllo modo ad eius libertatem terminetur: cuius ratio est, quia ipsa non est perfectio voluntatis vt liberæ, sed ipsi extrinseca, vtpotè residens in appetitu.

44 Vel dici potest cum alijs, quod minor indifferentia iudicij ex habitu causata est voluntaria, cum habitus, ex quo provenit, proprijs actibus acquiratur; atque adeò libertatem non minuit; diminutio autem indifferentiæ causata ex concupiscentia est omninò involuntaria, cum concupiscentia ipsa á voluntate non sit; quod si ab illa libere excitetur, idem dicendum est atque de habitu: ex quibus infertur: quod si vo-

luntarieras habitus retractata sit per actum oppositum, scilicèt si actus, quibus genitus est, sint retractati; tunc operans ex habitu,& cum minori indifferentia iudicij, minus libere operatur; tunc enim minor indifferentia iudicij non est voluntaria; & hæc de isto Dubio.

Articulus VIII.

Vtrùm ignorantia causet involuntarium?

PRIMA CONCLUSIO.

Ignorantia concomitans non facit involuntarium, sed facit non voluntarium.

SECVNDA CONCLVSIO.

Ignorantia consequens non causat involuntarium simpliciter, causat tamen involuntarium secundum quid.

TERTIA CONCLVSIO.

Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter.

Dubitatur VII.

Quæ,& qualis ignorantia causet involuntarium?

§. I.

Dividitur ignorantia inconcomitantem, consequentem,& antecedentem.

1 PLURES Ignorantiæ divisiones traduntur hic à Theologis; sed quia aliquę specialiter spectant ad considerationem peccati, solùm de illa agemus, quæ maximè conducit ad perfectam cognitionem voluntarij in genere, quæ traditur à D.Thoma in præsenti, triplicem distinguente ignorantiam, concomitantem, consequentem,& antecedentem. Ignorantia concomitans illa dicitur, quæ est de eo, quod agitur, cæterùm etiam si sciretur, nihilominùs ageretur; tunc enim ignorantia non conducit ad volendum vt hoc fiat; sed omninò peraccidens est esse factum,& ignoratum: exemplum sit adductum à D. Thoma, Petrus vellet occidere Franciscum eius hostem; sed ignorans, occidit eum, putans occidere cervum, in quo casu datur ignorantia occisionis Franciscj, quæ agitur, tamen etsi Petrus sciret esse Franciscum inimicum, illum etiam occideret.

2 Ignorantia consequens est ignorantia voluntaria,& quia dupliciter potest esse voluntaria, duplex est ignorantia concomitans, alia affectata, alia non; affectata dicitur illa, quæ taliter est voluntaria, vt in eam directè feratur actus voluntatis; vt cum quis vult directè, & formaliter ignorare, vt excusationem habeat, vel vt non retrahatur ad peccandum, hac ignorantia laboraverunt apud Job 27.dicentes: *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Ignorantia voluntaria, seù concomitans non affectata est ignorantia eius, quod quis potest,& scire tenetur; hæc enim est voluntaria absque actu formali voluntatis ad illam directè terminato, vt docuit D.Thomas artic. 3. huius quæstionis, quia non velle, & non scire quando quis potest,& tenetur, voluntarium est, non quidem directè, & per actum formalem ad ignorantiam terminatum, sed interpretative,& indirectè.

3 Ignorantia antecedens illa est, quæ non est voluntaria, est tamen causa volendi, quod aliás quis non vellet; vt cum quis ignorat circunstantiam aliquam actionis, quam non tenebatur sciret: ex quo aliquod agit, quod nullatenus faceret, si circunstantiam sciret; sit etiam exemplum D.Thomæ in corpore huius articuli; adhibita sufficienti diligentia, vtrùm quis transiret per viam, accidit Petrum transire, & sagitta emissa ipsum transeuntem interficit.

4 Hanc divisionem esse bonam, & convenientem constat; quia ignorantia vt conducit ad rationem voluntarij, potest duplici-

pliciter se habere ad actum voluntatis, ex quo actus externus ex ignorantia factus habet rationem voluntarij; vel enim ad ipsum comparatur vt causa, vel tanquàm effectus, vel neque vt causa, aut effectus: si comparetur vt causa, est ignorantia antecedens, quia causa præcedit effectum saltim natura, vt quando ignorare est antepositionem actionis, causa est ponendi illam, vt constat in exemplo posito; si ignorantia est effectus voluntatis est consequens, quia effectus consequitur causam, & est illa posterior, vt quando quis vult formaliter, aut interpretative, aut indirectè ignorare. Si ignorantia, neque vt causa, neque vt effectus, neque præcedit, neque sequitur, sed quasi peraccidens se habet, sic est concomitans.

5 Ex quibus etiam colligitur antecedentiam hanc, & subsequutionem non debere intelligi de prioritate, aut posteritate durationis, sed naturæ, quod expressit D. Thom. in corpore articuli, ibi: *Antecedenter autem se habet ad voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, & tamen est causa volendi, quod aliàs non vellet*; vbi antecedentiam in causalitate constituit; & ratio est clara, nã si in eo instanti, in quo fit operatio, non sit ignorantia, necessarium est vt sit cognitio, & scientia; ergo licèt priùs tempore fuerit ignorantia, vel futura sit tẽpore consequenti ad voluntarium, & involuntarium actionis in hoc instanti factum, nihil conducere potest; si enim in hoc instanti est scientia evacuans ignorantiam præteritam, hic, & nunc actus ex ignorantia non fit; non enim potest fieri ex ignorantia, quæ nullo modo est: ignorantia autẽ in sequenti existens conducere non potest ad voluntarium, vel involuntarium actionis nunc existentis; voluntarietas enim, & libertas hic, & nunc competens actioni, ab eo, quod futurum est, non dependet.

6 Ignorantia antecedens subdividi potest in purè antecedentem, & mixtam ex antecedenti, & consequenti; purè antecedens est illa, quæ removet scientiam, qua existente non fieret operatio, & nullatenus causatur ex determinatione voluntatis, vt in exemplo adducto; mixta est, quę ita est causa actionis, vt tamen pro libertate voluntatis existat; vt in eo, qui non adhibet sufficientem diligentiam, vt videat an aliquis transeat per viam, & emittens sagittam occidit Petrum, ipsum ignorans transeuntem; quod si sciret, sagittam non emitteret; hæc ignorantia est antecedens, quia removet scientiam, qua existente non esset actio; atque adeò est causa actionis; est tamen cõsequens, quia ex libertate voluntatis existit; cum sit ignorantia illius, quod quis poterat, & tenebatur scire.

7 Similiter ignorantia consequens est duplex: alia purè consequens, & alia mixta, habens, scilicèt conditionem ignorantię concomitantis; & est illa, quæ existit, ex eo, quod quis affectat ignorare, vt liberius peccet, vel negligit scire, quod debet; tamen adhùc ignorantia non existente, esset actio; sicut cum non facta sufficienti diligentia ignorat quis aliquem transire per viam, & emittens sagittam, putans occidere cervum, occidit Petrum inimicum, quem interficere cupiebat, hæc ignorantia est consequens, quia voluntaria: habet tamen conditionem concomitantis, quia adhùc ignorantia non existente, fieret actio.

§. II.

Argumentis contra divisionem prædictam occurritur.

8 EX His tamen contra divisionem D. Thomæ objicies; ignorantia mixta ex antecedenti, & consequenti, sub nullo ex membris dividentibus continetur; ergo divisio traddita non est bona. Consequentia constat, quia vt sit adæquata divisio, nihil debet sub diviso contineri, quod sub aliquo ex membris dividentibus determinatè non contineatur, quod vniversaliter est verum; si id quod sub diviso continetur, sit aliquod singulare, & determinatum; nam si aliquid commune sit, & vniversale, potest sub diviso contineri, & non contineri sub aliquo ex membris dividentibus determinatè, sed illius aliqua inferiora sub vno membro divisi, & alia sub alio; vt manifestum est logicis. Antecedens autem probatur. Et in primis non contineri sub ignorantia ante-

cedenti; hæc enim, vt docet Div. Thomas, tunc datur, quando non est voluntaria, est tamen causa volendi, quod aliàs quis non vellet; ergo ignorantia antecedens, quę est membrum dividens, iuxtà D. Thomam, nõ est voluntaria, quod de ignorantia mixta non verificatur. Quod autem consequens non sit, inde deduci videtur; quia ignorantia consequens non causat involuntarium simpliciter, hæc autem ignorantia facit actum ex illa procedentem involuntarium quoad circunstantiam. Deindè ignorantia mixta ex subsequenti, & concomitanti non subsequẽti nõ est actus volũtatis; hæc enim causat involuntariũ secundũ quid, iuxtà D. Thin quantũ præcedit motũ voluntatis ad aliquod agendum, qui non esset, scientia præsente: at ignorantia hac mixta non existente, esset motus voluntatis, vt in eius explicatione dicitur; ergo consequens non est: quod verò neque sit concomitans etiã patet, quia concomitans est illa, quæ neque est causa, neque effectus; hæc autem effectus est voluntatis, cum sit voluntaria; ergo sub nullo ex membris dividentibus continetur.

9 Secundo obijcies ex Damasceno lib. 2. de Fide cap. 24. vbi agens de ignorantijs conducentibus ad voluntarium, & Involuntarium non meminit ignorantiæ concomitantis, sed solùm antecedentis, & consequentis; ergo ignorantia concomitans iuxtâ ipsum non datur, aliàs diminutè procedisset: è contra verò Aristoteles 3. Ethicorum cap. 1. solum meminit ignorantiæ antecedentis, & concomitantis; cum solum asserat, quod quis potest operari propter ignorantiam, vel ignoranter. Primum denotat ignorantiam antecedentem; secundum verò concomittantem: quod ex ipso clariùs docuit Gregorius Nissenus, lib. 4. Philosophiæ, cap. 2. his verbis: *Eorum, quæ per ignorantiam fiunt, duæ sunt species, vna quidem non voluntaria, alia verò involuntaria*; vbi ignorantiam concomitantem appellat non voluntariam; quia causat non voluntarium, vt ex Div. Thoma diximus; ignorantiam autem antecedentem appellat involuntariam, quia causat involuntarium simpliciter.

10 Tertio obijcies, ignorantia dicitur comparative ad actum, quem facit voluntarium, vel involuntarium: sed omnis ignorantia comparativè ad hunc actum est antecedens; ergo non rectè aliæ à D. Thoma assignantur. Minor probatur de ignorantia, quæ à D. Thoma appellatur consequens; nam hæc facit actum ex illa procedentem simpliciter voluntarium, vt docet D. Thomas; ergo est causa illius, & consequenter antecedens: de concomitanti verò probatur; nam iudicium, quo quis iudicat inimicum è regione positum esse cervum, est cognitio hic, & nunc dirigens proiectionem sagittæ; & consequenter talis error, seù ignorantia hic, & nunc est causa actionis; ergo tàm subsequens, quàm concomitans ignorantia est antecedens.

11 Confirmatur primo; ignorantia antecedens etiam est concomitans; cum enim facta sufficienti diligentia, id, quod á longè videtur, apparet fęra, & est inimicus, quem sagittans occidit, ignorantia verè est antecedens voluntatem sagittandi, & illam concomitatur; aliás emittens sagittam ignorantiam non haberet, sed scientiam. Cõfirmatur secundo; nam vel ignorantia dicitur antecedens, concomitans, & consequens respectu actus ignoranter facti, vel respectu voluntatis ignorandi voluntatis formalis, vel interpretativæ: si primum, omnis ignorantia etiam consequens est antecedens, vt modo dicebamus; cum etiam hæc antecedat actum ex ignorantia factũ, quæ proindè constituit involuntarium secundum quid, & idem est de ignorantia concomitanti, quæ illum constituit non voluntarium: si autem dicatur secundum, falsitatis convincitur ex eo, quod ignorantia antecedens, & concomitans excludunt voluntatem ignorandi, tâm formalem, quàm interpretativam; & consequenter respectu illius non possunt dici antecedens, & concomitans.

12 Ex horum solutione, explicatio divisionis D. Thomæ dependet, & eius intelligentia: pro qua varijs dicendi modis omissis, vt verum traddamus, advertendum est, quod isti termini, antecedens, concomitans, & consequens sunt relativi; quapropter ignorantia dicitur antecedens, cõcomitans, & consequens comparativè ad aliquem terminum; hic autem, vt ex argumentis constat, non potest esse actus ignoranter factus, cum respectu huius nulla ignorantia neque potest esse voluntas ignorandi, cum sine hac detur ignorantia antecedens, & concomitans. Neque potest dici, quod ignorantia antecedens, & concomitans dicitur talis respectu actus facti ex

ig-

ignorantia; conſequens autem comparative ad voluntatem ignorandi; nam licèt hoc fortè non multum diſtet à vera ſententia, non tamen ita rectè dicitur : tùm, quia ignorantia conſequens reſpectu actus ex ignorantia facti eſt etiam antecedens. Tùm etiam, quia ignorantiæ iſtæ non opponuntur inter ſe, ſi comparative ad diverſos terminos altera dicatur conſequens, & altera antecedens, cùm reſpectu diverſorum eidem ignorantię convenire poſsit antecedere, & conſequi.

13 Quapropter notandum eſt, quod ignorantia ad tria poteſt comparari; primo ad obiectum ignoratum : ſecundo ad actum ignoranter factum, ſivè interior ſit, ſivè exterior; de his enim eàdem eſt ratio; poteſt cõparari etiã ad ipſam voluntatẽ ignorandi: cæterùm regula, & menſura, ſeù terminus comparationis reſpectu cuius ignorantia dicitur antecedens, concomitans, & conſequens, ab omnibus his diſtinguitur, vt ex dictis conſtat.

14 Menſura ergo, ſeù terminus cõparationis eſt actus primus voluntatis; ex quo originem ducit effectus, ſeù actus ignoranter factus; iſte autem aliquando eſt actus interior, quo quis vult facere actum, qui ignoranter fit; aliquando autem voluntas ignorandi. Actus ergo primus, quicumque ille ſit, ſivè voluntas ignorandi, ſivè hac deficiente, voluntas faciendi actum, qui ignoranter fit, eſt terminus huius cõparationis; & quia in caſu ignorantiæ antecedentis, primus actus voluntatis eſt quo quis vult effectum ex ignorantia factum, comparative ad illum dicitur antecedens, & ſimiliter dicendum eſt de ignorantia cõcomitanti; in caſu autem ignorantiæ conſequentis, primus actus, à quo originem ducit effectus ex ignorantia factus, non eſt voluntas expreſſa, & formalis illum faciendi, ſed voluntas ignorandi, à qua effectus dicitur voluntarius.

15 Ex quibus facilis eſt ſolutio ad obiecta : ad primum dicendum eſt ignorantiam illam mixtam ex antecedenti, & conſequenti eſſe conſequentem, quia conſequitur primum actum voluntatis, à quo occiſio Petri ignoranter facta originem ducit, & à quo dicitur, & eſt voluntaria: vnde falſum eſt, quod ſit mixta, ſicut & quod faciat occiſionem ſimpliciter voluntariam; & ſimiliter ignorantia ſecundo loco poſita mixta ex antecedenti, & concomitanti dicenda eſt purè conſequens eádem ratione; licèt habeat aliquam conditionem concomitantis. De quo poſteâ.

16 Ad id, quod ex Damaſceno adducitur, reſpondetur, ibi ſolum intendiſſe explicare, quod ignoranter factum aliquãdo eſt voluntarium, aliquando involuntarium; ad quod non conducit ignorantia concomitans, quæ ſolum facit non voluntarium; ſed ſolum antecedens, quæ facit involuntarium, & conſequens, quæ cauſat voluntarium. Ad Ariſtotelem reſpondetur, negando aſſumptum; nam poſt explicationem ignorantiæ antecedentis, & concomitantis, explicat conſequentem his verbis: *Invitus autem dicitur quiſpiam agens, non ſi ignoret id, quod conducit, non enim ea ignoratio, quæ facta eſt electione, cauſa eſt, vt aliquid invitus quiſpiam faciat, ſed pravitatis:* Ubi agnoſcit ignorantiam ex electione, quæ proculdubiò eſt voluntaria, & conſequens; ſicque interpretatur Philoſophum D Thomas lect. 3. Ad argumentum ex Niſſeno dicatur loquutum fuiſſe de ignorantia inculpabili, quę ſolum eſt antecedens, & concomitans, proprièque ignorantia; conſequens enim cum voluntaria ſit, æquivalet ſcientiæ; neque opus eſt, vt Niſſenus vbicumque agit de ignorantia, omnes eius ſpecies enumeret.

17 Ad tertium neganda eſt maior; ignorantia enim dicitur talis comparative ad actum, à quo effectus ex ignorantia factus primam ducit originem. Ad primam confirmationem dicatur, ignorantiam antecedentem eſſe concomitantem duratione, non natura; in præſenti autem ignorantia dicitur antecedens, aut concomitans nõ durationem, ſed cauſalitatem. Ad ſecundam, & vltimam iam diximus, ignorantiam non dici antecedentem, aut concomitantem comparative ad actum ex ignorantia factum determinatè, neque comparative ad voluntatem ignorandi, ſed reſpective ad actum voluntatis, à quo ignoranter factum primam ducit originem, qui aliquando eſt volitio actus exterioris ignoranter facti, aliquando voluntas ignorandi.

18 Sed adhùc obijcies; ignorantia concomitans, quę ſcilicèt intercedit, quando quis facta ſufficienti diligentia proijcit ſagittam, qua interficit inimicum, illum ignorans, & putans eſſe cervum antecedit primum actum voluntatis, à quo oritur proiectio ſagittæ; & tamen non eſt ante-

ce-

cedens ; ergo explicatio definitionis falsa est. Consequentia est bona, minor est certa, & maior probatur ; ignorantia illa non est aliud, quam iudicium erroneum, quo sagittans putat esse cervum, qui est inimicus : sed hoc iudicium antecedit primum actum voluntatis, à quo ducit originem proiectio sagittæ ; ergo. Maior est certa; nam revera ignorare esse inimicum, idem est, atque falli putans esse cervum. Minor etiam constat; nam proiectio sagittæ dirigitur ex illo iudicio.

19 Respondetur negando maiorem : & ad probationem dicatur, iudicium illud antecedere directive proiectionem sagittę, non tamen ea ratione, qua excludit scientiam, qua homo cognosceret esse inimicum; nam adhùc hac scientia existente sagittam emitteret, in quo consistit ignorantiam non esse causam. Sed vt melius intelligatur doctrina, & divisio D. Thomæ examinandum restat, quo sensu intelligendum sit, id quod docet, scilicèt, ignorantiam tunc esse cõcomitantẽ, quando est de eo, quod agitur ; tamen etiam si sciretur, ageretur : & similiter ignorantiam consequentem præcedere motum voluntatis, qui non esset, scientia præsente ; & antecedentem esse causam volendi id, quod aliàs ignorantia deficiente non vellet : & ratio dubitandi est duplex ; prima est, quia ad hoc vt actus sit voluntarius, vel involuntarius, nihil refert, quod si deficeret ignorantia, esset, vel non esset talis actus ; nam hic & nunc esse voluntarium, aut involuntarium ab actibus conditionatè solum futuris, & absolutè non existentibus, non dependet. Secunda est, quia illæ conditionales sunt contingentes, quæ proindè in sui veritate à decreto divino subiective absoluto, & obiective conditionato dependent: at existentia huius decreti nobis est omninò ignota; ergo illarum veritas non potest nobis innotescere ; & consequenter cum D. Thomæ doctrina, & ignorantiarum distinctio ex conditionalium veritate dependeat, nobis erit omninò ignotum, quando ignorantia sit antecedens, consequens, vel concomitans.

20 Vt satis faciamus, notandum est, quod conditionalis illa, scilicèt, si sciretur circunstantia homicidij, non proijceretur sagitta, cum ex se non habeat veritatem, neque falsitatem, vtpotè contingens, & indifferens, vt sit vera, vel falsa, illam desumit ex determinatè, & dispositione causarum defacto existente ; & quia causa est duplex, creata, scilicèt, & increata, potest veritatem habere ex vi decreti divini, & ex vi dispositionis humanæ voluntatis; in præsenti autem eius veritas desumenda est attenta præcisè dispositione voluntatis humanæ, facitque hunc sensum, si sciretur circunstantia homicidij, non proijceretur sagitta ex vi dispositionis voluntatis illam proijcientis ; quia scilicèt ita est affecta, & disposita, vt nollet illam proijcere; & idem dicendum de alijs conditionalibus adductis.

21 Per quod ad primam rationem dubitandi respondetur, negando assumptum ; nam cum ad rationem voluntarij maximè conducat affectus, seù dispositio actualis defacto existens, & ab hac desumatur illarum conditionalium veritas; non ab aliquo futuro, sed ab actibus defacto existentibus ratio voluntarij, & involuntarij desumitur. Ad secundam dicatur, quod veritas desumpta ex decreto divino nobis est ignota, sicut & ipsum decretum : veritas autem desumpta ex dispositione voluntatis humanæ cognosci potest â proijciente, qui affectum, & dispositionem propriæ voluntatis agnoscit ; sic huius conditionalis, si essem Matriti, viderem Regem, potest quis veritatem cognoscere, si affectum videndi Regem in se experiatur, â quo veritas conditionalis desumitur. De quo videatur D. Thom. quæstione 6. de Malo.

§. III.

Statuitur prima concluſio.

22 IGNORANTIA Concomitans non cauſat voluntarium, neque involuntarium, ſed ſolùm facit actum non voluntarium. Concluſio debet intelligi de ignorãtia purè concomitanti, ſicut quando quis adhibita ſufficienti diligentia, proijciens ſagittam interficit inimicum, putans eſſe cervum, neque aſſerimus actionem ſagittandi eſſe involuntariam abſolutè, ſed ſolùm quoad circunſtantiam ignoratam, ſcilicèt homicidij. Ut probetur, ſupponenda eſt diſtinctio inter voluntarium, involuntarium, & non voluntarium: de primo, & ſecundo dictum eſt: ſupra involũtarium eſt, quod non eſt à principio intrinſeco, aut non eſt cum cognitione; cum enim non voluntarium dicat puram negationem voluntarij, conſtituitur per ſubſtractionem alicuius prædicati poſitivi conſtituentis voluntarium, differtque ab involuntario, quia hoc eſt contra aliquam voluntatem exiſtentem, ſecus autem illud.

23 Prima ergo pars probatur ex Ariſtot. 3. Ethicorum cap. 1. lect 3. ibi: *Qui namque ob ignorationem aliquod egit; & non ſert moleſte ſe illud egiſſe, ſponte quidem, ſua non egit, quod neſciebat, non tamen egit invitus, quippè cum non doleret ob id ipſum.* Secundo probatur ratione; voluntariũ eſt, quod eſt à principio intrinſeco, cum cognitione: ſed occiſio, & emiſsio ſagittæ ea ratione, qua eſt homicidium, non eſt à principio intrinſeco cum cognitione; ergo non eſt voluntaria quoad illam circunſtantiam. Conſequentia eſt bona, maior certa, & minor facilè probatur; nam circunſtantia homicidij ignoratur; ergo non eſt á principio intrinſeco cum cognitione. Confirmatur; circunſtantia homicidij non exiſtit ex determinatione voluntatis; ergo non eſt voluntaria. Conſequentia conſtat, quia voluntarium per modum effectus ad voluntatem red uci non poteſt, niſi ex eius determinatione exiſtat. Antecedens autem probatur; id, quod non eſt volitum formaliter, aut interpretative, non poteſt exiſtere ex determinatione voluntatis: ſed circunſtantia illa nullo modo eſt volita, ſicut neque cognita; ergo non poteſt exiſtere ex determinatione voluntatis.

24 Secundo probatur ex Philoſopho verbis adductis, vbi & docet, actionem ex ignorantia concomitanti factam non eſſe voluntariam, & ignorantiam non facere illum invitum. Ratione autem probatur; id cauſat involuntarium, quod facit aliquid repugnans voluntati: ſed circunſtantia homicidij voluntati non repugnat; ergo ignorantia non facit illum involuntarium. Maior præterquàm eſt D. Thomæ, in præſenti, probatur; quia eſſe involuntarium contrariè, aut privativè, eſt eſſe contra aliquem actum voluntatis formalem, aut virtualem; qua ratione vt ſupra vidimus, metus cauſat involuntarium; quia ſcilicèt cauſat actionem repugnantem actui voluntatis. Minor etiam conſtat; nam in caſu ignorantiæ puræ concomitantis, taliter eſt diſpoſitus proijciens ſagittam, vt ſi ſciret eſſe inimicum, illum libenter interficeret; ergo illius occiſio non repugnat voluntati, aut contra aliquem actum illius formalem, aut virtualem.

25 Tertia pars, quæ etiam eſt D. Thomæ, & Ariſtotelis vbi proximè, probatur; nam circunſtantia ignorata non eſt voluntaria, vt vidimus; ergo eſt non voluntaria; & aliàs cum non ſit involuntaria, reſtat vt ſolum ſit non voluntaria: ex quibus deducitur, in caſu concluſionis non adeſſe peccatum in occiſione inimici; nam cum de ratione peccati ſit eſſe voluntariũ, & deficiat ratio voluntarij, deficit ratio peccati; & conſequenter ſi occiſus eſt clericus, occidens non incurrit irregularitatem, vel excommunicationem, quæ eſt pœna occidenti clericum impoſita; nam cum pœna imponatur propter peccatum; vbi peccatum non eſt non incurritur pœna.

26 Contra concluſionem obijcies, ignorantia concomitans removet ſcientiã, quæ ſi adeſſet libenter fieret actio etiam quoad circunſtantiam homicidij; ergo facit voluntariam actionem, quoad circunſtantiam. Conſequentia probatur; ignorantia antecedens, cauſat involuntarium, quia removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, non

fie-

fieret actio; ergo è contra, si concomitans removet scientiam, quę si adesset, libenter fieret, facit actionem voluntariam, etiam quoad circunstantiam ignoratam. Confirmatur, quia in casu ignorantiæ antecedentis, ex parte voluntatis datur actus formalis, vel virtualis, cui contrariatur actio quoad circunstantiam ignoratam, actio quoad illam circunstantiam est involuntaria: sed in casu ignorantiæ concomitantis datur actus in voluntate, cui conformis est, & placet circunstantia homicidij, ratione cuius est verum, quòd si daretur scientia, fieret actio; ergo quoad illam circunstantiam erit voluntaria.

27 Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam; ad probationem, neganda est iterùm consequentia; & ratio disparitatis est; quia in ignorantia antecedenti, est verum, quod si adesset scientia, non esset actio ex vi alicuius actus voluntatis, cui repugnat circunstantia ignorata; atqueadeò non solùm est non voluntaria, sed involuntaria; cum ad hoc sufficiat repugnare voluntati: ad rationem autem voluntarij non sufficit esse actum in voluntate, cui actio, vel circunstantia placeat, sed insuper requiritur, quod existat ex vi determinationis voluntatis: vndè quamvis in casu ignorantiæ concomitantis existat actus in voluntate, cui placeat circunstantia ignorata, scilicèt, homicidij; tamen hic, & nunc talis circunstantia non existit ex determinatione voluntatis, atqueadeò non est voluntaria: & ratio est, quia projectio sagittæ existit ex imperio voluntatis, quo vult interficere cervum, non ex altero actu, vi cuius est verum, quod si sciret esse inimicum, ipsum interficeret; primus autem actus, neque directè, neque indirectè est affectus homicidij, sed solùm occisionis cervi; cum enim dirigatur ex cognitione, qua putat esse cervum, & omninò ignoratur esse hominem, solum potest esse volitio occisionis cervi, & nullomodo homicidij. Per quod constat ad confirmationem; ad involuntarium enim sufficit displicere voluntati; ad involuntarium autem non sufficit placere, sed requiritur existere ex influxu voluntatis; qua ratione licèt mihi placeat, Petrum esse homicidam, eius homicidium mihi voluntarium non est, quamvis sit volitum.

28 Secundo arguitur, ignorantia concomitans perindè se habet ad operationem, ac si non esset; ergo non præstat, quod operatio non sit peccatum, seù non voluntaria. Antecedens certum videtur, esse enim concomitantem in eo consistit, quod neque sit causa, neque effectus, sed quasi peraccidens operationi coniungatur. Consequentia verò probatur; quia liberare actionem â malitia, & â voluntarietate, aliquid est in ordine ad illam; ergo nõ stat illam à malitia liberare, & concomitanter, seù peraccidens ad illam se habere. Respõdetur, antecedens esse verum de operatione, quoad substantiam sumpta, quę eodem modo esset deficiente ignorantia; atqueadeò comparative ad illam perinde se habet, ac si non esset: quoad circunstantiam autem, & denominationem non voluntariæ per se comparatur; cum illa posita, circunstantia homicidij à voluntate non sit.

29 Tertio arguitur ex D. Thoma infra quæst. 76. art. 3. vbi de ignorantia cõcomitanti sic ait: *Et talis ignorantia, quæ non est causa actus peccati, vt dictum est, quia non causat involuntarium, non excusat à peccato*: vbi duo docere videtur, nostræ conclusioni, & ipsi Divo Thomæ contraria: primum est, quod ignorantia concomitans, illa scilicèt, quæ non est causa actus peccati, non excusat à peccato, quod si verum est, homicidium ex ignorantia concomitanti factum, erit peccatum, & consequenter voluntarium: secundum est, consequentiam istam esse bonam, ignorantia non causat involuntarium; ergo non excusat à peccato: cuius contrarium ex ipso Div. Thoma diximus de ignorantia concomitanti, quæ non causat involuntarium, & à peccato excusat, cum faciat actionem non voluntariam quoad circunstantiam ignoratam.

30 Confirmatur ex eodem Div. Thoma, artic. 1. eiusdem quæstionis 76. cuius corpus sic concludit: *Vndè si voluntas alicuius esset sic dispositа, quod non prohiberetur ab actu parricidij, etiam si Patrem agnosceret, ignorantia Patris non est huic causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum; & ideò talis non peccat propter ignorantiam, sed peccat ignorans secundum Philosophum 3. Ethicorum*; ergo iuxtá D. Thomam occisio Patris cum ignorantia concomitanti est peccatum, & consequenter voluntaria.

31 Respondetur, quod ibi Divus Thomas apertè docet, ignorantiam concomitantem facere hominem non voluntarium, & consequenter actionem non volun-

luntariam; & cum iuxtá ipſum ibi, & alibi ſæpè voluntarium ſit de ratione peccati non poteſt exibi dictis rectè intellectis, colligi occiſionem ex ignorantia concomitanti factam eſſe peccatum, & voluntariam. Dicimus ergo ad primam ponderationem; quod licet ignorantia concomitans non excuſet â peccato, inde non infertur, actionem ſic ignoranter factam eſſe voluntariam, aut peccatum quoad rationem ignoratam. Sicut enim iuxtà dicta non eſt voluntaria, neque involuntaria, ſed medio modo ſe habet, eſt enim non voluntaria; ita hæc ignorantia neque acuſat, neque excuſat, ſed eſt media inter ignorantiam, quæ acuſat, & quæ excuſat; nam quæ acuſat, cauſat actum voluntarium quoad circunſtantiam ignoratam; quæ excuſat, cauſat involuntarium: hęc autem horum nihil præſtat, ſed ſolum facit actionem non voluntariam. Ad ſecundam dicatur, conſequentiam Divi Thomæ non eſſe contra nos, qui cum ipſo aſſerimus, ignorantiam non cauſantem involuntarium, non excuſare, & ideó neque concomitantem: ex quo tamen non deduci, actionem eſſe involuntariam, aut peccaminoſam, iam vidimus.

32 Secundo dici poteſt, quod ignorantia concomitans non excuſat omninò à peccato, quia licet excuſet actionem exteriorem, & voluntatem efficacem illius, quia illas facit non voluntarias; non tamen excludit, ſed potiùs coniungitur cum inclinatione, & diſpoſitione habituali voluntatis ad oppoſitum, & ſæpè cum actuali affectu peccaminoſo erga circunſtantiam ignoratam, in quo ab ignorantia antecedenti diſtinguitur, quæ ex ſua ratione affectum peccaminoſum erga circunſtantiam ignoratam excludit; atqueadeò omninò, & ex toto excuſat â peccato; quod videtur innuere Divus Thomas ibi: ſi verò ſcientia, quæ per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem voluntatis in ipſum, ignorantia huius ſcientiæ non facit hominem voluntarium, ſed non volentem; ex quo infert non excuſare. Sentit ergo, quod quia hæc ignorantia non excludit affectum ad circunſtantiam ignoratam, non excuſat omninò à peccato, quamvis omninò excuſet à malitia actionem exteriorem. Ad confirmationem reſpondetur ex Caietano, ibi loqui Divum Thomam de peccato materialiter ſumpto, non vt imputabili, vel non imputabili; de hoc enim agit articulis ſequentibus; docet ergo, quod ignoranter peccat, hoc eſt, elicit actionem prohibitam; an autem ipſi imputetur, vel non, ibi non dixit.

33 Quarto arguitur, actus exterior eſt, & dicitur peccatum ab interiori; ſed per nos cum ignorantia concomitanti ſtat affectus peccaminoſus erga circunſtantiam ignoratam, verbi gratia, erga homicidium inimici; ergo tunc actio exterior erit peccatum. Si autem dicas: actum interiorem peccaminoſum non eſſe cauſam occiſionis inimici, ſed adæquatè homicidium procedere à voluntate, quæ hic, & nunc ſolum dirigitur á cognitione, qua ſagittans putat eſſe cervum; & conſequenter quamvis detur peccatum interius homicidij conſiſtens in illo affectu, non tamen exterius.

34 Contra eſt primo; emittens ſagittam cum huiuſmodi ignorantia poteſt hunc affectum habere, vellem vt ibi eſſet inimicus, vt illum interficerem, vel iſtum, iacio ſagittam, vt ſi fortè ibi ſit inimicus, illum interficiam; cum ignorantia enim concomitanti ſtare poteſt aliquod dubium, an ibi ſit inimicus: ſed actus exterior ab illis actibus interioribus originem ducit; ergo ab illis participat malitiam homicidij. Secundo, ponamus iacientem ſagittam habuiſſe voluntatem efficacem occidendi inimicum, vbicumque illum inveniret; in quo caſu quamvis ignoranter occidat, occiſio ab hac prima voluntate malitiam participat; ergo idem quod prius. Antecedens probatur, ſi quis in principio dici proponat facere, quæ facturus eſt in gloriam Dei, ipſique illa offerat, poſteà ab illa voluntate, quæ præceſſit, omnia, quę facit, in gloriam Dei facit, illiſque meretur ex vi primæ voluntatis, quamvis cum illa operatur, neque Dei, neque primæ voluntatis memoriam habeat; ergo ſimiliter occiſio ignoranter facta, à prima voluntate occidendi, malitiam homicidij participabit.

35 Reſpondetur iuxtâ datam ſolutionem; ad cuius primam impugnationem reſpondetur, quod primus actus

ibi assignatus est conditionatus, à quo hic, & nunc operatio exterior non imperatur, sed ab alio actu absoluto; ac proindè ab affectu conditionato non potest malitiam participare; negandaque est minor, scilicèt, à tali actu originem ducere actionem exteriorem. Secundus actus indicans dubitationem, seù suspicionem, an ille sit inimicus, quem vellet interficere, potest dupliciter intelligi; vel enim est dubium, seù suspicio mere speculativa, vel est practica: si est speculativa, non potest hic, & nunc dirigere actionem efficacem occidendi: si autem sit practica, poterit dirigere affectum conditionatum, de quo diximus, & actum imperantem actionem exteriorem, à quo exterior malitiam participet; cæterùm tunc ignorantia non est concomitans. Pro quo advertendum est, quod facta sufficienti diligentia, quæ est necessaria ad ignorantiam concomitantem, prudenter quis persuadetur esse feram, & non inimicum; cum quo iudicio practico suspicio non componitur: si autem non sit facta sufficiens diligentia, potest esse practica suspicio, sed ignorantia est consequens, & voluntaria; atqueadeò, cum ignorantia purè concomitanti non stat actus interior, á quo exterior malitiam participet.

36 Ad secundam negandum est antecedens, ad probationem concessò antecedenti de actibus bonis, seù ex se indifferentibus, neganda est consequentia. Ratio autem discriminis est, quia offerens in initio diei omnia opera sua Deo, ex vi huius voluntatis omnia operatur, quæ in Deum sunt ordinabilia: proponens autem occidere inimicum non omnia ad illum finem ordinat; præcipuè, quia hic, & nunc actio exterior ordinabilis non est, cum velle occidere feram ad occisionem inimici nihil conducat.

37 Tandem arguitur, occidens ignoranter inimicum, de illius occisione posteà gaudet; ergo occisio fuit voluntaria. Consequentia probatur. Iuxtâ Aristotelem tristitia subsequens operationem, quamvis ipsam involuntariam non constituat, est tamen signum involuntarietatis illius; ergo gaudium subsequens, esto non constituat actionem voluntariam, arguit eius voluntarietatem. Consequentia probatur, ideò antecedens est verùm, quia tristitia subsequens arguit in voluntate affectum, cui repugnet operatio; sed etiam gaudium arguit affectum, & desiderium actionis; ergo.

38 Respondetur negando consequentiam, & ad probationem admisso antecedenti, neganda est consequentia, quia sicut tristitia subsequens saltim probabiliter arguit affectum in voluntate, cui operatio repugnet, pariter gaudium, affectum, & desiderium erga obiectum illius: cæterùm est dispar ratio; quia ad involuntarium sufficit affectus illatus ex tristitia; affectus autem ex gaudio illatus, ad voluntarium non sufficit, quia vt sæpè diximus, ad voluntarium non sufficit terminare affectum voluntatis, sed requiritur, medio illo à voluntate procedere. Vel responderi potest, quod tristitia solum arguit voluntatem in actu primo sic esse dispositam, vt non vellet actionem, si circunstantias sciret, & similiter gaudium arguit oppositam dispositionem, qua quis vellet actionem, si circunstantiam sciret, quod ad rationem voluntarij non sufficit, quidquid sit an ad involuntarium sufficiat dispositio habitualis repugnans operationi.

(o)

§. IV.



§. IV.

Statuitur ſecunda concluſio de ignorantia conſequenti.

39 SECUNDA Concluſio, ignorantia conſequens facit actum ſimpliciter voluntarium, & ſolum ſecundum quid involuntarium : Prima pars probatur ex Philoſopho, verbis ſupra adductis : *Non enim ignoratio, quæ facta eſt electione, cauſa eſt, vt aliquid invitus quiſpiam faciat* ; illam tradit Divus Thomas in præſenti, doceturque ab Auguſtino libro de Libero Arbitrio, cap. 14. illis verbis : *Non tibi imputatur ad culpam, ſi invitus ignoras ; ſed ſi ſcire neglexeris.*

40 Secundo probatur hac ratione ; quod procedit ex ignorantia conſequenti eſt voluntarium in cauſa: ſed quod ſic eſt voluntarium, eſt abſolutè, & ſimpliciter voluntarium, cum ſit â principio intrinſeco voluntatis, & poſsit eſſe peccatum ; ergo actus qui ex ignorantia conſequenti procedit, eſt ſimpliciter voluntarius. Maior probatur : ipſa ignorantia eſt voluntaria, vel per actum formalem, vel per interpretativum ; ergo quod ex tali ignorantia procedit, eſt voluntarium in cauſa.

41 Secunda pars etiam traditur à Divo Thoma : loquens enim de hac ignorantia ſic habet : Non poteſt cauſare ſimpliciter involuntarium: cauſat tamen ſecundum quid involuntarium : Et probatur ; ignorantia in tantum cauſat involuntarium, quatenus removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, actio non fieret : ſed ignorantia conſequens removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, actio non fieret ; ergo cauſat involuntarium. Maior probatur ; ignorantia removens huiuſmodi ſcientiam cauſa eſt, vt ſit actus, quem nollet voluntas, ſi ſcientia adeſſet ; ergo cauſat involuntarium ſaltem ſecundum quid.

42 Contra primam partem concluſionis obijcies primo : Stat ignorantiam eſſe voluntariam, & conſequentem, & quod operatio ignoranter facta non ſit voluntaria ; ergo non cauſat voluntarium ſimpliciter. Antecedens probatur : ſit caſus, quod Petrus per errorem exiſtimet hodie non eſſe obligationem abſtinendi à carnibus, ita deceptus vt non iudicet ſe obligatum ad inquirendum, videat tamen ſe poſſe interrogare de obligatione : in quo caſu ſi perſiſtens in ignorantia obligationis comedat carnes, huiuſmodi comeſtio non eſt peccaminoſa, aut voluntaria quoad circunſtantiam ignoratam : & tamen procedit ex ignorantia voluntaria ; ergo ſtat ignorantiam eſſe voluntariam, & quod operatio ignoranter facta non ſit voluntaria. Minor eſt certa : & maior probatur ; nam ſic deceptus comedens carnes in die veneris non peccat ; ergo comeſtio quoad circunſtantiam ignoratam non eſt voluntaria.

43 Confirmatur : in prædicto caſu ignorantia eſt voluntaria, vtpotè libera, & procedens ex voluntaria omiſſione interrogandi : potuit enim, & vidit ſe poſſe inquirere, & noluit : at opus ex illa cauſatum non eſt voluntarium quoad circunſtantiam ignoratam, aliàs eſſet peccatum ; ergo opus factum ex ignorantia voluntaria non eſt voluntarium in cauſa ; & conſequenter ratio adducta nulla eſt. Confirmatur ſecundo : ignorantia in prædicto caſu eſt vincibilis ; poſſet enim illam facilè excludere, & ſuperare : & tamen opus voluntarium non eſt ; ergo ignorantia vincibilis excuſat à pec-

cato, & reddit opus involuntarium. Consequentia probatur; nam ignorantia vincibilis idem est, atque ignorantia voluntaria.

44 Aliqui Recentiores respondent, in prædicto casu, ignorantiam esse consequentem, & voluntariam: opus tamen ignoranter factum voluntarium non esse, quia ignorantia non est voluntaria, quatenus causa est talis operationis: sicut homicidium in ebrietate contingens voluntarium non est, neque peccatum, quando ebrietas non est voluntaria, vt causa homicidij, scilicèt, quia in ebrietate nullo modo fuit prævisum homicidium, neque fuit principium ad suspicandum de illo: sic ergo, quia ignorantia, etsi sit voluntaria absolutè, non tamen vt est causa comedendi carnes cum circunstantia prohibitionis, quia malitia, seù prohibitio nullatenus occurrit, neque est principium ad formidandum de illa, ideò opus ex ignorantia factum voluntarium non est, neque peccatum.

45 Hæc tamen solutio non omninò placet: quia ex illa sequitur eodem modo excusari à peccato opus factum ex ignorantia antecedenti, & concomitanti, seú ex ignorantia invincibili; atque factum ex ignorantia consequenti, & non alio modo: quod tamen falsum est. Sequela probatur; quia tàm ignorantia consequens, quàm antecedens, & concomitans excusat, si nullatenus occurrat malitia, neque formido illius; & neutra excusat, si aliquatenus occurrat; ergo eodem modo vtraque excusat à peccato. Antecedens pro 1. parte conceditur ab his Authoribus: Et pro secunda probatur; & in primis, quod ignorantia vincibilis, seù consequens non excuset, si aliquatenus occurrat malitia operis ex illa facti, est certum: de ignorantia autem invincibili sic probatur; nam quamvis hæc invincibilis sit, & illam quis excludere non possit; si tamen suspicio sit de malitia operis faciendi, tenetur illud non facere: neque excusatur, quia ignorantiam excludere non potest; quia potest non facere operationem, quam suspicatur malitia inficiendam.

46 Secundo, & meliùs reijcitur solutio: in prædicto casu nolle interrogare, aut inquirere non est formaliter, aut interpretativè volitio ignorandi; ergo ignorantia non est voluntaria. Consequentia constat; & antecedens probatur: homo ille nullatenus prævidit ex carentia interrogationis ignorantiam sequendam; cum nullam habeat rationem dubitandi; ergo nolitio interrogandi non est formalis, aut interpretativa volitio ignorandi. Antecedens est ipse casus: Consequentia est manifesta, & ex doctrina Recentiorum deducitur: ipsi enim asserunt, quod quia ignorantia non est voluntaria, quatenus causa operationis prohibitæ, quia scilicèt non prævidetur, operatio ex ignorantia sequenda, voluntaria non est quoad circunstantiam prohibitæ; ergo quia in carentia interrogationis nul omodo est prævisa ignorantia, in illa nullo modo est volita.

47 Ex quo neganda est minor argumenti: & ad probationem illius in confirmatione prima adductam, respondetur negando esse liberam ignorantiam, seú voluntariam in actu secundo, quamvis sit voluntaria omissio interrogationis; quia in hac omissione non est volita ignorantia ratione dicta. Ad secundam confirmationem respondetur negando antecedens: quod non convincit probatio subiuncta; quamvis enim homo ille sit potens interrogare, non tamen potens est libere superare ignorantiam: ad hoc enim est necessarium, quod possit formaliter, aut interpretative velle illam superare: quod tamen non potest; cum ignorantiam omninò ignoret. Neque obest, ipsi esse liberam interrogationem, quàm si poneret, ignorantiam deponeret: Nam licet hoc sit verum; potuit enim interrogare: non tamen ignorantiam libere, & voluntarie deponeret; cum in interrogatione non sit volita depositio ignorantiæ: Et in summa ignorantia invincibilis est illa, quam quis potest libere, & voluntarie superare: quod non verificatur, si non adsit fundamentum ad suspicandum se ignorare.

48 Sed dices: Sit casus, in quo quis habeat sufficiens fundamentum ad suspi-

can-

candùm ſe ignorare, putet tamen non teneri ad ſuperandam ignorantiam, neque ad interrogandùm : in hoc caſu poteſt libere excludere ignorantiam poſsit libere cum illam ſuperare inquirendo ; & conſequenter ignorantia eſt voluntaria, & vincibilis : & tamen ſi ſic ignorans comederet carnes in die prohibito non peccaret, neque comeſtio eſſet voluntaria quoad circunſtantiam prohibitionis ; ergo tenemur concedere, operationem ex ignorantia voluntaria, & vincibili factam non eſſe voluntariam quoad circunſtantiam ignoratam. Reſpondetur, ignorantiam in caſu iſto eſſe voluntariam ſolùm in actu primo ; non autem in actu ſecundo ; eſt enim effectus ſequutus peraccidens ad omiſsionem interrogandi, qui voluntarius non eſt non ſtante præcepto, quoad ſuperandam ignorantiam non in caſu poſito. Dubitari tamen poteſt an hæc ignorantia dicenda ſit vincibilis, vel invincibilis ? Ad quod reſpondetur eſſe phiſicè vincibilem, non moraliter.

49 Secundo arguitur : non alia ratione ignorantia antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter, niſi quia removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, actio non fieret : ſed ignorantia conſequens removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, actio non fieret ; ergo cauſat involuntarium ſimpliciter. Maior eſt Divi Thomæ, & infra à nobis defenditur. Minor etiam probatur ex ipſo, qui de hac ignorantia ſic ait : *Cauſat tamen ſecundum quid involuntarium, in quantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, quod non eſſet ſcientia præſenti.* Et conſtat ; nam ſi quis non facta ſufficienti diligentia, putans occidere feram occidit amicum, ignorantia eſt conſequens, & voluntaria, & removet ſcientiam, quę ſi adeſſet, actio non fieret.

50 Reſpondetur negando maiorem ; ibi enim non aſsignatur cauſa adæquata ; ſed addendum eſt, quod ignorantia antecedens præcedit non ſolùm actum, cuius eſt cauſa, ſicut conſequens, ſed omnem actum voluntatis, in quo à conſequenti diſtinguitur : ex quo naſcitur, quod actus, cuius eſt cauſa ignorantia conſequens, poſsit habere, & habeat voluntarietatem à primo actu voluntatis ad ipſum derivatam media ignorantia conſequenti ; actus autem, cuius eſt cauſa ignorantia antecedens, hanc habere non poteſt, cum non ſupponat actum aliquem, à quo derivari poſsit voluntarietas, & aliàs repugnat voluntati, ſaltim ſecundum diſpoſitionem habitualem ; vndè habet eſſe involuntarium ; & non eſt caput, vndè voluntarius ſit ; ac proindè eſt puré involuntarius.

51 Tertio arguitur : dum quis non vult facere diligentiam ad inquirendùm ; an petens eleemoſynam ſit pauper, necnè, ignaruſque eſſe divitem, cum hac ignorantia illam tribuit, non confert illam voluntariè : & tamen ex ignorantia voluntaria tribuit ; ergo hæc non cauſat voluntarium. Conſequentia tenet, minor conſtat ; nam ignorat voluntariè, non eſſe pauperem, cum potuiſſet hoc inquirere, & non fecit. Maior probatur. Fictus pauper percipiens eleemoſynam tenetur ad reſtitutionem ; ergo eleemoſyna non eſt ipſi tribuenti voluntaria. Et confirmatur ; voluntariè ſe inebrians, voluntariè contrahit ignorantiam, cum voluntariè privet ſe vſu rationis : & tamen non omnia, quæ ex illa fiunt ; ſunt voluntaria ; ergo idem, quod prius.

52 Reſpondent quidam, eleemoſynam in caſu illo eſſe ſimpliciter involuntariam, non quia procedat ex ignorantia conſequenti ; ſed quia actus dandi eleemoſynam eſt conditio movens obiectivè, eo quod motivum eleemoſynæ, ſaltim inadęquatum, eſt paupertas recipientis, ſine qua non eſt eleemoſyna, ſed donatio gratuita ; atqueadeò in ipſo actu conferendi eleemoſynam imbibitur conditio paupertatis, ſine qua non vellet dare : donatio autem conditionalis deficiente conditione eſt invalida ; atqueadeò recipiens tenetur ad reſtitutionem. Huic ſolutioni addendum eſt, quod poteſt quis ſic conferre eleemoſynam, vt habeat animum transferendi dominium, etiam ſi recipiens non ſit pauper ; in quo caſu illud acquirit iure naturę, neque tenetur ad reſtitutionem, attento iure naturæ, quidquid ſit de iure poſitivo.

53 Ad confirmationem respondetur, quod solum ea, quæ fiunt aliquo modo prævisa inebrietate, pertinent ad ignorantiam consequentem, altera autem ad antecedentem; aliorum enim ignorantia, vel non est volita vt illorum causa, vel absolutè non est voluntaria; inebrietate enim solum est voluntaria ignorantia, ob quam quis tenetur ebrietatem vitare: constat autem, quod licèt quis teneatur vitare ebrietatem; non tamen ob hoc tenetur ad virandam quamlibet ignorantiam.

54 Vltimo arguitur, dum quis non facta sufficienti diligentia putans occidere foram, occidit inimicum, quem si cognosceret, libentius interficeret, operatur ex ignorantia consequenti; & tamen operatio non est involuntaria etiam secundum quid; ergo ignorantia consequens non causat involuntarium secundum quid. Minor probatur. Nam neque datur actus in voluntate, cui repugnet operatio, neque daretur ex vi dispositionis habitualis, quamvis ignorantia deficeret; ergo non est involuntaria operatio, etiam secundum quid. Confirmatur primo; ignorantia expressè volita, vt quis liberius peccet, est voluntaria: & tamen non causat involuntarium; ergo. Minor probatur. Non relinquit in voluntate affectum, cui repugnet operatio, neque ex vi dispositionis habitualis esset, cum ideó velit ignorare, vt liberius peccet; ergo. Confirmatur secundo; ignorantia affectata causat voluntariam, & peccatum; ergo non potest causare involuntarium secundum quid. Consequentia probatur; causans vnum contrarium non potest esse alterius causa; ergo si ignorantia affectata causat voluntarium, non potest esse causa involuntarij. Antecedens verò docetur à Divo Thoma infra quæstione 78.

55 In solutione huius argumenti omnes conveniunt quoad substantiam; dissidium tamen est inter Recentiores; an hæc ignorantia sit consequens simpliciter, an mixta ex consequenti, & concomitanti, quod videtur pertinere ad modum loquendi. Nos iuxtá supradicta dicendum existimamus esse simpliciter consequentem, licèt habeat aliquid commune cum ignorantia concomitanti; ad hoc enim vt sit consequens simpliciter, nihil aliud requiritur, iuxtà doctrinam Divi Thomæ, quàm esse voluntariam, quod simpliciter convenit ignorantiæ prædictæ: & quidem cum de ratione ignorantiæ antecedentis sit, quod sit causa actus, de ratione consequentis quod sit effectus, & de ratione concomitantis, quod neque sit causa, neque effectus, sed accidat, vt loquitur Divus Thomas, simul esse aliquid factum, & ignoratum, & ignorantia prædicta sit effectus, vtpotè voluntaria, dicendum est esse simpliciter consequentem. Deindè, quod prædicta ignorantia respectu actus ex illa facti, videatur habere conditionem concomitantis, & prædicatum cum illa commune, scilicèt, quod etiam ipsa deficiente, eodem modo esset operatio, non facit ipsam concomitantem, de cuius ratione est non esse effectum voluntarij: quod præcipuè verum est, quia iuxtá supradicta, ignorantia dicitur consequens, concomitans, & antecedens, comparative ad primum actum voluntatis, quicumque ille sit; vndè quamvis hæc ignorantia comparative ad operationem ex illa procedentem, possit dici concomitans, non tamen comparative ad primum actum voluntatis.

56 Iuxtà quam doctrinam respondetur argumento, distinguendo maiorem, operatur ex ignorantia consequenti habente conditionem ignorantiæ concomitantis, concedo maiorem, hanc conditionem non habente, nego maiorem, & concessa minori, distinguendum est consequens distinctione maioris; itaque de ratione ignorantiæ consequentis est esse voluntariam, & causam voluntarij simpliciter, causare autem involuntarium secundum quid, est quid accidentale ipsi conveniens, quando non habet prædicatum commune cum concomitanti, sed removet scientiam, quæ si adesset, non esset operatio; sicque intelligendus est D. Thomas, & conclusio nostra.

57 Ad confirmationem dicendum est, involuntarium, quod causat ignorantia consequens non esse tale per repugnantiam ad actum, qui defacto sit formaliter in voluntate, sed qui esset ex vi dispositionis habitualis, quod ad involun-

luntarium secundum quid, sufficiens est; nam velle ignorare ad liberius peccandum, arguit non futurum peccatum deficiente ignorantia. Ad secundam confirmationem concesso antecedenti, quod est Divi Thomæ quæstione citata articulo 4. neganda est consequentia, & ad probationem, distinguendum est antecedens, non potest esse causa alterius per se, transeat antecedens, per accidens, nego antecedens, & consequentiam: itaque ignorantia non causat per se involuntarium, sed causat actum, qui est involuntarius eo, quod repugnat dispositioni subiecti.

§. Vltimus.

Statuitur vltima conclusio de ignorantia antecedenti.

58 ULTIMA Conclusio. Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter. Conclusio est Divi Thomæ, & communis inter Theologos, docturque ab Aristotele 3. Ethicorum capite 1. Et in primis actionem ex hac ignorantia factam non esse voluntariam quoad circunstantiam ignoratam, constat, quia proùt sic non est à principio intrinseco cum cognitione, & quia non existit ex determinatione voluntatis; quibus supra probavimus, actionem ex ignorantia concomitanti factam non esse voluntariam: quod verò sit involuntaria simpliciter, probatur; actio sic ignoranter facta est contra actum efficacem voluntatis taliter nunc existentis, quod non esset formaliter, ignorantia deficiente; ergo est involuntaria simpliciter. Consequentia probatur ex eo, quod involuntarium est, quod repugnat actui voluntatis, involuntarium simpliciter actui efficaci, involuntarium secundum quid, actui inefficaci. Antecedens etiam probatur; nam ignorantia antecedens removet scientiam, quæ si adesset, non esset actus: at hoc esse non potest, nisi ratione dispositionis, & affectionis voluntatis, vi cuius est verum, quod ignorantia deficiente, esset in voluntate actus efficax, quo nolet actionem existere; ergo antecedens est verum. Confirmatur: Quod est involuntarium sine admixtione voluntarij, est simpliciter involuntarium: sed actio sic ignoranter facta est involuntaria quoad circunstantiam ignoratam, vtpotè repugnans voluntati ratione dispositionis ad oppositum, quam defacto habet, & alias quoad hanc circunstantiam nullo modo est voluntaria; ergo est involuntaria simpliciter.

59 Contra istam conclusionem arguitur primo: actio facta ex ignorantia antecedenti non est contra aliquem actum voluntatis; ergo non est involuntaria simpliciter. Antecedens probatur. Ignorantia antecedens solum removet scientiam, quæ si adesset, actio non fieret ex vi dispositionis habitualis defacto existentis; ergo solum est contra dispositionem habitualem, & non contra aliquem actum.

Huic argumento respondeti solet; primo distinguendo antecedens, non est contra aliquem actum voluntatis defacto existentem, concedo antecedens; qui existeret ignorantia deficiente, nego antecedens, & consequentiam, ad cuius probationem concesso antecedenti, negatur consequentia. Secunda solutio etiam distinguit antecedens, illudque concedit de actu formaliter existente, negat autem de actu virtualiter existenti, quod ad voluntarium sufficere affirmat. Tertia solutio concesso antecedenti, negat consequentiam; nam ad involuntarium simpliciter actionis sufficit contrariari dispositioni habituali voluntatis.

60 Sed contra primam obstat; quod contrariari actui, qui esset, non est defacto repugnare voluntati, neque sufficiens ad involuntarium, quod est;

nam

nam eodem modo est actio involuntaria, quo voluntas ipsi repugnat: sed per actum, qui esset, & non est non repugnat voluntas, sed repugnaret; ergo per repugnantiam ad actum, qui esset, non est actio involuntaria, sed esset. Secundo; quod verificetur, quod ignorantia antecedens removet scientiam, quæ si adesset, non fieret actio, non est necessarium, quod sit verùm, extiturum esse sub illa conditione actum, quo voluntas positive vellet non existere actionem, sed sufficit non extiturum actum, quo vellet esse, quod absque omni actu voluntatis salvatur; ergo ex vi ignorantiæ antecedentis non est veram extiturum esse actum sub illa conditione, cui repugnaret operatio; & consequenter actio ex ignorantia antecedenti facta, non necessario repugnat actui, qui esset.

61 Contra secundam obstat, quod absque actu virtualiter existenti datur ignorantia antecedens; ergo actio ex illa facta non necessario repugnat actui virtualiter existenti. Antecedens probatur; nam ad ignorantiam antecedentem sufficit removere scientiam, quæ si adesset, non esset actio ex vi dispositionis habitualis; ergo non requirit actum virtualiter existentem, sed solum habitualiter.

Contra tertiam etiam obstat, quod non opponitur voluntati ratione actus, sed solum ratione habitus, non est actualiter involuntarium; sicut neque quod est contra ipsam voluntatem solum in actu primo: & ratio est; nam sicut ad rationem violenti sufficit, & requiritur esse contra innatam inclinationem, ita ad rationem involuntarij est necessarium esse contra inclinationem elicitam: sed quod solùm est contra inclinationem, seù dispositionem habitualem, solùm est contra inclinationem innatam, & non elicitam; ergo esto violentum sit, non est dicendum involuntarium.

62 Sed quælibet ex his solutionibus argumento satisfacit, ad primam impugnationem primę solutionis respondetur, verum esse ad involuntarium; quod defacto est tale, requiri repugnare voluntati defacto; non tamen est necessarium repugnare ratione actus, qui sit, sed qui futurus esset: stat enim ex parte actionis repugnantia de facto & ex parte extremi repugnantiæ sufficiens existentia ad illam terminandam; actus enim qui esset, aliquo modo existit in determinatione habituali ad existendum, si ignorantia deficeret, & ratione illius terminat de facto repugnantiam actionis. Ad secundam respondetur, quod ignorantia antecedens removet scientiam, quæ si adesset, non esset actio exterior non solùm per carentiam actus interioris imperantis exteriorem, sed per actum positivum, quo vellet non existere actionem; interficiens enim Petrum putans esse feram, deficiente ignorantia, non solùm non vellet projcere sagittam, sed positive vellet non projcere.

63 Ad impugnationem secundę dicatur, in dispositione habituali ex actibus præteritis genita, vel in propensione voluntatis ad nolendum actionem aliquo modo existere virtualiter actum, neque aliam virtualem existentiam requirit solutio ad rationem involuntarij. Ad impugnationem tertiæ fatemur, ad involuntarium requiri contrarietatem ad inclinationem elicitam, in quo à violento generaliter sumpto distinguitur; hæc tamen elicita inclinatio potest existere formaliter, & in se, vel in determinatione, & propensione causæ ad sui esse, & quocumque modo existat, sufficiens est ad voluntarium.

Sed dices, esto hoc sufficiat ad involuntarium secundum quid, non tamen ad involuntarium simpliciter; ergo adhúc non salvatur doctrina conclusionis. Antecedens probatur. Actio facta ex ignorantia cõsequenti, etiã repugnat actui voluntatis, qui esset, & qui aliquo modo existit in propensione voluntatis: & tamen non est involuntaria simpliciter, sed solúm secundum quid; ergo etiam si actio ex ignorantia antecedenti facta repugnet eodem modo voluntati, non erit involuntaria simpliciter, sed solùm secundum quid.

64 Respondetur iuxtà probationem primam conclusionis, negando antecedens, ad probationem distinguenda est maior, repugnat voluntati ratione actus efficacis, nego antecedens, inefficacis, concedo antecedens, & nego consequentiam: itaque cum actio ex ignoran-

tantia consequenti facta sit voluntaria simpliciter quoad circunstantiam ignoratam, non potest repugnare actui efficaci; si enim hic, & nunc saltem in causa est volita actio efficacitèr, non est sufficiens fundamentum in dispositio voluntatis, vt sit futurus ex vi illius actus efficax, quo nolet existere actionem, sed tantum inefficax; quod in ignorantia antecedenti non militat.

Iuxtà secundam etiam est negandum antecedens, & ad probationem concessa maiori, & minori, neganda est consequentia; quia licet actio ex ignorantia antecedenti facta non aliter repugnet voluntati, quam facta ex ignorantia consequenti, illa nihil admiscet voluntarij; vndè est purè involuntaria: hac autem admissa repugnantia ad voluntatem cum voluntarietate simpliciter tali, licet componatur esse involuntarium secundum quid, non tamen simpliciter.

65 Vltimo arguitur. Operatio exterior procedens ex ignorantia antecedenti est simpliciter volita: & à voluntate media volitione procedit; ergo non potest esse involuntaria simpliciter. Antecedens probatur. Qui facta sufficienti diligentia emittit sagittam, vult illam emittere, ex qua volitione actio exterior imperatur; ergo est volita, & à voluntate media volitione procedit. Consequentia verò constat; nam quod procedit ex imperio voluntatis efficaci, nequit esse contra illius efficacem determinationem. Quod clariùs constat in actu interiori voluntatis elicito ex ignorantia antecedenti; cum enim quis aliquem diligit propter ignorantiam antecedentem, dilectio ex ignorantia procedit: & tamen non potest esse involuntaria simpliciter, vtpotè actus elicitus voluntatis; ergo actio ex ignorantia antecedenti facta, non necessario est involuntaria simpliciter.

66 Respondetur distinguendo antecedens, est volita, & à voluntate procedens, quoad substantiam, concedo antecedens, quoad circunstantiam ignoratam, nego antecedens, & distinguatur consequens eodem modo. Ad probationem dicatur, quod emissio sagittæ est voluntaria, non tamen occisio amici, vel Patris, quæ est circunstantia ignorata; & idem dicendum est, si sciens esse hominem, inquem mittit sagittam, ignoret esse Patrem, tunc enim est voluntarium homicidium; circunstantia autem patricidij involuntaria.

67 Ad id, quod dicitur de actu interiori dilectionis idem dicendum est, scilicèt, esse involuntariam simpliciter, quoad circunstantiam ignoratam; si enim quis per errorem existimat se diligere hominem doctum, & virtuosum, & ideò illum diligit, aliàs non dilecturus, dilectio est quoad substantiam voluntaria; ea tamen ratione, qua est dilectio hominis docti, & virtuosi voluntaria non est, neque à voluntate.

68 Ex dictis infertur primo, contractus ex ignorantia antecedenti celebratos, esse involuntarios quoad circunstantiam ignoratam: dubitari tamen potest, an sint validi, vel non iure naturæ? & ratio dubitandi est, quia de ratione contractus est voluntarietas: vndè, si hanc aufert ignorantia antecedens, auferri necesse est rationem contractus. Sed brevitèr respondendum, quod ignorantia, vel potest esse circa substantiam contractus, vel solum est circa circunstantiam accidentalem: si sit circa substantiam, reddit ipsum invalidum, & nullum, quia simpliciter involuntarium: vndè in contractu matrimonij error, vel ignorantia personæ reddit matrimonium nullum; vt si quis existimans contrahere cum Maria, contrahat cum Ioanna: si autem error, vel ignorantia sit circa nobilitatem, divitias, vel pulchritudinem, quia sunt circunstantiæ accidentales contractui, quamvis involuntariæ non invalidant ipsum. Sed advertendum est, quod multoties id, quod phisicè est circunstantia, pertinet ad substantiam, quando, scilicèt, præcipuè intenditur in contractu.

69 Secundo, & vltimo colligitur, falso distingui ab aliquibus Recentioribus ignorantiam antecedentem in strictam, & laxam: prima est de qua hucusque egimus; secunda dupliciter ab ipsis explicatur. Primo asserunt, ignorantiam antecedentem laxam contingere, quando quis dubitat obiectum, quod proponitur esse feram, vel hominem; ex qua igno-

ran-

tantia, quam repellere non potest, oritur quod interficiat hominem: tunc ignorantia est antecedens, quia involuntaria, & non purè antecedens, quia homicidium est voluntarium. Secundo asserunt, ignorantiam antecedentem esse laxe talem, quando quis ita dispositus est, vt circa circunstantiam ignoratam sit omninò indifferens: hæc autem divisio inutilis est, quia prima ignorantia non est antecedens, sed consequens, nam quamvis non sit absolutè voluntaria, est tamen voluntaria, vt est causa actionis quoad circunstantiam ignoratam: secunda autem est ignorantia concomitans; removet enim scientiam, quæ si adesset, eodem modo fieret actio. Et hæc de isto dubio, & Tractatu: immò, & de toto hoc primo Tomo.

Vtinàm omnia cædant in laudem Santissimę Triados, Beatissimæ Virginis MARIÆ, sub Cognomento del Rosario, suique amantissimi Cappellani, in defensique Prædicatoris Patriarchæ nostri Dominici; necnon vtriusque Ecclesiæ luminis fulgentissimi Augustini, & Thomæ.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM, QVÆ in hoc Primo Tomo continentur.

Littera F. *folium indicat*, N. *numerum demonstrat.*

A

ACcidentia propria, quæ specificè differunt in ratione proprietatum, etiam differunt in ratione potentiarum. Fol. 24. Num. 24.

Actio vitalis dicit egressum à principio, formalem, vel virtualem, fol. 83. numero 21.

Actio ex metu causata est mixta ex voluntario, & involuntario, fol. 660. numero 4.

Actio ex metu facta est simpliciter voluntaria, & involuntara secundum quid, fol. 664. num. 22.

Actio ex metu causata, non semper ex mixta ex voluntario, & involuntario, sed aliquando est purè voluntaria, fol. 661. num. 11.

Actio ex metu facta plerumque habet voluntarietatem sufficientem ad peccatum mortale, fol. 666. num. 29.

Actus liber Dei non constituitur partim per volitionem intrinsecam, & partim per ipsam creaturam, folio 369. num. 14.

Actus liber Dei addit ad volitionem necessariam intrinsecam terminationem defectibilem, fol. 391. num. 48. & seq.

Actus voluntatis est amor sui exercite, & virtualiter, fol. 613. num. 54.

Actus voluntatis ab ipsa non elicitus non potest ipsam volentem constituere, fol. 613. num. 55.

Actus Divinæ voluntatis sunt formaliter, & propriè voluntarij, fol. 615. num. 66.

Actus voluntatis eo perfectior est in ratione voluntarij perfectione essentiali, quo perfectioris fuerit speciei, folio 619. num. 13.

Actus necessarius, quo Deus seipsum diligit excedit in ratione voluntarij omnem actum creatum, folio 622. num. 25.

Amor, quo Deus vult sua prædicata necessaria, est necessarius quoad exercitium, folio 345. num. 2.

Amor beatificus creatus in ratione voluntarij excedit amorem liberum creatum, folio 624. num. 31. Immò quemlibet amorem creatum excedit, f. 629. n. 49.

Appetitus elicitus inefficax visionis beatæ non est necessarius quoad exercitium, fol. 40. num. 31. Immò etiam est liber quoad specificationem, ibi, num. 32.

Appetitus efficax efficacia conditionata naturalis ad visionem beatam est impossibilis, fol. 41. num. 38.

C

CAusa naturalis in sua operatione nequit exigere perfectiorem providentiam in Deo, quam libera, fol. 435. numero 16.

Causa vt possibilis non potest causare transitum ab statu possibilitatis ad statum futuritionis, folio 268. num. 24.

Charitas est forma, qua voluntas constituitur domina sui actus, & se libere determinans, fol. 85. num. 28.

Cognitio comprehensiva crescit arithmeticè iuxtà cognoscibilitatem passivam obiecti; non tamen quidditativa, folio 14. num. 56.

Cognitio Divina est propriè, & strictè scientia, folio 85. num. 28.

Cognitio Divina nequit terminari immediatè à creaturas, fol. 131. num. 62.

Cognitio Divina non est discursiva, folio 139. num. 95.

Cognitio infallibilis futuri absoluti nequit haberi absque decreto absoluto efficaci, folio 291. num. 1.

Concupiscentia non causat involuntarium,

rium, folio 670. numero 8.
Concupiſcentia non auget voluntarium per additionem perfectionis ſpecificę, ſed tantum quoad intenſionem, folio 673. num. 20.
Concupiſcentia minuit voluntarium,& liberum perfectum,fol.673.num.24.
Concupiſcentia non ſemper minuit peccatum,fol.674.num.25.
Conditionalis, cuius antecedens non infert infallibiliter conſequens in vi illationis eſt falſa,& cognoſcitur à Deo per ſcientiam neceſſariam,fol.209.num.3.
Conditionata,quæ abſoluta non ſunt,cognoſcuntur in decreto conditionato obobiectivè,& ſubiectivè abſoluto, vel in libera omiſſione decretorum, fol. 302. num.46. & ſeq.
Creatura in convertibilis à Deo repugnat, folio 330.num.10.& ſeq. folio 459. n. 9.& ſeq.folio 463.num.23.& ſeq. folio 465.num.32.
Creaturæ poſsibiles nullam habent bonitatem,folio 349.num.16.& ſeq.
Creatura in tempore exiſtens ſupponit eſſentialiter decretum Dei abæterno exiſtens, fol.242. num.68.

D

DEcretum Divinum non poteſt eſſe futurum realiter, & vt tale cognoſci,fol.234.num.34.Nec etiam virtualiter, folio 235. numero 38. & ſequent.
Decreta conditionata obiective, & ſubiective abſoluta ſunt poſsibilia, & defacto exiſtunt in Deo, folio 257. numero 3. & ſeq.
Decretum conditionatum eſt neceſſarium, vt Deus futura conditionata cognoſcat, folio 263.num.3. & ſeq.
Decretum liberum Dei non conſtituitur per aliquid creatum, etiam inadæquatè, folio 370. num. 16.
Decreta Divina nullomodo ſunt mutabilia,folio 422.num.4.& ſeq.
Decretum aliquod eſſe requiſitum ad exiſtentiam actus liberi ab omnibus admitti debet, fol.432.num.1.
Decretum,quo Deus decrevit concurrere ad actum liberum non eſt conditionatum, fol.436.num.23.& ſeq.
Decretum prędefinitivum actus liberi non rectè componitur cum libertate ex eo, quod præſupponat Scientiam Mediam, folio 479. num.2.& ſeq.
Decretum efficax ab intrinſeco non deſtruere libertatem creatam convincitur ex principijs Scientiæ Mediæ,fol. 485. num.3.& ſeq.
Decretum prædiſſinitivum efficax eſt neceſſarium ad exiſtentiam actus liberi, folio 494.num.2.& ſeq.
Decretum efficax ab intrinſeco eſt neceſſarium vt actus liber creatus Deo, vt primo Domino ſubordinetur. Ibidem.
Decretum efficax non ſolùm cauſat entitatem actus, ſed etiam eius libertatem, folio 504.num.41.
Deo operante ex neceſsitate naturæ, actus noſtri eſſent liberi, & non eſſent, folio 160.num.5.& ſeq.
Deo non ſunt voluntaria peccata, etiam indirectè,folio 645.num.61.
Deus non eſt extra ſpheram intellectus noſtri, ſicut ſonus eſt extra ſpheram potentiæ viſivæ,folio 5.num.17.
Deus clarè viſus non continetur intra ſpecificativum intellectus noſtri vt potentia naturalis eſt,fol.21.num.9.
Deus clarè viſus non eſt pars materialis obiecti noſtri intellectus vt potentia naturalis eſt,folio 22.num.16.
Deus clarè viſus continetur ſub obiecto intellectus noſtri, vt potentia obedientialis eſt,folio 27.num.35.
Deus vt author naturæ non tribuit inclinationem,niſi ad id, quod eſt poſsibile viribus naturæ,fol.33.num.6.
Deus habet ſtrictam ſcientiam reſpectu creaturarum,fol.86.num.35.& ſeq.
Deus habet ſcientiam ſuorum attributorum,fol.90.num.51.& ſeq.
Deus non cognoſcit ſe per creaturas, aut in creaturis,folio 95.num.75.& ſeq.
Deus non habet cognitionem abſtractivam ſui,etiam ſi ſe à poſteriori,& per creaturas cognoſcat,fol.97.num.83.
Deus ſeipſum comprehendit, folio 118. numero 7.
Deus cognoſcit omnes creaturas non ſolùm ſecundum rationem communem entis, ſed etiam ſecundum rationes particulares,folio 119.num.9.
Deus non cognoſcit creaturas in ſeipſo, tanquàm in obiecto,niſi illas cognoſcat in ſeipſo, tanquàm in cauſa, folio 124. num. 28.

Deus cognoscit creaturas, non solùm in sua essentia; sed etiam in sua bonitate, & idæis, folio 125, num. 35.
Deus cognoscit creaturas in seipso, tanquàm in causa, & obiecto priùs cognito, fol. 122. numero 20. & seq.
Deus cognoscit in seipso tàm malum pœnæ, quàm culpæ, folio 139. num. 96.
Deus cognoscit omnia entia rationis, fol. 140. numero 98.
Deus cognoscit infinitum, secundum multitudinem scientia simplicis intelligentiæ, folio 140. num. 99.
Deus non cognoscit conditionata contingentia in suis idæis propriori ad decretum liberum, fol. 228. num. 6.
Deus non cognoscit conditionata contingentia insuper comprehensione causæ liberæ, fol. 231. num. 16.
Deus non potest cognoscere futura contingentia in decreto inefficaci existenti, aut futuro, folio 234. num. 33.
Deus non cognoscit decretum, vt futurum prædicatis necessarijs, nec scientiæ, qua decretum, & creaturam cognoscit, fol. 242. numero 66.
Deus potest habere decreta conditionata obiectivè, non solùm erga futura conditionata, quorum conditio dependet à voluntate creata; sed etiam erga illa, quorum conditio dependet à voluntate Divina, fol. 262. num. 29.
Deus abæterno est indifferens proximè, & simplicitèr, quantum est ex se ad scientiam affirmativam, vel negativam, consensus v.g. folio 284. num. 93.
Deus cognoscit futura conditionata contingentia, quæ absoluta non sunt, folio 293. num. 5. & seq.
Deum cognoscere futura conditionata contingentia, quæ absoluta non sunt non rectè probatur in principijs Scientiæ Mediæ, folio 293. num. 7. & seq.
Deus cognoscit futura conditionata, quæ simul absoluta sunt per scientiam inseparabilem ab absoluta, fol. 297. num. 27. & seq.
Deus est necessitatus ad sui amorem, quoad individuationem actus, fol. 347. num. 10.
Deus erga possibilia nullum habet actum prosequutivum, fol. 359. num. 43.
Deus habet liberum arbitrium, fol. 366. num. 1. & seq.
Deus, non solùm est liber, quia potest producere, & non producere creaturas; sed quia potest velle illas producere, & non producere, fol. 368. num. 10.
Deus non potest incipere velle aliquid in tempore, fol. 422. num. 6. & seq.
Deus non sufficienter præparat suam Omnipotentiam ad concurrendum ad actum bonum per decretum semiefficax, folio 439. numero 34.
Deus cæco, & ignoranti modo concurreret ad actus nostros liberos medio concursu indifferenti, fol. 443. num. 55.
Deus non concurrit ad nostras operationes liberas medio decreto concomitanti, folio 452. num. 3. & seq.
Deus habet immediatum dominium suprà actus liberos creatos, fol. 474. n. 71. & seq.
Deus non dicitur specialis donator actus boni ex eo, quod conferat auxilium voluntati in ea occasione, in qua previdit esse consensuram, folio 499. num. 19. & seq.
Deus eligens permissionem peccati ex intentione pœnitentiæ, non amat virtualiter ipsum peccatum, fol. 586. num. 86.
Deus potest permittere peccatum ex intentione pœnitentiæ non tribuentis perfectiorem sanitatem, folio 597. numero 134. folio 581. num. 66.
Deus non potest inferre violentiam creaturæ simplicitèr; benetamen secundum quid, folio 650. numero 9.
Divisio voluntarij in liberum, & necessarium, & huius insensitivum, & intellectivum est vnivoca, folio 618. num. 9.
Divisio ignorantiæ inconcomittantem, consequentem, & antecedentem optima est, fol. 678. numero 4.
Dominium voluntatis super actus supernaturales adæquatè convenit ei per gratiam, folio 63. numero 63.

E

Efficax Dei prædefinitio est necessaria ad existentiam actus liberi, fol. 457. n. 1. & seq.
Efficax Dei prædefinitio est requisita, vt Deus habeat in sua potestate actum liberum creaturæ, folio 457. num. 2. & 3.
Etiam est necessaria, vt non detur creatura inconvertibilis metaphisicè, fol. 457. num. 5.
Effectus peraccidens ex omissione sequutus solùm est voluntarius dum adest obligatio ad illum impediendum, fol. 645. num. 60.
Ens abstractum abstractione totali non est specificativum intellectus nostri, f. 21. n. 94.

F

Falsitas copulativæ non desumitur ex falsitate alicuius partis determinatè, fol. 256. n. 56.
Futuritio, sivè adæquata, sivè inadæquata è

contingens rebus, folio 181. num. 70.
Futuritio absoluta, & efficax actus non tollit eius libertatem, fol. 197. num. 3. & seq.
Futuritio conditionata non est Scientia Media, nec absoluta, scientia visionis, folio 281. num. 77. & seq.
Futurum dividitur in absolutum, & conditionatum, folio 167. num. 1.
Futurum constituitur inesse talis per Divinum decretum, fol. 168. num. 6. & seq.
Futurum multifariam dicitur iuxtà diversitatem conditionis, fol. 208. num. 1.
Futurum, cuius conditio infallibiliter conectitur cum conditionato cognoscitur à Deo per scientiam simplicis intelligentię, folio 209. num. 2.
Futura conditionata de conditione consequente ad eventus positionem cognoscuntur à Deo, vt determinatè vera, vel falsa cognitione omninò infallibili tàm subiectivè, quàm obiectivè, folio 217. n. 37. & seq.
Futura conditionata, etiam illa, quæ non sunt revelata cognoscuntur à Deo, vt determinatè vera, vel vt determinatè falsa, folio 118. num. 4. & seq.
Futura conditionata contingentia non habent determinatam veritatem independenter à decreto Divino absolutè existente, fol. 244. num. 2. & seq.
Futurum conditionatum non constituitur in esse veri formaliter per Scientiam Mediam, folio 272. num. 43. & seq.

G

Gaudium liberum Dei dicit perfectionem; non tamen distinctam à necessario, folio 387. num. 35.
Gratia est tota ratio agendi actum supernaturalem, folio 68. num. 81.
Gratiam esse totam rationem agendi non opponitur libertati, fol. 55. num. 33.

H

Habitus supernaturales subduntur nostræ libertati ratione gratiæ, fol. 45. num. 55.
Habitus auget voluntarium, fol. 677. n. 40.
Habitus non minuit voluntarium in ratione liberi, folio 677. num. 41.
Homo non amat necessario scientiam, folio 41. num. 35.

I

Idæa pro priori ad decretum tantum repræsentat futura in actu primo, fol. 230. n. 11.
Ignorantia consequens facit actum simpliciter voluntarium, & secundum quid involuntarium, folio 687. num. 39. & seq.
Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter, folio 691. num. 58. & seq.
Ignorantia concomitans solùm facit quod actus sit non voluntarius, fol. 683. num. 23.
Ignorantia dividitur in concomitantem, consequentem, & antecedentem, fol. 678. n. 1.
Immaterialitas est ratio cùr aliquid sit cognoscitivus, fol. 81. num. 9.
Imperium est actus intellectus, fol. 542. n. 22.
Imperium reperitur in Deo, fol. 548. n. 47.
Imperium movet quoad exercitium, fol. 558. numero 32.
Increpatio vnius comparativè ad alterum rectè componitur cum decreto efficaci requisito ad actum, fol. 530. num. 38.
Intellectus noster non specificatur à Deo clarè viso, nisi solùm secundum quid, folio 27. num. 36.
Intentio peccaminosa non potest imperare actus supernaturales, fol. 46. num. 60.

L

Lex contradictoriarum non petit, quod vna sit determinatè vera, & altera falsa determinatè pro omni signo, sed tantùm in instanti reali, folio 255. num. 54.
Libertas actuum supernaturalium rectè componitur cùm eo, quod gratia sit tota ratio agendi, folio 55. num. 33.
Libertas proxima in actus supernaturales cõvenit voluntati ratione gratiæ, fol. 62. n. 56
Liberum arbitrium activè concurrit cum gratia, fol. 35. num. 32.
Lumen gloriæ constituit intellectum causam per se visionis beatæ, fol. 19. num. 4.
Luna solùm habet appetitum mediatum ad illuminandum, folio 44. num. 25.

N

Natura non inclinat, nisi ad propriam operationem, fol. 33. num. 5.
Natura non subijcit sibi gratiam, sed è contra, folio 42. num. 40.

O

Obiectum nostri intellectus est ens humano modo attingibile, folio 26. num. 33.
Omissio actus præcepti imputatur homini ad culpam carenti decreto efficaci necessario ad eius adimpletionem, fol. 519. num. 2.
Omissio non est voluntaria sine potentia ad actum omissum, fol. 632. num. 4.
Omissio est voluntaria absque præcepto, folio 633. numero 11.
Omissio pura, libera, & peccaminosa, si possi-

bilis est formaliter voluntaria, folio 615. num. 65.
Omnipotentia conectitur cum posibilibus, folio 102. num. 6. & seq.
Omnipotentia non conexa cum posibilibus, non est sufficiens medium, vt Deus ipsa cognoscat, fol. 128. n. 44. & seq.
Omnipotentia non sufficienter applicatur ad concurrendum ad actus liberos creaturæ per obligationem moralem, folio 338. num. 30.

P

Peccatum est futurum abæterno, non physicè, sed tantùm logicè, fol. 189. n. 105.
Permisio peccati est effectus prædestinationis in electis, fol. 571. n. 22. & seq.
Permisio peccati est effectus prædestinationis ex præintenta pœnitentia, f. 282. n. 69
Potentia conditionata repugnat Deo, folio 107. num. 32.
Potentia exterior potest violentari secundū quid in elicientia suorum actum; in cessatione autem ab illis potest violentari simpliciter, fol. 658. num. 45.
Posibile dicitur dupliciter, & per ordinem ad causam, & per non repugnantiam ad essendum, folio 238. num. 52.
Prædestinatio proprie sumpta reperitur in Deo, fol. 538. num. 6.
Prædestinatio supponit in Deo scientiam necessariam, qua cognoscat non solùm gloriam esse posibilem; sed etiam esse sibi posibile illam conferre hominibus per modum coronæ; & etiam esse sibi posibile conferre media, quibus illam homo infallibiliter consequatur, folio 539. num. 8.
Prædestinatio consistit in actu intellectus, qui dicitur imperium, & supponit electionem mediorum, folio 552. num. 6.
Prædiffinitio regulata Scientia Media non est sufficiens, vt actus bonus sit speciale donum Dei, fol. 498. num. 15. & seq.
Præcepta negativa naturalia obligant etiam metu mortis instante; aliter verò affirmativa, fol. 666. num. 32. & 33.
Præceptum non est necessarium, vt omisio sit voluntaria, fol. 633. num. 11.
Præteritum constituitur per Divinum decretum, folio 191. num. 114.
Primus actus liber voluntatis non potest imperari, fol. 547. num. 42.
Principium inadæquatum, necessario exigit alterum comprincipium ad productionem effectus, folio 70. num. 94.
Propositiones conditionatæ de conditione impossibili si sint affirmativæ sunt necessario falsæ; si negativæ, sunt veræ, folio 225. num. 74.
Propositiones copulativę, & disiunctivæ enuntiant distinctam veritatem à veritate partium, folio 256. numero 56. & 57.
Providentia Dei non subsisteret erga actus nostros liberos Deo concurrente medio decreto indifferenti, fol. 541. num. 42.

S

Scientia ex principijs causata, vel per modum qualitatis relegatur à Deo, fol. 79. numero 1.
Scientia sumpta pro cognitione necessario ponenda est in Deo, fol. 79. n. 2. & seq.
Scientia simplicis intelligentię concurrit remotè, & directivè ad productionem rerum, fol. 142. num. 1.
Scientia, qua Deus causat in actu secundo effectivè, & applicativè creaturas est scientia visionis, fol. 143. n. 6. & seq.
Scientia simplicis intelligentiæ regulat primum actum efficacem Divinæ voluntatis, fol. 145. num. 17.
Scientia futurorum est Deo necessaria necessitate immutabilitatis, & infallibilitatis, fol. 164. num. 22.
Scientia Media lædit Divinam Omnipotentiam, & libertatem, fol. 327. numero 1. & seq.
Scientia Media lædit Divinam Providentiam, folio 335. num. 20. & seq. Et folio 534. num. 52. Item, fol. 535. num. 55.
Scientia Media fortuito, & acasu Deo evenit, fol. 335. num. 20. & fol. 535. n. 55.
Scientia Media lædit libertatem creatam in principijs suorum AA. fol. 535. num. 56. & fol. 335. num. 25. & seq.
Scientia Media supponitur ad existentiam absolutam consensus, fol. 336. num. 27.
Scientia Media essentialiter præsupponitur ad decretum collativum auxilij, folio 337. num. 28.
Scientia Media lædit libertatem creatam absolutè, fol. 338 num. 32.
Scientia Media facit, quod prima determinatio ad existentiam peccati sit ex voluntate Divina, fol. 341. num. 40.
Scientia Media admissa sequitur, quod discretio consentientis, à nō consentiente sit ex voluntate creata, & non Divina, fol. 341. num. 42.
Scientia Dei libera est invariabilis, nec incip-

cipere, aut desinere potest, folio 430. num.40.
Scientia Media destruit summam Dei libertatem, fol. 555. num. 54.
Scientia Media non potest constituere prædestinationem, folio 551. num. 3.
Scientia requisita ad voluntarium non est talis rigorosè, sed prout est idem ac cognitio, fol. 605. num. 8.
Species impressa non est vitalis, folio 67. num. 79.

T

Terminatio divina libera defectibilis non arguit imperfectionem, folio 398. numero 77.
Terminatio volitionis, vel scientiæ liberæ Dei non potest produci absque imperfectione, fol. 399. num. 81.

V

Veritas propositionis disiunctivæ, non dedesumitur ex veritate alicuius partis determinatæ, folio 256. num. 57.
Violentia potest inferri subiecto merè receptivo, folio 648. numero 2.
Virtualis discursus sufficit ad scientiam, fol. 65. numero 30.
Visio beata non potest lumine naturali demonstrari, folio 3. num. 7.
Visio Dei Authoris naturæ in se est supernaturalis, folio 8. num. 29.
Visio beata creata non est actio essentiæ Divinæ, vnitæ per modum speciei, & concurrentis effectivè ad ipsam, fol. 17. num. 67.
Vitalitas visionis beatæ, etiam est à gratia, folio 65. num. 70.
Voluntas non subordinat sibi gratiam in operando; sed potiùs gratia subordinat sibi voluntatem, folio 56. numero 35.
Voluntas non concurrit instrumentaliter ad actus supernaturales, folio 56. n. 35.
Voluntas Divina potest se exercere per volitionem, & nolitionem positivam, fol. 400. num. 1.
Voluntas Divina non potuit manere suspensa, fol. 401. num. 4. & seq.
Voluntas Divina de salute reproborum, est libera, inefficax, & absoluta, fol. 413. numero 28.
Voluntas Dei inefficax actus boni non est sufficiens, vt sit speciale donum ipsius, folio 496. num. 10.
Voluntas, quæ nunquam impletur reperitur formaliter in Deo, folio 408. n. 5.
Voluntas efficax Dei est necessaria, vt sit specialiter benevolus erga consentientem præ non consentiente, fol. 501. numero 26. & seq.
Voluntas creata vltrà principia intrinseca libertatis, indiget alteriùs ope, fol. 432. numero 5.
Voluntas potest pati violentiam in cessatione ab actu, fol. 650. num. 10.
Voluntas non potest pati violentiam in efficientia suorum actuum, fol. 953. numero 21.
Voluntarium intellectivum, & sensitivum vnivocè conveniunt, fol. 618. num. 9.
Voluntarium secundum quod dicit ordinem ad appetitum multiplicitèr accipitur, fol. 602. num. 2.
Voluntarium dividitur in varias species, folio 608. num. 30.
Voluntarium sensitivum est simplicitèr voluntarium, fol. 617. num. 3.
Ad voluntarium in causa requiritur, quod volens causam præ cognoscat conexionem illius cum effectu, folio 609. numero 36.
Vsus est actus distinctus ab intentione, & electione, folio 541. num. 18.
Vsus regulatus per imperium est liber in se formaliter, & non tantum in causa, folio 560. num. 40.

LAVS DEO.

REGISTRO DE LA PROPIEDAD Y

1080 (I)